
ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN IV
PERIODUS QUARTA

PARS VI

CONGREGATIONES GENERALES CLVI-CLXIV

SESSIO PUBLICA VIII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXVIII

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS CLVI
9 novembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLVI

9 novembris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 156 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis-Frisingensis.

Imprimis communico vobis, Patres venerabiles, mortem piissimam exc.morum DD. Adolfi Marx, ep. Brownsvillensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Petri Dib, ep. Cahirensis Maronitarum; Francisci Niccoli, ep. Collensis (Colle Val d'Elsa) in Italia; Aloisii Francisci Irizar Salazar, vic. ap. Tumacoënsis; Alfonsi Rodenas, ep. Almeriensis in Hispania.

Oremus pro eis!

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te, Domine...* [et prosequitur alternatim cum Patribus].

Oremus. Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos Adulfum, Petrum, Franciscum, Aloisium Franciscum, Alfonsum pontificali fecisti dignitate vigere ...

Secretarius generalis: Patres venerabiles, communicandi adhuc sunt huic amplissimo coetui exitus suffragationum postremarum quas fecimus ante has breves ferias. Publici iuris facti sunt in ephemeride italico cui inscriptio *L'Osservatore Romano,*[1] sed iure in hac aula communicandi sunt. En igitur exitus suffragationis Modorum respicientium cap. IV schematis *de divina revelatione*:

Patres praesentes votantes	2.188
Dixerunt *placet*	2.178
non placet	8
Vota nulla	2

[1] Cf. N° 251, sabato 30 ottobre, p. 1.

Quoad Modos cap. V respicientes:

Praesentes votantes	2.139
Dixerunt *placet*	2.115
non placet	19
Vota nulla	5

Quoad Modos cap. VI:

Praesentes votantes	2.146
Dixerunt *placet*	2.126
non placet	14
placet iuxta modum	2
Vota nulla	4

Cum em.mi moderatores constituerint etiam supponere suffragationi integrum schema, exitus fuit qui sequitur:

Praesentes votantes	2.115
Dixerunt *placet*	2.081
non placet	27
placet iuxta modum	1
Vota nulla	6

Ergo integrum schema a congregatione generali approbatum est et iam delatum est Summo Pontifici ut constituat quid agendum sit pro proxima sessione publica. [*Plausus*].

In hac congregatione, Patres venerabiles, distribuentur hi fasciculi, qui omnes impressi sunt magna cura et sollicitudine periodo feriarum. Nempe distribuetur: et *Positio* et *Relatio De sacrarum Indulgentiarum recognitione.* Non est schema Sacri Concilii, uti scitis, Patres venerabiles, sed Summus Pontifex indulsit ut de hoc sermo haberetur in hac aula et hodie labor incipiet.

Distribuentur pariter textus emendatus et relationes schematis decreti *de activitate missionali Ecclesiae,* cuius suffragationes incipient crastina et prosequentur feria V. Suffragatio, uti scitis, erit imprimis per partes, deinde per integra capita: suffragatio per partes fiet per *placet* et *non placet,* per integra capita fiet per triplicem formulam: *placet, non placet, placet iuxta modum.* Ergo crastina incipient hae suffragationes.

Distribuetur etiam alius fasciculus, scil. textus emendatus et relationes schematis decreti *de ministerio et vita presbyterorum.* Huius schematis fiet suffragatio postquam expleta est suffragatio circa schema *de activitate missionali Ecclesiae* et praevidetur hanc fieri posse feria VI et sabbato, in quo, igitur, erit congregatio generalis.

Distribuetur etiam, Patres venerabiles — si iam distributum non est — folium quod respicit schema decreti *de apostolatu laicorum*; nam commissio competens interea censuit aliquas variationes introducere in textum qui nunc hodie suffragandus est. Sunt variationes quae substantiam non tangunt, ut ita dicam, et vos potestis legere; immo, antequam incipiant suffragationes, ego legam ex hoc ambone.

Hodie, ita procedetur. Fiet relatio circa schema, hodie suffragandum per duplicem tantum formulam: *placet* et *non placet, de apostolatu laicorum.* Post relationem, legentur singula quaesita, nempe singulae suffragationes fient. Hodie fient sex suffragationes. Crastina fiet suffragatio super integrum schema.

Interea incipiet expositio quoad Positionem *De sacris Indulgentiis.* Praecedit relatio facta ab em.mo ac rev.mo D. card. Ferdinando Cento, paenitentiario maiori, et subsequitur aliqua explicatio, relatio amplior, eiusdem Paenitentiariae regentis. Crastina praesides singularum conferentiarum episcopalium exponent sententias suae conferentiae. Si quis tamen ex his censeat sufficere dare scripto hanc relationem, potest libere facere.

Crastina, celebrabitur Missa in suffragium em.morum ac rev.morum cardinalium ac ceterorum Patrum conciliarium qui elapso anno defuncti sunt. Celebrabit Missam em.mus ac rev.mus D. card. Ioannes Hamletus Cicognani, tamquam Camerarius, et Missae assistet Summus Pontifex. Sed notetis bene: crastina Missa incipiet hora nona — *hora nona* — per exceptionem; deinde, feria V iterum habebitur horarium iam statutum: hora nona cum dimidio. Ergo crastina, cum adveniet Summus Pontifex, horarium constitutum est hoc: hora nona.

Nunc audiatis, Patres, elenchum episcoporum quos Summus Pontifex coram admittet hoc die, nempe vespere. Hic nuntius mihi datur a praefecto Cubiculi Apostolici: « Il Santo Padre accoglierà in udienza martedì 9 corrente alle ore 18.30 i seguenti episcopati d'Africa di lingua francese: Algeria, Alto Volta, Burundi, Camerun, Congo ex-Belga, Congo ex-Francese, Costa d'Avorio, Dahomey, Gabon, Libia, Madagascar, Mali, Marocco, Niger, R.A.U.-Egitto, Repubblica Centro-Africana, Rwanda, Senegal, Tchad, Tunisia ».

Ergo hi episcopi exc.mi, una cum em.mis DD. cardinalibus illarum Nationum, audientiam Summi Pontificis habebunt vespere, hora 18 cum dimidio.

Pro me, nihil habeo addendum.

Moderator: Faciat nunc relationem super Modos schematis *de apostolatu laicorum* exc.mus D. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis.

SCHEMA DECRETI
DE APOSTOLATU LAICORUM

TEXTUS RECOGNITUS ET MODI
A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE DE FIDELIUM APOSTOLATU EXAMINATI *

[5] EXC.MUS P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

RELATIO GENERALIS

Venerabiles Patres,

In suffragationibus super Schema « De apostolatu laicorum », a die 23-27 septembris habitis, a Congregatione Generali approbata sunt Prooemium et omnia Capita, et quidem cum plus quam duabus ex tribus partibus. Maximus numerus eorum qui dixerunt « Placet iuxta modum », erat 311, minimus 143. Si vero ipsi modi numerantur, erant in omnibus suffragationibus circiter 700. Hi omnes in 6 Subcommissionibus examinati sunt; ipsa Commissio dein in 8 sessionibus ex eis quos, sive in toto sive quoad partem admisit, textum recognovit. Relationem de singulis modis habetis, ordinatam secundum capita et numeros, in foliis. In hac relatione generali ea tantum exponere velim quae vel ratione rei quam tangunt, vel numeri Patrum qui eis subscripserunt, generalioris momenti sunt.

I

QUAEDAM ANIMADVERSIONES AD TOTUM TEXTUM

1. *Titulum* schematis aliqui Patrem mutatum voluerunt, ita ut loco « De apostolatu laicorum » scriberetur « De participatione laicorum in missione Ecclesiae »; placuit tamen Commissioni ut retineretur, quia iam traditione discussionis in Concilio quodammodo consecratus videtur.

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione 155, die 29 octobris 1965.

2. *In Prooemio,* secundum suggestionem alicuius modi, prima duo verba nunc locum suum commutaverunt; loco « Actuositatem apostolicam » initium Decreti nunc sit « Apostolicam actuositatem »; ita conceptus maxime fundamentalis totius Decreti iustum locum obtinet. [5]

3. *Conceptum apostolatus* quod attinet, nonnulli in modis suis proposuerunt ut in delineatione relationis quae inter finem evangelizationis et sanctificationis ex una parte, animationis christianae ordinis temporalis ex alia intercedit, clarius distingueretur inter ordinem civilem et ecclesialem; alii magis urgendam esse putaverunt e contra unitatem concretam vocationis humanae. Rem aliquantulum clarius exprimere studuimus, quin tamen ad terminologiam illam discussam redierimus quae distinguit inter apostolatum « sensu proprio » et « improprio », « directo » et « indirecto ».

4. Complures Patres voluerunt, ut, abbreviationis causa, *ea* omitterentur *quae in aliis documentis huius Concilii* de apostolatu laicorum iam continentur, vel etiam in aliis documentis Ecclesiasticis. Plures tamen expresse animadverterant conveniens esse, ut in hoc Decreto omnia essentialia principia quibus apostolatus laicorum regitur, continerentur. [6]
Ita, non obstante quadam prolixitate sermonis, v. g. in numero de spiritualitate vel in capite de formatione, textus recognitus non notabiliter reductus est.

5. Iam in antecedentibus Relationibus dictum est, *rationem* semper *habendam* fuisse *maximae varietatis condicionum* in *diversis regionibus* et partibus *Ecclesiae,* ita ut etiam singulis Episcopis eorumque Conferentiis *ampla* maneret *libertas* in ordinando apostolatu laicorum. Quae via etiam suffragatione Patrum comprobata esse videtur. Cum igitur in modis propositis non raro similes tendentiae inter se oppositae inveniantur sicut iam prius in animadversionibus, via haec retinenda videbatur. Hoc factum est v. g. ubi quaestio erat, quinam accentus ponendi essent relate ad apostolatum evangelizationis, qui dicitur, et animationis ordinis temporalis; quinam accentus relate ad apostolatum singulorum et consociatum; quinam accentus relate ad commendandam Actionem Catholicam et alias apostolatus formas.

6. *Claritas et concinnitas* styli, *ordo logicus,* etiam *latinitas* perfici potuerunt. Omnes *citationes ex Sacra Scriptura* ab exegetis denuo revisae sunt, nonnullae emendatae, v. g. ubi sermo est de Beata Maria Virgine et apostolatu laicorum.

[6] II

Quaedam animadversiones ad singula Capita

1. *In Prooemio* 36 Patres voluerunt, ut sermo esset de valoribus humanis qui extra visibile corpus Ecclesiae inveniuntur, de facto autem referuntur ad bona Evangelii. Modus tamen non videbatur admittendus; sic insinueretur omnes tales valores derivari ab Ecclesia.

2. *In primo Capite* aliqui modi proposuerunt, ut clarius adhuc ratio haberetur SS. Trinitatis, Ecclesiae et mysterii Paschalis in fundamento apostolatus. Admissum est. Quae in fine dicebantur de non extinguendo Spiritu, meliore modo nunc exprimuntur.

3. *In secundo Capite* plures modi respiciunt divisionem tripartitam numerorum qui agunt de finibus apostolatus; duos tantum fines assignamus; solummodo ex rationibus practicis et conventionalibus actio caritativa distincte tractatur. Caritas sane fundamentum est totius apostolatus; opera tamen caritativa specialiter commemorantur, quippe quibus spiritus Christi singulari modo manifestatur.

4. *In tertio Capite* introductum est momentum amplioris participationis mulierum in apostolatu Ecclesiae; facta est commemoratio apostolatus puerorum; motiva clarificantur pro auxiliis dandis operibus apostolicis Ecclesiae.

5. *In quarto Capite,* ut expectandum erat, multae modificationes proponuntur relate ad Actionem Catholicam. Quamvis res tam saepe
[7] discussa fuerit in praeparando textu, ut vix ulla nova cogitatio suggesta sit, tota quaestio iterum sub aspectu modorum examinata est. Duobus verbis exceptis retinendus videbatur textus respectivi numeri. Omnium adspectuum hac in re observandorum quam maximam rationem habet, Actionem Catholicam debito modo considerat, amplam relinquit libertatem, favoritismum non continet.

6. *In quinto Capite* ab aliquibus Patribus in modis suggestum erat, ut quaestiones iuridicae magis determinarentur; sed hoc, spectata diversitate regionum, inopportunius videbatur. Plures desiderabant ut restringerentur ea quae dicuntur de mandato et de Secretariatu apud Sanctam Sedem; cum tamen textus iam approbatus sit in Congregatione Generali, Commissio putavit sibi non licere tales restrictiones apponere.

7. *In sexto Capite* textus de formatione apostolica eorum qui scholas catholicas non frequentant, emendatus est. Exstabant enim modi dicentes, etiam in scholis non-catholicis quandoque formationem apostolicam a magistris fieri.

* * * [7]

Restat ut Commissio omnibus gratias agat qui ad hoc contulerunt, ut textus in plus quam 150 locis modificari et — uti speramus — adhuc perfici potuerit.

Longa via erat a prima redactione multo longiore per plures reductiones et iterum additiones ad hodiernam formam. Inseritur in numero eorum documentorum quae etiam de apostolatu laicorum agunt, et cum quibus semper simul considerari debet, praesertim cum Constitutione de Ecclesia et schemate, mox — uti speramus — approbando, De Ecclesia in mundo huius temporis.

Prima vice in Concilio Oecumenico explicite agitur in peculiari Decreto de apostolatu laicorum. Non obliviscimur, quod textus praeiacens continet etiam fructum experientiarum et activitatum plurium laicorum eorumque coetuum et motuum, in Ecclesia iam a multis decenniis florescentium. Continet praecipue novos impulsus ad hos motus corroborandos et has activitates perficiendas in spiritu huius Concilii.

Aliquibus exspectationibus, magis particularibus, satisfieri forte non potuit Commissio — sed haec compleri poterunt opera postconciliari et in universa Ecclesia et in Ecclesiis particularibus.

Venerabiles Patres,

Coronate igitur, quaeso, opus susceptum definitive vestro voto, benigne accipientes modorum expensionem, ut, Spiritu Sancto impellente, novo igne inflammetur in Ecclesia laicorum « *apostolica actuositas* ».

SCHEMA DECRETI [9]

DE APOSTOLATU LAICORUM *

PROOEMIUM

1. *Apostolicam actuositatem* populi Dei impensiorem reddere volens,[1] Sacrosancta Synodus sollicite se vertit ad christifideles laicos, quorum partes in missione Ecclesiae proprias et omnino necessarias iam al*iis* in lo*cis* commemoravit.[2] Apostolatus enim laicorum ex ipsa eorum christiana vocatione *promanans,* numquam potest in Ecclesia

---

* Emendationes in textum introductae litteris *inclinatis* seu italicis significantur.

[9] deficere. Quam spontanea fuerit huiusmodi actuositas in primordiis Ecclesiae, quamque frugifera, ipsae Sacrae Litterae luculenter demonstrant (cf. *Act.* 11, 19-21; 18, 26; *Rom.* 16, 1-16; *Phil.* 4, 3).

Nostra autem tempora non minorem exigunt zelum laicorum, immo condiciones hodiernae omnino impensiorem et latiorem poscunt *apostolatum* eorum. Augescens enim in dies numerus hominum, scientiarum atque technicarum artium progressus, arctiores inter homines necessitudines non solum in immensum dilatarunt apostolatus laicorum spatia, magna ex parte *ipsis* tantum aperta, verum etiam nova suscitarunt problemata quae *eorum* sollertem curam studiumque expostulant. Eo urgentior huiusmodi apostolatus redditur quatenus autonomia multarum provinciarum vitae humanae plurimum, uti par est, succrevit, *aliquando cum* quadam abscessione ab ordine ethico *ac* religioso *et* gravi discrimine vitae christianae. Insuper multis in regionibus, in quibus sacerdotes admodum *pauci* sunt vel, ut quandoque accidit, debita ministerii libertate privantur, sine laicorum opera Ecclesia vix posset praesens et actuosa esse.

Huius multiplicis urgentisque necessitatis signum est evidens operatio Spiritus Sancti laicos hodie magis magisque propriae « responsabilitatis » conscios reddentis eosque ad servitium Christi et Ecclesiae ubique incitantis.[3]

Hoc in decreto Concilium apostolatus laicorum naturam, indolem et varietatem illustrare intendit, necnon principia fundamentalia enuntiare *instructionesque* pastorales tradere ad eiusdem efficacius exercitium; quae omnia tamquam normae habeantur in recognoscendo iure canonico quod ad laicorum apostolatum attinet.

[10] NOTAE

[1] Cf. Ioannes XXIII, Const. Apost. *Humanae Salutis,* 25 dec. 1961: *A.A.S.,* 54 (1962), pp. 7-10.

[2] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* « Lumen gentium », cap. IV nn. 33 ss.: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 39 s.; cf. etiam Const. *De Sacra Liturgia,* nn. 26-40: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 107-111; cf. Decretum *De instrumentis communicationis socialis*: *A.A.S.,* 56 (1964) pp. 145-153; cf. Decretum *De Oecumenismo,* « Unitatis redintegratio », *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 90-107.

[3] Cf. Pius XII, *All. ad Cardinales,* 18 febr. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), pp. 101-102; Idem, *Sermo ad Iuvenes Operarios Catholicos,* 25 aug. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 843.

Caput I [11]

DE VOCATIONE LAICORUM AD APOSTOLATUM

2. [*De participatione laicorum in missione Ecclesiae*]. Ad hoc nata est Ecclesia ut regnum Christi ubique terrarum dilatando, *ad gloriam Dei Patris,* omnes homines salutaris redemptionis participes efficiat,[1] et per eos mundus universus re vera ad Christum ordinetur. Omnis navitas Corporis Mystici hunc in finem directa apostolatus dicitur quem Ecclesia per omnia sua membra, variis quidem modis, exercet; *vocatio enim christiana, natura sua, vocatio quoque est ad apostolatum.* Sicut in viventis corporis compage, nullum membrum mere passive sese *gerit,* sed simul cum vita corporis eiusdem operositatem quoque *participat,* sic in corpore Christi, quod est Ecclesia, totum corpus « secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit » (*Eph.* 4, 16). Quinimmo tanta est in hoc corpore connexio et membrorum compactio (cf. *Eph.* 4, 16), ut membrum, quod ad augmentum corporis secundum suam mensuram non operatur, nec Ecclesiae nec sibi ipsi prodesse dicendum sit.

Est in Ecclesia diversitas ministerii, sed unitas missionis. Apostolis eorumque successoribus a Christo collatum est munus in ipsius nomine et potestate docendi, *sanctificandi* et *regendi.* At laici, muneris sacerdotalis, prophetici et regalis Christi participes effecti, suas partes in missione totius populi Dei explent in Ecclesia et in mundo.[2] Apostolatum reapse exercent sua operositate ad evangelizationem *ac* sanctificationem hominum *et* ad rerum temporalium ordinem spiritu evangelico perfundendum *ac* perficiendum ita ut *eorum* operositas in hoc ordine testimonium Christi manifeste perhibeat et ad salutem hominum inserviat. Cum vero laicorum statui hoc sit proprium ut in medio mundi negotiorumque saecularium vitam agant, a Deo vocantur, ut, spiritu christiano ferventes, fermenti instar *in mundo* apostolatum suum exerceant.

3. [*De apostolatus laicorum fundamentis*]. Laici *officium* et *ius* ad apostolatum obtinent ex ipsa sua cum Christo Capite unione. Per Baptismum enim corpori Christi mystico inserti, per Confirmationem virtute Spiritus Sancti roborati, ad apostolatum ab ipso Domino deputantur. In regale sacerdotium et gentem sanctam (cf. *1 Pt.* 2, 4-10) consecrantur ut per omnia opera spirituales offerant hostias, et ubique terrarum Christo testimonium perhibeant. Sacramentis autem, prae-

[12] sertim SS. Eucharistiae, communicatur et alitur illa caritas quae veluti anima est totius apostolatus.[3]

Apostolatus in fide, spe et caritate *exercetur* quas Spiritus Sanctus in cordibus omnium Ecclesiae membrorum diffundit. *Immo praecepto caritatis, quod est maximum mandatum Domini, omnes christifideles urgentur ad procurandam* glori*am* Dei per adventum regni eius *et* vit*am* aetern*am omnibus hominibus*: ut cognoscant solum Deum verum, et quem misit Iesum Christum (cf. *Io.* 17, 3).

Omnibus igitur christifidelibus onus praeclarum imponitur adlaborandi ut divinum salutis *nuntium* ab univer*sis* homin*ibus ubique* terrarum *cognoscatur et accipiatur.*

Ad hunc apostolatum exercendum Spiritus Sanctus, qui populi Dei sanctificationem per ministerium et sacramenta operatur, fidelibus peculiaria *quoque* tribuit dona (cf. *1 Cor.* 12, 7), ea « dividens singulis prout vult » (*1 Cor.* 12, 11), *ut « unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes* » sint et ipsi « *sicut boni* dispensatores multiformis gratiae Dei » (*1 Pt.* 4, 10), in aedificationem totius corporis in caritate (cf. *Eph.* 4, 16). Ex horum charismatum, etiam simpliciorum, acceptione, pro unoquoque credentium ius et officium oritur eadem in bonum hominum et aedificationem Ecclesiae exercendi in Ecclesia et in mundo, in libertate Spiritus Sancti, qui « ubi vult spirat » (*Io.* 3, 8), et simul in communione cum fratribus in Christo, maxime cum pastoribus suis, quorum est de eorum germana natura et ordinato exercitio iudicium ferre, *non quidem ut* Spiritum extinguant sed *ut* omnia probent et quod bonum est teneant (cf. *1 Thess.* 5, 12. 19. 21).[4]

4. [*De spiritualitate laicorum in ordine ad apostolatum*]. Cum *Christus missus a Patre* totius apostolatus Ecclesiae fons et origo sit, *patet fecunditatem* apostolatus laicorum pend*ere* ex ipsorum cum Christo vitali unione, dicente Domino: « Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere » (*Io.* 15, 5). Haec vita intima unionis cum Christo *in Ecclesia* alitur subsidiis spiritualibus. *quae* omnibus fidelibus *sunt* communi*a,* praesertim actuosa participatione Sacrae Liturgiae,[5] ita a laicis adhibend*a* ut hi, dum ipsa mundi officia in ordinariis vitae condicionibus recte adimplent, unionem cum Christo a vita *sua* non separent, sed suum opus *iuxta voluntatem Dei* exer*centes in ipsa percrescant.* Hac via laici alacri et laeto animo in sanctitate progrediantur oportet, difficultates in prudentia et *patientia* superare satagentes. *Neque* curae familiares *neque alia* negotia saecularia extran*ea* deb*ent* esse a spirituali vitae ratione iuxta illud Apostoli:

« Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum » (*Col.* 3, 17). [12]

Talis vita continuum exercitium *fidei, spei et caritatis* exposcit.

Lumine fidei et meditatione verbi Dei solum potest aliquis semper [13]
et ubique dignoscere Deum in quo « vivimus et movemur et sumus » (*Act.* 17, 28), in omni eventu quaerere eius voluntatem, Christum intueri in omnibus hominibus, sive propinqui sint sive extranei, de vera significatione et pretio rerum temporalium in seipsis et in ordine ad finem hominis recta iudicia ferre.

Qui hanc habent fidem, in spe revelationis filiorum Dei vivunt *memores crucis et resurrectionis Domini.*

In peregrinatione huius vitae, cum Christo in Deo absconditi et a servitute divitiarum liberi, dum ad illa bona quae in aeternum manent intendunt, generoso animo totos se dedicant ad regnum Dei dilatandum et ad ordinem rerum temporalium spiritu christiano informandum et perficiendum. Inter adversa huius vitae in spe fortitudinem inveniunt existimantes quod « non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis » (*Rom.* 8, 18).

Caritate *quae ex Deo* est impulsi, ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, bonum operantur (cf. *Gal.* 6, 10), deponentes « omnem malitiam et omnem dolum et simulationes et invidias et omnes detractiones » (*1 Pt.* 2, 1) et sic ad Christum homines trahentes. Caritas *autem* Dei quae « diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis » (*Rom.* 5, 5), reddit laicos capaces spiritum Beatitudinum reapse exprimendi in vita sua. Iesum pauperem secuti, bonorum temporalium nec inopia deiiciuntur nec copia inflantur; Christum humilem imitati, non efficiuntur inanis gloriae cupidi (cf. *Gal.* 5, 26), sed placere Deo magis quam hominibus student, semper parati propter Christum omnia relinquere (cf. *Lc.* 14, 26) *et persecutionem pati propter iustitiam* (cf. *Mt.* 5, 10), *memores verbi Domini*: « *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me* » (*Mt.* 16, 24). Christianam amicitiam inter se colentes, adiutorium *in quacumque necessitate sibi invicem praebent.*

Haec laicorum spiritualis vitae ratio notam peculiarem *assumere* debet *ex statu matrimonii et familiae, coelibatus vel viduitatis, ex condicione infirmitatis, ex activitate* « professionali » et sociali. Ne desinant ergo qualitates et dotes his condicionibus congruentes sibi collatas assidue excolere, propriisque uti donis a Spiritu Sancto acceptis.

Praeterea laici, qui suam vocationem secuti, nomen dederunt alicui ex associationibus vel institutis, quae ab Ecclesia approbata sunt, peculiarem notam vitae spiritualis ipsis propriam fideliter induere conan-

[13] *tur.* Magni quoque faciant « *professionalem* » *peritiam, sensum familiarem et civicum et* illas virtutes quae *ad* sociales *consuetudines pertinent,* scilicet probitatem, spiritum iustitiae, sinceritatem, humanitatem, animi fortitudinem, sine quibus nec vera vita christiana consistere potest.

Huiusmodi vitae spiritualis et apostolicae perfectum exemplar *est*
[14] Beatissima Virgo Maria, Regina Apostolorum, quae, dum in terris vitam ageret *omnibus* communem, familiari cura et laboribus plenam, intime semper cum Filio suo coniungebatur, *et operi Salvatoris singulari prorsus modo cooperata est*; nunc autem in caelum assumpta « materna sua caritate de fratribus Filii sui adhuc peregrinantibus necnon in periculis et angustiis versantibus curat, donec ad felicem patriam perducantur ».[7] Hanc devotissime colant omnes suamque vitam atque apostolatum eius maternae curae commendent.

NOTAE

Ad n. 2.

[1] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.,* 18 (1926), p. 65.
[2] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* cap. IV, n. 31: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 37.

Ad n. 3.

[3] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* cap. IV, n. 33: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 39; cf. etiam n. 10, *ibid.,* p. 14.
[4] Cf. *Ibid.,* n. 12: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 16.

Ad n. 4.

[5] Cf. Const. *De Sacra Liturgia,* cap. I, n. 11: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 102-103.
[6] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* cap. IV, n. 32: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 38; cf. etiam cap. V, nn. 40-41: *ibid.,* pp. 45-47.
[7] Cf. *ibid.,* cap. VIII, n. 62 et 65: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 63 et 65.

[15]
RELATIO
DE SINGULIS NUMERIS PROOEMII ET CAPITIS I

In suffragatione de Prooemio et integro Capite I schematis « De apostolatu laicorum », die 23 septembris 1965, sequens exitus apparuit:

Praesentes votantes	2.130
Placet	1.904
Non placet	9
Placet iuxta modum	213
Votum nullum	5

Integrum ergo Caput I, cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatum est. Omnes Modi, a Patribus introducti, praevie examinati sunt a Subcommissione, deinde a Commissione Plenaria iudicati. [15]

Modi generales

1 — Schema nimis longum: abbrevietur (1 Pater).

R. — Approbatum est in Congregatione Generali.

2 — Lingua latina magis curanda est, ut Concilio Oecumenico, quod hac lingua utitur, indigna non sit (2 Patres).

R. — Emendationes opportunae factae sunt.

3 — Adhuc manet in schemate aliqua dicotomia vel divisio nimis stricta inter valores ordinis spiritualis et valores ordinis temporalis, inter missionem in temporalia et missionem in spiritualia. Non satis clare assumitur propositum divinum Patris esse *Unicum*. In Christo Domino valores ordinis creationis et valores ordinis redemptionis inseparabiliter exstant. Unde hoc verificari debet etiam in totius Ecclesiae missione (1 Pater).

R. — Aliqualiter satisfecit Commissio.

4 — Unus Pater monet cavendum esse a periculo concurrentiae cum schemate XIII ne aliquae praecisiones, quamquam breves, omittantur in hoc schemate scil.

1. de valore apostolico in actionem reflexionis. [16]
2. de relatione vitae et regni.
3. de nexu laicatus et sacerdotii.
4. de actione Domini in corde hominum eiusque consequentiis apostolicis.
5. de praesentia huic mundo v. g. christianorum in institutionibus internationalibus non confessionalibus.
6. de dialogo cum non christianis deque habitu in relatione ad eos in hoc dialogo.

R. — Si bene intellexit commissio sollicitudines patris, modeste remittit:

1) ad n. 14; 2) ad n. 4; 3) ad n. 3 et 25; 4) ad n. 3 et 4; 5) ad n. 14 et 21; 6) ad n. 14 et n. 27.

5 — Unus Pater vellet ut loco « laici » scribatur « fideles laici », ut indoles christiana et sacra illorum melius exprimatur. Et haec est mens redactorum ut patet ex ipso textu.

[16] R. — Commissioni videbatur sufficiens si in Prooemio expresse dicatur « christifideles laici », et deinde in toto Decreto subintelligitur. Ceteroquin in capite IV Constitutionis dogmaticae *Lumen Gentium* sermo est « De Laicis ».

Modi particulares

6 — Quinque Patres proponunt ut titulus schematis mutetur et dicatur: *De participatione Laicorum in missione Ecclesiae,* vel saltem addatur tamquam subtitulus.

R. — Commissio censuit titulum non esse mutandum sive quia inde ab initio in hac forma praestitutus est et semper in discussionibus usitatus, sive quia ex toto contextu ad evidentiam patet hic agi de participatione Laicorum in missione Ecclesiae.

Prooemium

AD NUM. 1

7 — 1 Pater vellet ut duo verba initialia decreti mutentur et ponatur simpliciter *Apostolatus Laicorum.*

Alius Pater proponit ut saltem ordo duorum verborum invertatur hoc modo: *Apostolica actuositas.*

1 Pater proponit ut quaeratur aliud verbum magis latinae concinnitati consonum et non dicatur: *actuositas.*

1 Pater vult ut duo priora verba decreti sint « *Fideles Laici* ».

[17] R. — Commissio accepit secundam propositionem et mutavit ordinem duorum priorum verborum: *Apostolica actuositas.* Sic sufficienter providetur latinitati, cum verbum actuositas sit communiter receptum in aliis documentis Concilii.

8 — 1 Pater vellet ut tertia alinea seu paragraphus secundo loco ponatur.

R. — Non admittitur quia non videtur necessarium.

9 — Pag. 7, linn. 1-13: Quattuor Patres volunt ut lingua latina melius perpoliatur et suggerunt novam redactionem.

R. — Non accipitur ad litteram nova redactio proposita, tamen partim ei satisfit quasdam expressiones immutando.

10 — Pag. 7, lin. 2: Male citatur constitutio *Humanae salutis,* nam in pag. 6 nihil huiusmodi invenitur. Fortasse aliquid in

pag. 7-10 sed melius res proponuntur sub respectu latinitatis (3 Patres). [17]

R. — Admittitur et fit debita correctio.

11 — Pag. 7, linn. 2-3: Loco « *Sacrosancta Synodus* » dicatur « *Sacrosanctum Concilium* », quia hodie *Synodus* habet significationem technicam ex motu proprio « Apostolica sollicitudo » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia iam pluries ita citatur in aliis documentis.

12 — Pag. 7, linn. 3-4: Dicatur *viros* et *mulieres,* post « christifideles laicos » (4 Patres).

R. — Non admittitur quia non videtur necessarium.

13 — Pag. 7, lin. 5: Dicatur « et quorum *actionem* omnino necessariam iam alio in loco... », quia distingui debet inter *partes* laicorum in Ecclesia et eorum *actionem* in ordine ad apostolatum (1 Pater).

R. — Non admittitur. Partes proprias implicant evidenter actionem laicorum.

14 — Pag. 7, lin. 5: Non dicatur « alio in loco » sed aperte « *In Constitutione dogmatica de Ecclesia* » (5 Patres).

Non dicatur « alio in loco » sed « aliis in locis ». Etenim, non solum in Constitutione de Ecclesia hoc dicitur, sed etiam in aliis locis: De Sacra Liturgia, De Oecumenismo (1 Pater).

R. — Utrique petitioni satisfieri censuit Commissio dicendo in textu: « *aliis in locis* » et citando in relativa nota cetera documenta. [18]

15 — Pag. 7, linn. 6-7: Magis adhuc clare debet elucere conceptus cur laici apostolatui vacare debent; ita ut sit revera cardo huius schematis et non tantum in luce ponatur quod lin. 31 ss. exprimit (1 Pater).

R. — Non omnia dici possunt initio. Decursu textus clare apparet cur laici vocantur ad apostolatum.

16 — Pag. 7, lin. 7: Non « *oriundus* » sed « *promanans* » (2 Patres).

R. — Admittitur.

17 — Pag. 7, lin. 9: Vitetur repetitio: « Actuositas » reperitur quater in prooemio (1 Pater).

R. — Admittitur et quaedam repetitiones vitantur.

18 — Pag. 7, lin. 12: Omittatur citatio *Act.* 4, 31 (3 Patres).

R. — Admittitur et supprimitur citatio.

[18] 19 — Pag. 7, lin. 13: Post lineam 13, haec verba addantur vel similia: « *Decursu vero saeculorum, semper, etsi diversis modis ac formis iuxta diversas locorum temporumque condiciones, haec christifidelium operosa generosaque praesentia magnos fructus attulit apostolicae Ecclesiae navitatis in mundo* » (2 Patres).

R. — Non admittitur quia dubitatur utrum historice verum sit « semper » ita fuisse.

20 — Pag. 7, lin. 15: Loco « zelum apostolicum » dicatur simpliciter: *actio laicorum* (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia melior videtur expressio « zelus ».

21 — Pag. 7, lin. 20: Post verba « inter homines necessitudines », addantur haec vel similia verba: « *necnon, in terris catholicis, invalescens laicizatio et paganizatio vitae, idearum et morum, ac succrescens ignorantia religiosa* » (1 Pater).

R. — Non videtur necessarium.

22 — Pag. 7, lin. 22: Loco « iis » ponatur « ipsis ».

Et, lin. 24, loco « ipsorum » ponatur « eorum » (1 Pater).

R. — Admittitur.

[19] 23 — Pag. 7, lin. 25: Post « expostulant », addere: « *In vastis humanitatis campis, externe seiunctis ab Ecclesia, veritates verique valores humanitatis et moralitatis exstant, qui, ad ipsos fontes, christianos videlicet revocandi sunt* » (36 Patres).

R. — Non admittitur quia longior additio non concordat cum normis.

24 — Pag. 7, lin. 26: Loco « provinciarum » ponatur « *hominum rerum* ». Sic locutio magis concreta erit (2 Patres).

R. — Non admittitur.

25 — Pag. 7, lin. 28: *a*) Loco « secumferens quamdam abscessionem » dicatur: « *cum quadam abscessione* » (6 Patres).

b) Constructio sit: « quandoque *cum* quadam abscessione ab ordine ethico et religioso secumferens, cum gravi vitae humanae discrimine (2 Patres).

c) Loco « quandoque... vitae christianae » dicatur: « *novas occasiones et nova pericula* pro ordine ethico et religioso secumferens » (2 Patres).

d) Loco « vitae humanae plurimum, uti par est, succrevit, quandoque secumferens » etc. auferatur incisum « uti par est » et per consequens « vero » (1 Pater).

R. — Ad *a*), *b*) et *c*). Commissio iudicavit emendationem esse accipiendam saltem ex parte et sic modificavit textum: « *aliquando*

cum quadam abscessione ab ordine ethico ac religioso » omittendo « secumferens » utpote superfluum et accuratius redigendo constructionem. [19]

Ad *d*) Non admittitur quia ex contextu sat clare apparet « uti par est » referri ad ea quae praecedunt non ad ea quae sequuntur.

26 — Pag. 7, lin. 32: Deleatur « rari » et ponatur « *pauci* » (3 Patres).
R. — Admittitur quia etiam melius respondet textui evangelico « operarii autem pauci ».

27 — Pag. 7, lin. 32: Post verba: in quibus sacerdotes admodum rari sunt », addatur: « vel technica et adaequata praeparatione carent » (1 Pater).
R. — Non admittitur.

28 — Pag. 8, lin. 2: Loco « esse » ponatur « adesse » (1 Pater).
R. — Non admittitur. Non videtur necessarium.

29 — Pag. 8, lin. 3: Post actuosa esse addatur: « *Sana insuper evolutio Oecumenismi, qui nostro tempore tantopere Ecclesiam movet et qui natura sua totum Dei populum respicit, actuosam laicorum cooperationem in diversis suis campis exigit* » (cf. *De Oecumenismo,* n. 4) (1 Pater). [20]
R. — Non admittitur in hoc loco. Nam alibi iam hoc dicitur.

30 — Pag. 8, lin. 5: Auferatur « simul et felix responsum » (2 Patres).
R. — Admittitur.

31 — Pag. 8, lin. 7: Post verba « propriae responsabilitatis », addatur: « et consequens obligationis » (1 Pater).
R. — Non admittitur, quia in « responsabilitate » iam continetur obligatio.

32 — Pag. 8, lin. 8: Dicitur « varietatem », quae varietas in schemate non legitur, nec erit possibile eam invenire. Melius dicatur « *modo generali* », aut alio simili modo, ita ut schema respondeat proposito huic exposito (1 Pater).
R. — Non admittitur. In Decreto re vera innuitur varietas.

33 — Pag. 8, lin. 7: Post « propriae » addatur: « *in Ecclesia* condicionis et... » (2 Patres).
R. — Non admittitur, cum statim in sequenti linea de Ecclesia iterum sermo fiat.

34 — Pag. 8, lin. 12: Post « principio » addatur « aliqua » (1 Pater).
R. — Non admittitur quia non necessarium.

[20] 35 — Pag. 8, lin. 13: Loco « directionesque pastorales tradere », dicatur: « *normas* pastorales tradere... quae omnia *prae oculis habenda sunt* in recognoscendo iure canonico » (1 Pater).

R. — Admittitur sed diversimode et ponitur « *instructiones* ».

36 — Pag. 8, linn. 14-15: Delenda quia nihil adiungunt ad doctrinam et ex sese patet quod in recognoscendo iure canonico, hoc fieri debet (1 Pater).

R. — Non admittitur.

[21] 37 — Pag. 8, lin. 16: Dicatur: « ... canonico quod ad laicorum *associationes* attinet » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Decretum enim considerat fundamenta apostolatus.

38 — Pag. 8: Notula quae sub asterisco in fine numeri habetur, in textum introducatur (1 Pater).

R. — Non admittitur quia sufficiens videtur illud quod in textu habetur.

AD NUM. 2

39 — Pag. 15: *Titulus.* Maneat titulus schematis praecedentis (1 Pater).

R. — Non admittitur.

40 — Pag. 15, linn. 1-22: 1 Pater proponit novum textum valde abbreviatum.

R. — Non admittitur quia textus a Concilio approbatus est.

41 — Pag. 15, lin. 2: « Ad hoc unum »: omittatur verbum « *unum* » quia superfluum (5 Patres).

R. — Admittitur.

42 — Pag. 15, lin. 2: Loco « nata » ponatur « *missa* » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia ita habetur in textu Pii XI.

43 — Pag. 15, lin. 2: Addere: « Ad hoc unum *ex latere Christi* nata est Ecclesia, ut regnum etc. .. »; « Nata » est nimis frigidum (1 Pater).

R. — Superfluum videtur et ideo non admittitur.

44 — Pag. 15, lin. 3: Addere: « ... regnum Christi ubique dilatando *ad gloriam Dei Patris* » (39 Patres); vel « *ad Christum in gloriam Dei* ordinetur » (1 Pater).

R. — Admittitur « *ad gloriam Dei Patris* ».

45 — Pag. 15, lin. 3: Post « ut » dicatur « regno Christi ubique terrarum dilatando... *participes efficiantur* et per eos *quoque* mundus... » (1 Pater) [21]

R. — Non admittitur. Non necessarium apparet.

46 — Pag. 15, linn. 5-6: Dicatur: « et per eos *omnia in Christo instaurentur* » (1 Pater). [22]

R. — Non admittitur.

47 — Pag. 15, lin. 6: Loco « ad Christum » ponatur: « *Per Christum ad Deum* » vel « *Ad Deum per Christum* » (3 Patres).

R. — Iam provisum est in praecedentibus.

48 — Pag. 15, lin. 9: Omittatur « sicut in viventis... quod est Ecclesia » quia comparatio ex se non tenet in omnibus et locutio adhibita ad aliquas non accuratas praebeat occasionem interpretationes (1 Pater).

R. — Non admittitur. Si comparatio tenet apud S. Paulum, a fortiori tenet hoc in loco.

49 — Pag. 15, linn. 11-13: *a*) 1 Pater: mutetur ratione latinitatis « *participat oportet* ».

b) 1 Pater: dicatur: « ... mere passive sese gerit sed simul cum vita corporis eiusdem operositatem quoque *participat* ».

c) 1 Pater: loco « gerere debet » dicatur « *gerit* ».

d) 1 Pater: loco « sese gerere debet... participet oportet... » dicatur: « sese *gerit... participat* ».

R. — Admittuntur modi *b, c, d,* et scribitur « *sese gerit* » ... « *participat* ».

50 — Pag. 15, lin. 16: Post lineam 16 vel in fine paragraphi addatur: *vocatio enim christiana, natura sua, vocatio quoque ad apostolatum est* (1 Pater).

R. — Admittitur.

51 — Pag. 15, lin. 20: « ... nec Ecclesiae... prodesse dicendum sit »: quomodo concordatur cum doctrina... zizaniorum parabolae (*Mt.* 13, 24 sq. praes. 29): malum utique directe non prodest, sed utique indirecte (1 Pater).

R. — Textus ut iacet est satis clarus.

52 — Pag. 15, lin. 21: Dicatur « sibi ipsi pro*dest* ». Et tollantur verba « dicendum sit », quia severitatem nimiam sapit locutio (1 Pater).

R. — Non admittitur. Cum forma actualis melius exprimat sensum.

[23] 53 — Pag. 15, lin. 22: Dicatur: « Est in Ecclesia *varietas* ministerii » (1 Pater).

R. — Non admittitur. « Diversitas » melius innuit essentialem diversitatem inter sacerdotium commune fidelium et sacerdotium hierarchicum.

54 — Pag. 15, lin. 23: Septem Patres proponunt ut non dicatur: « unitas missionis » sed: « unitas *finis* ».

R. — Non admittitur quia mutatio non apparet necessaria.

55 — Pag. 15, linn. 25-26: Post « sanctificandi » addatur: « *munus cui sacerdotes consociantur* » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia non videtur necessarium.

56 — Pag. 15, lin. 25: Loco « potestate docendi, regendi et sanctificandi », dicatur: « *potestate docendi, sanctificandi et regendi* », sicut habetur in aliis documentis Concilii (1 Pater).

R. — Admittitur.

57 — Pag. 15, lin. 26: Post verbum « sanctificandi » haec vel similia verba addantur: « *Navitas quam hi exercent est apostolatus sensu pleno et speciali, qui ab apostolatu laicorum differt sive ratione originis, sive ratione obiecti, sive ratione responsabilitatis* » (7 Patres).

R. — Non admittitur.

58 — Pag. 15, lin. 26: Post « at », dicatur « *etiam* » (1 Pater).

R. — Non admittitur.

59 — Pag. 15, lin. 26: Post « at laici », haec vel similia verba addantur: « *Ob sacerdotium commune,* muneris sacerdotalis », etc. (1 Pater).

R. — Non admittitur utpote non necessarium.

60 — Pag. 15, linn. 26-27: Dicatur: « At laici, muneris sacerdotalis, prophetici et regalis Christi participes effecti *per Baptismum suas...* » (2 Patres).

R. — Non admittitur quia sufficienter providetur in n. 3.

61 — Pag. 15, linn. 26-27: Loco « at laici, muneris sacerdotalis, prophetici et regalis Christi participes effecti, suas partes... », dicatur: « At laici, *qui sunt membra Corporis mystici Christi,* [24] suas partes... » (1 Pater).

R. — Melius est ut servetur textus.

62 — Pag. 15, linn. 27-28: Loco « regalis Christi participes effecti, suas partes in missione totius populi Dei... » dicatur: « regalis Christi *suo modo* participes effecti suas partes etc. ... » (1 Pater).

R. — Non videtur necessarium.

63 — Pag. 15, lin. 28: Ita legatur: « Suas partes in missione totius populi Dei *sub ductu Sacrae Hierarchiae* explent... » (1 Pater). [24]

R. — Non admittitur. De relatione ad Hierarchiam agitur in capite V.

64 — Pag. 15, lin. 29: Omittere haec verba: « in Ecclesia et in mundo... » (1 Pater).

R. — Non admittitur.

65 — Pag. 15, lin. 29: Post « in mundo », addatur: « *quamvis non hierarchico modo* », ne confusio oriatur inter diversos modos participandi vel sacerdotio vel potestati regiminis Christi; de hac re loquitur clare recens Littera Encyclica *Mysterium Fidei* (1 Pater).

R. — Non videtur necessarium hoc in loco.

66 — Pag. 15, lin. 29 - Pag. 16, lin. 5: Reassumatur ultima paragraphus et reficiatur: Unificentur ideae. Sunt eaedem considerationes (1 Pater).

R. — Non admittitur quia textus uti iacet iam approbatus est.

67 — Pag. 15, lin. 29, ad pag. 16, lin. 5: *a*) Praeponere phrasim quae lin. 35 incipit. *b*) Loco duorum « sive » (linn. 30 et 32), scribere « *necnon* » (46 Patres).

R. — *a*) non admittitur, quia a Patribus in Aula textus approbatus est. Ad *b*): aufertur disiunctiva « sive... sive », cuius loco ponitur *et*.

68 — Pag. 15, lin. 34: Dicatur: ut *eorum* operositas (1 Pater).

R. — Admittitur.

69 — Pag. 15, lin. 34: Loco « ut operositas in hoc ordine » dicatur: « ut operositas *in caritate radicata, sub* hoc aspectu testimonium » (1 Pater). [25]

R. — Non videtur necessarium.

70 — Pag. 15, lin. 34: Melius est tollere « in hoc ordine », ita ut hae duae ultimae lineae clare appareant sicut consequentiam amborum modorum apostolatus (1 Pater).

R. — Melius est ut servetur textus.

71 — Pag. 15, lin. 35: Omittatur « manifeste » (1 Pater).

R. — Non admittitur.

72 — Pag. 16, linn. 1-5: Restauretur paragraphus praecedentis schematis (1 Pater).

R. — Non admittitur.

[25] 73 — Pag. 16, lin. 1: Loco « cum vero laicorum statui hoc sit proprium in medio mundi negotiorumque saecularium vitam agant », dicatur: « cum vero laicorum statui hoc sit proprium ut in *mundanis agentes negotiis saecularibus incumbant* ». Etenim, etiam pastores in medio mundi vivunt; et verba proposita magis concordant cum Const. *de Ecclesia,* n. 31 (1 Pater).

R. — Textus ut iacet est satis clarus.

74 — Pag. 16, linn. 1-2: Ne citentur solum « negotia saecularia ». Adest enim ministerium Verbi ut bene dicitur in n. 6 et alibi (1 Pater).

R. — Non admittitur.

75 — Pag. 16, linn. 3-5: Textus sic mutetur: « ... ut spiritu ferventes et *Domino servientes* » (*Rom.* 12, 11) fermenti instar... » (3 Patres).

R. — Non admittitur, cum non videatur necessarium.

76 — Pag. 16, linn. 4-5: Ordo verborum mutetur quoad latinitatem « *fermenti instar in mundo apostolatum suum exercent* » (2 Patres).

R. — Admittitur.

[26] AD NUM. 3

77 — *In genere*: Non sufficienter indicatur quod apostolatus laicorum est « collaboratio cum apostolatu hierarchico » ut dixit Pius XI qui dictus est « Pater Actionis Catholicae ».

Periculum manifestum videndi laicos intendere apostolatum efficere intra Ecclesiam vel « nomine Ecclesiae » sine consideratione erga hierarchiam » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Haec definitio valet de Actione Catholica non de omni apostolatu de quo schema nostrum agere intendit.

78 — *a*) Insistatur in hoc: sacramenta Baptismi et Confirmationis ponunt in communione ecclesiali laicos et Pastores.

b) Affirmetur sacramentum Eucharistiae esse Sacramentum dynamismi christiani et vitalitatis apostolicae.

c) Hic numerus non gaudet unitate (1 Pater).

R. — Non admittitur.

79 — Pag. 16, lin. 6: Post verba « Laici Christifideles » addere: « *viva membra Ecclesiae Hierarchicae, cuius Caput est Christus,* ius et officium... » (1 Pater); cf. Modum N. 116.

R. — Commissio non reputavit necessarium immutare textum.

80 — Pag. 16, lin. 6: ... christifideles *sub moderamine sacrae Hierarchiae...* (1 Pater). [26]

R. — Non admittitur. Hoc sufficienter dicitur in Cap. V.

81 — Pag. 16, lin. 7: Loco « ius et officium » dicatur: « officium et ius » (2 Patres) quia ius fundatur in officio.

R. — Admittitur.

82 — Pag. 16, lin. 7: Loco « ... ius et officium obtinent ex ipsa sua cum Christo Capite unione ». Dicatur « ius et officium *radicaliter* obtinent ex ipsa sua cum Christo Capite unione » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Superfluum apparet.

83 — Pag. 16, linn. 8-10: Dicatur: « ... Christo Capite unione, *cum* per Baptismum corpori Christi mystico ins*erantur et* per confirmationem virtute Spiritus Sancti robo*rentur* » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Particula "enim" sufficienter unit duas periodos.

84 — Pag. 16, lin. 9: Post verba « per confirmationem virtute Spiritus Sancti roborari » addere: « *in SS. Eucharistia Christo Redemptore nutriti* » (38 Patres); quia agitur de deputatione ad apostolatum, tria sacramenta initiationis christianae citari debent. [27]

R. — Non admittitur, quia sufficienter iam dicitur in schemate.

85 — Pag. 16, linn. 10-14: Linn. 10-14 deleantur: duo sacramenta indicata, solum, deputant ad apostolatum. Eucharistia apostolum nutrit, non mittit (1 Pater).

R. — Non admittitur quia textus approbatus est.

86 — Pag. 16, lin. 10: « Ad apostolatum ab ipso Domino deputantur »: legatur: « *ad meliora charismata urgentur, quae inter apostolatum cooptetur* » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Hoc est conforme Const. « Lumen Gentium ».

87 — Pag. 16, lin. 10: Post dictum a multis Patribus in discussione priorum schematum, de erronea et abusiva interpretatione verborum S. Petri « regale sacerdotium », laicorum, miror cur in decreto conciliari hoc repetatur, in hoc numero et passim. Iam ex hoc, inter sacerdotes et laicos, serpent errores de « charismatibus », interpretatione scripturae, « sensu Ecclesiae, etc. ». Ideo propono ut verba « in regale sacerdotium consecrantur » omnino expungantur (1 Pater).

R. — Non admittitur. Cf. Const. « Lumen Gentium » nn. 31 et 34.

[27] 88 — Pag. 16, linn. 10: « ab ipso Domino deputantur » mutetur: « ab ipso Domino *per Ecclesiae ministerium* deputantur » (2 Patres).

R. — Non admittitur. Cf. Const. « Lumen Gentium » cum qua textus concordat.

89 — Pag. 16, lin. 10: Post « deputantur » addatur: « *in communionem ecclesialem et unionem cum Pastoribus introducuntur* » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Sufficienter tractatur in capite V.

90 — Pag. 16, lin. 11: Deleantur verba « non tantum » (3 Patres).

R. — Admittitur.

[28] 91 — Pag. 16, lin. 12: Loco « sed et » dicatur: « *atque* Christo testimonium ubique terrarum exhibeant » (1 Pater).

R. — Non videtur necessarium. Dicitur « et ».

92 — Pag. 16, lin. 12: Post verba « ubique terrarum » loco verborum qui nunc dumtaxat resumunt pulcherrimum textum S. Petri, ponatur ipse textus: « ... *ut virtutem annuntietis quis eos vocavit de tenebris in admirabile lumen suum* » (1 Pater).

R. — Non videtur necessarium etiam ratione concisionis.

93 — Pag. 16, lin. 13: Post verbum « perhibeant », addantur haec vel similia verba: « *et, verbum Dei praedicantes, homines ad Christum adducant* »; hodie, enim, adest apud multos qui ad Catholicam Actionem pertinent, doctrina docens membra A. C. debere facere solummodo apostolatum testimonii. Negant, v. g., apostolatum catecheticum ad eos pertinere (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia in alio loco est sermo de hac re.

94 — Pag. 16, lin. 13: Post SS. Eucharistiam, inseratur « *in qua Christus semetipsum obtulit pro salute mundi ad gloriam Patris* » (1 Pater).

R. — Non admittitur quia non videtur necessarium.

95 — Pag. 16, linn. 13-14: « Sacramentis autem etc. apostolatus » transferantur ad lineam 16 eiusdem numeri et paginae. Hoc modo: post verba « caritas autem », scribatur: «quae veluti anima est totius apostolatus *quaeque* sacramentis, praesertim SS. Eucharistiae communicatur et alitur » (1 Pater).

R. — Non admittitur, ratione ordinis logici. Agitur enim 1° de Sacramentis, 2° de actione per virtutes et Spiritum Sanctum.

96 — Pag. 16, linn. 13-14: Dicatur: « Sacramentis autem communicatur et alitur illa caritas quae veluti anima est totius aposto-

latus, praesertim *quidem* SS. Eucharistia, *quae utpote Christi sacrificium, et robur spirituale apostolis confert et sensum sacrificalem dat eorum operositati* » (1 Pater). [28]

R. — Non admittitur. Ratione brevitatis et concisionis.

97 — Pag. 16, lin. 14: Post « apostolatus » scribatur « *incitamentum et vim afferens ad omnem formam apostolatus et missionis ad eos qui longe sunt* », ut melius exprimatur vis apostolica Eucharistiae (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia longior additio non concordat cum normis. [29]

98 — Pag. 16, linn. 16-23: Textus videtur obscurus, nimis complexus et diffusus. Substituatur hoc modo: « *Caritate, iuxta praeceptum Domini primum et maximum, omnes Christifideles urgentur ad gloriam Dei per adventum regni eius et ad vitam aeternam omnibus in cognitione Dei vivi procurandas per apostolatum* » (1 Pater).

R. — Admittitur cum quibusdam emendationibus: « Apostolatus in fide spe et caritate *exercetur,* quas Spiritus Sanctus in cordibus omnium Ecclesiae membrorum diffundit. *Immo praecepto caritatis quod est maximum mandatum Domini omnes christifideles urgentur ad procurandam* gloria*m* Dei per adventum regni eius *et* vitam aeterna*m omnibus hominibus*: ut cognoscant solum Deum verum et quem misit Iesum Christum ».

99 — Pag. 16, lin. 17: Loco « ad gloriam Dei... ut cognoscant », dicatur: « ad gloriam Dei et *salutem* hominum quaerend*as* impellit, *quae, tamquam Regnum Dei* in terris inchoatum, consist*unt in eo quod omnes* cognoscant... » (1 Pater).

R. — Non videtur necessarium; iam provisum est.

100 — Pag. 16, linn. 17-18: Loco « impellit », ponatur « *urget* » (3 Patres).

R. — Iam provisum est per inductam mutationem textus.

101 — Pag. 16, lin. 18: Textus terminetur cum verbo « impellit ». Cetera, scil. linn. 18-38 deleantur (1 Pater).

R. — Textus est approbatus a Congregatione Generali.

102 — Pag. 16, linn. 18-21: Unus Pater: loco « gloria Dei adventum eius in terris exoritur », dicatur: « gloria Deo per adventum *eius* in terris datur ».

Tres Patres: loco « consistit » ponatur « *fundetur* ».

Duo Patres: locutio in prima persona numeri pluralis « diffunderemus... nobis » rumpit lineam totius contextus.

[29] R. — Omnibus hisce propositis emendationibus, satisfit per inductam mutationem textus sicut nunc legitur (cf. n. 98).

103 — Pag. 16, lin. 24: Loco « quoquo » ponatur « *ubique* » (1 Pater).
R. — Admittitur.

[30] 104 — Pag. 16, linn. 24-25: Loco « perveniat » dicatur « *adimpleatur* », vel « *ad effectum deducatur* » (7 Patres).
R. — Nunc sic legitur textus, linn. 23-25: « ... ut divinum salutis *nuntium ab* univer*sis* homin*ibus ubique* terrarum *cognoscatur et* recipiatur ».

105 — Pag. 16, linn. 26 ss.: Dicatur quod, cum sit Episcopus responsabilis apostolatus dioecesis, ad eum pertinet nova incepta arripere et laicis assignare labores. Textus etenim videtur omnibus « initiativis » charismatibus relictis, parum de munere Episcopi disserere (1 Pater).
R. — De munere Episcopi disserit Decretum Conciliare proprium.

106 — Pag. 16, linn. 26-38: Cum sermo in hoc numero sit « De Apostolatu laicorum fundamentis » paragraphus citata non agit de hoc *fundamento,* sed tantum de aliqua quaestione secundaria etsi aliquomodo connexa. Neque sermo est clarus et concisus. Meo humili iudicio aut supprimatur vel melius materia haec tantum insinuetur addendo pauca verba ad primam paragraphum huius numeri 3. Sufficeret addere tantummodo lineas 26-31 ad primam paragraphum (1 Pater).
R. — Non admittitur.

107 — Pag. 16, lin. 27: « Per ministerium et sacramenta »: non intelligitur bene disiunctio; administratio sacramentorum est et ipsa « ministerium »; estne sensus « ministerium Verbi? » (1 Pater).
R. — Non admittitur. Sermo est de ministerio in genere.

108 — Pag. 16, lin. 27: Loco « per ministerium et sacramenta » dicatur: « per ministerium *Verbi* et sacramenta » (2 Patres).
R. — Non admittitur. Cf. supra.

109 — Pag. 16, lin. 27: Omittatur « quandoque » (1 Pater).
R. — Admittitur.

110 — Pag. 16, linn. 27-28: Expressio « quandoque etiam » deleatur (35 Patres).
R. — Admittitur.

111 — Pag. 16, lin. 27: « Quandoque » doctrinam apostoli formaliter contradicit. Nam « *Unicuique* autem datur... » (*1 Cor.* 12, 7).

Rom. 12, 3 « unicuique... » *Eph.* 4, 7 « unicuique » *1 Pt.* 4, 10 [31]
« unusquisque ». Dicatur ergo: « ... operatur, *omnibus* etiam fidelibus dona *sua* tribuit, cf. *Cor.* 12, 7 (6 Patres).

R. — Non admittitur.

112 — Pag. 16, linn. 29-30: Textus *1 Pt.* 4, 10 est maximi momenti: fusius citetur. Post « *1 Cor.* 12, 11 » dicatur « *ut "unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes"* sint et ipsi *"sicut boni* dispensatores multiformis gratiae Dei" in aedificationem... » (3 Patres).

R. — Admittitur.

113 — Pag. 16, lin. 31 ad 38: Deleantur. Ibi nimis sermo fit de charismatibus et hic sermo periculum ingerit excitandi illusiones et confusiones multas inter eos qui se charismatibus ornatos praebent. Experientia teste aliqui tantum extant. Plurimi e contra illudunt et illuduntur. Charismata fuerunt ordinaria in prima aetate Ecclesiae, quod postea et nunc non accidit (3 Patres).

R. — Non admittitur.

114 — Pag. 16, linn. 31-32: Loco « etiam simpliciorum », dicatur: « *etiam minus excellentibus acceptis* ». Locutio enim « simpliciorum » videtur esse indigna pro charismatibus » (1 Pater).

R. — Melius est ut textus servetur.

115 — Dicere: « ius et officium oritur eadem in *salutem* hominum et... » (1 Pater).

R. — Non videtur necessarium.

116 — Pag. 16, linn. 35-36: Loco « maxime cum pastoribus suis, quorum... », dicere: « ... cum fratribus in Christo. *Pastorum vero est* de eorum germana natura... ».

Ratio: In hoc numero, optime dicitur laicos ad apostolatum ab ipso Deo deputari. Sed simul necesse est semper et clare affirmare talia dona spiritualia non ius ad apostolatum conferre nisi in Ecclesia. Sub hoc autem aspectu, prima propositio (linn. 6-8) et ultima (linn. 35-38) insufficientes videntur (1 Pater).

R. — Commissio non reputavit necessarium immutare textum.

117 — Pag. 16, linn. 35-36: Plures modificationes a Patribus propo- [32]
nuntur:

a) praesertim relate ad expressionem: « modo tamen spi-

[32] ritum ne extinguant » quae videtur quasi quaedam admonitio Episcopis facta (7 Patres).

b) Alii nolunt ut dicatur: « iudicium ferre » sed « *opem ferre* » vel « *conciliare* ».

c) Alius: post « iudicium ferre » addatur: « *ipsumque moderari* ».

d) Alius: Admodum difficile est iudicare de *germana natura* charismatum. Dicatur: « *de eorum authentia et origine* ».

e) Tres Patres: mutetur sic: « ... Iudicium ferre, *non quidem ut* spiritum extinguant sed ut omnia probent ».

R. — Ad *d*) Commissio non reputavit necessarium immutare textum cum iudicium de authentia vel origine secumferat iudicium de « germana natura ».

Ad ceteros modos propositos Commissio censuit sufficienter provideri accipiendo emendationem ultimam scilicet *e*) unde dicitur « *non quidem ut* Spiritum extinguant, sed... ».

118 — Pag. 16, lin. 36: Post verba « cum pastoribus suis » addatur: « et sub eorum auctoritate » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia in capite V de hac re sermo erit.

119 — Pag. 16, linn. 37-38: Phrasis terminetur cum verbis: « iudicium ferre », omittendo reliqua (1 Pater).

R. — Commissio opportune correxit textum.

120 — Pag. 16, linn. 37-38: Supprimatur textus paulinus *1 Thess.* 5, 12/19. 21 (1 Pater).

R. — Non admittitur. Citatio invenitur in eodem textu in Constit. « Lumen Gentium » in fine n. 12.

AD NUM. 4

In genere

121 — Tollantur omnia inde a linea 9, pag. 17 usque ad lineam 2 pag. 18 inclusive (2 Patres).

R. — Non admittitur. Textus iam fuit a Patribus approbatus.

[33] 122 — In hoc articulo de Spiritualitate nihil dicitur de « mysterio paschali ». Ponatur aliquid in linea 4, quando agitur de « vitali unione cum Christo » (1 Pater).

R. — Admittitur. Aliquid dicetur infra.

De particularibus [33]

123 — Pag. 16, lin. 40: 8 Patres dicunt: « Non clare proponitur in schemate vera theologia MISSIONIS, nam dicitur Christum esse fontem et originem totius apostolatus Ecclesiae, dum solus Pater, testante Ioanne (*Io.* 6, 38 et 44; 7, 28; 17, 18; 20, 21) est illa fons et origo. Variis in locis manifestatur haec difficultas. Confer: pag. 21, n. 5, lin. 5 et lin. 20 ubi agendum videtur potius de nuntio PATRIS (« Evangelium Dei et non Evangelium Christi »!); confer etiam pag. 63, n. 31, lin. 26; pag. 65, n. 33, linn. 8-10. Scribatur ergo: « Christus, *missus a Patre...* ».

R. — Admittitur: « Cum *Christus missus a Patre* totius apostolatus Ecclesiae », etc.

124 — Pag. 16, lin. 40: Expressio « fons et origo » non videtur recta seu accurata (1 Pater).

R. — Iam provisum est.

125 — Pag. 17, lin. 1: Dicatur: « ... cum Christo unione *per caritatem* » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Necessarium non videtur.

126 — Pag. 17, lin. 1: Dicatur « *fecunditas* » non « *efficacitas* » (6 Patres).

R. — Admittitur et modificatur textus sicuti nunc legitur.

127 — Pag. 17, lin. 1: Expressio « prorsus » videtur supprimenda (1 Pater).

R. — Admittitur et textus emendatus iuxta propositam emendationem sic sonat: « *... patet fecunditatem apostolatus laicorum pendere ex ipsorum cum Christo vitali unione...* ».

128 — Pag. 17, lin. 2: Addantur verba: « *Per gratiam sanctificantem constanter servatam* dicente... » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Intentio est ut « vitalis unio » hic intelligatur modo amplissimo, quamvis gratia sit fundamentum vitalis unionis cum Christo.

129 — Pag. 17, lin. 3: Versiculos *Io.* 15, 4 non citatur complete. Vel [34] tria puncta loco verborum quae non citantur ponantur. Vel solus textus citetur: « *Ego sum vitis, vos palmites* » (3 Patres).

R. — Expunguntur verba « Manente in me et ego in vobis ».

130 — Pag. 17, lin. 4: Post verba « haec vita intima unionis cum Christo » addere: « *In Ecclesia* » (38 Patres).

R. — Admittitur.

[34] 131 — Pag. 17, linn. 4 ss.: Ita exprimatur: « ... alitur praesertim actuosa participatione sacrae Liturgiae et aliis spiritualibus subsidiis, *quae* quidem omnibus fidelibus *sunt* communi*a,* a laicis autem ita adhibenda ut hi... » (2 Patres).

R. — Admittitur sic: « ... Alitur subsidiis spiritualibus quae sunt omnibus fidelibus communia praesertim actuosa participatione S. Liturgiae, ita a laicis adhibenda ut... ».

132 — Pag. 17, lin. 4: Post « potestis facere » (*Io.* 15, 4-5) addatur: « *pendet etiam ab acceptatione crucis iuxta verba Io.* 12, 24: *"Nisi granum frumenti mortuum fuerit"...* » (4 Patres).

R. — Admittitur sed loco opportuno emendatio inseretur (cf. Modus 158 et 164).

133 — Pag. 17, lin. 4: Post verba « vita intima... cum Christo » addatur: « *quam Ecclesia omnibus fidelibus suppeditat* » (4 Patres).

R. — Non admittitur cum necessarium non appareat.

134 — Pag. 17, lin. 4: Addatur « *et evangelii contemplatione* » ita ut legatur: « Praesertim in actuosa participatione Sacrae Liturgiae et Evangelii contemplatione » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Iam providetur in linea 17 ubi agitur de verbi Dei meditatione.

135 — Pag. 17, lin. 5: « ... alitur subsidiis spiritualibus... », addatur: « *et exercitiis* » (1 Pater).

R. — Non admittitur cum hoc iam satis appareat ex contextu.

136 — Pag. 17, lin. 5: Dicatur: « alitur praesertim actuosa participatione Sacrae Liturgiae et aliis subsidiis spiritualibus adhibendis ut... » (1 Pater).

R. — Non admittitur.

[35] 137 — Pag. 17, lin. 6: Expressio « actuosa participatione S. Liturgiae » sapit idealismum verbalem (1 Pater).

R. — Cf. Const. *De sacra Liturgia* quae hoc etiam modo sese exprimit.

138 — Pag. 17, lin. 6: Post verba « ... praesertim actuosa participatione sacrae Liturgiae » addatur: « *sed et iis quae Ecclesia unicuique libere eligenda proponit, iuxta vocationem suam.* Ita *tamen* a laicis adhibendi *sunt* hi... » (1 Pater).

R. — Non admittitur in hoc loco. Cf. Modus n. 168.

139 — Pag. 17, lin. 6: Post « sacrae Liturgiae » addatur: « *necnon aliis mediis spiritualibus quae unicuique proponuntur ad mentem vocationis eius* » vel alia similia (4 Patres).

R. — Non admittitur in hoc loco. Cf. Modus n. 168.

140 — Pag. 17, lin. 7: Sic legere: « ... rite adimplent, *non tantum* unionem cum Christo a vita activa non separent, sed *in hac unione crescant dum, quaerentes in actione sua voluntatem Dei facere et in hominibus actionem Spiritus Sancti detegere et inservire,* opus suum exercent *ut participationem adimpletioni consilii Dei viventis* » (36 Patres). [35]

R. — Ut aliquomodo satisfiat ita modificatur textus: « ... a laicis adhibenda... sed *opus suum iuxta voluntatem Dei exercentes in ipsa percrescant* ».

141 — Pag. 17, lin. 8: Loco « a vita activa » ponatur « a *praesentia* activa *in mundo* » vel: « *ab operositate saeculari* » (3 Patres).

R. — Nunc dicitur: « a vita *sua* ».

142 — Pag. 17, linn. 8-9: Auferatur « *potius* » (1 Pater).

R. — Admittitur.

143 — Pag. 17, lin. 9: « suum opus in hac unione »: addatur verbum « *quoque* » (5 Patres).

R. — Non admittitur.

144 — Pag. 17, lin. 9: Post verba « unione exerceant », addatur: « secundum virtutem prudentiae et discretionis » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Alibi agitur de prudentia.

145 — Pag. 17, linn. 9-16: Omittantur quia vigor, qui inest in praecedentibus et sequentibus lineis minuitur (1 Pater). [36]

R. — Non admittitur. Cum textus sicut iacet iam fuerit a Patribus approbatus.

146 — Pag. 17, lin. 10: Omittatur verbum « necessarias » (2 Patres).

R. — Admittitur.

147 — Pag. 17, lin. 11: Loco « prudentia » dicatur « *patientia* » (1 Pater).

R. — Admittitur hoc modo: « ... *in prudentia et patientia* » et deletur « fortitudine » quia iam alibi dicitur.

148 — Pag. 17, lin. 11: Omittatur pars phraseos ab « *ut* » usque ad « ordinetur » (1 Pater).

R. — Admittitur.

149 — Pag. 17, lin. 11: Dicatur « ut vita sua, *quae sub luce divinae voluntatis contemplari semper debet,* ad Eius gloriam... » (1 Pater).

R. — Non admittitur.

[36] 150 — Pag. 17, lin. 12: Loco « ad regnum eius proventum » ponatur: *ad proventum Regni Christi* (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia linea expuncta est.

151 — Pag. 17, lin. 12: Post verba « ad regni eius proventum ordinetur », addere: « *exhortante Domino: nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* » (*Io.* 12, 24) (39 Patres).

R. — Non admittitur quia infra dicetur (cf. 158, 164).

152 — Pag. 17, lin. 13: Ita emendetur: « ... sive curae familiares, sive *alia negotia saecularia* » (2 Patres).

R. — Nunc ita scribitur: « *neque* curae familiares, *neque alia* negotia saecularia... ».

153 — Pag. 17, lin. 14: Post verbum « ratione » addatur: « neque a responsabilitate apostolica » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Alibi in ipso schemate sufficienter providetur.

[37] 154 — Pag. 17, lin. 16: Addatur « Quare omnibus actibus propriae vitae laici sensum missionarium semper conferant oportet » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Iam sermo est in n. 10.

155 — Pag. 17, lin. 17: Dicatur: « talis autem vita *continuam communionem cum Deo exposcit, per fidem, spem et caritatem exercendam* » quia formula « *virtutes theologales* » minus placet quia abstracta et scholastica (1 Pater).

R. — Admittitur et sic textus legitur: « *Talis vita continuum exercitium fidei spei et caritatis exposcit* ».

156 — Pag. 17, lin. 17 ss.: Sermo fit, recte quidem, de virtutibus theologalibus, sed ne taceantur virtutes *cardinales,* quae aptiorem redderent virtutum socialium mentionem. Pag. 18, linn. 8-10: desunt ibi duae virtutes maximi momenti, etiam pro societate, nempe, *prudentia* et *temperantia* (1 Pater).

R. — Vera est observatio, tamen quia non fit tractatio scholastica non videtur necessarium omnia explicite proferre.

157 — Pag. 17, lin. 24: « Qui hanc habet fidem » — ad quid refert *haec* fides? Dicatur clarius (1 Pater).

R. — Non admittitur. « *Haec* » refertur ad ea omnia quae in praecedentibus dicuntur.

158 — Pag. 17, linn. 25-26: Adducitur textus paulinus, *Rom.* 8, 19-21: supprimatur (1 Pater). [37]

R. — Admittitur et sic modificatur textus: « Qui hanc habent fidem, in spe revelationis filiorum Dei vivunt, *memores crucis et resurrectionis Domini* ».

159 — Pag. 17, lin. 27: Haec verba addantur ita ut legatur: « In peregrinatione huius vitae, *dum* absconditi cum Christo in Deo, *meliori quo possunt modo adimpleant ea omnia quae ad proprium cuiusque statum et condicionem pertinent,* et a servitute... etc. » (1 Pater).

R. — Iam dictum est linn. 12-13.

160 — Pag. 17, lin. 28: Pro vocabulo « divitiarum » ponatur « *mammonae* » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Sensus expressionis clare patet ex contextu.

161 — Pag. 17, lin. 29: Loco « Regnum Dei » dicatur: « *Regnum Christi* » (2 Patres). [38]

R. — Non admittitur cum expressio « Regnum Dei » sit evangelica.

162 — Pag. 17, linn. 34 et 37: Loco « caritate Dei impulsi... Haec caritas Dei » scribatur: « Caritate, *quae ex Deo est,* impulsi. Caritas *autem Dei...* » (4 Patres).

R. — Admittitur.

163 — Pag. 17, lin. 34 ss.: Nimis frequenter citat Sacram Scripturam, et proinde artificialis apparet (1 Pater).

R. — Concilia semper verbis S. Scripturae loquuntur.

164 — Pag. 17, lin. 44: Post verba « Christum omnia relinquere (cf. *Lc.* 14, 26) », addere: « et *persecutionem pati propter* iustitiam » (*Mt.* 5, 10) (38 Patres).

R. — Admittitur et sic legitur textus: « ... propter Christum omnia relinquere *et persecutionem pati propter iustitiam* (*Mt.* 5, 10) *memores verbi Domini*: « *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me* » (*Mt.* 16, 24).

165 — Pag. 17, lin. 44: Deleatur expressio « humanam et christianam » ita ut legatur: « amicitiam inter se colentes » vel melius « amicitia *in Domino Iesu inter se colentes* » (1 Pater).

R. — Admittitur hoc tamen modo: « *Christianam amicitiam* inter se colentes ».

166 — Pag. 18, lin. 2: Loco « tam temporali quam spirituali » dicere: « mutuum adiutorium in caritate fraterna praebent *et* in vita spirituali » (38 Patres).

[38] R. — Textus nunc sic legitur: « *Christianam amicitiam inter se colentes, adiutorium in quacumque necessitate sibi invicem praebent* ».

167 — Pag. 18, linn. 4 et 5: Loco verborum: « nempe ex eorum vita coniugali et familiari, professionali et sociali », dicatur: « *ut praesentem et actuosam reddant Ecclesiam in eorum vita coniugali et familiari professionali et sociali* » (4 Patres).

R. — Provisum est.

[39] 168 — Pag. 18, lin. 5: Sic legere: « desumere debet: *vita coniugalis, coelibatus, condicio infirmitatis, vita familiaris, "professionalis", socialis, otia,* etc. » (49 Patres).

R. — Admittitur et sic legitur textus a lin. 3:

« Haec laicorum spiritualis vitae ratio notam peculiarem *assumere* debet *ex statu matrimonii et familiae, coelibatus vel viduitatis, ex conditione infirmitatis, ex activitate* "professionali" et sociali. Ne desinant... ».

Accipiens alios modos a pluribus Patribus propositis (cf. Modi nn. 138-139), Commissio sic complevit textum: « *Praeterea laici, qui suam vocationem secuti, nomen dederunt alicui ex associationibus vel institutis, quae ab Ecclesia approbata sunt, peculiarem notam vitae spiritualis ipsis propria fideliter induere conantur* ».

169 — Pag. 18, linn. 8-9: Dicatur: « illas virtutes maxime ad *vitam socialem pertinent* », scilicet probitatem, iustitiam, sinceritatem (1 Pater).

R. — Textus sic modificatus est:

« Magni quoque faciant "*professionalem*" *peritiam, sensum familiarem et civicum et* illas virtutes quae *ad* sociales *consuetudines pertinent,* scilicet probitatem, spiritum iustitiae, sinceritatem, humanitatem, animi fortitudinem, sine quibus nec vera vita christiana consistere potest ».

170 — Pag. 18, lin. 10: Deleatur particula « nec », nam virtutes sociales pro christifidelibus etiam supernaturales et christianae sunt (1 Pater).

R. — Maneat textus.

171 — Pag. 18, lin. 10: *a*) 35 Patres proponunt ut post « sensum familiarem et civicum » dicatur: « *consideratio proximi,* sine quibus... ».

b) 44 Patres: in eodem loco dicatur: « *reverentia erga alterius opinionem* ». [39]

R. — Non admittitur, quia iam dicitur in Cap. VI.

172 — Pag. 18, lin. 10: Loco « peritia » dicatur « *diligentia* » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Diligentia est aliud ac peritia.

173 — Pag. 18, lin. 11: Post verba « nec vera vita christiana consistere potest » addatur: « *tamquam "terra bona" expectans inseminationem "Verbi Dei"* (cf. *Mt.*) — aut *"expectans semen Domini" quod est verbum Dei* » (1 Pater). [40]

R. — Non admittitur.

174 — Pag. 18, linn. 12-21: Omittantur (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia textus probatus est a Congregatione Generali.

175 — Pag. 18, lin. 12: « Huiusmodi vitae spiritualis et apostolicae » dicatur accuratius: « vitae spiritualis *apostolica operositate fecundae* » (1 Pater).

R. — Non admittitur.

176 — Pag. 18, lin. 12: Mutetur ad « ... exemplar *simul et caelestem advocatam* », et omittantur lineae 20-21 (1 Pater).

R. — Non admittitur.

177 — Pag. 18, lin. 13: Post « Reginam Apostolorum » addatur: « *Reginamque Laicorum* » (1 Pater).

R. — Non admittitur.

178 — Pag. 18, lin. 14: Post « vitam agere omnino communem » addatur: « *laicalem quidem* » vel « *laicalem utique* » (1 Pater).

R. — Non admittitur.

179 — Pag. 18, lin. 14: Dicatur « vitam ageret *omnino* communem ». Expressio « vita communis » non bene sonat (1 Pater).

R. — Non admittitur; attamen aliquo modo textus emendatus est et dicitur: « *vitam ageret omnibus communem* ».

180 — Pag. 18, linn. 15-17: Omittantur vel aliis verbis substituantur « voluntatem... adducebat » (1 Pater).

R. — Admittitur.

181 — Pag. 18, linn. 15-17: « ... cum Filio suo coniungebatur... nunc autem... ». Illae lineae hoc fere modo reficiantur:

« ... cum Filio suo coniungebatur, *vere beata, quia credidit ea quae dicta sunt illi a Domino* (cf. *Lc.* 1, 45) *et Verbum Dei*

[40] *a Filio suo proclamatum fideliter audivit et custodivit* » (*Lc.* 11, 27-28). Nunc autem... (1 Pater).

[41] Alii quattuor Patres volunt ut expungatur expressio: « Et ad *Christum omnes adducebat* » utpote extra contextum Evangelii.

R. — Commissio iudicavit expungere omnia verba inde ab expressione: « intime semper cum Filio suo coniungebatur, *voluntatem eius semper faciens sicut "Ancilla Domini" ... verba eius conservabat ... conferens in corde suo ... et Christum ad omnes adducebat* ». Eorum loco ponitur:

« ... *et operi Salvatoris singulari prorsus modo cooperata est* ».

182 — Pag. 18, lin. 17: Convenienter hic fit mentio de beato Ioseph (2 Patres).

R. — Non admittitur.

183 — Pag. 18, linea ultima (ad n. 4 nota 7): legere: 7 cf. Ibid. cap. VIII, n. 62, et n. 65: *A.A.S.*, ... (36 Patres).

R. — Admittitur et additur nova citatio.

QUAESITUM

An placeat expensio modorum facta a Commissione de Apostolatu laicorum circa modos prooemium et caput I respicientes?

[43]

Caput II

DE FINIBUS ASSEQUENDIS

5. [*Introductio*]. Opus redemptionis Christi, dum homines salvandos *de se* spectat, totius quoque ordinis temporalis instaurationem complectitur. Unde Ecclesiae missio non solum est nuntium Christi et gratiam eius hominibus afferre, sed et spiritu evangelico rerum temporalium ordinem perfundere et perficere. Laici ergo, hanc Ecclesiae missionem exsequentes, apostolatum suum exercent tam in mundo quam in Ecclesia, tam in ordine *spirituali* quam in ordine *temporali*: *qui ordines, etsi distinguantur, in unico consilio Dei ita sunt connexi ut ipse Deus intendat, in Christo, totum mundum reassumere in novam creaturam, inchoative his in terris, plene in ultimo die. In utroque ordine* laicus, qui est simul fidelis et civis, una conscientia christiana continenter duci debet.

6. [*De apostolatu ad homines evangelizandos et sanctificandos*]. Missio Ecclesiae salutem hominum spectat, fide in Christum et gratia eius

consequendam. Apostolatus ergo Ecclesiae, omniumque membrorum [43]
eius, imprimis dirigitur ad nuntium Christi verbis et factis mundo patefaciendum, gratiamque eius communicandam. Hoc principaliter fit per ministerium verbi et sacramentorum, speciali modo clero commissum, in quo et laici habent suas magni momenti partes adimplendas, ut sint « cooperatores veritatis » (*3 Io.* 8). Hoc potissimum in ordine, apostolatus laicorum et ministerium pastorale mutuo se complent.

Innumerae patent laicis occasiones ad apostolatum evangelizationis et sanctificationis exercendum. Ipsum testimonium vitae christianae et opera bona spiritu supernaturali exercitia, vim habent attrahendi homines ad fidem et ad Deum; dicit enim Dominus: « Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est » (*Mt.* 5, 16).

Apostolatus tamen huiusmodi non in solo vitae testimonio consistit; verus *apostolus* quaerit occasiones Christum verbis annuntiandi sive non credentibus ad eos adducendos ad fidem, sive fidelibus ad eos instruendos, confirmandos et ad fervidiorem vitam excitandos; « caritas enim Christi urget nos » (*2 Cor.* 5, 14), et in corde omnium debent resonare illa verba Apostoli: « Vae enim mihi est, si non evangelizavero » (*1 Cor.* 9, 16).[1]

Cum autem hac nostra aetate *novae quaestiones oriantur, et* gravissimi grassentur errores qui religionem, ordinem moralem et ipsam [44]
societatem humanam funditus evertere nituntur, *haec S. Synodus ex corde* hortatur laicos, *pro cuiusque* ingenii dot*es* et doctrin*am,* ut secundum mentem Ecclesiae, suas diligentius expleant partes in principiis christianis enucleandis, defendendis et rite applicandis ad problemata huius aetatis.

7. [*De ordine rerum temporalium christiane instaurando*]. Circa mundum *vero* consilium Dei est, ut homines concordi animo ordinem rerum temporalium *in*staurent iugiterque perficiant.

Omnia quae efficiunt ordinem temporalem, videlicet bona vitae et familiae, ingenii cultus, res oeconomicae, artes et « professiones », communitatis politicae instituta, relationes internationales et alia huiusmodi eorumque evolutio et progressus, non solum subsidia sunt ad finem ultimum hominis, sed proprium habent « valorem », a Deo eis insitum, sive in seipsis considerata, sive uti partes universi ordinis temporalis: « viditque Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona » (*Gen.* 1, 31). Haec eorum naturalis bonitas specialem quandam dignitatem accipit ex eorum relatione cum persona humana in cuius servitium sunt creata. Tandem placuit Deo omnia, tam naturalia quam supernaturalia,

[44] in Christo Iesu in unum colligare « ut sit in omnibus ipse primatum tenens » (*Col.* 1, 18). Haec tamen destinatio non modo non privat ordinem temporalem sua autonomia, suis propriis finibus, legibus, subsidiis, momento pro hominum bono, sed potius perficit in sua vi et praestantia propria simulque adaequat integrae vocationi hominis super terram.

Decursu historiae, rerum temporalium usus gravibus foedatus est vitiis, quia homines, originali labe affecti, in perplures saepe lapsi sunt errores circa verum Deum, naturam hominis, et principia legis moralis: unde mores et institutiones humanae corruptae, et ipsa persona humana non raro conculcata. Nostris quoque diebus, non pauci, disciplinarum naturalium et technicarum artium progressibus plus aeque fidentes, in rerum temporalium veluti idololatriam declinant, potius earum servi effecti quam Domini.

Totius Ecclesiae est ad hoc operam navare ut homines capaces reddantur universum ordinem rerum temporalium recte instituendi et ad Deum per Christum ordinandi. *Ad* Pastores spectat principia circa finem creationis et usum mundi clare enuntiare, auxilia *moralia et* spiritualia praestare, *ut ordo rerum temporalium* in Christo *instauretur.*

Laicos autem oportet ordinis temporalis instaurationem tamquam proprium munus assumere et in eo, lumine Evangelii ac mente Ecclesiae ductos et caritate christiana actos, directo et modo definito agere; qua cives cum civibus, specifica peritia et propria « responsabilitate » cooperari; ubique et in omnibus iustitiam regni Dei quaerere. Ita instaurandus est ordo temporalis ut, propriis eiusdem legibus integre serva-
[45] tis, ulterioribus vitae christianae principiis conformis reddatur, variisque locorum, temporum et populorum, conditionibus aptatus. Inter opera huiusmodi apostolatus eminet actio socialis christianorum, quam hodie ad totam provinciam temporalem, praesertim ad ingenii cultum, *sese* extendere cupit S. Synodus.[2]

8. [*De actione caritativa tamquam sigillo apostolatus christiani*]. Dum omne exercitium apostolatus a caritate originem et vim ducere debet, aliqua opera natura sua apta sunt ut convertantur in ipsius caritatis vividam expressionem; quae Christus Dominus suae messianicae missionis signa esse voluit (cf. *Mt.* 11, 4-5).

Maximum mandatum in lege est diligere Deum ex toto corde et proximum suum sicut seipsum (cf. *Mt.* 22, 37-40). Hoc vero mandatum caritatis *erga proximum* Christus proprium fecit novoque significatu ditavit, dum seipsum idem ac fratres tamquam obiectum caritatis esse voluit, dicens: « quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (*Mt.* 25, 40). Ipse enim, assumendo naturam humanam,

totum genus humanum supernaturali quadam « solidarietate » in familiam sibi colligavit, et ut signum suorum discipulorum constituit caritatem his verbis: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (*Io.* 13, 35). [45]

At Sancta Ecclesia, sicut in suis primordiis Cenae Eucharisticae iungens « agapen » totam se caritatis vinculo circa Christum unitam manifestabat, sic omni tempore hoc dilectionis signo dignoscitur, et, *dum gaudet de aliorum inceptis,* caritatis opera ut suum officium et ius, quod abalienari nequit, vindicat. Quapropter misericordia erga egenos et infirmos atque sic dicta opera caritativa et mutui auxilii ad sublevandas omnimodas necessitates humanas praecipuo in honore habentur ab Ecclesia.[3]

Quae actiones et opera praesenti tempore, communicationis instrumentis expeditioribus factis, distantia inter homines quodammodo evicta et mundi universi incolis quasi unius familiae membris redditis, multo urgentiora et universaliora facta sunt. Actio caritativa hodie omnes omnino homines et universas necessitates complecti potest et debet. Ubicumque versantur qui cibo potuque, vestitu, domo, medicinis, opere, instructione, facultatibus ad vitam vere humanam ducendam necessariis carent, aerumnis vel infirma valetudine cruciantur, exilium vel carcerem patiuntur, ibi eos christiana caritas debet quaerere et invenire, impensa cura solari et praestitis auxiliis sublevare. Quae obligatio praeprimis imponitur singulis hominibus et populis in rebus prosperis constitutis.[4]

Ut huiusmodi caritatis exercitium omni exceptione maius sit et ut tale appareat: in proximo consideretur imago Dei ad quam creatus est, et Christus Dominus cui re vera offertur quidquid indigenti donatur;
libertas et dignitas personae auxilium accipientis maxima humanitate re- [46]
spiciatur; puritas intentionis non maculetur ullo propriae utilitatis quaestu vel dominandi studio;[5] exigentiis iustitiae praeprimis satisfiat, ne tamquam caritatis dona offeratur quae iustitiae titulo iam debentur; causae malorum, non solum effectus, tollantur; ita ordinetur auxilium ut accipientes paulatim a « dependentia » externa liberentur sibique sufficientes evadant.

Laici ergo magni faciant et pro viribus adiuvent opera caritatis et incepta « assistentiae socialis » sive privata sive publica, etiam internationalia, quibus efficax auxilium singulis hominibus et populis in necessitate versantibus fertur, cooperantes in hoc cum omnibus bonae voluntatis hominibus.[6]

[46] NOTAE

Ad n. 6.

[1] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Ubi arcano,* 23 dec. 1922: *A.A.S.,* 14 (1922), p. 695; PIUS XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.,* 31 (1939), pp. 442-443.

Ad n. 7.

[2] Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Rerum Novarum*: *A.S.S.,* 23 (1890-91), p. 647; PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 190; PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus,* 1 iunii 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 207.

Ad n. 8.

[3] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 402.
[4] Cf. *Ibid.,* pp. 440-441.
[5] Cf. *Ibid.,* pp. 442-443.
[6] Cf. PIUS XII, *Alloc. ad « Pax Romana M.I.I.C.* », 25 apr. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), pp. 298-299; et praesertim IOANNES XXIII, *Ad Conventum Consilii « Food and Agriculture Organisation* » (*F.A.O.*), 10 nov. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 856, 866.

[47] RELATIO

DE SINGULIS NUMERIS CAPITIS II

In suffragatione de integro Capite II schematis « De Apostolatu Laicorum », feria VI, die 24 septembris, sequens exitus apparuit:

Praesentes votantes	2.167
Placet	1.975
Non placet	2
Placet iuxta modum	190

Integrum Caput II cum omnibus suis partibus a Congregatione Generali approbatum est. Vide p. 15.

MODI GENERALES

1 — Materia huius Capitis inseratur in Capite III (1 Pater).
Caput II nimia verbositate laborat (3 Patres).
Capitis II non placet divisio (3 Patres).
Repetitiones inveniuntur in hoc Capite (1 Pater).

R. — Commissio harum observationum rationem habuit.

MODI PARTICULARES [47]

AD NUM. 5

In genere

2 — Corrigatur textus quia nimis extollitur pars laicorum in evangelizatione et sanctificatione hominum (2 Patres).

R. — Non admittitur.

3 — Pag. 21, lin. 2: Legatur « *de se* », loco « potissimum » (1 Pater).

R. — Admittitur.

4 — Pag. 21, linn. 3-4: Post « *spectat* » dicatur « *per superabundantiam totum quoque ordinem temporalem illuminat* » (1 Pater). [48]

R. — Non admittitur. Textus hunc sensum implicat.

5 — Pag. 21, lin. 5: Loco « non solum », legatur: « *ante omnia* » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia in hoc loco agitur de enumeratione.

— Lin. 6: Deleatur « *sed* » (1 Pater).

R. — Ut supra.

6 — Pag. 21, linn. 1-4: Unus Pater proponit: « Opus redemptionis Christi dum homines a servitute peccati liberandos directe respicit totum quoque ordinem temporalem in Christo instaurandum intendit ».

Alius: « Opus redemptionis Christi, quod in hominum salvatione consistit, integrum ordinem temporalem in Eo instaurare contendit. Unde Ecclesiae missio in eo stat ut Christum annuntiet et eius gratiam hominibus offerat atque proinde ut spiritu evangelico rerum temporalium ordinem perfundat et perficiat ».

R. — Non admittuntur, quia non videntur necessariae.

7 — Pag. 21, linn. 1-14: Dicatur: « Opus redemptionis Christi *quod* homines salvandos potissimum spectat *eo ipso* totum nuntium Christi et gratiam eius... quam in Ecclesia, tam in ordine *spirituali* quam in ordine *temporali; qui ordines, etsi distinguuntur, in unico consilio Dei ita sunt connexi ut ille Deus intendat, in Filio, simul Creatore ac Redemptore, Spiritu Eius agente, totam creationem reassumere in novam creationem, inchoative his in terris, plene in ultimo die. In utroque ordine, laicus, qui est...* » (32 Patres).

R. — Pro parte admittitur. Vide textum pag. 43.

[48] Supprimatur expressio « tam in mundo quam in Ecclesia » (2 Patres).

R. — Non admittitur. Vide n. 31 ex Constitutione « Lumen Gentium ».

— Lin. 1: Post « Opus redemptionis » addatur: « *et recapitulationis in Christo* » (10 Patres).

— Lin. 5: Omittatur: « *non solum* » (2 Patres).

[49] — Lin. 12: Addatur: « *una fide unaque conscientia* » (8 Patres).

— Lin. 10 ss.: Scribatur: « apostolatum suum *qui est opus spirituale* exercent *non tantum intra societatem ecclesiasticam sed in ipsa societate civili totoque* ordine temporali » (5 Patres).

R. — Modi non admittuntur, quia eis provisum est nn. 4, 7, 9.

8 — Novus numerus conficiatur, excerptum e n. 8 ad verbum (30 Patres).

R. — Non admittitur quia non concordat cum normis.

9 — Pag. 21, linn. 8-14: Dicatur: « Laici ergo christifideles, *suam in* Ecclesia missionem exsequentes, apostolatum suum in mundo et in Ecclesia *atque cum sint* simul fideles et cives, semper una conscientia christiana duci debent » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Textus est approbatus.

AD NUM. 6

10 — Pag. 21, lin. 17: Dicatur: « ... gratia *Dei* consequendam » (1 Pater).

R. — Non admittitur.

11 — Pag. 21, linn. 16-29: Deleantur (1 Pater).

R. — Maneat textus, quia approbatus est a Congregatione Generali.

12 — Pag. 21, linn. 16-17: Dicatur: « Missio Ecclesiae *essentialiter* salutem hominum respicit » (3 Patres).

Loco « *salutem* » dicatur « *vocationem divinam omnium* » (1 Pater).

Deleantur verba « *ante omnia* » (29 Patres).

R. — Suppressio verborum « *ante omnia* » admittitur, quia Ecclesia non habet aliam missionem quam salutem hominum.

13 — Pag. 21, lin. 17: Post « salutem », addatur « *aeternam* » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Satis intenditur.

14 — Pag. 21, lin. 18: Addatur: « *secundum mentem Ecclesiae* » (1 Pater). [49]
R. — Non admittitur. Totum schema mentem Ecclesiae exprimit.

15 — Pag. 21, linn. 20-22: Dicatur: « imprimis *vult* nuntium Christi verbis et factis mundo *manifestare,* gratiamque eius communi*care* » (1 Pater). [50]
R. — De nuntio Christi provisum est in eodem numero.

16 — Pag. 21, lin. 23: Non placent verba « per ministerium verbi et *sacramentorum* » (3 Patres).
R. — Non admittitur. Vide Constitutionem « Lumen Gentium » n. 31.

17 — Pag. 21, linn. 22-29: Scribatur: « Hoc fit *simul* per ministerium verbi et sacramentorum speciali modo clero commissum *et per testimonium vitae et verbi omnium membrorum populi Dei*; in his omnibus apostolatus laicorum et ministerium pastorale mutuo se complent » (27 Patres).
R. — Non admittitur, quia non necessarium.

18 — Pag. 21, linn. 22-29: Dicatur: « Hoc principaliter fit per ministerium verbi et sacramentorum clero commissum; *sed etiam* laici suas partes *habere debent, bene disponendo ceteros homines et sacerdotibus adiutorium praestando. Ita fiunt et ipsi* "cooperatores veritatis" » (1 Pater).
R. — Textus ut iacet est satis clarus.

— Pag. 21, lin. 25: Sic mutetur: « suas partes proprias adimplendas, *praesertim in munere catechetico et in vita liturgica Ecclesiae* » (1 Pater).
R. — Non admittitur, quia alibi iam habetur.

— Pag. 21, lin. 29: Deleantur verba: « mutuo se complent » (10 Patres).
Addatur: « *in se arcte connectuntur* » (1 Pater).
Addatur: « *caveant omnino laici a theologia sic dicta laicali et a peculiari theologorum laicatu* » (1 Pater).
R. — Modi non admittuntur.

— Pag. 21, linn. 24-25: Dicatur: « speciali modo *Episcopis eorumque cooperatores a Christo* commissum, in quo et laici habent... » (1 Pater).
R. — Modus non admittitur, quia non est periculum confusionis inter sacerdotium ordinis et sacerdotium laicorum.

19 — Pag. 21, lin. 35: Post verba « et ad Deum », addatur: « *dummodo signa verae conversionis cordis fuerint* » (2 Patres).
R. — Non admittitur: conversio sincera supponitur.

[51] 20 — Pag. 21, lin. 32 - Pag. 22, lin. 4: Dicatur: « Ipsum *exemplum* vitae christianae: ... Apostolatus tamen huiusmodi non solo vitae *exemplo, quod peculiare quadam significatione sub nomine "testimonii" venit,* consistit... » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Vox « testimonium » est magis biblicum quam « exemplum ».

21 — Pag. 22, linn. 3-8: Dicatur « verus apostolatus *semper et ubique Christum verbis annuntiare intendit,* sive credentibus ad eos adducendos ad fidem, sive fidelibus ad eos instruendos, confirmandos et *mutuo concentu,* ad fervidiorem vitam excitandos etc. » (25 Patres).

R. — Non admittitur, quia provisum est in n. 10.

22 — Pag. 22, lin. 4: Loco « verus apostolatus quaerit occasionem Christum verbis annuntiandi », dicatur: « Verus *apostolus animam attendit ad* Christum verbis annuntiandum » (21 Patres).

R. — Commissio accepit solummodo verbum « apostolus ».

23 — Pag. 22, lin. 5: Post verbum « quaerit », addatur: « *vel etiam non omittit* » (6 Patres).

R. — Non admittitur. Qui quaerit non omittit.

24 — Pag. 22, linn. 9-12: Fiat alia dispositio citationum S. Pauli (1 Pater).

R. — Non admittitur. Dispositio uti iacet pertinens videtur.

25 — Pag. 22, lin. 12: 7 Patres longam additionem proponunt.

R. — Longior additio non concordat cum normis.

26 — Pag. 22, post lin. 12 addatur: « *Missione tamen prius accepta a Sacra Hierarchia, praesertim si agitur de publica praedicatione* » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Relatio ad hierarchiam provisa est in Cap. V.

27 — Pag. 22, lin. 13: Addatur: « Cum autem nostro aetate *ex divitiis scientiae modernae experientiarum hominum, novae quaestiones oriantur et cum etiam* gravissimi grassentur errores... » (22 Patres).

R. — Pro parte admittitur quoad verba « *novae quaestiones oriantur et* ».

[52] 28 — Pag. 22, lin. 13: Addatur: « hac *quoque aetate* » (7 Patres).

R. — Non admittitur. Non videtur necessarium.

29 — Pag. 22, lin. 13: Omittatur verbum « *vehementer* » (1 Pater).

— Lin. 15: Dicatur: loco « Pater Concilii », « *haec Sancta Synodus* » (1 Pater).

R. — Ambo modi admittuntur. Loco « vehementer », dicitur: « ex corde ». [52]

30 — Pag. 22, lin. 17: Dicatur post « laicos »: « *Praesertim* » (1 Pater).

R. — Non admittitur, textus tamen correctus est.

31 — Pag. 22, linn. 20-21: Post verba « enucleandis, defendendis », addatur: « *in quantum opus est* » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia expressio est restrictiva.

32 — Pag. 22 in fine numeri 6 addatur:

a) « *Ergo sollicite ac generose Summorum Pontificum et episcoporum votis respondeant coram Deo et ipsi de Ecclesiae missione rationes reddituros se esse numquam obliviscantur* » (1 Pater).

b) « *Ad omnis apostolatus ubertatem haud parum conferunt membrorum Corporis mystici precum iugis oblatio, poenitentia* » (1 Pater).

c) Dicatur aliquid de prudentia et caritate. Caveamus fanaticos (1 Pater).

R. — Provisum est *a*) n. 24; *b*) n. 4 et 16; *c*) n. 3.

AD NUM. 7

In genere

33 — Pagg. 22-23: Numerus est nimis longus. Periculum continet imponendi societati pluralisticae normas omnes christianas (2 Patres).

R. — Commissione hoc periculum non videt.

34 — Pag. 22, lin. 23: Loco « hoc est » dicatur: « *sed et hoc est* » (1 Pater).

R. — Commissio admittit hoc modo: « Circa mundum *vero* consilium Dei ».

35 — Pag. 22, lin. 24: Dicatur: « ut homines *dum ad aeternam vitam per eum progrediantur concordi animo...* » (3 Patres). [53]

R. — Commissio non admittit, quia agitur in hoc numero de fine intermedio ordinis temporalis.

36 — Pag. 22, lin. 26: Post « perficiant », dicatur: « *sub ductu Dei* » (1 Pater).

Addatur: « iugiter perficiant *usque ad adventum Christi gloriosum in fine saeculi* » (1 Pater).

[53] Loco: « restaurent », dicatur: « *instaurent* ».

R. — Commissio « *instaurent* » admisit. Quoad priores modos provisum est pag. 23, linn. 1-3.

37 — Pag. 22, lin. 26: Post « perficiant » addatur: « *et ad Deum adducant* » (1 Pater), vel « *sic ager mundi, ut dicit Constitutio Lumen Gentium n. 36, melius pro semine verbi divini parabitur* » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia etiam ordo temporalis suum habet valorem.

38 — Pag. 22, lin. 27 - Pag. 23, lin. 23: Supprimantur ex magna parte, quia quasi omnia inveniuntur in De Ecclesia (2 Patres).

R. — Non admittitur. Multa in nostro Schemate inveniuntur in de Ecclesia.

39 — Pag. 22, linn. 32-33: Dicatur: « ... eorumque evolutio et progressus *ideo* subsidia sunt ad finem ultimum hominis, *quia* proprium habent valorem » (1 Pater).

R. — Explicatio haec non videtur necessaria in textu.

40 — Pag. 22, linn. 36-37: Omittatur citatio Scripturae (3 Patres).

R. — Non admittitur.

41 — Pag. 22, linn. 35-40: Sic resumantur: « sive in seipsis, sive uti partes universi ordinis temporalis *considerata, sive etiam ex relatione cum persona humana* » (1 Pater).

R. — Maneat textus, quia clarior.

42 — Pag. 22, lin. 38 - Pag. 23, lin. 9: Sic redigatur textus: « *Illa bonitate naturali praedita sunt quam Deus, conditor omnium, eis indidit* (cf. *Gen.* 1, 31) *quaeque specialem quandam dignitatem*
[54] *accipit ex earum relatione cum persona humana in cuius servitium sunt creata. Placuit autem Deo omnia, tam naturalia quam supernaturalia, in Christo Iesu in unum colligere "ut sit in omnibus ipse primatum tenens"* (*Col.* 1, 18); *per quem ipsa temporalia ad vitam hominis aeternam inserviunt* » (3 Patres).

R. — Commissio non admisit modum, quia textus melius exprimit harmoniam inter creationem et redemptionem.

43 — Pag. 22, linn. 38-40: Dicatur: « Haec naturalis bonitas *a Deo eis insita est ob essentialem* relationem *quam* cum homine *habent* in cuius servitium sunt creata » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia res prius sunt bonae relate ad Deum, quam relate ad hominem.

44 — Pag. 22, lin. 23 - Pag. 23, lin. 10: Vetus textus resumatur, quia novus sapit Theillardismum (1 Pater). [54]
R. — Non admittitur. Textus exprimit doctrinam traditionalem Ecclesiae.

45 — Pag. 22, lin. 41 - Pag. 23, lin. 1: Verba « tam naturalia quam supernaturalia » deleantur et dicatur: « *Omnia in Christo Iesu* » (1 Pater).
R. — Non admittitur. Distinctio ordinum necessaria est.

46 — Pag. 23, linn. 4-5: *a*) Loco « non privat ... bono » dicatur: « non privat ordinem temporalem sua autonomia, *id est,* suis propriis finibus ac *internis* legibus, subsidiis et momento pro hominum *bono immediato* » (3 Patres).

b) Deleatur: « sua autonomia » et dicatur: « Haec tamen destinatio non modo non privat ordinem temporalem *suis propriis finibus...* » (1 Pater).

c) Dicatur: « autonomia *relativa* » vel « *legitima* autonomia » (3 Patres).

d) Dicatur: non modo non *destruunt ordinis temporalis autonomiam...* finem... sed potius... » (2 Patres).

R. — *a*) *d*) Textus est satis clarus.

b) Ordo temporalis habet suam autonomiam.

c) In textu patet autonomiam esse quid relativum et legitimum.

47 — Pag. 23, lin. 8: Loco « adaequat » dicatur: « *aptat* » (1 Pater).
R. — Non admittitur.

48 — Pag. 23, linn. 10-21: Omittatur (2 Patres). [55]
— Linn. 16-21: Dicatur: « *Quapropter omnes semper cavere oportet ne rerum humanarum* progressibus plus aequo fidentes, in temporalium veluti idololatriam declinent » (1 Pater).
— Lin. 16: Dicatur: « *quae doctrina perutiliter in mentem revocatur* nostris quoque diebus » (1 Pater).
— Linn. 17-21: Omittatur (1 Pater).
R. — Non admittuntur isti modi, quia nimis negativi.

49 — Pag. 23, linn. 18-19: Addatur: « progressibus plus aequo fidentes *eosve ad servitium hominum non ordinantes* » (24 Patres).
R. — Non admittitur, quia textus eandem ideam exprimit.

50 — Pag. 23, lin. 23: Post « capaces reddantur », addatur: « *seipsos et* universum... » (1 Pater).
R. — Non admittitur. Non est necessarium.

[55] 51 — Pag. 23, lin. 24: Deleatur « recte instituendi et... » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Textus loquitur de tota Ecclesia.

52 — Pag. 23, linn. 25-30: Textus melius redigatur quoad finem creationis et usum mundi (1 Pater).

Omittantur (3 Patres).

Dicatur: « Ad Pastores spectat *suprema* principia circa finem creationis et usum mundi enuntiare *in via ad ordinem* rerum in Christo instaurandum *quaerenda, pastorali suo ministerio, laicos adiuvare,* auxiliaque spiritualia praestare » (1 Pater).

Dicatur: « Ad Deum ordinandi *et spiritu Evangelii illuminandi ... sub* Chris*ti regno instaurandi viam* » (1 Pater).

Addatur: « Ad Pastores *quidem, cum laicis utique colloquentes...* » (2 Patres).

Post « auxilia », addatur: « *moralia et* » (1 Pater).

R. — Commissio aliqualiter satisfecit modis. Vide textum, pag. 44.

53 — Pag. 23, lin. 26: Loco « spectat » dicatur: « Pastores *debent* » (1 Pater).

R. — Non admittitur. In hoc loco non convenit exhortari Pastores.

[56] 54 — Pag. 23, lin. 28: Dicatur « instaurandi *urgentiam* indicare *generalioresque normas praebere, necnon* auxilia spiritualia ad hoc... » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Textus est de Laicis.

55 — Pag. 23, linn. 27-28: Deleatur: « ordinem rerum temporalium in Christo instaurandi viam indicare » (2 Patres).

Post verba: « ordinem rerum temporalium », addatur: « *non sine cum laicis colloquio* » (1 Pater).

R. — Commissio aliqualiter satisfecit modis, emendando textum.

56 — Pag. 23, lin. 30: Post verbum « praestare », addatur: « *quin tamen ex hoc officio adimpleto responsabilitas oeconomica aut politica ad pastores derivetur* » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Schema hanc doctrinam supponit.

57 — Pag. 23, lin. 31: Post verbum « temporalis », addatur: « *actualem instaurationem* » (3 Patres).

R. — Non admittitur, quia « actualis » esset quaedam restrictio.

58 — Pag. 23, linn. 32-33: Deleantur verba « tamquam proprium munus assumere et in eo » (2 Patres).

R. — Maneat textus, quia laici in ordine temporali primas partes habent.

59 — Pag. 23, lin. 36: Addatur: « *et propria libertate et responsabilitate* » (1 Pater). [56]

R. — Non est necessarium. Responsabilitas libertatem implicat.

60 — Pag. 23, linn. 38-39: Addatur: post verbum « temporalis », « *servata quidem autonomia quae eidem legitime competit* » (1 Pater).

R. — De autonomia, iam dictum est pag. 23, linn. 3-9.

61 — Pag. 23, linn. 38-42: « Marquer l'union entre l'instauration de l'ordre temporel et les principes chrétiens » (1 Pater).

R. — Nexus iam patet.

62 — Pag. 23, lin. 39: Non bene dicitur « propriis eiusdem legibus integre servatis ». Dicatur: « *propriis iustis legibus* » (1 Pater).

R. — Non est necessarium, quia lex iniusta non est lex.

63 — Pag. 23, lin. 40: Verbum « ultioribus » non placet (2 Patres). [57]
Dicatur: « *simplicibus* » (1 Pater).

R. — Textus remaneat. Gratia perficit naturam.

64 — Pag. 23, lin. 42: Addatur: « *Periculum autem semper depellant in hoc nobili inceptu ne Ecclesiam in proprium commodum politicum aut oeconomicum rebus temporalibus quoquo modo* genii cultum » (1 Pater).

R. — Modus est nimis negativus.

65 — Pag. 24, linn. 3-4: Melius explicentur verba « praesertim ad ingenii cultum » (1 Pater).

R. — Explicantur in schemate « De Ecclesia in mundo huius temporis ».

66 — Pag. 24, linn. 1-4: Textus non est clarus (1 Pater).

a) Textus in initio n. 8 ponatur (1 Pater).

b) Dicatur: « *Ad instaurandum ordinem temporalem, laici se vovent cuilibet speciei actionis socialis et multiplici modo cum omnibus hominibus cooperantur qui, rationis humanae lumine, societatis ordinem vere humanum promovent* » (1 Pater).

R. — Textus maneat.

a) N. 8 loquitur de Actione Caritativa.

b) Provisum est in n. 14.

67 — Pag. 24, lin. 2: Post « actio socialis » addatur: « *qua intenditur instauratio ordinis socialis et oeconomici, in illis principiis fundati quae luculenter magnae encyclicae exposuerunt* » (1 Pater).

R. — Totum schema hoc supponit.

[57] 68 — Pag. 24, lin. 4: Dicatur: « *sese* extendere » (1 Pater).
R. — Admittitur.
69 — Pag. 24, lin. 4: Loco « cupimus », dicatur « *cupit S. Synodus* » (1 Pater).
R. — Admittitur.

AD NUM. 8

Modi generales

70 — Numerus est obscurus (2 Patres).
Nimis novus (1 Pater).
[58] Nimis longus et melius exprimatur idea moderna assistentiae socialis. Caritas est forma totius apostolatus et exercenda non solum a laicis (3 Patres).
Numerus alio modo dividendus est (1 Pater).
Numerus compleatur citationibus S. Ioannis, et dicatur aliquid de caritate erga animos, de caritate exempli, orationis, de caritate quae vocationes sacerdotales et religiosas quaerit (1 Pater).
Numerus incipiat a summo mandato caritatis (1 Pater).
Loquatur de caritate in veritate et iustitia (1 Pater).
Mentio fiat de officio gratitudinis ex parte nationum et de aliorum caritate gaudentium, de abuso caritatis et de distinctione inter caritatem et activitatem caritativam (5 Patres).
R. — Textus approbatus est ut iacet.

Modi speciales

71 — Pag. 24, linn. 12-13: Deleantur (1 Pater).
R. — Non admittitur. Phrasis introductiva necessaria videtur.
72 — Pag. 24, linn. 12-37: Deleantur (2 Patres).
R. — Non admittitur.
73 — Pag. 24, linn. 18-21: Deleantur, quia ex his verbis datur impressio quod « actio caritativa » superat vel perficit apostolatum in ordine rerum temporalium christiane instaurando et etiam apostolatum ad homines evangelizandos et sanctificandos (5 Patres).
R. — Admittitur.
74 — Pag. 24, linn. 18-21: Dicatur: « De eis specialem facimus mentionem, quia singulare *caritatis* Christi *veluti* sigillum *visibile revera constituunt* » (1 Pater).
R. — Linea expuncta est.

75 — Pag. 24, lin. 20: Loco « speciebus », dicatur: « aspectibus aut modis » (1 Pater). [58]
R. — Linea expuncta est.

76 — Pag. 24, lin. 21: Loco « sibillum », scribatur « *signum* » (1 Pater).
R. — Linea expuncta est.

77 — Pag. 24, linn. 22-36: *a*) Deleantur (27 Patres). [59]
b) Paragraphus ista transferatur in fine n. 7 (3 Patres).
R. — *a*) Textus approbatus est.
b) Commissio censuit ordinem materiae non esse mutandum.

78 — Pag. 24, linn. 24-36: Unus Pater novam redactionem proponit.
R. — Modus dicit alio modo quod est in textu.

79 — Pag. 24, lin. 27: Omittatur « tamquam » (1 Pater).
R. — Textus maneat.

80 — Pag. 24, lin. 32: Ce n'est pas assez de parler de « quadam solidarietate » (1 Pater).
R. — De unione cum Christo loquitur Caput I.

81 — Pag. 24, lin. 41: Post verbum « et », ante verbum « caritatis » addatur: « *dum gaudent de aliorum inceptis* » (26 Patres).
R. — Admittitur.

82 — Pag. 24, lin. 41 - Pag. 25, linn. 1-2: Deleantur (2 Patres).
R. — Textus maneat, quia est necessarius ad explicandam actionem caritativam.

83 — Pag. 25, linn. 5-6: Loco « in honore habentur in Ecclesia », dicatur: « in honore *haberi debent ab* Ecclesia » (1 Pater).
R. — Textus maneat.

84 — Pag. 25, lin. 6: Addatur: « *quae ceteroquin multum laetatur de omnibus inceptis sive privatis sive publicis ad hunc finem tendentibus* » (3 Patres).
R. — Additio non est necessaria.

85 — Pag. 25, lin. 7: Post « opera », dicatur: « *misericordiae* » (1 Pater).
R. — Non admittitur.

86 — Pag. 25, linn. 10-11: Loco « quasi unius familiae », loquatur textus vividiori modo (1 Pater).
R. — Idea satis exprimitur.

[60] 87 — Pag. 25, lin. 22: Post verba « auxiliis sublevare » addatur: « *quamdiu fecisti uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* » (1 Pater).

R. — Textus S. Matthaei iam citatus est.

88 — Pag. 25, lin. 23: Post « hominibus » addatur: « *communitatibus* » (1 Pater).

R. — Non admittitur.

89 — Pag. 25, linn. 25-34: Deleantur et ante verbum « exigentiis » (lin. 34) scribatur: « *Huiusmodi caritatis officium* » (25 Patres).

R. — Textus maneat ad exercitium caritatis explicandum.

90 — Pag. 25, lin. 27: Deleatur « necesse est ut » (1 Pater).

R. — Admittitur.

91 — Pag. 25, linn. 28-30: Deleantur verba « Et Christus... donatur » et dicatur: « *Omnino necesse est ut intendamus imagini Dei ad quem creatus est proximus et contendamus nostram facere dilectionem Dei erga eundem proximum sicut commendat Ioannes Apostolus in 1 Io.* 4. 7-16 » (2 Patres).

R. — Maneat textus, quia continet sensum indicatum.

92 — Pag. 25, linn. 30-32: Loco « libertas... respiciatur », dicatur: « *persona auxilium accipiens* maxima humanitate respiciatur » (1 Pater).

R. — Textus idem indicat.

93 — Pag. 25, lin. 36: Loco « tamquam caritatis » dicatur: *tamquam eleemosynae dona* » (1 Pater).

Verbum « caritatis » deleatur (24 Patres).

R. — Textus maneat: caritas a donis caritativis distinguitur.

94 — Pag. 25, lin. 40: Addantur: « *Discant pauperes paupertatem diligere quae, eos a multis periculis liberat, et Christo Domino similes reddit, eisque specialem amorem infundit, qui dixit: "Beati pauperes spiritu quoniam eorum est regnum caelorum"* » (1 Pater).

R. — Modus accipi non potest.

[61] 95 — Pag. 25, lin. 42: Dicatur « opera caritatis, *praeprimis ea quae ab ipsa Ecclesia ad effectum adducantur* » (3 Patres).

R. — Non est necessarium.

96 — Pag. 26, lin. 5: Post « hominibus » addatur: « *servata semper prudentia ne fides aliquod detrimentum patiatur* » (1 Pater).

R. — Non est necessarium.

97 — Pag. 26: In fine paragraphi addatur: « *Semper habebitis pauperes vobiscum* (*Mt.* 26, 11; *Mc.* 14, 7; *Io.* 12, 8). *Semper restant homines non habentes consolatores* (*Lam.* 1, 9) *in necessitatibus suis. Eos christiana caritas debet quaerere et invenire, impensa cura solari et praestitis auxiliis sublevare* (ex pag. 25, linn. 20-22) (24 Patres). [61]

R. — Haec additio non est necessaria.

98 — Pag. 26: In fine Capitis addatur paragraphus circa obligationem laicorum subveniendi propriis bonis necessitatibus Ecclesiae (1 Pater).

R. — Iam habetur n. 10.

QUAESITUM

An placeat expensio modorum facta a Commissione de Apostolatu laicorum circa modos caput II respicientes?

CAPUT III [63]

DE VARIIS APOSTOLATUS CAMPIS

9. [*Introductio*]. Laici suum exercent multiplicem apostolatum tam in Ecclesia quam in mundo. In utroque hoc ordine varii patent campi apostolicae actuositatis, quorum principaliores hic commemorare volumus; hi sunt: communitates Ecclesiae, familia, *iuvenes,* « *ambitus* » socialis, *ordines* nationalis et internationalis. *Cum autem nostris diebus mulieres magis magisque partes activas habeant in tota societatis vita, magni momenti est amplior earum participatio etiam in variis campis apostolatus Ecclesiae.*

10. [*De communitatibus Ecclesiae*]. Utpote participes muneris Christi sacerdotis, prophetae et regis, laici suas partes activas habent in Ecclesiae vita et actione. Intra communitates Ecclesiae eorum actio tam necessaria est ut sine ea ipse *pastorum* apostolatus plenum suum effectum assequi plerumque nequeat. Verae enim apostolicae mentis laici, ad modum illorum virorum et mulierum qui Paulum in Evangelio adiuvabant (cf. *Act.* 18, 18. 26; *Rom.* 16, 3), supplent quod suis fratribus deest, et reficiunt spiritum tam pastorum quam reliqui populi fidelis (cf. *1 Cor.* 16, 17-18). Ipsi enim, actuosa participatione vitae liturgicae suae communitatis nutriti, sollicite partes agunt in eiusdem operibus apostolicis; homines longe fortasse versantes, ad *Ecclesiam* adducunt; in verbo Dei tra-

[63] dendo, praesertim catechetica institutione, impense cooperantur; oblata sua peritia curam animarum et etiam administrationem bonorum Ecclesiae efficaciorem reddunt.

Paroecia exemplum *perspicuum* apostolatus « communitarii » praebet, omnes quotquot ibi invenit diversitates humanas in unum congregans et Ecclesiae universalitati inserens. Assuescant laici intime cum *sacerdotibus* suis uniti in paroecia operari; problemata propria et mundi quaestionesque salutem hominum spectantes, collatis consiliis examinanda et solvenda, ad communitatem Ecclesiae afferre; omnique incepto apostolico et missionario suae familiae ecclesiasticae adiutricem operam pro viribus navare.

Colant iugiter sensum dioecesis, cuius paroecia velut cellula est prompti semper, ad invitationem pastoris sui, suas quoque vires inceptis dioecesanis adicere. Immo, ut respondeant necessitatibus urbium et regionum ruralium, suam cooperationem non intra fines paroeciae vel dioecesis circumscriptam retineant, sed ad campos interparoecialem, interdioe-
[64] cesanum, nationalem vel internationalem extendere satagant, eo vel magis quia crebrescens in dies migratio populorum, mutuae necessitudinum augmentatio et communicationum facilitas, iam non sinunt ullam partem societatis in se clausam manere. Ita de necessitatibus populi Dei in toto orbe terrarum dispersi solliciti sint. Imprimis sua reddant opera missionaria, auxilia materialia vel etiam personalia praestando. *Officium et honor enim est christianorum Deo restituere partem bonorum quae ab Eo accipiunt.*

11. [*De familia*]. Cum Conditor omnium constituerit coniugale consortium exordium et fundamentum societatis humanae, idque gratia sua reddiderit sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia (cf. *Eph.* 5, 32), apostolatus coniugum et familiarum singulare habet momentum tam pro Ecclesia quam pro societate civili.

Coniuges christiani sibi invicem, filiis suis ceterisque familiaribus, gratiae cooperatores sunt et fidei testes. Filiis suis ipsi sunt primi fidei praecones et educatores; verbo et exemplo eos ad vitam christianam et apostolicam formant, in eorum vocatione seligenda prudenter eos adiuvant et vocationem sacram, in eis forte detectam, omni cura fovent.

Coniugum semper officium fuit, hodie vero maxima apostolatus eorum pars est: indissolubilitatem et sanctitatem vinculi matrimonialis vita sua manifestare et probare; ius et officium prolem christiane educandi, genitoribus et tutoribus inditum, strenue affirmare, dignitatem et legitimam autonomiam familiae defendere. Cooperentur igitur ipsi ceterique christifideles, *cum hominibus bonae voluntatis,* ut in *civili* legislatione haec iura sarta serventur; in moderanda societate ratio habeatur necessitatum fami-

liarum quod ad habitationem, *educationem puerorum,* condicionem laboris, securitatem socialem et tributa pertinet; in migrationibus ordinandis convictus domesticus omnino in tuto ponatur. [64]

Hanc familia ipsa *missionem divinitus accepit ut sit prima et* vitalis cellula societatis. *Quam* missionem adimplebit, si per mutuam membrorum pietatem et orationem *in communi Deo factam,* tamquam *domesticum* sanctuarium *Ecclesiae se exhibeat; si tota familia in cultum liturgicum Ecclesiae se inserat; si denique, familia actuosam* hospitalitatem *praestet, iustitiam aliaque bona opera in servitium fratrum omnium necessitate laborantium promoveat.* Inter varia opera apostolatus familiaris sequentia enumerare licet: infantes derelictos in filios adoptare, advenas benigne excipere, scholis moderandis adiutricem operam navare, adolescentibus consilio et opibus adesse, sponsos *ut melius sese ad* matrimonium praepar*ent adiuvare, ad catechesim operam praestare,* coniuges et familias in discrimine materiali vel morali versantes sustentare, senibus non solum necessaria providere, sed progressus etiam oeconomici aequos fructus procurare.

Semper et ubique, sed peculiari modo in regionibus in quibus prima
Evangelii sparguntur semina, vel Ecclesia in suis primordiis exsistit, vel [65]
in aliquo gravi discrimine versatur, familiae christianae, tota vita sua Evangelio cohaerentes ac matrimonii christiani exemplum praebentes, pretiosissimum Christi testimonium mundo perhibent.

Ut fines sui apostolatus facilius attingere valeant, opportunum *esse potest* ut familiae in aliquos coetus congregentur.

12. [*De iuvenibus*].* Iuvenes maximi momenti vim exercent in hodierna societate. Eorum vitae adiuncta, habitus mentis necnon ipsae necessitudines cum propria familia sunt admodum mutata. Saepe ad novam condicionem socialem et oeconomicam nimis celeriter transeunt. Dum *autem in dies* momentum eorum *sociale et etiam politicum* crescit, *quasi impares videntur* oner*ibus novis apte* suscipiend*is*.

Hoc eorum adauctum in societate pondus consimilem ab eis exigit actuositatem apostolicam, sed et ipsa eorum naturalis indoles ad eamdem eos disponit. Maturescente conscientia propriae personalitatis, ardore vitae atque profluente navitate impulsi, propriam « responsabilitatem » assumunt, *in* vit*a* social*i et* « cultural*i* » *suas partes agere cupiunt*: qui zelus si spiritu Christi imbuitur, uberrimos exinde fructus sperari licet. Ipsi debent fieri primi et immediati apostoli iuvenum, apostolatum inter seipsos per seipsos exercentes, ratione habita « ambitus » socialis ubi vivunt.

Curent adulti cum *iuvenibus* amicale colloquium instituere quod

---

* [*Cf. pag. 129*].

[65] permittat utrique parti, aetatis distantia superata, mutuo sese cognoscere atque divitias cuique proprias invicem communicare. Exemplo primum et, data occasione, prudenti consilio validoque auxilio adulti iuventutem ad apostolatum stimulent.

Pueri quoque propriam habent apostolicam actuositatem. Secundum vires suas veri sunt testes viventes Christi apud socios.

13. [*De ambitu sociali*]. Apostolatus *in* « *ambitu* » *sociali,* scilicet studium spiritu christiano informandi mentem et mores, leges et *structuras* communitatis in qua aliquis vivit, adeo laicorum munus onusque est ut ab aliis haud unquam debite expleri valeat. Hoc in campo laici possunt apostolatum similis erga similem exercere. Ibi vitae testimonium per verbi testimonium complent. Ibi in campo vel laboris, vel « professionis », vel studii, vel incolatus, vel otii, vel consortionis fratribus adiuvandis aptiores exsistunt.

Hanc Ecclesiae missionem in mundo laici adimplent ante omnia illa cohaerentia vitae cum fide qua lux mundi efficiuntur, et probitate sua in quovis negotio, quae omnes ad amorem veri et boni, et tandem ad Christum et Ecclesiam allicit; caritate fraterna qua participes facti condicionum vitae, laborum, dolorum *et aspirationum* fratrum, omnium corda sensim sine sensu ad gratiae salutaris operationem disponunt; plena
[66] illa conscientia suae partis in aedificanda societate, qua navitatem suam domesticam, socialem, « professionalem » ita christiana magnanimitate adimplere satagunt, ut ipsorum modus agendi paulatim penetret « ambitum » vitae et laboris.

Apostolatus hic omnes amplecti debet quotquot ibi inveniuntur, neque ullum excludere bonum spirituale vel temporale quod eis faciendi copia est. Sed *veri apostoli,* hac actione sola non content*i, animos intendunt, ad* Christum etiam verbis proximis annuntiand*um.* Multi enim homines nonnisi per vicinos laicos possunt Evangelium audire et Christum agnoscere.

14. [*De ordinibus nationali et internationali*]. Immensus patet apostolatus campus in ordine nationali et internationali, ubi laici potissimum sunt sapientiae christianae administri. In pietate erga nationem et in fideli impletione officiorum civilium catholici obligatos se sentiant ad verum bonum commune promovendum, et sic pondus suae opinionis valere faciant ut potestas civilis iuste exerceatur ac leges praeceptis moralibus *bono*que communi respondeant. Catholici rerum publicarum periti et, ut par est, in fide et doctrina christiana firmati, ne recusent negotia publica gerere, cum per ea digne gesta bono communi consulere et *simul* Evangelio viam sternere possint.

Studeant catholici cooperari cum omnibus bonae voluntatis homini- [66]
bus ad promovenda quaecumque sunt vera, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia (cf. *Phil.* 4, 8). Colloquium habeant cum eis, prudentia et humanitate eos praevenientes, investigationemque instituant circa instituta socialia et publica secundum Evangelii *spiritum* perficienda.

Inter signa nostri temporis speciali notatu dignus est crebrescens ille et ineluctabilis sensus « solidarietatis » omnium populorum: quem sollicite promovere et in sincerum et verum fraternitatis affectum convertere apostolatus laicorum munus est. Insuper laici conscii esse debent campi internationalis et quaestionum ac solutionum sive doctrinalium sive practicarum quae in illo oriuntur, praesertim quoad gentes ad progressum nitentes.

Meminerint omnes qui in alienis nationibus laborant vel eis auxilium praestant, relationes inter populos verum commercium fraternum esse debere, in quo utraque pars dat simul et accipit. Qui vero operum internationalium causa vel negotii vel otii, iter faciunt, recordentur se esse ubique *etiam praecones* itinerantes Christi, et ut tales in veritate sese gerant.

NOTAE [67]

Ad n. 10.

[1] Cf. PIUS X, Litt. Apost. *Creationis duarum novarum paroeciarum,* 1 iunii 1905: *A.S.S.,* 38 (1905), pp. 65-67; PIUS XII, *Alloc. ad fideles Paroeciae S. Saba,* 11 ian. 1953: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII,* 14 (1952-1953), pp. 449-454; IOANNES XXIII, *Alloc. Clero et christifidelibus e dioecesi suburbicaria Albanensi, ad Arcem Gandulfi habita,* 26 aug. 1962: *A.A.S.,* 54 (1962), pp. 656-660.

[2] Cf. LEO XIII, *Alloc.,* 28 ian. 1894: *Acta,* 14 (1894), pp. 424-25.

[3] Cf. PIUS XII, *Alloc. ad Parochos, etc.,* 6 febr. 1951: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII,* 12 (1950-1951), pp. 437-443; 8 martii 1952: *ibid.,* 14 (1952-1953), pp. 5-10; 27 martii 1953: *ibid.,* 15 (1953-1954), pp. 27-35; 28 febr. 1954: *ibid.,* pp. 585-590.

Ad n. 11.

[4] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.,* 22 (1930), p. 554; PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus,* 1 ian. 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 203; IDEM, *Delegatis ad Conventum Unionis Internationalis sodalitatum ad iura familiae tuenda,* 20 sept. 1949: *A.A.S.,* 41 (1949), p. 552; IDEM, *Ad patresfamilias e Gallia Romam peregrinantes,* 18 sept. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 731; IDEM, *Nuntius Radiophonicus in Natali Domini 1952*: *A.A.S.,* 45 (1953), p. 41; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 429, 439.

[5] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Evangelii Praecones,* 2 iunii 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 514.

[6] Cf. PIUS XII, *Delegatis ad Conventum Unionis Internationalis sodalitatum ad iura familiae tuenda,* 20 sept. 1949: *A.A.S.,* 41 (1949), p. 552.

[67] *Ad n. 12.*

[7] Cf. Pius X, *Alloc.* 25 sept. 1904: *A.S.S.*, 37 (1904-1905), pp. 296-300.
[8] Cf. Pius XII, *Ad Conventum J.O.C. Montréal,* 24 maii 1947: *A.A.S.*, 39 (1947), p. 257; *Nuntius Radiophonicus ad J.O.C. Bruxelles,* 3 sept. 1950: *A.A.S.*, 42 (1950), pp. 640-641.

Ad n. 13.

[9] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno,* 15 maii 1931: *A.A.S.*, 23 (1931), pp. 225-226.

Ad n. 14.

[10] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.*, 53 (1961), pp. 448-450.

[69]

RELATIO
DE SINGULIS NUMERIS CAPITIS III

In suffragatione de integro Capite III schematis « De Apostolatu laicorum » feria VI, die 24 septembris 1965 sequens exitus apparuit:

Praesentes votantes	2.023
Placet	1.707
Non placet	4
Placet iuxta modum	311
Votum nullum	1

Integrum Caput III cum omnibus suis partibus, a Congregatione generali approbatus est. Omnes modi, a Patribus introducti, praevie examinati sunt a Subcommissione, deinde a Commissione Plenaria iudicati.

Modi generales

1 — Caput concise et nervose retractetur (1 Pater).
Caput habet graves deficientias, quia nihil de apostolatu erga opifices, erga iuvenes studentes etc. (1 Pater).

R. — Modi sunt contradictorii; Commissio omnibus satisfacere nequit.

2 — 1 Pater vult mutationem materiae capitis III: inversis numeris.
9. Introductio
10. de Familia
11. de Iuvenibus
12. de Communitatibus Ecclesiae

13. de Ambitu sociali [69]
14. de Ambitu nationali et internationali.

R. — Ordo numerorum et dispositio materiae approbati sunt.

MODI PARTICULARES

AD NUM. 9

3 — Pag. 30, linn. 1-3: Repetuntur quae sunt sub n. 5 in pag. 21, linn. 8-10 (1 Pater).

R. — Paragraphus materiam resumit modo introductorio.

4 — Pag. 30, linn. 1-8: Non placet expressio « tam in Ecclesia quam in mundo » (linn. 2-3). Dicatur: « *in communitate fidelium et in societate humana* » vel « *in communitatibus* Ecclesiae *et in diversitatibus ambitibus* mundi » vel aliquid simile (9 Patres). [70]

1 Pater putat expressionem esse repetitionem.

R. — Vide Constit. de Ecclesia n. 31.

5 — Pag. 30, linn. 1-8: 22 Patres volunt textum abbreviatum: « Laici christiani suum exercent multiplicem apostolatum tam in Ecclesia *eiusque variis coetibus,* quam in variis campis *vitae mundanae* ».

R. — Non admittitur: agitur de principalibus campis enumerandis.

6 — Pag. 30, linn. 1-8: Alius Pater vult textum sequentem: « Laici christifideles suum exercent apostolatum *proprium in formis campisque diversis apostolicae actuositatis, quorum principaliora* hic commemorare iuvat; hi sunt familia, iuventus, ordines socialis, nationalis et internationalis. *In communitatibus autem Ecclesiae invenit hic apostolatus suam inspirationem et unitatem* ».

R. — Additio non videtur necessaria.

Unus Pater loco « communitates Ecclesiae » vult « communitates ecclesiasticas ».

R. — Hic non est sermo iuridicus de Ecclesia.

7 — Pag. 30, lin. 7: 3 Patres volunt supprimere vocabulum « christifideles » et loco « *iuventus* » volunt « *iuvenes* ».

R. — Admittitur.

8 — Pag. 30, linn. 7-8: 74 Patres loco: « ordines socialis, nationalis et internationalis », volunt: « *ambitus* socialis, *ordines* nationalis et internationalis ».

R. — Admittitur.

[70] 9 — Pag. 30, lin. 8: 1 Pater longam additionem proponit.
R. — Longior additio non concordat cum normis.

10 — Pag. 30, lin. 8: Post punctum addatur: « *Cum nostris diebus mulieres magis magisque cooperantur in variis vitae humanae sectoribus evolvendis earum participatio quoque quam amplissima in multiplici apostolatu Ecclesiae promovenda est* » (2 Patres).
R. — Admittitur additio quasi verbotenus.

[71] AD NUM. 10

In genere

11 — 1 Patri displicet tonus et dispositio materiae. Vult pauca et synthetica.

Pro alio Patre textus schematis clericalismum sapit.

Hic sermo verbosus, nimis ecclesiasticus, non ad laicos aptus. Pastores debent esse in vera fraternitate cum laicis.
R. — Textus iam approbatus est in Congregatione generali.

Modi particulares

12 — Pag. 30, linn. 10-12: Repetuntur quae sub n. 2, pag. 15, linn. 26-29 (1 Pater).
R. — Maneat textus.

13 — Pag. 30, linn. 10-13: Deleantur (1 Pater).
R. — Vide supra.

14 — Pag. 30, lin. 14: 63 Patres loco « hierarchicus apostolatus » proponunt: « *pastorum* apostolatus ».
R. — Admittitur.

2 Patres volunt: « apostolatus ministerialis ».
R. — Vide Constitutionem De Ecclesia n. 33.

15 — Pag. 30, lin. 15: 16 Patres: omittatur « Plerumque » quia laici omnino necessarii sunt.
R. — Non admittitur ne textus sit nimis absolutus.

16 — Pag. 30, lin. 20: « et *non raro* reficiunt spiritum ». Ita 1 Pater.
R. — Non admittitur. Modus est nimis restrictivus.

17 — Pag. 30, lin. 21: Tollatur citatio *Cor.* 1, nam non est ad rem (1 Pater).
R. — Citatio videtur esse ad rem.

18 — Pag. 30, linn. 22-23: Repetitio: iam habentur sub n. 4 pag. 17, linn. 1-6 (1 Pater). [71]
R. — Hic agitur de applicatione Capitis I.

19 — Pag. 30, linn. 22-23: Ita dicatur: « Ipsi enim actuosa participationis vitae *spiritualis* suae communitatis nutriti etc. » (1 Pater). [72]
R. — Vita liturgica est fons vitae spiritualis.

20 — Pag. 30, linn. 22-30: Quoad substantiam, transferantur in paragrapho sequenti ubi magis conveniunt (6 Patres).
R. — Textus approbatus maneat.

21 — Pag. 30, linn. 25-26: 60 Patres loco: « homines longe a pastoribus versantes ad eosdem adducunt » volunt: « *semper curam habentes* homin*um* longe *ab ea* versant*ium* ».
R. — Pro parte admittitur.

22 — Pag. 30, lin. 25: Non dicatur: « a pastoribus », sed « *a sacerdotibus* » (1 Pater).
R. — Non admittitur.

23 — Pag. 30, linn. 25-26: 31 Patres volunt ut textus sic mutetur: « ... homines longe fortasse *a communione Ecclesiae* versantes, ad eam adducunt... etc. ».

Alius Pater dicit quod aliqui laici conquesti sunt quasi apostolatus laicorum consisteret in hac « adductione ». Suggerit: « homines fortasse longe *a fide* versantes, ad *fraternum colloquium invitant* ».

Alius vult ut dicatur: « Homines *christianam et catholicam fraternitatem ignorantes ad eam* adducunt ».

Alius: « *concordiam et colloquium cum sacerdotibus foveant* ».
R. — Pro parte admittitur: omittitur « a pastoribus » et loco « ad eosdem » dicitur « *ad Ecclesiam* ».

24 — Pag. 30, lin. 27: Addatur: « catechetica institutione *et etiam per diffusionem mediorum catholicorum communicationis* » (1 Pater).
R. — Modus est nimis particularis.

25 — Pag. 30, lin. 29: « bonorum » deleatur. Est inopportunum (2 Patres).
R. — Restrictio non admittitur.

26 — Pag. 30, linn. 29-30: 1 Pater loco « et etiam administrationem bonorum Ecclesiae... » vult: « et etiam, *aliquando uno vel altero*

[73] *ab episcopo in coetus consultorum assumpto* administrationem Ecclesiae efficaciorem reddunt » — omisso « bonorum ».

R. — Modus est nimis particularis.

27 — Pag. 30, lin. 31: Unus Pater vult ut alinea sic incipiat: « *Vinculum caritatis in apostolatu servantes, laici in primis operam suam exerceant in fovenda vita spirituali propriae paroeciae*. Paroecia *enim* exemplum » etc.

Alius vult ut apostolatus laicorum non solum videatur exprimere unitatem cum pastoribus, sed etiam unitatem communitatum parvarum.

2 Patres volunt ut inseratur « *nihil sine episcopo* » ut in textu priore.

8 Patres volunt ut supprimatur verbum « fundamentale ».

Unus suggerit « exemplum *perspicuum* ».

Alius: « *Dioecesis* et paroecia exemplum fundamentale apostolatus communitarii praebent ».

R. — Loco « fundamentale » admittitur « *perspicuum* ». Quoad alios modos, numerus restringitur ad paroeciam.

28 — Pag. 30, lin. 31: Dicatur: « Paroecia *primum et immediatum* exemplum apostolatus communitarii » (1 Pater).

R. — Sensus modi iam exprimitur in verbo « cellula » in textu.

29 — Pag. 30, linn. 31-34: Periodus sic mutetur: « Paroecia *utpote omnes diversitates humanas in unum congregans et Ecclesiae universalitati inserens*, exemplum apostolatus "communitarii" praebere debet » (2 Patres).

R. — Textus noster est descriptivus.

30 — Pag. 30, lin. 32: Desideratur ut enucleatur significatio expressionis « *apostolatus communitarius* » (1 Pater).

R. — Textus non omnia explicare potest, ratione brevitatis.

31 — Pag. 30, lin. 33: 59 Patres volunt ut legatur: « Paroecia *quae debet magis magisque se aperire apostolatui missionario* et testimonium unionis Christianorum in Christo praebere, omnes quotquot... ».

R. — Provisum est in fine numeri.

[74] 32 — Pag. 30, linn. 33-34: 1 Pater diceret: « *omnes quotquot* ibi invenit diversitates humanas *transcendens* (vel *superans*) *et in Christo* congregans *ac in* Ecclesiae universitati inserens ».

R. — In textu non excluditur.

33 — Pag. 30, lin. 35: Ita incipiatur: « Assuescant *pastores*... » (1 Pater). [74]

R. — Schema est de laicis.

34 — Pag. 30, lin. 36: 1 Pater: « Uniti cum *sacerdotibus* suis ».

R. — Admittitur.

Alius putat quod nimis generatim loquatur de omnibus laicis, dum pauciores idonei sint. Addatur: « *ii qui ad tale opus idonei vel speciali charismate praediti sint* ».

R. — Omnes laici ad apostolatum vocantur. Vide Const. de Ecclesia n. 12.

27 Patres: « Assuescant pastores et laici *fideles intime* sibi uniti, in paroeciis operari, *unusquisque ad suum munus specificum intentus. Laici speciatim* problemata propria et mundi quaestionesque hominum salutem spectantes, collatis consiliis examinanda et solvenda ad communitatem Ecclesiae afferant, omnique incepto apostolico et missionario suae familiae ecclesiasticae adiutricem operam pro viribus navent ».

R. — Commissio non reputavit necessarium immutare textum.

Alius Pater proponit loco: « Assuescant laici... ad communitatem afferre » dicatur: « *Quaestiones* salutem spectantes, *quae sive ipsos sive homines universim gravant,* collatis consiliis examinandas et solvendas ad communitatem Ecclesiae afferre ».

R. — Additio non videtur necessaria.

35 — Pag. 30, lin. 36: Post verba « in paroecia operari » ponatur ex paragrapho praecedenti: « *in verbo Dei tradendo...* » usque ad « efficaciorem reddunt ». Vide linn. 22-30 ut supra (6 Patres).

R. — Ordo materiae non est mutandus.

36 — Pag. 30, lin. 36: 1 Pater « paroecia » addatur: « *et ceteris communitatibus ecclesialibus dioeceseos* ».

R. — Non videtur necessaria.

37 — Pag. 30, lin. 36: 1 Pater adderet: « in paroecia operari *etsi suus apostolatus intra eius limites non coarctetur* ».

Alius Pater scribit: « Ne pas durcir la paroisse qui doit rester [75]
ouverte au Diocèse ».

R. — Textus haec non excludit.

38 — Pag. 31, linn. 1-6: Reformetur integer textus. Ne nimis immoretur in conceptu paroeciae (1 Pater).

R. — Textus est approbatus.

[75] 39 — Pag. 31, linn. 3-4: Loco « ad communitatem Ecclesiae afferent », dicatur: « *operam pro viribus navent* » (6 Patres).

R. — Non admittitur.

40 — Pag. 31, lin. 4: Omittantur verba: « et missionario » (1 Pater).

R. — Activitates distinguuntur, ergo textus maneat.

41 — Pag. 31, linn. 4-6: Duo Patres quaerunt ut supprimantur hae lineae quia sunt repetitiones. Volunt etsi ut earum loco scribatur: « quorum examen et solutio exigunt ut viri et mulieres in sua activitate apostolica ad invicem communicent ».

R. — Lineae momentum habent. Communicatio inter fideles supponitur.

42 — Pag. 31, lin. 6: 1 Pater: in fine paragraphi addatur: « *Inde laici vividiorem in dies conscientiam adquirent suae participationis in communitate dioecesana* ».

R. — Momentum dioeceseos satis innuitur in textu.

43 — Pag. 31, lin. 7: Duo Patres volunt supprimere expressionem: « cuius paroecia velut cellula est ».

R. — Textus est approbatus.

44 — Pag. 31, linn. 7-10: 1 Pater vult supprimere: « Colant iugiter... adicere ».

R. — Sermo fit in hoc munere praesertim de paroecia.

45 — Pag. 31, lin. 9: 8 Patres loco: « ad invitationem pastoris », dicatur: « *cum* pastore *coniuncti* ».

R. — Agitur de inceptis dioecesanis.

[76] 46 — Pag. 31, lin. 12: Addatur: « ... regionum ruralium *necnon illis necessitatibus vel communibus multis gentibus* » (1 Pater).

R. — Sermo fit in hoc numero de communitatibus Ecclesiae.

47 — Pag. 31, linn. 22-24: 1 Pater: Melius exponatur cooperatio missionaria laicorum et in sensu schematis « De activitate missionaria », nn. 38, 39.

R. — Necesse non est ut fusius dicatur.

48 — Pag. 31, lin. 23: 9 Patres volunt supprimere verba: « materialia vel ».

R. — Vide infra n. 49.

49 — Pag. 31, lin. 24: 33 Patres addere volunt haec verba: « *Privilegium est christianorum Deo restituendi partem bonorum*

quae a Deo accipiunt. Haec bona tamquam sacrum depositum [76]
habenda sunt et cum cooperatione fidelium adhibenda ad constitutionem ac incrementum operum Dei in hoc mundo ».

R. — Commissio ita admisit: « *Officium et honor enim est christianorum Deo restituere partem bonorum quae ab Eo accipiunt* ».

AD NUM. 11

50 — Pag. 31, lin. 32: Dicatur « *et extensio quasi domestica Ecclesiae existit* », quia videtur magis conforme Constitutioni *Lumen Gentium* n. 2 in fine (6 Patres).

R. — Non videtur necessarium.

51 — Pag. 31, lin. 35 ss.: Addantur quae attinent ad fundamentalem formationem humanam (1 Pater).

R. — Provisum est in Capite VI.

52 — Pag. 31, lin. 36: Addatur « *fidei, spei et caritatis praecones et educatores* » (6 Patres).

R. — Textus sufficit.

53 — Pag. 31, linn. 38-40: Post « formantes » dicatur « *et* »; post « adiuvantes » dicatur « *et* », loco « ferventes » dicatur « *foveant* » (2 Patres).

R. — Textus reformatus est aliis verbis.

54 — Pag. 31, linn. 38-40: Comma « in eorum vocatione... adiuvan- [77]
tes » ita rescribere debet: « ... in eorum vocatione, *praesertim* sacra, seligenda et sequenda, prudenter eos adiuvantes » (2 Patres).

R. — Textus eadem innuit.

55 — Pag. 31, lin. 39: 4 Patres: loco « vocationem sacram » dicatur: « *sacerdotalem et religiosam* » vel « *specialiter consecratam* ».

R. — Textus uti iacet sufficit.

56 — Pag. 31, lin. 41: 1 Pater post verba « hodie vero » addatur: « *cum evolutione mundi* ».

R. — Additio non videtur necessaria.

57 — Pag. 32, lin. 4: 2 Patres post verbum « prolem » addatur: « *procreandi* ».

R. — Ius procreandi iam supponitur.

58 — Pag. 32, lin. 6: 1 Pater post « dignitatem » addatur: « *sanctitatem* ».

R. — Sermo est de iuribus.

[77] 59 — Pag. 32, lin. 7: 71 Patres vellent ut dicatur « cooperentur igitur ipsi ceterique christifideles *cum hominibus bonae voluntatis* ut... ».

R. — Admittitur.

60 — Pag. 32, linn. 1-7: 2 Patres dicatur: « *fundamenta familiae, significationem et officium in societate clarius revelare; donum mutuum et fidelitatem vita sua manifestare significando modo visibili donum et fidem Christi erga suam Ecclesiam* ».

R. — Longior additio non concordat cum normis.

61 — Pag. 32, lin. 6: Tres Patres addunt: « *numerositatem atque instructionem filiorum* ».

R. — Primum non admittitur, de secundo vide supra.

62 — Pag. 32, lin. 8: Omittatur verbum « reipublicae » (1 Pater).

R. — Ita scribitur « *civili* » loco « reipublicae ».

[78] 63 — Pag. 32, linn. 8-9: Loco « Haec iura sarta... » dicatur: « iura *familiae semper melius afficiuntur et servantur* » (1 Pater).

R. — Textus satis clarus videtur.

64 — Pag. 32, linn. 10-11: Addatur « ad habitationem, *educationem puerorum,* conditionum... » (80 Patres).

R. — Admittitur.

65 — Pag. 32, linn. 12-14: Loco « in migrationibus... » dicatur: « in migrationibus *et transformationibus hodiernis societatis, familia ipsa ut vitalis et fundamentalis cellula societatis* in tuto ponatur *et ei detur possibilitas sese in dies perficiendi* » (1 Pater).

R. — Non videtur textum schematis esse reformandum.

66 — Pag. 32, lin. 14: 1 Pater: addatur: « *denique ut condicioni morali, sociali et oeconomica illegitimorum ubique aequo iuridico consulatur* ».

R. — Modus est nimis particularis.

67 — Pag. 32, linn. 15-23: Loco textus linn. 15-25.

a) 279 Patres proponunt textum sequentem: « *Eam familia ipsa missionem divinitus accepit ut sit vitalis et fundamentalis cellula societatis. Quam missionem adimplebit si tamquam domesticum sanctuarium Ecclesiae per mutuam membrorum pietatem et orationem in communi Deo factam existat; si ex hoc sanctuario prodiens tota familia in cultum liturgicum Ecclesiae se inserat; si denique, vi caritatis et orationis domesticae, familia actuosam hospitalitatem praestet, iustitiam aliaque bona*

opera in servitium fratrum omnium necessitate laborantium promoveat ». [78]

R. — Admittitur quasi ad verbum.

68 — Pag. 32, linn. 15-32: 65 Patres proponunt: « Familia ipsa, utpote vitalis et fundamentalis cellula societatis suam divinitus acceptam missionem adimp*let* mutua membrorum et communi oratione, *testimonio fidei et* cultu humano *pro aedificatione et profectu hominum* et societatis, caritate sua et hospitalitate suam beneficam vim quoquo versus diffund*ente*.

R. — Vide supra Modum 67.

69 — Pag. 32, linn. 15-32: Substituatur verbis prioris textus (2 Patres). [79]

R. — Vide responsionem ad M. 67.

70 — Pag. 32, linn. 17-23: 1 Pater: dicatur: « missionem adimplet *per* mutuam pietatem ... sanctuarium et Ecclesia domestica; *per* cultum religiosum publicum et cultum humanum societatem aedificans in utroque ordine; *per* caritatem suam et hospitalitatem quoquo versus suam beneficam vim diffundens ».

R. — Vide supra ad M. 67.

71 — Pag. 32, lin. 19: 150 Patres: loco « extensio Ecclesiae » dicatur: « tamquam sanctuarium *vel Ecclesiae signum vivum in mundo exstat* ».

1 Pater dicatur: « *tamquam quoddam veluti* sanctuarium et *Ecclesia domestica existit* ».

R. — Vide supra ad M. 67.

72 — Pag. 32, lin. 19: Non « extensio » sed « *pars privilegiata* » (1 Pater).

R. — Vide responsionem ad M. 67.

73 — Pag. 32, lin. 20: Loco « culto religioso et cultu humano » dicatur: cultu *religioso* et *cultu civili* » (15 Patres).

R. — Vide responsionem ad M. 67.

74 — Pag. 32, linn. 23-32: Omittantur (1 Pater).

R. — Textus est approbatus.

75 — Pag. 32, lin. 24: Post « licet » addatur « *infantes nondum natos ab eis saepe saepius hodie imminente periculo vitam perdendi defendere* » (1 Pater).

R. — Modus est nimis particularis.

[79] 76 — Pag. 32, lin. 25: 1 Pater: addatur « advenas *et omnes qui solitudine laborant* ».

R. — Modus est nimis particularis.

[80] 77 — Pag. 32, lin. 27: 1 Pater: addatur: « Scholis *catholicis omnibus studiis fovere ac eas perlibenter praeferre,* adolescentes etc. ».

R. — Sufficiunt quae in textu habentur.

78 — Pag. 32, lin. 28: « Sponsos *adiuvare ut* ad matrimonium *melius se praeparent* » (64 Patres).

R. — Admittitur.

79 — Pag. 32, lin. 28: 1 Pater loco « sponsos ad matrimonium praeparare » dicatur: « *Sponsos ad matrimonium sese praeparantes adiuvare* ».

R. — Provisum est.

80 — Pag. 32, lin. 29: 2 Patres addatur: « *operibus catechizandis puerorum operam praestare* » ita: « ad catechesim operam praestare ».

R. — Admittitur.

81 — Pag. 32, lin. 32: 1 Pater post « fructus procurare » dentur normae educationis ancillarum.

1 Pater: addatur: « *et ut veram spiritualitatem familiarum addiscant et spargant* ».

1 Pater: addatur: « *et assistentiam religiosam et moralem praestare* ».

R. — Modi nimis particulares.

82 — Pag. 32, lin. 33: 70 Patres: in initio addatur: « *semper et ubique, sed peculiari modo in regionibus* ».

R. — Admittitur.

83 — Pag. 32, lin. 41: 68 Patres loco « opportunum est » dicatur: « opportunum *esse potest* ».

R. — Admittitur.

84 — Pag. 32, lin. 42: 2 Patres addatur: « *Viri et mulieres qui, diversis rationibus, in coelibatu remanent, spiritu evangelico ducti, peculiari modo ad apostolatum vocati sunt et apostolatum exercere valent* ».

R. — Non admittitur.

AD NUM. 12 [81]

In genere

85 — Pag. 33: 1 Pater: « Optime de iuvenibus », sed vult aliquid de formatione iuvenum spirituali.

Alius: « Texte trop général ». « Ne pas contenter les jeunes seulement » « rien de leur éducation ».

Alius: Vel deleatur vel loquatur etiam de iuribus seniorum. Non sunt nimis extollendi iuvenes.

Alius: Distincte dicantur: Rationes huius campi apostolatus; eiusdem momentum; proprietates actuositatis apostolicae iuvenum advertentiae ad praecavenda pericula.

Alius: aliquid dicatur de iuvenibus opificibus.

Explicite extollatur momentum formationis in apostolatu iuvenum. Etenim sine debita formatione apostolatus et soliditate caret et animi fluctuationibus remanet (1 Pater).

R. — Textus iam approbatus est.

Modi particulares

86 — *De Titulo*

63 Patres volunt ut sic mutetur: « *De iuvenibus et pueris* ».

R. — Titulus cadit in ultima redactione.

87 — Pag. 33, lin. 1: 1 Pater: verba « insolitam omnino » deleantur.

R. — Admittitur.

88 — Pag. 33, linn. 6-8: Ordo mutetur: « nimis celeriter transeunt. Dum autem *in dies momentum* eorum sociale *et etiam politicum crescit, quasi impares videntur* oneribus novis apte suscipiendis » (6 Patres).

R. — Admittitur.

89 — Pag. 33, lin. 9: 1 Pater post verba « pondus consimilem » vult addere: « et ab omnibus erga iuvenes et ».

R. — Sermo praesertim est de apostolatu iuvenum inter se.

90 — Pag. 33, linn. 9-11: Sic componatur: « *quo magis est pondus eorum in societate eo urgentior necessitas educandi...* » (6 Patres).

R. — Mutatio non videtur necessaria.

91 — Pag. 33, lin. 12: 1 Pater, ante verba « propriam responsabilitatem » vult ponere « plures eorum ». [82]

R. — Textus est pro omnibus iuvenibus.

[82] 92 — Pag. 33, lin. 13: Loco « vitamque socialem et culturalem transformare cupiunt », scribatur: « *in vita sociali suas partes agere cupiunt* » (1 Pater).

R. — Accipitur pro parte.

93 — Pag. 33, linn. 13-16: Scribatur: « Si fides eorum apte excolitur et unio eorum personalis cum Christo roboratur, zelo eorum spiritu Christi imbuto, tunc uberrimos... » (6 Patres).

R. — Textus remaneat.

94 — Pag. 33, lin. 14: 1 Pater vult addere post verba « si spiritu Christi imbuitur » haec alia: « et studiosa, assidua et integra formatione instituatur ».

R. — Non est necessarium.

95 — Pag. 33, lin. 15: « Ipsi ergo sese studio parantes ut adulti fiant maturi ac zelo conspicui, iam debent esse primi et immediati... » (1 Pater).

R. — Non est necessarium.

96 — Pag. 33, lin. 15: Duo Patres sic legere volunt post verba « operari licet ». « Firmo fundamentali et gravissimo munere seniorum ex ordine naturae et gratiae erga eos, iuvenes ipsi debent fieri primi et immediati apostoli... ».

R. — Sermo est de iuvenibus.

97 — Pag. 33, linn. 18 ss.: Loco paragraphi textus 1 Pater ita diceret: « Iuvenes tamen sine adultorum collaboratione opus suum perficere non possunt. Oportet ergo iuvenes ad adultos aetatis distantia superata, mutuo sese cognoscere atque divitias cuique proprias invicem communicare. Conditio tamen sine qua non collaborationis est adultos iuvenibus auxilium praebere, non dictamen ».

R. — Servetur textus.

[83] 98 — Pag. 33, linn. 18 ss.: 1 Pater dicit iuvenes non esse maturos ut in numero apparet. Egent virtute humilitatis et fiduciae erga seniores (non tantum colloquio).

R. — Non admittitur.

99 — Pag. 33, linn. 18-19: Deleantur verba a « *Ne tamen* » usque ad « *se sentiant* » (2 Patres).

R. — Admittitur.

100 — Pag. 33, lin. 19: Dicatur: « se sentiant eos revereri et audiri ne dedignentur, atque curent adulti » (1 Pater).

R. — Vide supra ad M. 99.

101 — Pag. 33, lin. 20: 1 Pater deleret verba « aetatis distantia superata ». [83]

R. — Distantia aetatis est factum.

102 — Pag. 33, lin. 23: 9 Patres addere volunt: « Iuvenes vero parentibus et maioribus filiali reverentia necnon oboedientia, cum res ferat, obsequantur ».

Alii duo Patres petunt ut aliquid dicatur de oboedientia et de praecavendis periculis, et alter vult aliquid de honore erga parentes et amicos.

Tres Patres novam redactionem proponunt: « ... in pericula suae aetatis inhaerentibus, curent adulti cum eis, prout exigit ordo naturalis et supernaturalis (cf. praes. *Eccli.* 32, 10-13; *1 Tim.* 5, 1; *1 Pt.* 5. 13) colloquium instituere quod permittat utrique parti mutuo sese cognoscere atque divitias cuique proprias invicem communicare ».

R. — Novae redactiones non videntur clariores quam textus.

103 — Pag. 33, lin. 24: Aliqua commendatio coetuum apostolicorum puerorum desideratur. Aliquae experientiae sunt in hoc campo non despiciendae sed magis iuvandae (25 Patres).

65 Patres volunt addere: « *Pueri ipsi propriam habent apostolicam actuositatem. Secundum vires suas veri sunt testes viventes Christi apud socios* ».

R. — Commissio modos libenter admisit.

104 — Pag. 33, lin. 24: Unus Pater longiorem additionem proponit. [84]

R. — Longior additio non concordat cum normis.

105 — Pag. 33: 1 Pater in fine paragraphi vult aliquid de electione futurae vitae.

R. — Provisum est in n. 11.

AD NUM. 13

In genere

106 — Explicite proponatur doctrina Ioannis XXIII *Mater et Magistra* de Promotione sociali (1 Pater).

1 Pater: « unifier davantage le rôle spirituel et temporel du laïc de toute la 1ère par. ».

R. — Textus summatim doctrinam exponit.

107 — 1 Pater: In hoc numero aliquid dicatur de reformatione institutorum socialium (réforme de la structure).

R. — Provisum est textu reformato.

[84] *Modi particulares*

108 — Pag. 33, linn. 24-25: 2 Patres loco « iste » dicatur: « *in ambitu sociali* ».

R. — Admittitur.

109 — Pag. 33, linn. 28-29: 6 Patres loco « ab aliis numquam... » dicatur vel « laicorum *maxime* munus onusque est »; vel « *speciali modo* laicorum convenit ».

R. — Deletur « proprium ».

110 — Pag. 33, lin. 27: Unus Pater proponit « ... *quam maxime pendet a collaboratione* laicorum *ita ut sine ipsa* haud unquam debite expleri valeat ».

R. — Vide Constit. *De Ecclesia* n. 31.

111 — Pag. 33, lin. 27: Ita scribatur: « Communitatis *temporalis* in qua... » (2 Patres).

R. — Non est necessarium quia agitur de ambitu sociali.

[85] 112 — Pag. 33, lin. 31: Omittatur « perfecte » (6 Patres).

R. — Admittitur.

113 — Pag. 33, lin. 33: 1 Pater: addatur: « *vel familiae* ».

R. — De familia agitur in n. 11.

114 — Pag. 33, lin. 41: 1 Pater: addatur aliquid de apostolatu orationis.

R. — De hoc agitur in n. 16.

115 — Pag. 34, lin. 1: 1 Pater post verbum « fratrum » addatur: « *nec non eorum voluntatis promotionis humanae per iustitiam socialem* ».

R. — Provisum est addendo verbum « *aspirationum* ».

116 — Pag. 34, linn. 7-8: Addatur: « ... penetret ambitum, *omnesque valores vitae et laboris assumat. Unde fiat, ut occasione orta, testimonium Christi aptius proponere queant* » (6 *Patres*).

R. — Sufficiunt quae in prima paragrapho dicuntur.

117 — Pag. 34, lin. 8: 3 Patres loco « ambitum vitae et laboris » dicatur « *diversos* ambitus vitae *humanae* ».

R. — Ambitus vitae speciali modo ab aliis ambitibus distinguuntur.

118 — Pag. 34, linn. 9-19: Deleantur quia repetunt quae pag. 22, linn. 3-12 (8 Patres).

R. — Textus aliquantulum abbreviatus est.

119 — Pag. 34, linn. 13-16: 48 Patres loco « sed verus zelus apostolicus... » dicatur: « sed *veri apostoli,* hac actione sola non conten*ti, animos intendunt, ad* Christum etiam verbis proximis annuntian*dum* ». [85]

R. — Admittitur.

AD NUM. 14

120 — *De Titulo*: 49 Patres volunt loco « de ambitu nationali et internationali » ut scribatur: « In *ordinibus* nationali et internationali ».

R. — Admittitur.

121 — Pag. 34, lin. 23: Post « erga » addatur « *propriam* » (1 Pater). [86]

R. — Non videtur necessarium.

122 — Pag. 34, linn. 23-25: 6 Patres quaerunt ut simpliciter legatur: « Catholici *primi cives sint* »: cetera tollantur.

Alius eodem loco « pietas erga nationem » vult « *in nationis servitio* ».

Alius suggerit: « In pietate erga nationem ... catholici *omnes cives antecellant* ».

Loco: « cum omnibus hominibus bonae voluntatis coniuncti sint », scribatur: « *Catholici prae omnibus eminere studeant* » (3 Patres).

R. — Delentur verba: « cum omnibus hominibus bonae voluntatis coniuncti sint ».

123 — Pag. 34, linn. 23-24: 1 Pater dicit textum sapere confusionem inter ordinem temporalem et supernaturalem.

R. — Sermo fit de ordine temporali.

124 — Pag. 34, lin. 25: Loco: « cum omnibus ... bonae voluntatis », scribatur: « *Cum omnibus civibus* » (2 Patres).

R. — Vide supra Modum 122.

125 — Pag. 34, lin. 29: Loco « utilitati », dicatur « *bonoque* » (1 Pater).

R. — Admittitur.

126 — Pag. 34, lin. 32: Post verbum « firmati », addatur: « *magno animo curent* » (loco: ne recusent) (2 Patres).

Alius Pater: « ne recusent societatis negotia gerere, cum per ea digne etc. ».

[86] 1 Pater: « bono communi consulere possint *sed etiam optimum fidei testimonium praebere* ».

R. — Non admittitur, sed textus aliqualibus mutatus est.

127 — Pag. 34, lin. 33: 50 Patres addere volunt: « cum per ea digne *et in spiritu servitii* gesta ».

R. — Sufficit « digne ».

128 — Pag. 34, linn. 34-35: 6 Patres emendationem quaerunt: loco « Evangelio viam sternere possint » volunt:

alius: « Evangelii *testimonium* praebere possint »

[87] alius: « Evangelio *testificentur* »

alius: « Cum per ea digne gesta bono communi consu*lant et sic etiam* Evangelio viam ster*nant* »

alius aliquid simile

alius: « Cum per ea digne gesta, *iuxta principia socialia christiana,* bene communi *optime* consulere possint »

alius « *spiritu evangelico* viam *aperire possint* ».

R. — Textus clarificatus est per verbum additum « *simul* ».

129 — Pag. 34, lin. 37: 1 Pater post verba « bonae voluntatis hominibus » vult addere: « *sub prudenti vigilantia hierarchiae* ».

R. — Provisum est in Cap. V.

130 — Pag. 34, lin. 40: Addatur secundum 1 Patrem citationem *Phil.* 4, 8 et Paulus VI *Ecclesiam Suam.*

R. — Textus est satis longus.

131 — Pag. 35, linn. 2-3: 1 Pater suggerit loco « secundum Evangelii principia perficienda » haec verba: « secundum Evangelii *spiritum perficienda* ».

R. — Admittitur.

Pag. 35, lin. 2: Post verbum « publica » dicatur: « *ita ut in eis homines secundum veritatem Evangelii vivere possint* » (2 Patres).

R. — Iam provisum est.

132 — Pag. 35, lin. 5: 1 Pater loco « sensus » dicatur « *desiderium* ».

R. — Non admittitur.

133 — Pag. 35, lin. 9: 1 Pater post « munus est » vult addere: « *prudentia tamen, sub magisterii ductu, bene adhibita, ne solidarietas quae dicitur, fidei vel motibus detrimentum afferat vel humanitarismum sine fide in animos inducat* ».

R. — Longior additio non concordat cum normis.

134 — Pag. 35, lin. 9 ss.: 1 Pater loco « Insuper laici ... progressum nitentes » scribatur: « Insuper laic*orum est* quaestionibus *studere et adlaborare* in campo novo internationali solvendis sive doctrinalibus sive practicis, praesertim quoad gentes ad progressum nitentes ». [87]

R. — Textus uti iacet est satis clarus.

135 — Pag. 35, lin. 10: Omittatur verbum « *novi* » (1 Pater). [88]

R. — Admittitur.

136 — Pag. 35, lin. 13: In fine paragraphi.

Eodem modo tractentur de gentibus ad progressum nitentibus, ut vitetur omnis dominatio, paternalismus et ostensio superioritatis, etiam culturalis (1 Pater).

R. — Modus est nimis particularis.

137 — Pag. 35, lin. 20: Addatur post verbum « ubique » vox « *etiam* » (1 Pater).

R. — Admittitur.

138 — Pag. 35, lin. 20: 10 Patres ita scribendum putent: « recordentur *se ubique conscientia christiana ligari* ».

R. — Textus maneat.

139 — Demum quaerit 1 Pater « insister sur le devoir pour les Laïcs d'entrer dans les instances internationales pour y être les defenseurs du droit, de la justice, de la paix et de la charité ».

R. — Provisum est in n. 21.

QUAESITUM

An placeat expensio modorum facta a Commissione de Apostolatu Laicorum circa Modos caput III respicientes?

Caput IV [89]

DE VARIIS APOSTOLATUS MODIS

15. [*Introductio*]. Laici suam actionem apostolicam exercere possunt vel ut singuli, vel in variis communitatibus aut associationibus coadunati.

16. [*De momento et multiplicitate apostolatus singulorum*]. Apostolatus a singulis peragendus, ex fonte vitae vere christianae abundanter

[89] profluens (cf. *Io.* 4, 14), primordium est et condicio omnis apostolatus laicorum, etiam consociati, nec quidquam pro eo substitui potest.

Ad huiusmodi apostolatum, semper et ubique proficuum, sed in quibusdam adiunctis unice aptum et possibilem, omnes laici, cuiusvis condicionis, vocantur eoque obligantur, etsi deest eis occasio vel *possibilitas* in associationibus cooperandi.

Multae sunt apostolatus formae, quibus laici Ecclesiam aedificant atque mundum sanctificant et in Christo animant.

Peculiaris forma apostolatus *singulorum* et signum nostris quoque temporibus accommodatissimum, Christum in fidelibus suis viventem manifestans, est testimonium totius vitae « laicalis » e fide, spe et caritate emanantis. Apostolatu verbi autem, in quibusdam adiunctis omnino necessario, *laici* Christum annuntiant, eiusdem doctrinam *enucleant, diffundunt secundum suam cuiusque condicionem ac peritiam, et eam fideliter profitentur.*

Cooperantes insuper, utpote cives huius mundi, in his quae ad ordinem temporalem aedificandum et gerendum pertinent, oportet ut laici in vita familiari, « professionali », « culturali » et sociali rationes agendi altiores in lumine fidei quaerant aliisque, occasione data, patefaciant, conscii se sic *Dei* creatoris, redemptoris *et sanctificatoris* cooperatores fieri, laudemque ei praestare.

Denique laici suam vitam caritate vivificent, et pro facultate operibus exprimant.

Meminerint omnes, *cultu publico et oratione,* paenitentia et laborum aerumnarumque vitae libera acceptatione, qua Christo patienti conformes efficiuntur (cf. *2 Cor.* 4, 10; *Col.* 1, 24) se omnes homines attingere et ad totius mundi salutem conferre posse.

17. [*De apostolatu singulorum in aliquibus adiunctis*]. Magna necessitate hic apostolatus singulorum urget in illis regionibus, in quibus
[90] graviter impeditur libertas Ecclesiae. In his difficillimis adiunctis laici vicem, pro facultate, sacerdotum supplentes, ipsam suam *libertatem et aliquando* vitam in discrimen ponentes, eos qui circa ipsos sunt christianam docent doctrinam, ad vitam religiosam ac mentem catholicam instituunt, ad sacramenta frequenter suscipienda pietatemque praesertim eucharisticam colendam inducunt.[1] Sacrosancta Synodus, dum ex imo corde gratias agit Deo, qui, nostris etiam temporibus, heroicae fortitudinis laicos in medio persecutionum suscitare non desinit, eos paterno affectu ac grato animo complectitur.

Apostolatus singulorum specialem habet campum in regionibus ubi catholici sunt pauci et dispersi. Ibi laici, qui solummodo ut singuli apostolatum exercent, sive ob causas supra dictas, sive ob rationes spe-

ciales etiam ex propria navitate « professionali » exortas, opportune tamen ad colloquium conveniunt in minoribus coetibus sine ulla strictiore institutionis vel organizationis forma, *modo tamen ut semper appareat signum communitatis Ecclesiae coram aliis, ut verum amoris testimonium*. Hoc modo, per amicitiam et communicationem experientiae, sese mutuo spiritualiter adiuvantes *conformantur* ad *incommoda* vitae et actionis nimis segregatae *superanda* atque ad fructus uberiores apostolatus ferendos. [90]

18. [*De momento formae associativae*]. Christifideles ut singuli ad apostolatum exercendum in variis suae vitae condicionibus vocati sunt; *meminerint* tamen hominem natura sua socialem esse et Deo placuisse credentes in Christum in populum Dei (cf. *1 Pt.* 2, 5-10) et in unum corpus coadunare (cf. *1 Cor.* 12, 12). Apostolatus consociatus ergo christifidelium exigentiae tam humanae quam christianae *feliciter* respondet simulque signum prae se fert communionis et unitatis Ecclesiae in Christo qui dixit: « Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (*Mt.* 18, 20).

Quapropter christifideles apostolatum suum exerceant, in unum conspirantes.[2] Sint apostoli tam in suis communitatibus familiaribus, quam in paroeciis et dioecesibus, quae ipsae exprimunt indolem « communitariam » apostolatus, atque in liberis coetibus in quos se congregare statuerint.

Apostolatus consociatus magni momenti est etiam eo quod sive in communitatibus Ecclesiae, sive in *variis* « ambitibus » apostolatus saepe postulat ut actione communi impleatur. Consociationes enim pro actionibus apostolatus communibus erecta sua membra fulciunt et ad apostolatum formant, eorumque operam apostolicam recte disponunt et moderantur, ut multo uberiores exinde sperari liceat fructus quam si singuli seiunctim agant.

In praesentibus vero adiunctis, pernecesse est, ut in « ambitu » navitatis laicorum consociata et organizata forma apostolatus roboretur; etenim arcta virium coniunctio sola valet et ad omnes apostolatus ho- [91]
dierni fines plene assequendos et eius bona valide defendenda.[3] Qua in re peculiari modo interest ut apostolatus etiam mentes communes et sociales condiciones eorum, ad quos convertitur, attingat; secus « pressioni » sive opinionis publicae sive institutionum saepe impares erunt.

19. [*De multiplicitate formarum apostolatus consociati*]. Magna invenitur varietas in apostolatus consociationibus;[4] aliae finem generalem apostolicum Ecclesiae sibi proponunt; aliae modo particulari fines evangelizationis et sanctificationis; aliae fines animationis christianae ordinis

[91] temporalis persequuntur; aliae speciali modo per opera misericordiae et caritatis testimonium Christi praebent.

Inter has consociationes illae imprimis considerandae sunt quae intimiorem unitatem inter vitam practicam membrorum et eorum fidem fovent atque extollunt. Consociationes non sunt sibi ipsis finis, sed missioni Ecclesiae circa mundum adimplendae inservire debent; earum vis apostolica e conformitate cum finibus Ecclesiae pendet atque e singulorum membrorum *totiusque associationis* testimonio christiano et spiritu evangelico.

Universale munus autem missionis Ecclesiae, spectato simul progressu institutorum et impellente cursu societatis hodiernae, requirit ut incepta aposto*lica catholicorum* magis magisque perficiant formas consociatas in campo internationali. Organizationes Internationales Catholicae finem suum melius consequentur, si coetus qui in illis coadunantur eorumque membra intimius eisdem uniuntur.

Debita cum auctoritate ecclesiastica relatione servata,[5] ius est laicis consociationes condere[6] et moderari conditisque nomen dare. Vitanda tamen est virium dispersio, quae tunc est si promoventur sine sufficienti ratione novae associationes et opera, vel si retinentur ultra vitam utilem associationes sive methodi obsoletae; nec semper opportunum erit formas quae in alia natione instituuntur, ad alias sine discrimine transferre.[7]

20. [*De Actione Catholica*]. Abhinc non pauca decennia, pluribus in nationibus, laici, magis in dies apostolatui sese devoventes, in varias formas actionum et consociationum sese congregarunt, quae, arctiorem cum Hierarchia servantes coniunctionem, fines proprie apostolicos persecutae sunt et persequuntur. Inter has vel etiam similes antiquiores institutiones, eae praesertim commemorandae sunt quae, etsi diversas rationes operandi sequebantur, uberrimos tamen fructus regno Christi attulerunt, quaeque a Summis Pontificibus et a multis Episcopis merito commendatae atque promotae, ab eis nomen Actionis Catholicae acceperunt, et saepissime ut cooperatio laicorum in apostolatu hierarchico describebantur.[8]

[92] Hae apostolatus formae sive nomen Actionis Catholicae habeant sive aliud, quae nostris temporibus pretiosum apostolatum exercent, sequentium notarum concursu et cumulata acceptione constituuntur:

a) Finis immediatus huiusmodi organizationum finis apostolicus Ecclesiae est, scilicet in ordine ad homines evangelizandos et sanctificandos eorumque conscientiam christiane efformandam ita ut varias communitates variosque « ambitus » spiritu Evangelii imbuere valeant;

b) Laici, cooperantes iuxta modum proprium cum Hierarchia, [92]
suam experientiam afferunt et « responsabilitatem » assumunt in iis organizationibus moderandis, in condicionibus perpendendis, in quibus actio pastoralis Ecclesiae exercenda sit, atque in elaboranda et exsequenda ratione rerum agendarum;

c) Laici agunt uniti ad instar organici corporis, ita ut aptius Ecclesiae communitas significetur et efficacior evadat apostolatus;

d) Laici, sive sponte sese offerentes, sive invitati ad actionem et directam cooperationem cum apostolatu hierarchico, agunt sub superiore moderamine ipsius Hierarchiae, quae potest hanc cooperationem etiam per explicitum mandatum sancire.

Organizationes in quibus hae notae simul sumptae iudicio Hierarchiae reperiuntur, *Actio Catholica censendae sunt, etsi ob locorum ac populorum exigentias, varias formas et nomina assumunt.*

Sacrosanctum Concilium has institutiones, quae necessitatibus apostolatus Ecclesiae, apud multas gentes, certe respondent, enixe commendat, sacerdotes et laicos qui in ipsis adlaborant invitat, ut notas supra commemoratas magis magisque ad effectum adducant, et cum omnibus aliis apostolatus formis semper fraterne in Ecclesia cooperentur.

21. [*De consociationibus aestimandis*]. Omnes consociationes apostolatus recte aestimandae sunt; eae vero quas Hierarchia secundum temporum necnon locorum necessitates laudaverit vel commendaverit vel ut urgentiores instituendas decreverit, a sacerdotibus, religiosis et a laicis plurimi faciendae atque secundum modum uniuscuiusque promovendae sunt. Inter illas vero hodie praesertim recensendi sunt consociationes vel coetus internationales catholicorum.

22. [*De laicis qui speciali titulo servitio Ecclesiae addicuntur*]. Speciali honore et commendatione in Ecclesia digni sunt laici, sive caelibes sive matrimonio iuncti, qui perpetuo aut ad tempus servitio institutionum earumque operum seipsos, sua peritia « professionali », devovent. Eidem magni gaudii est quod in dies numerus laicorum augetur, qui proprium ministerium praebent associationibus et operibus apostolatus, sive intra fines suae nationis sive in campo internationali sive praesertim in catholicis communitatibus missionum, et ecclesiarum novellarum.

Pastores Ecclesiae hos laicos libenter et grato animo recipiant, curent ut eorum condicio exigentiis iustitiae, aequitatis et caritatis quam [93]
maxime satisfaciat, praesertim quoad honestam eorum *familiarumque sustentationem,* ipsique necessaria institutione, spirituali solamine et incitamento gaudeant.

[93] NOTAE

Ad n. 17.

[1] Cf. PIUS XII, *Alloc. ad I Conventum ex Omnibus Gentibus Laicorum Apostolatui provehendo,* 15 oct. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 788.

Ad n. 18.

[2] Cf. PIUS XII, *Alloc. ad I Conventum ex Omnibus Gentibus Laicorum Apostolatui provehendo,* 15 oct. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), pp. 787-788.

[3] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Le pèlerinage de Lourdes,* 2 iulii 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 615.

Ad n. 19.

[4] Cf. PIUS XII, *Alloc. ad Consilium Foederationis internationalis virorum catholicorum,* 8 dec. 1956: *A.A.S.,* 49 (1957), pp. 26-27.

[5] Cf. infra cap. V, n. 22.

[6] Cf. Decretum S. C. Concilii *Corrienten.,* 13 nov. 1920: *A.A.S.,* 13 (1921), p. 139.

[7] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Princeps Pastorum,* 10 dec. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 856.

Ad n. 20.

[8] Cf. PIUS XI, Epist. *Quae nobis,* ad Card. Bertram, 13 nov. 1928: *A.A.S.,* 20 (1928), p. 385. Cf. etiam PIUS XII, *Alloc. ad A. C. Italicam,* 4 sept. 1940: *A.A.S.,* 32 (1940), p. 362.

[95] RELATIO

DE SINGULIS NUMERIS CAPITIS IV

In suffragatione de integro Capite IV schematis De Apostolatu laicorum, feria secunda, die 27 septembris 1965 sequens exitus apparuit:

Praesentes votantes	2.128
Placet	1.834
Non placet	7
Placet iuxta modum	287

Integrum Caput IV cum omnibus suis partibus, a Congregatione generali approbatus est. Omnes modi, a Patribus introducti, praevie examinati sunt a Subcommissione, deinde a Commissione Plenaria iudicati.

AD NUM. 15

1 — Pag. 40 (n. 15), lin. 3: Addatur: «*quae quidem formae associativae, in praesentibus temporum adiunctis omnino necessariae sunt, et haberi debentur, nisi forte in illis nationibus, in quibus*

grassante persecutione, libertas Ecclesiae adeo impedietur, ut impossibile sit tales organizationes seu associationes habere » (1 Pater). [95]

R. — Non accipitur quia haec omnia iam sunt in textu (nn. 16-17-18).

2 — Pag. 40, lin. 3: Unus Pater: addatur « *meminerit tamen Ecclesiam suam missionem salutarem in Christo adimplere non posse, nisi in coniunctione necessaria apostolatus proprii fidelium cum ministerio sacerdotum* », quia apostolatus laicorum insufficiens est ad totam missionem Ecclesiae adimplendam. Nec munus sacerdotum nec missio laicorum minuuntur hac consideratione.

R. — Non admittitur quia haec inveniuntur in cap. V, n. 25.

AD NUM. 16 [96]

3 — Pag. 40, lin. 8: Dicatur: « ad huiusmodi *singuli fidelis* apostolatum » (9 Patres).

R. — Textus videtur sat clarus ergo non admittitur.

4 — Pag. 40, lin. 11: Dicatur: « vocantur quidem, *sed non ad omnem formam obligantur* » (1 Pater).

R. — Patet ex textu.

5 — Pag. 40, lin. 12: Deleatur: « vel aptitudo », quia talis excusatio in textu conciliari foveret iis qui nolunt apostolatui se devovere (1 Pater).

R. — Admittitur et loco « aptitudo » dicitur: « *possibilitas* ».

6 — Pag. 40, lin. 17: Omittatur verbum « individualis » quia nullus apostolatus est stricto sensu « individualis » (4 Patres).

R. — Textus sic mutatur: « peculiaris forma apostolatus *singulorum* ».

7 — Pag. 40, linn. 20-22: Dicatur: « Et exemplum totius vitae laicalis e fide, spe et caritate emanantis, *quod verum Christi testimonium constituit* ». Ne forte intelligatur quod unicum testimonium possibile sit exemplum vitae christianae (1 Pater).

R. — Ambiguitas non patet ergo textus maneat.

8 — Pag. 40, lin. 23: Denuo inserantur verba « *Laici* Christum annuntiant... »; sic clarior evadit sententia cuius subiectum non intelligitur in textu (1 Pater).

R. — Admittitur.

9 — Pag. 40, linn. 17-34 et pag. 41, linn. 1-2: Ideae hic expressae iam sunt in nn. 6-8 pag. 21 (2 Patres).

R. — Non est mera repetitio.

[96] 10 — Pag. 40, lin. 17: Unus Pater proponit aliam redactionem.
R. — Textus a Congregatione Generali iam probatus est.

11 — Pag. 40, lin. 21: Omittatur verbum « laicalis », quia superfluum et proprium linguae gallicae (7 Patres).
R. — Non videtur superfluum, ergo Modus non admittitur.

[97] 12 — Pag. 40, lin. 22: Addatur: « Apostolatu autem verbi, *libri, articulorum in actis periodicis,* in quibusdam... » (1 Pater).
R. — Non accipitur. Idea includitur quando dicitur « doctrinam diffundunt, enucleant... secundam... peritiam ».

13 — Pag. 40, linn. 24-25: Legatur: « eiusdem doctrinam enucleant, diffundunt *ac fideliter profitentur* ». Professio fidei est aliquid magis positivum ac defensio et illam etiam includit (8 Patres).
R. — Accipitur.

14 — Pag. 40, lin. 26: Melius diceretur « ... defendunt pro sua cuiusque condicione et peritia ».
R. — Non admittitur.

15 — Pag. 40, lin. 30: Post « familiari » addantur verba: « culturali, civili » (1 Pater).
R. — Admittitur pro vita culturali, post verbum « professionali ». Pro vita civili sufficit verbum « sociali ».

16 — Pag. 40, linn. 31-32: Sic mutetur: « et sociali *sub lumine fidei* agant aliisque occasione data, *hoc lumen* patefaciant, conscii... » quia sententia est clarior et vitatur periculum extrinsecismi in concipienda relatione inter ordinem temporalem et « altiores agendi rationes » (1 Pater).
R. — Periculum extrinsecismi non patet, ergo propositio non accipitur.

17 — Pag. 40, linn. 31-32: Sic mutetur: « sociali, *in pleno* (vel *sub pleno*) *lumine fidei ante actionem iudicent valorem huius actionis aliisque...* » (2 Patres).
R. — Textus est clarior et insuper « quaerere altiores agendi rationes in lumine fidei » implicat iudicium de valore actionis.

18 — Pag. 40, lin. 33: Addatur « Redemptoris *ac Sanctificatoris* », ut Tertia Persona Trinitatis non omittatur (1 Pater).
R. — Non placet sicut proponitur, sed ad satisfactionem dandam dicatur: « sic *Dei* creatoris, redemptoris ac *sanctificatoris* cooperatores fieri... ».

19 — Pag. 41, linn. 1-2: Omittantur, quia repetunt dicta in pag. 40, linn. 17-22 (1 Pater).
R. — Textus maneat quia non est simplex repetitio.

20 — Pag. 41, linn. 1-3: Addatur « maxime », ut tollatur impressio nimii naturalismi (1 Pater). [98]

R. — Textus sat clare et fortiter se exprimit ita ut nullum periculum naturalismi timendum sit.

21 — Pag. 41, lin. 8: Legatur: « meminerint omnes *cultu publico* et oratione... » (9 Patres).

R. — Accipitur.

22 — Pag. 41, lin. 8: Numerus sic compleatur, dicendo post ultima verba: « *ad hoc autem summopere confert quotidiana sui ipsius Deo oblata devotio, quae in sodalitatis "Apostolatus orationis" vel "infirmorum" vel similibus in usu est* » (1 Pater).

R. — Commendationes istae sunt nimis particulares ergo non accipitur modus.

AD NUM. 17

23 — *Animadversio generalis* de ordine rerum in hoc numero: transferantur lineae 21-29 ad initium istius numeri (ad lineam 10). Sic primo loco ponitur situatio in diaspora seu dispersione et secundo loco et non tam in aperto situatio alia extraordinaria (1 Pater).

R. — Non accipitur quia ordo rerum non esset satisfaciens: loquitur enim in 2ª paragrapho de alio puncto scilicet de minoribus coetibus.

24 — Pag. 41, lin. 9: Loco « singulorum » ponatur « *individuum* », quia « singulis » significat potius hominem non sponsatum.

R. — Non accipitur quia non patet.

25 — Pag. 41, lin. 11: Omittantur verba: « grassante persecutione ». Verba restringunt urgentiam et significant persecutionem sanguinosam et crudelissimam (15 Patres).

R. — Accipitur, textus sat clarus est etiam sine his verbis.

26 — Pag. 41, linn. 19-20: Deleantur verba:

— « ipsam suam vitam in discrimen ponentes »

— « docent, instituunt » (lin. 14) et ponatur « ad » post « circa ipsos sunt »

— « et ad ulteriores labores animant ».

Verba ista, quando textus in lucem veniet, periculum constituunt pro apostolatu laicali in quantum adhuc remanet in [99]

[99] regionibus persecutionis. Insuper videtur aliqua excitatio ad illegalitatem contra rem publicam (1 Pater).

R. — Accipitur quoad suppressionem verborum « et ad ulteriores labores animant » et lenius exprimitur initio textus.

27 — Pag. 41, lin. 16: Loco: « sacrosancti Concilii Patres » scribere « *Sacrosancta Synodus* ». Ut includatur Romanus Pontifex (1 Pater).

Alius Pater: Omittantur haec verba.

R. — Admittitur 1ª emendatio et scribitur: « *Sacrosancta Synodus* ».

28 — Pag. 41, lin. 24: Addatur post vocabulum tamen « *et in spiritu oecumenico* », quia maximi momenti ille spiritus est in regionibus « diaspora » (11 Patres).

R. — Non accipitur in hoc loco.

29 — Pag. 41, lin. 26: Post « organizationis forma » addere: « *modo tamen ut semper appareat signum communitatis Ecclesialis coram aliis, ut verum amoris testimonium* » (1 Pater).

R. — Accipitur.

30 — Pag. 41, lin. 27: Loco verborum « aptiores fiunt... vitandum » scribatur: « *Confortantur* ad *incommoda* vitae et actionis nimis segregatae *superanda* », quia « Confortare » est magis biblicum et non agitur tantum de periculis vitandis (9 Patres).

R. — Accipitur.

AD NUM. 18

31 — Pag. 41, linn. 30-37: Forma positiva proponitur: « Christifideles ad apostolatum etiam ut singuli... vocati, *meminerint* simul hominem... et credentes... coadunari » (9 Patres).

R. — Admittitur quoad primam partes sc. pro forma positiva seligenda.

32 — Pag. 41, linn. 34-37: Appellatio ad factum institutionis Ecclesiae non est ad rem. In Ecclesiae primordiis non fuerunt consociationes (1 Pater).

[100] R. — Textus maneat. Nulla mentio fit in textu de institutione Ecclesiae qua talis.

Insuper in Ecclesiae primordiis revera apostolatus consociatus constitit, de quo solum locutio est.

33 — Pag. 41, lin. 39: Loco « apprime » dicatur « *feliciter* » (7 Patres).

R. — Admittitur.

34 — Pag. 42, linn. 8-11: Dicatur: « dioecesibus *et in ipsorum coetibus, aptam* indolem communitariam apostolatus exprimentes » (26 Patres). [100]

R. — Non admittitur, quia textus fere idem dixit et insuper clare hoc dicitur n. 20 sub C.

35 — Pag. 42, linn. 12-15: Textus sic sonet « Apostolatus consociatus magni momenti est in communitatibus Ecclesiae et in ambitibus *supra memoratis* (cap. III) *in quibus* saepe laicorum actio apostolica *inefficax evadit nisi sit consociata* » (1 Pater).

R. — Textus uti iacet idem dicit, ergo maneat.

36 — Pag. 42, lin. 14: Loco « sive in vitae ambitibus » scribatur: « *in variis ambitibus* » (7 Patres).

R. — Admittitur.

37 — Pag. 42, linn. 16-21: Proponit translationem ad Cap. VI (De formatione). Si textus hic manet, sic sonet: « Instituta *ergo... fulciant... forment...* dispo*nant* et modere*ntur...* » (1 Pater).

R. — Non admititur translatio quia est magni momenti pro consociationibus de quibus hic agitur nec admittitur mutatio verborum quia textus melius sonat prouti iacet.

38 — Pag. 42, lin. 21: Addatur: « *immo Ecclesiae activitates pondus ostendent* » (1 Pater).

R. — Additio non necessaria videtur, quia sub « fructibus » subsumi potest.

39 — Pag. 42, lin. 25: Loco « etenim arcta coniunctio *sola* valet » dicatur: « *diversitas enim simul ac conatuum coniunctio utraeque necessariae sunt et ad* » (1 Pater).

R. — Mutatio non videtur necessaria.

40 — Pag. 42, lin. 31: Clarius dicatur utrum pressio ab apostolis active exercenda sit an sustinenda (1 Pater). [101]

R. — Non necessarium videtur: textus clarus est.

AD NUM. 19

41 — Pag. 42, linn. 35-41: Dicatur: « ... consociationibus *secundum finem ad quem principaliorem intendunt,* aut finem generalem apostolicum Ecclesiae, aut fines specificos evangelizationis et sanctificationis, aut finem animationis christianae ordinis temporalis, aut opera misericordiae » (1 Pater).

R. — Non accipitur quia est minus clara quam textus.

[101] 42 — Pag. 42, linn. 38-40: Dicatur: « ... *aliae veritas et caritas Christi per Ecclesiae in vita* sociali *testimonium praebent*; aliae per opera... » quia animatio christiana non est finis sed effectus apostolatus (1 Pater).

R. — Utique; sed agitur de finibus associationum. Insuper etiam « Evangelizatio » est testimonium veritatis et caritatis Christi in vita sociali. Textus ergo maneat uti iacet.

43 — Pag. 42, lin. 41: Dicatur: « caritatis *peculiare* testimonium », quia etiam aliae formae apostolatus sunt testimonium (1 Pater).

R. — Iam textus dicit « speciali modo », quod est idem.

44 — Pag. 43, lin. 8: Scribatur: « atque e *membrorum singillatim et collective* testimonia » (1 Pater).

R. — Provisum est per modum sequentem.

45 — Pag. 23, linn. 8-9: Dicatur: « ... singulorum membrorum *totiusque associationis* testimonio christiano... » (13 Patres).

R. — Admittitur.

46 — Pag. 43, lin. 9: Addatur: « *et fiduciali communione cum hierarchia* » (1 Pater).

R. — Non videtur necessarium, quia de hac re specialiter tractatur in Cap. V.

47 — Pag. 43, lin. 30: Dicatur: « *Approbante* auctoritate ecclesiastica fas sit laicis... » (2 Patres).

R. — *Est* revera ius pro laicis (cf. De Ecclesia, Cap. IV).

[102] 48 — Pag. 43, lin. 20: Dicatur: « *Competentis* auctoritatis ecclesiasticae *iure integre servato, liberum est...* » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Cf. totum caput V.

49 — Pag. 43, linn. 20-22: Deleantur quia valde periculosa (1 Pater).

R. — Timor videtur infundatus.

50 — Pag. 43, linn. 20-22: Dicatur: « *Praevia ab* auctoritate ecclesiastica *approbatione accepta, facultas tribuitur* laicos consociationes condere, *et eas, debita cum auctoritate ecclesiastica relatione servata,* moderari, conditasque nomen dare » (1 Pater).

R. — Hic generaliter tractatur etiam de iis consociationibus pro quibus nec approbatio nec facultas condendi ab Hierarchia requiritur. Textus iam approbatus maneat.

51 — Pag. 43, lin. 21: Sumatur textus prior, vel mutetur sic: « *Hortantur laici ut sub ductu hierarchiae catholicae* consociationes cond*ant* et moder*ent* » (1 Pater).

R. — Hic agitur de omnibus associationibus, etiam de iis qui omnino non sub ductu Hierarchiae sunt. Cf. cap. V. Maneat textus. [102]

52 — Pag. 43, lin. 21: Loco « ius » dicatur « *facultas* » (1 Pater).

R. — Est revera ius.

53 — Pag. 43, lin. 21: Dicatur: « debita cum auctoritate ecclesiastica relatione *et observantia servata, liberum* est laicos... » (1 Pater).

R. — Cf. responsiones iam propositas.

54 — Pag. 43, lin. 23: Addatur: « ... nomen dare; *consensus requiritur Episcopi, si de consociationibus quae finis animationis ordinis temporalis agitur* » (1 Pater).

R. — De qua re expresse agitur in Cap. V, hic generaliter tantum. Textus maneat.

55 — Pag. 43, linn. 27-29: Dicatur: « Nec *habitualiter* formas *apostolatus* quae in *aliquibus* nationibus instituuntur, ad alias sine discrimine *et semper cum necessariis adaptationibus* transferre » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Textus invitat enim ad prudentiam in hac re.

AD NUM. 20 [103]

Modi generales

56 — Deleantur numeri a 15 usque ad 32: Hierarchiae et laicis uniuscuiusque regionis relinquantur (1 Pater).

R. — Textus iam a Concilio suffragatus est.

Tollendus omnino totus numerus circa Actionem Catholicam, nec ullo modo alibi restituendus (Unus Pater).

R. — Eadem responsio.

57 — Actio Catholica magis clare commendetur, quia viget et debet roborari in multissimis nationibus (3 Patres).

R. — Propter difficultates bene notas, via media secuta est, ergo textus maneat sicut est.

58 — Deberet clarius distingui inter

a) Actio Catholica — actio cuiusvis baptizati

b) Actio Catholica associationum catholicarum (e. g. Legio Mariae - Conferentia S. Vincentii)

c) Actio Catholica formaliter dicta (1 Pater).

R. — Non admittitur. Textus videtur sat clarus et loquitur (cf. n. 19) de variis *formis* apostolatus.

[103] Clarificari debet natura (et etiam « Status ») Actionis Catholicae relate ad Apostolatum laicorum.

Illa est tertium quid inter apostolatum hierarchiae et apostolatum laicorum et non debet praesentari ut « apostolatus laicorum » veri nominis et simpliciter qua talis (48 Patres).

R. — Emendatio proposita est contra sensum textus recepti, ergo non potest admitti.

59 — Unus Pater: Totum caput inducit in confusionem inter apostolatum laicorum et Actionem Catholicam.

R. — Caput votatum est a Concilio. Insuper notandum est textum insistere in variis formis Apostolatus laicorum.

60 — Pag. 43, linn. 36-38 - Pag. 44, linn. 1-6: Textus sic legatur: « ... fines proprie apostolicos persecutae sunt et persequuntur. Inter has vel etiam similes antiquiores institutiones... *sequuntur... afferunt...* accipiunt... *describuntur* », quia Actio Catholica ut quid praesens et operans prout veritas obiectiva exigit, apparet (1 Pater).

[104] R. — Non admittitur quia, de his loquendo, Commissio retinuit modum historicum.

61 — Pag. 43, lin. 33: Post « laici » addatur « *inter quos multi iuvenes* » (1 Pater).

R. — Non est necessarius.

62 — Pag. 43, lin. 35: Loco « sese congregaverunt » ponetur « *congregati sunt* », quia a hierarchia congregari debent (1 Pater).

R. — Historice non constat.

63 — Pagg. 43-44, linn. 41 et 1: Auferantur verba « uberrimos tamen fructus regno Christi attulerunt » (1 Pater).

R. — Generaliter hoc in dubium non vocatur.

64 — Pag. 43, lin. 41: Transferantur verba « uberrimos fructus regno Christi attulerunt » ad paginam 44, lin. 6 post « describebantur » (1 Pater).

R. — Non admittitur quia mutatio non apparet necessaria ad claritatem textus.

65 — Pag. 43, linn. 36-37: Periodus sic mutetur: « fines apostolicos *evangelizationis* persecutae sunt et persequuntur ». Ne evellatur ab obiecto missionis Ecclesiae missio animationis ordinis temporalis (3 Patres).

R. — Non admittitur quia emendatio fortasse est minus ampla quam textus.

66 — Pag. 44, lin. 2: Addatur: « *et a Pio XI vocata pupilla oculi sui et sic strenue defensa ita ut vocatus fuerit Pontifex actionis catholicae*» (1 Pater). [104]

R. — Non videntur haec verba necessaria.

67 — Pag. 44, linn. 3-4: Sic mutetur periodus ut deleantur verba « ab eis... acceperunt » et loco « in apostolatu hierarchico » ponatur « *cum* » (1 Pater).

R. — Non admittitur quia revera nomen A. C. acceperunt etiamsi illud non retinuerunt.

68 — Pag. 44, linn. 4-5-6: Tollatur expressio « collaboratio etc. ... », quia nimis arcte inserit apostolatum proprium laicorum in apostolatu hierarchicae (1 Pater).

R. — Haec formulatio de facto data est a Summis Pontificibus.

69 — Pag. 44, linn. 7-10: Deleantur verba « Sive nomen... » (8 Patres). [105]

R. — Non admittitur quia, ab initio Concilii, multi Patres desideraverunt ut in tuto ponatur libertas nominis et hanc libertatem textus vindicat.

70 — Pag. 44, linn. 7-11: Legatur: « Hae apostolatus formae quae nostris temporibus pretiosum apostolatum exercent sequentium noratur... » (1 Pater).

R. — Eadem responsio, ergo non admittitur.

71 — Pag. 44, linn. 10-11: Auferantur verba « et cumulata acceptione » (1 Pater).

R. — Verba videntur necessaria, ergo non admittitur.

72 — Pag. 44, linn. 12-35: Redactio 4 notarum aliquantulum confusa est nec distincte exprimit id quod in unaquaque significare intenditur (1 Pater).

R. — Textus iam approbatus est.

— Insuper ordo notarum melior esset si ponerentur sic: a - b - c - d (10 Patres).

R. — Non admittitur, quia ordo videtur sat clarus.

— Alius Pater desiderat prius loqui de his quae continentur sub littera d (1 Pater).

R. — Non videtur opportunum, nec logicum.

73 — Pag. 44, linn. 12-18: Periodus sic mutetur: « finis immediatus huiusmodi organisationum est homines evangeliz*are* et sanctific*are* etc. » (2 Patres), quia finis apostolicus Ecclesiae latius patet quam evangelizatio et sanctificatio hominum.

[105] R. — Textus approbatus dicit « in ordine ad » etc. ... ergo subintelligit quod finis apostolicus Ecclesiae latius sit.

74 — Pag. 44, lin. 17: Post verbum ambitus addatur: « Vitae » (1 Pater).

R. — Non admittitur quia per emendationem propositam textus nimis restringeretur.

75 — Pag. 44, linn. 19-20: Auferantur verba: « Iuxta modum proprium » (1 Pater).

R. — Non admittitur.

[106] 76 — Pag. 44, linn. 20-21: Auferantur verba « suam experientiam afferunt » et substituantur haec sequentia: « *qualitatibus polleantur ut responsabilitatem* assumere *possint* » (1 Pater).

R. — Non admittitur quia hoc respicit formationem ad apostolatum de qua in alio loco tractatur.

77 — Pag. 44, lin. 23-24: Verba « in quibus actio Pastoralis Ecclesiae exercenda sit » videntur nimis ampla (1 Pater).

R. — Non admittitur quia si laici agunt vere uniti exprimunt melius communitatem Ecclesiae.

78 — Pag. 44, lin. 27: Deleantur verba « aptius Ecclesiae communitas significetur » (1 Pater).

R. — Non admittitur quia si laici agunt vere uniti exprimunt melius communitatem Ecclesiae.

79 — Pag. 44, linn. 29-32: Sic deberent scribi: « Laici sive sponte sese offerentes, sive invitati, *directe et immediate* cooper*ant* cum apostolatu hierarchico *et* agunt sub superiore moderamine ipsius hierarchiae etc. ... », quia in documentis Summorum Pontificum directe et immediate cooperatio in primo collocetur (1 Pater).

R. — Maneat textus quia hoc praecise dicit.

80 — Pag. 44, linn. 31-34: Post « agunt » dicere « *in coniunctione cum hierarchia quae suprema pollet responsabilitate et auctoritate in iis rebus quae ad apostolatum spectant Ecclesiae* » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia expressio « in coniunctione cum hierarchia » non videtur sufficiens.

81 — Pag. 44, linn. 32-33 ss.: Mandatum explicite dici debet nota constitutiva A. C., secus timetur ne Actio Catholica privetur

nota quae est fundamentum cooperationis cum apostolatu hierarchico (2 Patres). [106]

R. — Propter controversias melius est ut textus remaneat sicut est.

82 — Pag. 44, linn. 32-33: Loco « potest », scribere « *debet* » (1 Pater).

R. — Eadem responsio ac pro modo praecedenti.

83 — Pag. 44, linn. 32-35: Auferantur, quia sufficienter provisum est pag. 53, linn. 23-25.

In hoc loco textus: 1) non est necessarius; nihil mandatum superaddit; 2) est contradictorius; videtur aliquid superadditum sed in pag. 53 videtur communicare alicui consociationi, et merito quidem: notam specialis coniunctionis cum hierarchia (1 Pater). [107]

R. — Non admittitur quia, si Caput V de mandato loquitur, mentio illius mandati hic debet fieri.

84 — Pag. 44, linn. 36-39: Organizationes... reperiuntur, *revera Actio Catholica censendae sunt* etsi ob locorum etc. ... (1 Pater).

R. — Admittitur quia sententia clarior evadit; tamen auferantur verba « re vera ».

85 — Pag. 44, lin. 39: Addere: « *Integrum est Episcopis, pro suo iure ex munere associationes suorum fidelium praedictis notis ornatas constituere, quibus in Conferentiis episcopalibus normae agendi dentur oportet* » (1 Pater).

R. — Hoc pertinet ad Caput V.

86 — Pag. 44, linn. 35-40: Hae lineae supprimantur. Restituendus integer textus prior a lin. 35 usque ad lin. 40, quia ex pag. 44, linn. 7-8, nomen A. C. nullo modo imponitur; attamen linn. 38-39 textus solae Actioni Catholicae exclusive se referre videtur. In textu priori Auctoritas loci melius in tuto ponitur (122 Patres).

R. — Textus iam a Concilio acceptatus est. Insuper notandum est textum remittere Hierarchiae iudicium de nomine.

— 2 ex his Patribus volunt etiam delere linn. 1-5, pag. 40 propter favoritismum quem exprimunt.

R. — Textus respondet desideriis plurium Patrum. Sic maneat.

87 — Pag. 44, linn. 38-39: Dicatur: « ... revera *illud* censendae sunt *quod sub nomine* Action*is* Catholic*ae ipsa hierarchia saepe laudavit* » (1 Pater).

R. — Modus est minus clarus quam textus.

[107] 88 — Pag. 44, lin. 40 ad pag. 45, lin. 5: Legatur: « Sacrosanctum Concilium *Actionem Catholicam* quae necessitatibus apostolatus Ecclesiae, apud multas gentes certo respondet... commendat... » (1 Pater).

[108] R. — Non admittitur quia non videtur opportunum propter difficultates plurium Patrum.

89 — Pag. 45, lin. 3: Addatur « magis magisque, *si necessitas ferat,* ad effectum adducant », ne A. C. depingatur ut norma suprema omnis apostolatus (10 Patres).

R. — Non admittitur quia textus non haberet utilitatem, nec praecise agitur de organizationibus quae secundum notas commemoratas agere intendunt.

90 — Pag. 45, lin. 5: Addatur: « semper fraterne *et absque ulla superbia* » (10 Patres).

R. — Additio non videtur necessaria et haec commendatio pertinet potius ad Cap. VI.

91 — Pag. 45, lin. 5: Post « cooperantur » addatur: « *neve in res stricte politicas sese indebite ingerant* (1 Pater).

R. — Verba, quamquam vera in se, non videntur necessaria in hoc textu et insuper idea deducitur ex n. 20 sub *a*) de fine harum organizationum.

AD NUM. 21

Modi generales:

92 — 1. Ille numerus deberet locum invenire pag. 43, lin. 10 (1 Pater).

R. — Non admittitur quia in hoc loco, in fine scilicet capitis, melius intelligitur sensus generalis huius numeri et ordo rerum approbatus est.

— 2. Numerus tollatur quia exclusivus (1 Pater).

R. — Revera numerus e contra commendat primo aestimationem omnium consociationum.

Modi particulares:

93 — Pag. 45, lin. 8: Loco « hierarchia » scribatur: « *Conferentia episcopalis* » (1 Pater).

R. — Non admittitur quia verbum « hierarchia » melius respondere videtur diversis condicionibus associationum.

[109] 94 — Pag. 45, linn. 8-9: Legatur: « ... quas Hierarchia, *ob eorum cum ipsa arctiorem coniunctionem promoverit,* vel secundum

temporum etc.... », quia rationes allatae sunt nimis sociologicae et desideratur ratio theologica (1 Pater). [109]

R. — Non agitur hic de rationibus theologicis, sed de rationibus contingentibus pro quibus hierarchia commendat talem vel talem consociationem.

95 — Pag. 45, linn. 14-16: Legatur sic: « Inter illas vero hodie praesertim *fovendi* sunt consociationes vel coetus internationales catholicorum *quibus munus incumbit viribus unitis adlaborare ne communitas gentium iuxta Christi doctrinam extruatur* » (8 Patres); vel, post verbum « catholicorum »: « *qui fovent catholicitatem et unitatem Ecclesiae* » (9 Patres).

R. — Non admittitur, quia Coetus internationales habent etiam alia obiecta.

96 — Pag. 45, linn. 14-16: Auferantur verba de associationibus internationalibus, quia periculum est ut constituatur aliquid super Hierarchias locales (1 Pater).

R. — Non admittitur propter evidens momentum horum consociationum et periculum non patet.

AD NUM. 22

97 — Pag. 45, lin. 21: Post « ad tempus », addatur: « *quandoque etiam gratuito* » (1 Pater).

R. — Non admittitur, melius est non insistere.

98 — Pag. 45, lin. 22: Loco « speciali honore » scribere « *maximo* honore » (1 Pater).

R. — Non admittitur, textus satis dicit.

99 — Pag. 45, lin. 24: Post verba augetur, addere: « *qui fortunam, condicionem socialem, professionalem progressum persaepe pro minimo habentes proprium ministerium...* ».

R. — Non admittitur. Abnegatio illorum subintelligitur per verbum « devovent ».

100 — Pag. 45, lin. 25: Post « praebent », legere: « *Ecclesiasticis communitatibus,* associationibus et operibus apostolatus » (2 Patres).

R. — Non admittitur, quia hoc includitur in verbo « operibus ».

101 — Pag. 45, lin. 33: Pro « satisfaciant » scribatur « satisfaci*at* » (1 Pater). [110]

R. — Admittitur.

[110] 102 — Pag. 45, linn. 34-35: Deleantur verba: « praesertim etc.... », quia sufficienter hoc dicitur verbis « exigentiis iustitiae » (1 Pater).

R. — Non admittitur quia praecisiones istae videntur omnino necessariae.

103 — Pag. 45, linn. 34-35: Scribatur: « quoad honestam eorum familiarumque sustentationem » (1 Pater).

R. — Admittitur.

104 — Pag. 45, lin. 36: Post verba « gaudeant » addatur: « *Peculiaris huius servitii ratio etiam eo appareat, quod formae illud ineundi evolvuntur, quae coniunctionem servitii cum missione Ecclesiae exprimunt* » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia: 1) est idea nova; 2) agitur de praxi de qua statuere potest conferentia episcopalis.

QUAESITUM

An placeat expensio Modorum facta a Commissione De Apostolatu laicorum circa Modos Caput IV respicientes?

[111]

Caput V

DE ORDINE SERVANDO

23. [*Introductio*]. Laicorum apostolatus, sive a singulis sive a consociatis christifidelibus exerceatur, recto ordine insertus esse debet in apostolatum totius Ecclesiae; immo coniunctio cum eis, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei (cf. *Act.* 20, 28), elementum essentiale apostolatus christiani est. Non minus necessaria est cooperatio inter varia apostolatus incepta, *congrue* ab Hierarchia ordinanda.

Etenim ad promovendum spiritum unitatis, ut in toto apostolatu Ecclesiae splendeat caritas fraternitatis, fines communes obtineantur ac perniciosae aemulationes vitentur, exigitur omnium formarum apostolatus in Ecclesia mutua aestimatio et — servata uniuscuiusque propria indole — apta coordinatio.[1]

Quod maxime convenit, cum peculiaris actio in Ecclesia requirit harmoniam et cooperationem apostolicam *utriusque* cleri, religiosorum et laicorum.

24. [*De relatione ad Hierarchiam*]. Hierarchiae est laicorum apostolatum fovere, principia et subsidia spiritualia dare, eiusdem apostolatus exercitium ad bonum commune Ecclesiae ordinare, atque ut *doctrina et* ordo serve*n*tur, invigilare. [111]

Varios quidem modos relationum ad Hierarchiam apostolatus laicorum admittit secundum varias eiusdem apostolatus formas et obiecta.

Plurima enim inveniuntur in Ecclesia incepta apostolica quae laicorum libera electione constituuntur et eorum prudenti iudicio reguntur. Huiusmodi incept*is* in quibusdam adiunctis *missio Ecclesiae* melius imple*ri potest,* et proinde *ipsa* non raro ab Hierarchia laudantur vel commendantur.[2] Nullum autem inceptum nomen catholicum sibi vindicet, nisi implicite vel explicite * consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae.

Quaedam laicorum apostolatus formae, variis quidem modis, ab Hierarchia explicite agnoscuntur.

Potest insuper ecclesiastica auctoritas propter exigentias boni communis Ecclesiae ex consociationibus et inceptis apostolicis, immediate finem spiritualem intendentibus, aliqua eligere et particulari modo promovere, in quibus specialem assumit « responsabilitatem ». Ita Hierarchia, apostolatum iuxta adiuncta diversimode ordinans, aliquam eius formam cum suo proprio munere apostolico arctius coniungit, servata [112]
tamen utriusque propria natura et distinctione, nec proinde laicorum ablata necessaria facultate sua sponte agendi. Qui actus Hierarchiae in variis documentis ecclesiasticis mandatum appellatur.

Denique Hierarchia laicis munia quaedam committit, quae propius cum officiis *Pastorum* coniuncta sunt, ut in propositione doctrinae christianae, in quibusdam actibus liturgicis, in cura animarum. Vi huius missionis laici quoad muneris exercitium plene subduntur superiori ecclesiasticae moderationi.

Quod attinet ad opera et institutiones ordinis temporalis, munus ecclesiasticae Hierarchiae est *docere et* authentice interpretari principia moralia in rebus temporalibus sequenda; ipsi etiam fas est iudicare, omnibus rite perpensis et auxilio adhibito peritorum, de conformitate talium operum et institutionum cum principiis moralibus et decernere de eis, quae ad ordinis supernaturalis bona custodienda et promovenda requiruntur.

---

* [*Cf. pag. 130*].

[112] 25. [*De auxilio apostolatui laicorum a clero praestando*]. Prae oculis habeant Episcopi, parochi, ceterique sacerdotes utriusque cleri, ius et officium exercendi apostolatum esse commune omnibus fidelibus sive clericis sive laicis, et in aedificatione Ecclesiae etiam laicos proprias partes habere.[3] Quapropter fraterne cum laicis operentur in Ecclesia et pro Ecclesia, specialemque curam habeant laicorum *in eorum operibus apostolicis*.[4]

Diligenter seligantur sacerdotes apostolatu*s* laicorum *specialibus formis* iuvandi*s* idonei et apte formati.[5] Qui vero huic ministerio vacant, mission*e* accept*a* ab Hierarchia, hanc repraesentant in sua actione pastorali; *congruas* laicorum relationes cum ipsa foveant, semper spiritui et doctrinae Ecclesiae *fideliter inhaerentes*; seipsos in alenda vita spirituali et sensu apostolico consociationum *catholicarum* sibi commissarum impendant; e*a*rum apostolicae operositati sapienti suo consilio adsint atque incepta foveant. Continuo cum laicis instituto colloquio attente inquirant quae sint formae ad magis frugiferam reddendam apostolicam actionem; spiritum unitatis intra ipsam consociationem et eam inter et ceteras promoveant.

Religiosi demum, sive fratres sive sorores, *opera apostolica laicorum aestiment,* secundum spiritum et normas suorum institutorum, operibus laicorum promovendis libenter se devoveant;[6] munera *sacerdotalia* sustinere, adiuvare, complere studeant.

26. [*De quibusdam instrumentis mutuae cooperationi inservientibus*]. In dioecesibus, *inquantum fieri potest,* habeantur consilia quae operam apostolicam Ecclesiae, sive in campo evangelizationis et sanctificationis sive in campo caritativo, sociali et aliis, adiuvent, cooperantibus convenienter
[113] clericis *et* religiosis cum laicis. Haec consilia poterunt variarum laicorum consociationum et inceptorum mutuae coordinationi inservire, salva uniuscuiusque indole propria et autonomia.[7]

Huiusmodi consilia *habeantur,* quantum fieri potest, etiam in « ambitu » paroeciali vel interparoeciali, interdioecesano, necnon *in ordine* nationali vel internationali.

Constituatur insuper apud Sanctam Sedem quidem peculiaris secretariatus in servitium et impulsum apostolatus laicorum, tamquam centrum, quod aptis instrumentis nuntia de variis inceptis apostolicis laicorum suppeditet, investigationibus de hodiernis quaestionibus in hoc campo orientibus studeat et suis consiliis Hierarchiae et laicis in operibus apostolicis adsistat. In hoc secretariatu varii motus et incepta apostolatus laicorum in universo mundo existentia suas partes habeant, cooperantibus *cum laicis etiam* clericis et religiosis.[8]

27. [*De cooperatione cum aliis christianis et non christianis*]. Commune veluti patrimonium evangelicum communeque inde consequens christiani testimonii officium commendant et saepe exigunt cooperationem catholicorum cum aliis christianis, a singulis et a communitatibus Ecclesiae exercendam, sive in actionibus sive in consociationibus, in campo nationali vel internationali.[9] [113]

Communes « valores humani » similem *quoque* cooperationem christianorum, apostolicos fines prosequentium, cum eis haud raro postulant, qui nomen christianum non profitentur, sed hos « valores » agnoscunt.

Hac cooperatione « dynamica » et prudenti,[10] quae *magni* momenti in activitatibus temporalibus est, laici testimonium praebent Christo, Salvatori mundi, et unitati familiae humanae.

NOTAE

Ad n. 23.

[1] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quamvis Nostra,* 30 apr. 1936: *A.A.S.,* 28 (1936), pp. 160-161.

Ad n. 24.

[2] Cf. S. C. Concilii Rescript. circa *Societatem S. Vincentii a Paulo,* 13 nov. 1920: *A.A.S.,* 13 (1921), pp. 137-140.

Ad n. 25.

[3] Cf. PIUS XII, Ad II Conventum ex Omnibus Gentibus Laicorum Apostolatui provehendo, 5 oct. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 927.

[4] Cf. Const. dogm. *De Ecclesia,* cap. IV, n. 37: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 42-43.

[5] Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 660.

[6] Cf. Decr. « De accommodata renovatione status religiosorum ».

Ad n. 26. [114]

[7] Cf. BENEDICTUS XIV, *De Synodo Dioecesana,* l. III, c. IX, n. VII.

[8] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quamvis Nostra,* 30 apr. 1936: *A.A.S.,* 28 (1936), pp. 160-161.

Ad n. 27.

[9] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 456-457. Cf. Decretum *Unitatis Redintegratio,* cap. II, n. 12: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 99-100.

[10] Cf. Decretum *Unitatis Redintegratio,* cap. II, n. 12: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 100. Cf. etiam Const. dogm. *Lumen gentium,* cap. II, n. 15: *A.A.S.,* 57(1965), pp. 19-20

[115]

RELATIO
DE SINGULIS NUMERIS CAPITIS V

In suffragatione de integro Capite V schematis De Apostolatu laicorum, feria secunda, die 27 septembris 1965 sequens exitus apparuit:

Praesentes votantes	2.140
Placet	1.894
Non placet	9
Placet iuxta modum	230
Vota nulla	7

Integrum Caput V cum omnibus suis partibus, a Congregatione Generali approbatum est. Omnes modi, a Patribus introducti, praevie examinati sunt a Subcommissione, deinde a Commissione Plenaria iudicati.

Animadversio ad totum caput

1 — Unus Pater: In toto capite melius vitetur impressio quasi notio apostolatus restringatur ad apostolatum consociatum.

R. — Primus numerus hoc respicit explicite (n. 23, pag. 52, lin. 2).

AD NUM. 23

2 — Pag. 52, lin. 1: Initio ponatur 1ª phrasis in num. 25. « Prae oculis habeant Episcopi, parochi, ceterique sacerdotes... proprias partes habere » (1 Pater).

R. — Non admittitur; nam illa phrasis respicit tantum pastores, quod est proprium illius numeri, non totius capitis.

3 — Pag. 52, linn. 1-4: Incipiat numerus ita: « Laicorum apostolatus *recte* ordin*ari* debet *in organica activitate* totius Ecclesiae ». Ne apostolatus laicorum videatur specifice distinctus ab apostolatu totius Ecclesiae; vel Ecclesiae notio restringi ad Hierarchiam (2 Patres).

[116] R. — Non admittitur; nam contraria interpretatio videtur clare contineri in textu.

4 — Pag. 52, lin. 5: Addatur post « immo »: « *debita oboedientia et* », quia experientia comprobat hoc propter periculum inoboedientiae convenire (1 Pater).

R. — Non admittitur; nam contrariam textus orientationem plures Patres postulaverunt. [116]

5 — Pag. 52, lin. 6: Scribatur loco « regere »: « *pascere* », quia melius congruit textui graeco (1 Pater).

R. — Non admittitur; retineatur textus Vulgatae.

6 — Pag. 52, lin. 6: Scribatur loco « suam »: « *Dei* » (2 Patres).

R. — Admittitur.

7 — Pag. 52, lin. 7: Addatur post « est »: « *Huiusmodi autem coniunctio non destruat illam laicorum in actione apostolica libertatem quam agnoscit Constitutio dogmatica "Lumen gentium"* (n. 37) ». Ita melius consonat nostrum decretum huic Constitutioni (1 Pater).

R. — Non admittitur; nam desiderata consonantia contineri videtur aperte in textu.

8 — Pag. 52, linn. 8-9: Deleatur phrasis, ne notio apostolatus restringi videatur ad apostolatum consociatum (1 Pater).

R. — Non admittitur; cf. supra quae dicta sunt in animadversione ad totum caput.

9 — Pag. 52, lin. 9: Deleatur: « pariter ab Hierarchia ordinanda ». Ne nimis sublineetur munus ordinandi Hierarchiae; neque omnis cooperatio provenit ab Hierarchia (9 Patres).

R. — Non admittitur; distinguitur clare inter cooperationis officium quod omnibus incumbit, et ordinationis quod ultimatim pertinet ad Hierarchiam.

10 — Pag. 52, lin. 9: Loco « pariter » dicatur: « *congrue* » (2 Patres).

R. — Admittitur.

11 — Pag. 52, lin. 17: Post « propria indole » addatur « *propriaque autonomia* » (1 Pater). [117]

R. — Non admittitur: sufficienter continetur in cap. IV, nn. 18 et 19.

12 — Pag. 52, lin. 17: Omittantur verba « servata uniuscuiusque propria indole », quia verba sunt superflua; immo periculosa, nam bona coordinatio adaptationem formarum postulare poterit (1 Pater).

R. — Non admittitur; restringeret enim textum a plurimis Patribus approbatum.

[117] 13 — Pag. 52, linn. 21-24: « Quod maxime... laicorum » dicatur: « Quod maxime... cooperationem apostolicam cleri saecularis et *institutionum religiosarum necnon et laicatus* » (1 Pater).

R. — Non admittitur: restringeretur sensus textus a Patribus acceptati; cf. etiam sequentem modum.

14 — Pag. 52, lin. 23: Loco « saecularis » dicatur « *dioecesani* »; propter exemplum aliorum Schematum (11 Patres).

R. — Dicatur « utriusque cleri ».

15 — Pag. 52, lin. 23: Loco « et regularis, ceterorum religiosorum » dicatur: « *religiosi* » (1 Pater).

R. — Dicatur « religiosorum ».

16 — Pag. 52, lin. 22: Dicatur « cooperationem *laicorum cum* clero saeculari et regulari, *ceterisque religiosis* » (1 Pater).

R. — Dicatur « utriusque cleri, religiosorum et laicorum ».

AD NUM. 24

17 — Est funditus reformandus hic numerus 24. Nimiam libertatem laicis concedit (1 Pater).

R. — Contrarium placet maiori parti Patrum.

18 — Pag. 52, lin. 26: Initio ponatur paragraphus: « *Hierarchia ius et officium habet omnia quae ad apostolatus ordinem pertinent, moderandi* (*nota*: cf. Constit. "Lumen Gentium", n. 27); *ergo eius est...* » (2 Patres).

[118] R. — Non admittitur: videtur sufficienter contentum in textu; suggestio accentum a maiore parte Patrum desideratum mutaret.

19 — Pag. 52, lin. 27: Dicatur: « Hierarchiae est, *sicut sacerdotum et religiosorum, ita etiam* laicorum apostolatum fovere... ». Melius ita effertur munus episcopi fovere universum apostolatum (1 Pater).

R. — Non admittitur; quia hic de relatione ad apostolatum laicorum pressius sermo est.

20 — Pag. 52, lin. 30: Post « ut » addatur: « *doctrina et* » (1 Pater).

R. — Admittitur.

21 — Pag. 52, lin. 31: Post « invigilare » dicatur, sicut in textu priore, « *et pro rei opportunitate etiam praecepta afferre* » (1 Pater).

R. — Non admittitur; propter ambiguitatem de industria omissum fuit.

22 — Pag. 52, lin. 36: Omittatur « in Ecclesia », quia statum iuridicum in Ecclesia non habent (1 Pater). [118]

R. — Non admittitur; possunt enim esse « in Ecclesia » sine proprio statu iuridico.

23 — Pag. 53, linn. 1-2: Post « reguntur » scribatur « *et ad animationem ordinis temporalis referuntur* » vel similiter (1 Pater).

R. — Non admittitur; esset restrictio textus approbati illegitima.

24 — Pag. 53, linn. 2-4: Non est clara constructio grammaticalis (1 Pater).

R. — Scribatur: « *Huiusmodi inceptis in quibusdam adiunctis missio Ecclesiae melius impleri potest, et proinde ipsa* ».

25 — Pag. 53, lin. 2: Dicatur post « incepta »: « *sive prius de facto quam de iure existentia sive sub iure civili diversarum nationum constituta, in quibusdam...* » (1 Pater).

R. — Non admittitur; non convenit hoc loco descendere in quaestiones iuridicas particulares.

26 — Pag. 53, lin. 7: Omittantur verba « explicite vel implicite » (1 Pater). [119]

Omittantur verba « implicite » (alter Pater).

R. — Non admittitur; nam mutatio interpretationibus non desideratis faveret.

27 — Pag. 53, lin. 18: Loco « ecclesiasticae » ponatur « *hierarchicae* ».

R. — Non admittitur; auctoritas ecclesiastica est hierarchica.

28 — Pag. 53, linn. 9 ss.: Textus videtur repetitio eorum quae dicta sunt intuitu « Catholicae Actionis » (1 Pater).

R. — Non admittitur; non sunt mera repetitio, sed explicatio.

29 — Pag. 53, lin. 11: Dicatur « *approbantur* vel *eriguntur* », quia vox « agnitio » aequivoca est (1 Pater).

R. — Non admittitur; determinatio ulterior iuridica in textu de industria vitatur.

30 — Pag. 53, linn. 14 ss.: Omittantur verba « immediate finem spiritualem intendentibus ». Vox ambigua est; videtur limitare campum actionis apostolicae et Actionis Catholicae (1 Pater).

R. — Non admittitur; hierarchia non assumit responsabilitatem, de qua in loco, in inceptis quorum finis immediate temporalis est.

31 — Pag. 53, linn. 17-25: Deleatur *totum comma,* quia nimis coarctat libertatem et aequalitatem laicorum (2 Patres).

[119] — Pag. 53, linn. 23-25: Deleantur lineae de mandato. Res theologice controversa est (1 Pater).

R. — Non admittitur; est contra textum a maiore parte Patrum approbatum.

32 — Pag. 53, linn. 22-23: Deleantur verba « nec proin laicorum ablata necessaria facultate sua sponte agendi »; saltem tollatur verbum « sua sponte ». Secus phrasis est ambigua et periculose debilitantur antea dicta; sapit timorem illegitimum clericalismi (1 Pater).

— Pag. 53, lin. 23: Alius Pater: dicatur loco « sua sponte », vel « *per seipsos* » vel « *directe* » (1 Pater).

R. — Non admittitur; doctrina proposita consonat cum cap. IV Constitutionis Dogmaticae « Lumen Gentium ».

[120] 33 — Pag. 53, linn. 24-25: Scribatur: « ... Hierarchiae *ex quibusdam* documentis ecclesiasticis mandatum *appellari potest* » (15 Patres).

R. — Non admittitur; sensus approbatus ita mutaretur.

34 — Pag. 53, lin. 27: Loco « cum officiis Hierarchiae » scribatur: « cum *Pastoribus* » (34 Patres).

Unus Pater: scribatur « *Ordinariis* ».

Alius Pater: scribatur « *Episcopis* ».

R. — Scribatur: « *cum officio Pastorum* ».

35 — Pag. 53, linn. 36 ss.: Loco « ipsi fas est » dicatur: « *Ipsius etiam* est » (1 Pater).

R. — Non admittitur; nova formula est ambigua.

36 — Pag. 53, lin. 36: Expungantur verba « ad ea applicanda » vel dicatur: « *ad ea docenda* ». Ut vitetur periculum ingerentiae in quaestiones politicas etc. (1 Pater).

R. — Textus correctus est.

AD NUM. 25.

37 — Maneat totus textus prior (1 Pater).

R. — Non admittitur; contradicit voto Patrum.

38 — Pag. 54, linn. 2-7: Supprimantur lineae 2-7 et dicatur: « Episcopi, parochi et sacerdotes utriusque cleri *memores erunt missionem totius Populi Dei opus esse episcoporum, sacerdotum, laicorum.* Quapropter... » (1 Pater).

R. — Non admittitur; nam textus Schematis stylistice eamdem rem melius exprimere videtur. [120]

39 — Pag. 54, lin. 2: Addatur « *et in cooperatione cum Hierarchia* » (1 Pater).

R. — Non admittitur; sufficienter dictum est.

40 — Pag. 54, lin. 7: Addatur post « laicos »: « *pro modo et mensura vocationis cuiuscumque* » (1 Pater).

R. — Non admittitur. Est superfluum, quia alibi dictum.

41 — Pag. 54, linn. 7-8: Loco « fraterne » dicatur: « *paterne* » (1 Pater). [121]

R. — Non admittitur; mens textus est insistere etiam in fraternitate, quae paternitate non tollitur.

42 — Pag. 54, lin. 7: Restituatur textus prior (1 Pater), quia novus minus favet sensui hierarchico.

R. — Dicta temperatio desiderata erat ad vincendam impressionem nimis paternalisticam; ergo non admittitur.

43 — Pag. 54, lin. 9: Addatur « specialemque, *non autem exclusive,* curam ... ».

R. — Non admittitur; non clara est tendentia modi, eiusque motivatio.

44 — Pag. 54, lin. 10: Loco « qui ad opera apostolica incumbunt » dicatur: « *in suis* oper*ibus* apostoli*cis* » (10 Patres).

R. — Admittitur.

45 — Pag. 54, lin. 10: Addatur: « *Apostolatum laicorum suscitent, sustineant, foveant, inspirent; sciant animationem huius apostolatus esse unum ex praecipuis officiis pastoralibus nostri temporis* » (1 Pater).

R. — Non admittitur; textus sufficiens videtur.

46 — Ibidem: Dicatur: « *In directione associationum laicorum ipsis laicis, iuxta singularium associationum normas, partem praecipuam adsignat auctoritas ecclesiastica. Hortentur sacerdotes et pastores iisdem associationibus praepositi, ut propriam laicorum responsabilitatem foveant, eorum legitima munera nolint minuere neque supplere, sed "ut servi facti gregis ex animo" gaudeant de opere bono idemque alant spiritualibus subsidiis gratiae et veritatis* » (1 Pater).

R. — Non admittitur; nimis differt a textu acceptato, eiusque intentionibus.

[121] 47 — Pag. 54, lin. 11: Addatur post « sacerdotes »: « apostolatus laicorum *specialibus formis* iuvand*is idonei* » (1 Pater), quia omnes sacerdotes debent esse idonei ad apostolatum laicorum iuvandum.

R. — Admittitur.

[122] 48 — Pag. 54, lin. 13: Addatur post « formati »: « *Ad quem scopum obtinendum enixe peculiaria instituta commendantur* » (9 Patres).

R. — Pertinet ad res particulariores de quibus provideant Conferentiae Episcoporum.

49 — Pag. 54, lin. 13: Addatur post « vacant »: « *Sive sint saeculares sive regulares* » (1 Pater).

R. — Non admittitur; nam sermo est de sacerdotibus simpliciter.

50 — Pag. 54, lin. 13 ss.: Omittatur « vi missionis ab Hierarchia acceptae » (1 Pater).

R. — Dicatur: « missione accepta ab Hierarchia ».

51 — Pag. 54, lin. 15 ss.: Loco « debitas relationes » dicatur: « *familiares et frequentes* relationes » (1 Pater).

R. — Dicitur « *congruas* ».

52 — Pag. 54, linn. 16-17: Textus revideatur; quaedam videntur oblivioni data (1 Pater).

R. — Scribatur « Semper spiritui et doctrinae Ecclesiae *fideliter inhaerentes* ... ».

53 — Pag. 54, lin. 19: Addatur post « consociationum »: « *catholicarum* » (4 Patres).

R. — Admittitur.

54 — Pag. 54, lin. 19: Loco « eorum » dicatur: « *earum* » (7 Patres).

R. — Admittitur.

55 — Pag. 54, lin. 21: Addatur post « foveant »: « Salva semper laicorum autonomia » (2 Patres).

R. — Sufficienter iam videtur contentum in schemate; ergo non admittitur.

56 — Pag. 54, lin. 24: Compleatur post « spiritum unitatis »: « *cum proprio Ordinario,* inter ipsam consociationem » (1 Pater).

R. — Non admittitur quia limitaret ideam.

[123] 57 — Pag. 54, lin. 26: Addatur: « Caveant tamen hi sacerdotes actionem apostolicam parochorum in paroeciis ne perturbent » (1 Pater).

R. — Non admittitur; implicite continetur in lin. 16 s.

58 — Pag. 54, linn. 27-31: Scribatur: « Religiosi demum, sive fratres, sive sorores, *opera apostolica laicorum aestiment,* secundum spiritum et normas suorum institutorum operibus laicorum libenter *collaborent,* in his *una cum sacerdotibus* munera sacerdotis sustinere, adiuvare, complere studeant, et *cum his sua suorumque institutorum incepta harmonizare contendant, ita ut testimonium Ecclesiae magis eluceat* » (46 Patres). [123]

3 Patres: Deleantur verba « secundum spiritum et normas suorum institutorum ».

2 Patres: Addatur post « institutorum »: « *normas quidem adaptatas exigentiis apostolicis apostolatus in mundo hodierno* ».

1 Pater: Scribatur: « *Intra limites spiritus et normas* ».

R. — Textus correctus est ratione habita modi propositi a 46 Patribus. Vide textum, pag. 112. In nota addatur: « Cf. Decretum De accommodata renovatione status religiosi ».

59 — Pag. 54, lin. 29 s.: Loco « operibus... se devoveant », scribatur: « *auxilia praestent* » (1 Pater).

R. — Provisum in praecedenti.

60 — Pag. 54, lin. 31: Addatur novum comma: « *Iam in seminario perspicue educandi sunt cleri ad istud ministerium, et huius schematis commentario, et sacerdotum participatione qui diversis apostolatus institutionibus ministerium praestant, et quidem laicorum, virorum et mulierum iuvenumque, qui activitatem apostolicam diversimode exercent* » (1 Pater).

R. — Non admittitur, quia de hoc aptius agitur in Decreto « De institutione sacerdotali ».

AD NUM. 26

61 — Pag. 54, lin. 34: Post « in dioecesibus » addatur: « *in quantum fieri potest* » (1 Pater).

R. — Admittitur.

62 — Pag. 54, lin. 37: Loco « caritativo » dicatur: « assistentiali » (1 Pater).

R. — Non admittitur; nam « caritativo » latius patet, ut ex schemate procedit. [124]

63 — Pag. 54, lin. 38: Post « clericis » scribatur: « *et religiosis* » (2 Patres).

R. — Admittitur.

[124] 64 — Pag. 55, linn. 1-4: Deleatur phrasis. Propter diversitatem adiunctorum consilia potius damnosa vel saltem inactualia esse possunt (1 Pater).

R. — Non admittitur; ubi dicta adiuncta vigent, valent ordinaria principia de normis positivis ecclesiasticis; cf. ad modum sequentem.

65 — Pag. 55, lin. 1: Loco « quantum fieri potest », dicatur: « *quantum prodest* » (4 Patres).

R. — Non admittitur; formula proposita in modo fini a textu intento non satisfacit.

66 — Pag. 55, lin. 2: Loco « ambitu », scribatur: « *ordine* » (1 Pater).

R. — Scribitur ut alibi, in « ambitu paroeciali vel interparoeciali, interdioecesano, necnon *in ordine nationali ...* ».

67 — Pag. 55, lin. 4: Supprimantur verba « vel internationalia » (1 Pater).

R. — Loco « constituantur » in lin. 1 dicatur: « *habeantur* ».

68 — Pag. 55, linn. 5-10: Post « internationali » addatur: « *Valde optatur creatio apud Sanctam Sedem organismi permanentis laicatus* », et deleantur reliqua (1 Pater). Ne praeiudicetur forma huius organismi in quo constituendo ratio habeatur etiam sententiae ipsorum laicorum.

R. — Non admittitur; videtur restringere votum Patrum expressum in suffragatione; ceteroquin haec ratio laicis habenda non excluditur.

69 — Pag. 56, linn. 5-16: Deleatur totum hoc incisum. Faveret centralizationi quae contradicit intentioni generali Concilii (1 Pater).

R. — Non admittitur. Contrarium videtur sentire longe maior pars Patrum, voto approbativo. Periculo aliter praecaveri poterit.

[125] 70 — Pag. 55, lin. 5 ss.: Expresse dicatur talem secretariatum constituendum ex membris laicis (1 Pater).

R. — Dicatur lin. 16: « *cum laicis etiam* clericis et religiosis ».

71 — Pag. 55, lin. 6: Loco « secretariatus » dicatur: « organismus »; ut maior relinquatur libertas Sedi Apostolicae (1 Pater).

R. — Non admittitur; maior pars Patrum videtur approbasse iam aliquam determinationem quae continetur in voce « Secretariatus ».

72 — Pag. 55, lin. 6 ss.: Addatur post « secretariatus »: « *indole praecipue pastorali* » (1 Pater).

R. — Non admittitur; videtur ambigua, et munera secretariatus restringere. [125]

73 — Pag. 55, lin. 7 ss.: Deleatur « et impulsum », quia intelligi posset in sensu muneris directionis quod excludendum est (27 Patres).

R. — Esset contra votum Patrum.

74 — Pag. 56, lin. 8: Addatur post « tamquam centrum », « *quod directionis organismus non sit, sed tantummodo aptis...* » (1 Pater).

R. — Cf. sequentem modum.

75 — Pag. 56, lin. 13: Addatur « *Talis organismus nullo modo organismus directionis sit, sed consilii tantum* » (20 Patres).

R. — Non admittitur; munera organismi videntur sufficienter et opportunius limitari textu prouti iacet.

76 — Pag. 56, linn. 13-16: Sic immutetur textus: « In hoc secretariatu cooperantibus clericis, religiosis et laicis, varii motus ... » (1 Pater).

R. — Cf. dicta ad Modum 70.

77 — Pag. 56, linn. 15-16: Expungantur verba « partes habeant ... religiosis ».

R. — Non admittitur; textus explicitior approbatus est.

78 — Pag. 56, lin. 15: Deleatur « quoque » (1 Pater).

R. — Admittitur.

AD NUM. 27 [126]

79 — *Animadversiones generales*

1. Supprimatur totus numerus (1 Pater).

R. — Esset contra votum Patrum.

80 — 2. Restituatur prior textus (1 Pater).

R. — Non admittitur: explicatio textus a multis desiderata est.

81 — 3. Indicetur hanc cooperationem ne fiant sine consilio et approbatione S. Hierarchiae (1 Pater).

R. — In nota referatur ad Decretum « Unitatis redintegratio ».

82 — 4. Addatur saltem explicite conditio: « *de licentia Ordinarii loci, ut necessaria praeparatio et prudentia serventur* » (1 Pater).

R. — Sufficienter provisum videtur in praecedenti modo.

[126] 83 — Pag. 55, lin. 25: Restituatur vetus textus «*sive in vitae cotidianae actionibus*» (1 Pater).

R. — Non admittitur; minus quadrat cum novo contextu.

84 — Pag. 55, lin. 26: «Loco «valores humani» scribatur: «valores *morales*» aut «*principia moralia*» aut aliquid simile (1 Pater).

R. — Non admittitur; vox etiam alibi in textu conciliari recurrit.

85 — Pag. 55, lin. 26: Omittatur tota paragraphus, quia impossibile est fines apostolicos prosequi in cooperatione cum iis qui v. g. materialismum atheisticum profitentur.

R. — Textus maneat utpote a Patrum maioritate receptus et approbatus.

86 — Pag. 55, lin. 26: Exprimatur nexus «valorum humanorum» cum fide, addendo v. g. «*qui in Christo omnia recapitulant fundamentum habent*» (1 Pater).

R. — In contextu totius schematis continetur.

87 — Pag. 55, lin. 26: Deleatur «similem»; ne nimis aequiparentur cooperatio cum ceteris christianis, et cum non christianis (1 Pater).

R. — Non admittitur; vox «similem» et innuit inaequalitatem et aliquam aequalitatem.

[127] 88 — Pag. 55, lin. 27: Deleantur verba «apostolicos fines prosequentium» (1 Pater).

R. — Non admittitur; sensus vocis «apostolatus» in cap. II describitur.

89 — Pag. 55, lin. 25: Addatur post «haud raro»: «*quoque*» (1 Pater).

R. — Admittitur et ponitur post «similem».

90 — Pag. 55, linn. 31-35: Redeatur ad priorem textum, quia cooperatio in spiritualibus difficilior quidem, sed non minoris momenti est (1 Pater).

R. — Dicitur loco «peculiaris»: «*magni*».

91 — Pag. 55, lin. 32: Addatur post «prudenti»: «*firmis semper servatis iuribus et officiis catholicae fidei, quae peculiaris...*». Ad evitanda pericula confusionis.

R. — Iam provisum in dictis ad Modum 3 generalem huius numeri.

QUAESITUM

An placeat expensio Modorum facta a Commissione de apostolatu laicorum circa Modos caput V respicientes?

CAPUT VI [129]

DE FORMATIONE AD APOSTOLATUM

28. [*De necessitate formationis ad apostolatum*]. Apostolatus plenam efficaciam attingere potest solummodo multiformi et integra formatione; quam exigunt non solum continuus spiritualis et doctrinalis profectus ipsius laici, sed et varia adiuncta rerum, personarum et officiorum ad quae navitas eius accommodanda est. Haec formatio ad apostolatum iis fundamentis inniti debet quae ab hoc Sacrosancto Concilio in aliis locis asserta et declarata sunt.[1] Praeter formationem omnibus christianis communem, ob varietatem personarum et adiunctorum non paucae apostolatus formae specificam quoque et peculiarem formationem requirunt.

29. [*De principiis formationis laicorum ad apostolatum*]. Cum laici suo modo missionem Ecclesiae participent, formatio eorum apostolica ab ipsa indole saeculari *et* propria laicatus, eiusque spirituali vitae ratione notam specialem accipit.

Formatio ad apostolatum formationem integram quandam humanam uniuscuiusque ingenio condicionibusque accommodatam supponit. Laicus enim, mundum huius temporis bene cognoscens, membrum propriae suae societatis eiusque ingenii cultui aptatum esse debet.

Imprimis autem laicus discat implere Christi et Ecclesiae missionem, ex fide in divino mysterio creationis et redemptionis vivens, motus Spiritu Sancto populum Dei vivificante, qui omnes homines impellit ad Deum Patrem diligendum atque mundum et homines in Ipso. Quae formatio ut fundamentum et condicio cuiusvis apostolatus *fructuosi* considerari debet.

Praeter formationem spiritualem, *requiritur solida* institutio doctrinalis, et quidem theologica, ethica, philosophica, secundum diversitatem aetatis, condicionis et ingenii. Momentum etiam *culturae generalis una cum* formation*e* practic*a* et technic*a* minime negligatur.

Ad bonas « relationes humanas » colendas oportet ut *valores vere humani foveantur, imprimis* qui arte*m* fraterne convivendi, *atque* cooperandi, *necnon colloquium instituendi respiciunt.*

Quoniam vero formatio ad apostolatum non potest in sola *instructione theoretica* consistere, gradatim quidem et prudenter, inde ab initio formationis suae, discant omnia sub lumine fidei aspicere, iudicare et agere, per actionem seipsum cum aliis efformare ac perficere, et sic in operosum servitium Ecclesiae ingredi.[2] Quae formatio, semper perficienda propter personae humanae crescentem maturitatem et propter evolutio- [130]

[130] nem problematum, altiorem in dies cognitionem et aptatam actionem postulant. In omnibus formationis exigentiis explendis semper unitas et integritas personae humanae prae oculis habenda est ita ut eius harmonia et aequilibrium *salvetur et augeatur.*

Hoc modo laicus penitus et naviter sese inserit in ipsam « realitatem » ordinis temporalis suamque partem in eius gerendis rebus efficaciter suscipit, simulque tamquam vivum membrum et testis Ecclesiae eamdem in sin*u* rerum temporalium « praesentem et actuosam reddit.[3]

30. [*De iis ad quos pertinet alios ad apostolatum formare*]. Formatio ad apostolatum a prima puerorum institutione incipere debet. Peculiari autem modo apostolatu initientur adulescentes et iuvenes atque hoc spiritu imbuantur. Per totam vitam haec formatio perficienda est prout nova suscepta munera requirunt. Patet igitur eos ad quos spectat educatio christiana, officio quoque formationis ad apostolatum devinciri.

Parentum est in familia filios suos ab ipsa pueritia disponere ad agnoscendum amorem Dei erga universos homines, eos gradatim praesertim exemplo doceant sollicitudinem de proximi necessitatibus tam materialibus quam spiritualibus. Tota ergo familia eiusque communis vita quasi tirocinium apostolatus evadat.

Pueros educare insuper necesse est, ut fines familiae transcendentes, communitatibus tam ecclesiasticis quam temporalibus animum pandant. In locali communitate paroeciae ita assumantur, ut in ea conscientiam acquirant se viva et activa membra esse populi Dei. Sacerdotes autem *in catechesi* et ministerio verbi, *in moderatione animarum,* sive in aliis ministeriis pastoralibus formationem ad apostolatum prae oculis habeant.

Scholarum quoque, collegiorum aliarumque institutionum catholicarum formationi inservientium est in iuvenibus sensum catholicum et actionem apostolicam fovere. *Quae formatio si deficit, vel quia illas scholas iuvenes non frequentant, vel alia de causa, eo magis de ea curent parentes et animarum pastores et consociationes apostolicae.* Magistri vero et educatores *qui vocatione sua et officio formam egregiam apostolatus laicorum exercent,* doctrina necessaria et arte paedagogica imbuti sint, quibus hanc institutionem efficaciter tradere valeant.

Coetus et consociationes item laicorum sive apostolatum sive alios fines supernaturales intendant, pro fine et modulo suo formationem ad apostolatum sedulo et assidue fovere debent.[4] Ipsae sunt saepe via ordinaria congruentis formationis ad apostolatum. In ipsis enim habetur formatio doctrinalis, spiritualis et practica. Sodales eorum cum sociis vel amicis in parvis coetibus methodos et fructus suae navitatis apostolicae perpendunt et rationem vitae suae cotidianae cum Evangelio comparant.

Huiusmodi formatio ita ordinanda est ut ratio habeatur totius aposto- [130]
latus laicorum, qui non tantum inter coetus ipsos consociationum, sed [131]
in omnibus etiam adiunctis per totam vitam est exercendus, praesertim « professionalem » et socialem. Immo unusquisque ad apostolatum seipsum naviter praeparare debet, quod magis urget in adulta aetate. Progrediente enim aetate melius animus panditur atque ita unusquisque diligentius detegere potest talenta quibus Deus animam suam ditavit illaque charismata efficacius exercere quae ei a Spiritu Sancto in bonum fratrum suorum collata sunt.

31. [*De adaptatione formationis ad varias formas apostolatus*]. Variae formae apostolatus peculiariter congruentem formationem quoque expostulant.

a) *Quoad* apostolatum ad homines evangelizandos et sanctificandos, *laici specialiter formandi sunt* ad colloquium instaurandum cum aliis, *credentibus* vel non credentibus, ad nuntium Christi omnibus manifestandum.[5]

Cum *autem* nostris temporibus diversi generis materialismus late ubique, *etiam inter catholicos, diffundatur,* laici *non tantum* diligentius doctrinam ediscant, ea *peculiariter* capita, *ubi doctrina in controversiam vocatur, sed contra quamlibet formam materialismi exhibeant testimonium vitae evangelicae.*

b) Quoad instaurationem christianam ordinis rerum temporalium, laici edoceantur de vera significatione et *valore* bonorum temporalium, *tum in se ipsis, tum ad omnes fines personae humanae quod attinet;* exerceantur in recto usu rerum et organizatione institutionum, semper attendentes ad bonum commune iuxta principia doctrinae *moralis* et socialis *Ecclesiae. Socialis doctrinae imprimis principia eiusque conclusiones ita laici addiscant* ut capaces reddantur *tum pro parte sua adlaborandi ad doctrinae progressum tum* ad eadem singulis casibus rite applicanda.

c) Cum caritatis et misericordiae opera praeclarissimum testimonium christianae vitae efferant, formatio apostolica *quoque* ad haec exercenda adducere debet, ut discant christifideles a pueritia fratribus compati eisque *indigentibus* generoso animo subvenire.[9]

32. [*De subsidiis adhibendis*]. Laicis apostolatui deditis iam exstant multa subsidia, scilicet sessiones, congressus, recollectiones, *exercitia spiritualia,* frequentes conventus, conferentiae, libri, commentaria ad altiorem cognitionem Sacrae Scripturae et doctrinae catholicae consequendam, ad vitam spiritualem alendam necnon ad mundi condiciones dignoscendas et aptas methodos inveniendas et excolendas.[10]

[131] Quae formationis subsidia rationem habent variarum formarum apostolatus in « ambitibus » ubi exercetur.

In hunc finem etiam erecta sunt centra vel instituta superiora quae optimos fructus iam dederunt.

[132] Sacrosanctum Concilium laetatur de huius generis inceptis iam in quibusdam partibus florentibus et exoptat ut aliis etiam in locis ubi necessaria fuerint, promoveantur.

Centra insuper « documentationis » et studiorum *non solum in re theologica, sed etiam* in materia anthropologica, psychologica, sociologica, methodologica, quo melius foveantur laicorum ingenii facultates, virorum mulierumque, iuvenum et adultorum, pro omnibus apostolatus campis erigantur.

EXHORTATIO FINALIS.

33. Sacrosanctum igitur Concilium omnes laicos enixe in Domino obtestatur ut voci Christi, hac hora se instantius invitanti, et impulsui Spiritus Sancti libenter, generoso animo, prompto corde respondeant. Speciali modo hanc appellationem ad se directam esse sentiant iuniores, eamque accipiant cum alacritate et magnanimitate. Ipse enim Dominus omnes laicos per hanc S. Synodum iterato invitat ut intimius in dies sibi iungantur et quae ipsius sunt, tamquam propria sentientes (cf. *Phil.* 2, 5), in eiusdem salvifica missione consocientur; eosque denuo mittit in omnem civitatem et locum quo ipse venturus est (cf. *Lc.* 10, 1); ut variis formis et modis unius apostolatus Ecclesiae, novis necessitatibus temporum continenter aptandi cooperatores ei se exhibeant, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor eorum non est inanis in Domino (cf. *1 Cor.* 15, 58).

NOTAE

[1] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* cap. II, IV, V: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 12-21; 37-49; cf. etiam Decretum De Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* nn. 4, 6, 7, 12: *A.A.S.*, 57 (1965), pp. ...; cf. Etiam hoc Decretum de apostolatu laicorum, c. I, n. 4.

Ad n. 29.

[2] Cf. PIUS XII, *Ad I Conferentiam internationalem « boys-scouts »*, 6 iunii 1952: *A.A.S.,* 44 (1952), pp. 579-580; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 456.

[3] Cf. Const. dogm. *Lumen gentium,* c. IV, n. 33: *A.A.S.*, 57 (1965), p. 39.

Ad n. 30.

[4] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 455.

Ad n. 31. [132]

[5] Cf. PIUS XII, Epist. Encycl. *Sertum laetitiae,* 1 nov. 1939: A.A.S., 31 (1939), pp. 653-644: cf. IDEM, Ad « laureati » Act. Cath. It., 24 maii 1953.

[6] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S., 55* (1963), p. 297.

[7] Cf. Decretum *De instrumentis communicationis socialis*: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 145-153. [133]

[8] Cf. PIUS XII, *Ad Congressum Universalem Foederationis Mundialis Iuventutis Femineae Catholicae,* 18 apr. 1952: *A.A.S.,* 44 (1952), pp. 414-419. Cf. IDEM, *Ad Associationem Christianam Operariorum Italiae* (*A.C.L.I.*), 1 maii 1955: *A.A.S.,* 47 (1955), pp. 403-404.

[9] Cf. PIUS XII, *Ad Delegatos Conventus Sodalitatum Caritatis,* 27 apr. 1952: pp. 470-471.

Ad n. 32.

[10] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 454.

RELATIO DE SINGULIS NUMERIS CAPITIS VI [135]

In suffragatione de integro Capite VI schematis De Apostolatu laicorum, feria secunda, die 27 septembris 1965 sequens exitus apparuit:

Praesentes votantes	2.016
Placet	1.865
Non placet	3
Placet iuxta modum	143
Vota nulla	5

Integrum Caput VI cum omnibus suis partibus, a Congregatione generali approbatum est. Omnes modi, a Patribus introducti, praevie examinati sunt a Subcommissione, deinde a Commissione Plenaria iudicati.

MODI GENERALES

1 — Septem Patres textum reprobant propter verbositatem, generalitates vel nimias res particulares, immo quia quasi nihil diceretur de « spiritualitate laicali ».

R. — De spiritualitate laicorum fuse loquitur in cap. 1, n. 4. Concedendum est quod caput VI de principiis formationis loquitur nec multa nova afferre videtur post constitutionem de Ecclesia.

[135] Sed hic apposite afferuntur ex rationibus practicis, ne formatio ad apostolatum nimis intellectualistica, individualistica, extramundana evadat.

Modi particulares

AD NUM. 28

2 — Pag. 60, nn. 28-29: Unus Pater rogat ut linn. 28-29 abbrevientur.

R. — Qui numeri iam a maioritate approbati sunt.

3 — Pag. 60, n. 28, lin. 11: Plures Patres petierunt ut in nota addatur etiam referentia ad Decretum de Oecumenismo, nn. 4, 6-7, 12.

R. — Admittitur.

[136] AD NUM. 29

4 — Pag. 60, n. 29, lin. 19: Unus Pater petit ut tollantur « indole saeculari propria et peculiari laicatus ».

R. — Admittitur expunctio vocabuli: « et peculiari ».

5 — Ad pag. 61, lin. 1: Unus Pater petit ut ponatur loco « efficacis » « fructuosi ».

R. — Admittitur.

6 — Ad pag. 61, lin. 5: Unus Pater petit ut post « philosophica » addatur « *et alia* ». Alter Pater petit ut institutio sit solida.

R. — Claritatis causa admittitur sequenti modo: « Praeter formationem spiritualem *requiritur solida* institutio doctrinalis, et quidem theologica, ethica, philosophica secundum diversitatem aetatis condicionis et ingenii. Momentum *culturae generalis una cum* formation*e* practic*a* et technic*a* minime negligatur ».

7 — Ad pag. 61, linn. 7-8: Duo Patres petierunt ut magis insisteretur in hoc.

R. — Res sat bene expressa videtur.

8 — Ad pag. 61, linn. 10-16: Decem Patres hoc incisum reprobaverunt vel propter obscuritatem vel abundantiam.

R. — Admittitur sequenti modo: « Ad bonas relationes humanas colendas oportet ut valores vere humani foveantur, imprimis qui artem fraterne convivendi atque cooperandi nec non dialogum instituendi respiciunt ».

9 — Ad pag. 61, n. 29, linn. 16-31: Septem Patres leves mutationes proposuerunt quae aut abbreviationem aut extensionem respiciunt vel solam grammaticalem constructionem. [136]

R. — Dicitur:

a) lin. 18 in sola *instructione theoretica*

b) lin. 31 salvetur et augeatur.

10 — Ad pag. 61, n. 29, lin. 36. Unus: Pro « in sinum » dicatur: « in sinu ».

R. — Admittitur.

AD NUM. 30 [137]

11 — Pag. 61, lin. 40; Pag. 62, lin. 3: Unus Pater petit ut peculiaris mentio de formatione inde a prima puerorum institutione et adulescentium substituatur ab alia sententia magis generali.

R. — Non correspondet intentioni textus approbati.

12 — Pag. 62, lin. 1: Unus Pater petit, ut post verbum « debet » addatur: « *ipsi etenim gradatim debent exercere suam responsabilitatem apostolicam, testes esse Christi,* secundum *suam possibilitatem, aetatem et peculiaria* dona, tam *in familia, quam apud amicos* ».

R. — Non admittitur ad evitandam repetitionem, quae pag. 61, linn. 17-39, tum in ipso capite, tum in Cap. III et IV.

13 — Pag. 62, lin. 6: Octo Patres petierunt ut addatur: « officio formationis et ad *vitam specialem* et ad apostolatum devinciri ».

R. — Non admittitur propter ambiguitatem et quia non pertinet ad rem.

14 — Pag. 62, lin. 20: Addatur post « membra esse »; « *societatis humanae* et ».

R. — Non admittitur, quia non ad rem.

15 — Pag. 62, linn. 20-26: Sex Patribus non placuerunt.

R. — Ratione habita eorum obiectionum, proponitur reditus ad textum priorem sequenti modo: « Sacerdotes autem *in catechesi* et ministerio verbi, in *moderatione animarum* sive in aliis ministeriis pastoralibus formationem ad apostolatum prae oculis habeant ».

16 — Pag. 62, linn. 27-38: Unus Pater petit ut phrasis: « Ubi quacumque » mutet locum et postponatur phrasi sequenti quae incipit: « Magistri ».

[137] R. — Admitti non potest — quia paragraphus intendit formationem apostolicam in diversis formis scholarum.

17 — Pag. 62, lin. 29: Septem Patres petunt, ut loco « sensum catholicum » ponatur « sensum *Christi* catholicum ».

R. — Admitti non potest, quia tautologiam inducit, et terminus « sensus catholicus » classicus est.

[138] 18 — Pag. 62, linn. 30-34: Unus praeterea petit, ut comma istud ponatur, post lineam 37, quia non tantum de pueris agitur.

R. — Lin. 16 agitur de officio magistrorum. Locus nunc assignatus magis congruere videtur.

19 — Pag. 62, linn. 30-34: Pluribus Patribus (34) haec phrasis non placuit ob duritiam sermonis.

R. — Admittitur modus et sic legitur textus: « *Quae formatio si deficit, vel quia illas scholas iuvenes non frequentant, vel alia de causa, eo magis de ea curent parentes, animarum pastores et consociationes apostolicae* ».

20 — Unus Pater petit ut addatur ad lin. 31: « *vel frequentare non possunt* ».

R. — Iam provisum est.

21 — Pag. 62, lin. 30: Quatuor Patres petunt ut addatur paragraphus qua prematur necessitas formandi veros apostolos in scholis catholicis.

R. — Videatur modus sequens.

22 — Pag. 62, linn. 34-37: Plures Patres (21) ex diversis regionibus votum emiserunt, ut addantur aliqua verba de momento apostolatus in scholis etc.

R. — Admittitur libenter: « Magistri vero et educatores *qui vocatione sua et officio formam egregiam apostolatus laicorum exercent, ...* ».

23 — Pag. 62, lin. 39: Decem Patres petunt, ut addatur post « alios fines supernaturales », verbum: « *directe* ».

R. — Non admittitur, ad evitandas discussiones theologicas sat intricatas.

24 — Pag. 62, lin. 40: Unus Pater petit post verbum « intendant », mentionem de « *tertiis ordinibus* ».

R. — Admitti non potest quia mentio generalis iam fit et specificatio aliqua aliam evocat.

25 — Pag. 63, lin. 7: Unus Pater petit, paragraphum de institutis saecularibus laicorum ad apostolatum in saeculo conditis. [138]

R. — Admitti non potest quia mentio generalis iam facta est, et specificatio aliqua aliam evocat.

26 — Duo Patres petunt ut addatur phrasis de momento recollectionum et exercitiorum. [139]

R. — Providetur in n. 32.

27 — Pag. 63, lin. 10: Unus Pater petit, ut omittatur haec linea, ita ut textus sonet: qui in omnibus adiunctis per totam vitam est exercendus.

R. — Stet textus approbatus.

AD NUM. 31

28 — Unus Pater improbat quia parum dicatur de mediis supernaturalibus.

R. — Videat n. 29 - ubi satis.

29 — Pag. 63 inde a lin. 24 ad pag. 64, lin. 10: Circiter 60 Patres textum reprobaverunt vel propter redolentiam triumphalismi, paternalismi, pharisaeismi; vel propter tonum nimis apologeticum.

R. — Accedit commissio ad propositionem eorum, firmam tamen tenens substantiam textus.

Proponit igitur ut textus secundum propositiones varias aliquomodo abbrevietur et revideatur. Vide textum in pag. 131 [*cf. pag. 119*].

30 — Pag. 63, lin. 38: Petunt aliqui Patres (6) ut vox « pretio »: substituatur a voce « *valore* ».

R. — Vide novam redactionem, ubi ratio habita est de modo.

31 — Pag. 64, linn. 10-13: Petit unus Pater, ut omittantur verba quae inducunt ad reducendam caritatem unice ad opera misericordiae.

R. — Admittitur, inseratur in linea post verba « formatio apostolica » vox « *quoque* ».

32 — Plures Patres (32) petierunt ut loco « eisque in indigentia constitutis » scribatur: « eisque indigentia laborantibus ».

R. — Nunc scribitur: « eisque *indigentibus* ».

33 — Pag. 64, lin. 14: Unus Pater petit ut n. 31 ponatur post n. 29 vel eidem integretur.

R. — Urgentia non patet.

[140] AD NUM. 32

34 — Pag. 64, lin. 16: Unus Pater petit ut mentio fiat etiam de associatione cum aliqua communitate religiosa per tertium ordinem.

R. — Non admittitur, quia non eiusdem ordinis est hoc subsidium.

35 — Pag. 64, lin. 17: Plures Patres (47) petunt ut addatur post verbum « recollectiones » et « exercitia spiritualia ».

R. — Admittitur.

36 — Unus Pater petit ut addatur « *sub episcopi auctoritate* ».

R. — Caput V de ordine servando tractat.

37 — Pag. 64, lin. 33: Unus Pater proponit modum:
« Centra insuper documentationis et studiorum *non solum in re theologica sed etiam* in materia anthropologica, etc. ».

R. — Admittitur.

38 — Pag. 64, linn. 14-39: Unus Pater petit ut totus numerus 32 ponatur post numerum 31, propter cursum idearum.

R. — Non admittitur, quia non patet ratio.

AD NUM. 33

39 — Pag. 65, lin. 9: Plures Patres (4) petunt ut post verba « omnes laicos », addatur: « *viros et mulieres* ».

R. — Non admittitur, quia mulieres iuste alia expectant de concilio circa munera et officium mulierum in Ecclesia.

40 — Petit unus Pater ut post verba « eosque denuo » addatur « *per Pastorem* ».

R. — Non admittitur, ne quid nimis, post haec quae dicta sunt in n. 23 et in toto Capite V.

QUAESITUM

An placeat expensio modorum facta a Commissione de apostolatu laicorum circa modos caput VI respicientes?

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

1 – DECLARATIO IN ORDINE AD PRAEPARANDAS SUFFRAGATIONES *

Venerabiles Patres!

Antequam ad suffragationes de Schemate nostro accedamus, pauca quaedam verba praemittere liceat nomine Commissionis, quae Schema praeparavit, pluries modificavit, post discussionem in Aula in tertia Concilii periodo ita emendavit, ut formam hodiernam obtineret. De singulis fusius sermo est in relatione textui apposita. Ideo breves adnotationes sufficient.

Via, uti scitis, longa, difficilis et contorta erat. Difficultates quidem aliquae remanent; iis non obstantibus speramus vos substantialem eius enuntiationem approbaturos esse. Non necessarium videtur iterum de momento huius schematis fusius loqui, quod partem aliquam Constitutionis Dogmaticae «Lumen Gentium», quae de laicis agit, in ordine practico compleat. Melius in hac ultima forma textum adaptavimus eis, quae in hac Constitutione Dogmatica de laicis eorumque in Ecclesia missione participanda dicta sunt. Sicut textum semper textui Constitutionis « Lumen Gentium » accommodavimus, ita etiam Schematis « De Ecclesia in mundo huius temporis » ratio habita est. Ita unitas in illis documentis Concilii servatur, quae de laicis in Ecclesia praecipue tractant.

Textum invenietis in multis reformatum secundum vota Patrum. Mutationes respiciunt *id quod continetur* in textu, et *modum ea dicendi.*

I. *Ad contentum.*

In capite I « *De vocatione laicorum* ad apostolatum » fundamentum theologicum huius apostolatus amplius delineatur; additur insuper, ut multi Patres desideraverunt, numerus novus « de spiritualitate laicorum in ordine ad apostolatum ».

Caput II nunc iam *de finibus apostolatus* agit, de quibus in anteriore textu capite tertio sermo erat. Ita ordo logicus totius Schematis magis

* Huiusmodi folium Patribus distributum fuit in congregatione generali 134, die 23 septembris 1965.

perspicuus est; similiter in hoc capite ipse conceptus apostolatus clarius exponitur.

Caput III, *quod de variis apostolatus campis* agit, in multis reformatum, novum numerum « De iuvenibus » continet.

In capite IV *de variis apostolatus modis,* votis complurium Patrum obsecundantes, fusius agimus de apostolatu singulorum. Ita impressio vitatur, quasi Schema unice respiceret apostolatum associatum.

Post caput V, quod *de ordine et cooperatione in apostolatu laicorum* agit, novum, uti multi postulaverunt, caput praeparatum est « de formatione ad apostolatum ».

II. *Ad modum dicendi.*

Eo quod permultae suggestiones Patrum in textum emendatum assumptae sunt, textus nunc iterum longior evasit. Correctus est ille a nonnullis Patribus deploratus tonus nimis schematicus, non sufficienter excitans. Totus tenor magis dynamicus est. Revisa compositione in singulis et eliminatis repetitionibus, unitas et concinnitas textus adaucta est.

Si textus emendatus cum textu priore comparatur, in sat multis *novus* apparet. Si accuratius legitis, facile videtis, innovationes semper fundari in vetere textu. Haec fundamenta a maiore parte Patrum approbata sunt. Si novi accentus in aliquibus ponuntur, v. gr. quoad fundamenta theologica, quoad spiritualitatem, quoad unitatem et distinctionem finium, quoad formationem, quoad evitandam impressionem toni nimis paternalistici, haec omnia secundum vota Patrum facta sunt, attentis etiam animadversionibus laicorum qui nobiscum laboraverunt vel quos consuluimus.

Restat ut *gratias* agamus omnibus Patribus, qui multiplici suo consilio ad textum emendandum contulerunt. Imperfectionibus quae in eo adhuc certe inveniuntur, occurrent *modi* vestri ad singulas partes — de hoc persuasus sum —. Uti videre potestis, ipsae *suffragationes* ita ordinatae sunt, ut relate ad omnia puncta maioris momenti vel etiam magis controversa distincta vestra approbatio expetatur. Ita Commissioni nostrae praestabuntur orientationes illae, quas secuta definitivum denique textum apparare poterit. Speramus benevolum vestrum iudicium nobis permissurum esse, ut hoc opus quam primum ad felicem, a tot hominibus in Ecclesia exspectatum exitum, adducere possimus. Ita vires Commissionis liberae evadent ad cooperandum in perfectione illius Schematis, quod laicorum non minus interest quam hoc, quia arcte cum eo coniungitur, « De Ecclesia scilicet in mundo huius temporis ».

EXC.MI P. D. FRANCISCI HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

2 – RELATIO GENERALIS

[*Cf. pag. 12-15*].

Moderator: Maximas agimus gratias exc.mo relatori, pro relatione, necnon toti commissioni pro strenuo celerique labore commisso.
Loquatur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Antequam proponantur singulae suffragationes, lego, Patres venerabiles: *Variationes in textu schematis decreti a commissione conciliari de fidelium apostolatu propositae.* Sunt in folio, quod iam distributum est.

SCHEMA DECRETI

DE APOSTOLATU LAICORUM
MUTANDA IN TEXTU SCHEMATIS DECRETI

p. 65:

12. [*De iuvenibus*]. Iuvenes maximi momenti vim exercent in hodierna societate. Eorum vitae adiuncta, habitus mentis necnon ipsae necessitudines cum propria familia sunt admodum mutata. Saepe ad novam condicionem socialem et oeconomicam nimis celeriter transeunt. Dum *autem in dies* momentum eorum *sociale et etiam politicum* crescit, *quasi impares videntur* oner*ibus nobis apte* suscipiendi*s*.

Hoc eorum adauctum in societate pondus consimilem ab eis exigit actuositatem apostolicam, sed et ipsa eorum naturalis indoles ad eamdem eos disponit. Maturescente conscientia propriae personalitatis, ardore vitae atque profluente navitate impulsi, propriam « responsabilitatem » assumunt, *in* vit*a* social*i et* « cultural*i* » *suas partes agere cupiunt*: qui zelus, si spiritu Christi imbuitur *ac obedientia et amore erga Ecclesiam animatur,* uberrimos exinde fructus sperari licet. Ipsi debent fieri primi et immediati apostoli iuvenum, apostolatum inter seipsos per seipsos exercentes, ratione habita « ambitus » socialis ubi vivunt.

Curent adulti cum *iuvenibus* amicale colloquium instituere quod permittat utrique parti, aetatis distantia superata, mutuo sese cogno-

scere atque divitias cuique proprias invicem communicare. Exemplo primum et, data occasione, prudenti consilio validoque auxilio adulti iuventutem ad apostolatum stimulent. *Reciprociter, iuvenes erga adultos reverentiam ac fiduciam nutriant; et, licet naturaliter sint ad novitates inclinati, laudabiles tamen traditiones debite aestiment.*

Pueri quoque propriam habent apostolicam actuositatem. Secundum vires suas veri sunt testes viventes Christi inter *socios.*

p. 111:

24. [*De relatione ad Hierarchiam*].

Omittantur verba « *implicite vel explicite* » in phrasi, quae ita legatur:

« Nullum autem inceptum nomen catholicum sibi vindicet, nisi consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae ».

Ratio: Commissio iterum consideravit rem propositam in Modo 26 (p. 119), et decrevit omissionem verborum, ne ansa detur interpretationibus non desideratis.

His praemissis, proponitur prima suffragatio. Videatis pag. 41 [*cf. pag. 44*]. Omitto lectionem modorum ad quos refert quaesitum sed pro lectis habeantur. Quaeritur: « An placeat expensio modorum facta a commissione de apostolatu laicorum circa modos prooemium et cap. I respicientes? ». *Placet* an *non placet?* Duplex tantum forma.

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

DE SACRARUM INDULGENTIARUM RECOGNITIONE

1 – POSITIO

INTRODUCTIO [5]

1. Ad Summi Pontificis mandata exsequenda, examini exc.morum Praesidum Conferentiarum Episcopalium subiciuntur regulae seu normae, quas ad indulgentiarum disciplinam renovandam proponit Commissio ad hoc nominata.

2. Iam in Actis et Documentis Concilio Oecumenico Vaticano II apparando, quaedam inveniuntur consilia et vota Episcoporum, Superiorum Generalium Religiosorum et Universitatum Catholicarum quoad indulgentiarum recognitionem.

Prout ex praedictis Actis desumitur, qui de indulgentiis in genere tractant, fere omnes exoptant ut tota de indulgentiis disciplina recognoscatur, easdem, quoad concessionem et acquisitionem, ad simpliciorem formam redigendo et, quoad numerum, congrue reducendo.

Multi autem petunt ut facultas benedicendi pietatis obiecta eisque adnectendi consuetas indulgentias tribuatur omnibus sacerdotibus vel saltem confessariis.

Qui vero de indulgentiis partialibus tractant, unanimiter petunt ut dierum et annorum computatio aboleatur.

3. Summus Pontifex, in Audientia die 24 iulii 1963 em.mo Card. Fernando Cento, Paenitentiario Maiori concessa, mandavit ut ipse Peritorum Commissionem constitueret ad totam de indulgentiis materiam examinandam et recognoscendam.

Litteris diei 14 ianuarii 1964, em.mus Card. Hamletus I. Cicognani, a publicis Ecclesiae negotiis, communicavit Summum Pontificem adprobare dignatum esse Commissionem prout sequitur compositam:

Rev.mus D. Ioannes Sessolo, Regens S. Paenitentiariae Apostolicae et Peritus Concilii Oecumenici.

Rev.mus P. Petrus M. Abellan, S. I., Theologus S. Paen. Ap. et Peritus [6]
Concilii Oecumenici.

Rev.mus D. Iosephus Graneris, Promotor Iustitiae S. S. Congregationis S. Officii, Corrector S. Paen. Ap. et Peritus Concilii Oecumenici.

Rev.mus P. Petrus Lumbreras, O. P., iam Professor Theologiae Moralis in Pontificia Universitate S. Thomae Aquinatis, Sigillator S. Paen. Ap. et Peritus Concilii Oecumenici.

[6] *Rev.mus D. Marius Schierano,* a secretis S. Paen. Ap. (Sectio de Indulgentiis) et Peritus Concilii Oecumenici.

Rev.mus D. Arturus Lovelli, a secretis S. Paen. Ap. (Sectio Tribunalis).

Rev.mus D. Iosephus Curatola, Adiutor a Studiis S. Paen. Ap. (Sectio de Indulgentiis).

Praeterea in eamdem Commissionem adlecti sunt:

Exc.mus D. Iosephus Rossi, Episcopus tit. Palmirensis, iam Regens S. Paen. Ap.

Rev.mus P. Conradus Berti, O. S. M., Professor Theologiae Sacramentariae in Facultate Theologica « Marianum ».

Rev.mus P. Alfonsus Raes, S. I., Praefectus Bibliothecae Apostolicae Vaticanae, iam Praeses Pontificii Instituti pro Studiis Orientalibus, et Peritus Concilii Oecumenici.

Rev.mus P. Antonius Mruk, S. I., Professor Theologiae Moralis in Pontificia Universitate Gregoriana.

4. Praedicta Commissio plures tenuit Congregationes a die 24 februarii 1964 ad diem 28 octobris eiusdem anni. Opus investigationis et recognitionis inter Commissarios divisum est, qui vota pararunt, in Commissionis dein Congregationibus discutienda. Quoad quaestiones difficiliores vel magis controversas em.mus Praeses Commissionis de iisdem quaestionibus consulere insuper iussit theologos extra Commissionem.

Tandem resolutiones a maiore Commissionis parte approbatae in quoddam « Schema » relatae sunt. Postremo Relatio parata est, quae summam totius operis Commissionis exponit et singula « Schematis » capita explicat, additis praecipuis Votis Commissariorum et Tabulis (vulgo « Verbali ») Congregationum Commissionis pro indulgentiis.

[7] 5. Summus Pontifex praedictam Relationem ipse examinare dignatus est ac deinde examinandam tradidit em.mo Card. Carolo Journet, qui, ut inferius refertur, suam patefacit laetitiam pro Commissionis opera hisce verbis: « En résumé, je ne puis que me déclarer heureux du travail approfondi représenté par les auteurs de la présente "*Relazione*" ».

Attamen Romanus Pontifex, attenta implicatione et insimul subtilitate quaestionum, quae ad indulgentias sese referunt, problematumque cum ipsis connexorum, censuit opportunum esse prudenter agere ac in primis Episcopatum certiorem de re facere eiusque sententiam exquirere: « data ... la complessità e la delicatezza della questione e dei problemi ad essa connessi, il Sommo Pontefice è dell'avviso che convenga procedere con grande prudenza e non senza aver prima informato e chiesto il parere dell'Episcopato » (Ex Litteris em.mi Card. H. I. Cicognani diei 28 iunii 1965).

6. Idcirco apparata est haec secunda *Relatio* magis concisa, sed simul aptius composita, quae, ut a priore etiam nomine distinguatur, vocatur *Positio*. Haec, iuxta em.mi Card. Cicognani instructionem in memoratis Lit-

teris die 28 iunii 1965 datis, remittitur exc.mis Praesidibus Conferentiarum Episcopalium. [7]

7. Haec *Positio* tres partes habet:

In prima parte recoluntur principia theologica circa indulgentias et historica evolutio Instituti indulgentiarum.

In secunda parte praebetur *Schema,* in quo, paucis datis normis, exponuntur quae iuxta Commissionis mentem in disciplina indulgentiarum innovanda sunt.

In tertia tandem parte illustrantur singulae normae in Schemate propositae, per ordinem tractando: de nova norma pro indulgentiis partialibus; de indulgentiis plenariis numero reducendis et de conditionibus ad eas lucrandas requisitis; de recognitione indulgentiarum personalium et realium, et tandem de recognitione indulgentiarum localium in genere et Altaris privilegiati in specie.

* * *

Sacra Paenitentiaria Apostolica (via della Conciliazione 34) parata est ad accipiendas quaestiones, quas Venerabiles Patres ipsi ponere censuerit eisque, pro viribus, respondere.

PARS I [11]

PRINCIPIA THEOLOGICA CIRCA INDULGENTIAS ET HISTORICA EVOLUTIO INSTITUTI INDULGENTIARUM

Prooemium

Ut doctrinam catholicam de indulgentiis proponamus, quae paulatim declarata est decursu temporum, elementa eius necessarium est recolere et doctrinalia et historica. Fontes quidem habebimus Sacram Scripturam, Traditionem et Ecclesiae Magisterium.

Prius autem attingemus aliquas veritates et dogmata fidei, quae fundamentum sunt doctrinae de indulgentiis (Capita I, II et III); postea brevis indulgentiarum historia exponetur (Caput IV); deinde sermo erit de natura indulgentiae (Caput V) et tandem de conditionibus et de utilitate indulgentiarum (Caput VI).

CAPUT I [12]

IUSTUS VIATOR POTEST PRO ALIIS SATISFACERE

Haec affirmatio supponit veritates alias quas breviter recolimus.

1. Iuxta communem sententiam, peccatum importat aversionem a Deo et conversionem ad creaturam. Et ex hoc duplici elemento peccator contrahit:

[12] *a*) debitum sustinendi iram divinam, propter iniuriam Deo factam, praeferendo creaturam magis quam Deum; *b*) debitum sustinendi poenas propter deordinationem in rebus a suo peccato causatam.

Debito culpae peccator satisfacit, quando offenso exhibet aliquid quod possit compensationem reddere iniuriae illatae; scilicet aliquid quod provocat amorem maiorem odio, quod offensa monstravit. Debito poenae satisfactio redditur, quando peccator aliquid dolorosum sustinet voluntarie, ex voluntaria intentione agnoscendi et solvendi debitum ex peccato proveniens.

Satisfactio ergo pro poena peccati importat voluntariam supportationem operis poenalis; in quo voluntarietas est elementum formale, perpessio operis dolorosi est elementum materiale.

Horum duorum elementorum maioris momenti est voluntarietas, per quam homo recognoscit deordinationem a se patratam per peccatum, quam vult recomponere. De hac voluntate Deus delectatur, potius quam de poenis, ut S. Thomas affirmat: « Deus non delectatur in poenis propter ipsas, sed delectatur in ordine suae iustitiae, quae hoc requirit » (*S. Th.*, I, II, q. 87, a. 3, ad 3). Et propter hanc voluntatem satisfaciendi, quae in iustis est implicita caritas, Deus remittit etiam de poena temporali peccati, eo magis quo maior est caritas.

Opus poenae est quidem aliquid dolorosum quod a Providentia disponitur vel quod voluntarie eligitur ad paenitentiam. Notandum est tamen, quodcumque opus bonum, in praesenti statu naturae lapsae, habere aspectum poenalem, quia semper coniunctam habet molestiam, et ideo est opus satisfactorium.

Quo maior est caritas et quo maior est molestia operis, eo maior evadit valor satisfactorius.

[13] 2. Est de fide definitum *post remissionem culpae non semper remitti totam poenam temporalem peccato debitam.* Hanc doctrinam scimus ex Sacra Scriptura; nam, ex. gratia, Deus remisit culpam Adamo, Moysi, David, sed noluit etiam poenam temporalem eorum peccato debitam remittere (*Gen.* 3, 17-19 et *Sap.* 10, 2; *Num.* 20, 11-12 et *Num.* 27, 13-14; *2 Reg.* 12, 13-14).

Hoc confirmatur per usum traditionalem imponendi paenitentiam post culpam dimissam in absolutione sacramentali, et per doctrinam catholicam de purgatorio. Et Concilium Tridentinum contra reformatores dogma hoc clare docuit sive in sessione VI sive in sessione XIV: « Si quis dixerit post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori paenitenti ita culpam remitti et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus culpae temporalis, exsolvendae vel in hoc saeculo vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna caelorum aditus patere possit: an. s. » (Sess. VI, c. 20: Denz. [= Denzinger-Schönmetzer] 1580; cfr. Denz. 1689, 1693).

3. Imo est doctrina definita catholica, *hominem posse etiam in hoc mundo poenae debitae temporali pro peccato satisfacere operibus paenitentialibus.*

Haec veritas per totam Scripturam sacram praedicatur, quae homines hortatur ut faciant paenitentias et opera bona ad remissionem peccatorum suorum. Expresse Deus saepe promisit se remittere poenas peccati, si homines paenitentiam fecerint, poenam non tantum aeternam, ut patet, sed etiam

temporalem. Apud Ieremiam Deus promittit se non castigaturum peccatorem, [13]
qui a peccato per paenitentiam sese averterit: « Si paenitentiam egerit gens illa a malo suo ... agam et ego paenitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei » (*Ier.* 18, 8). Et Ioannes Baptista hortatur Iudaeos ad paenitentiam et ad virtutem: « Facite ergo fructus dignos paenitentiae ... Qui habet duas tunicas, det non habenti » (*Lc.* 3, 8, 11). Patres vero, Scripturam sacram imitantes, saepissime in sua cura pastorali christianos hortantur ad paenitentiam pro peccatis.

Concilium Tridentinum vero expresse definivit: « Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis et patienter toleratis vel a sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, ut ieiuniis, orationibus, eleemosynis vel aliis etiam pietatis [14]
operibus, ...: an. s. » (DENZ. 1713).

4. His ergo praesuppositis, venire possumus ad enucleationem doctrinae quae immediate ad indulgentiae notionem pertinet.

Homines enim non tantum possunt in hac vita satisfacere pro poenis temporalibus peccatorum suorum; sed ex divina dispositione *iustus viator potest etiam pro alio iusto satisfacere.*

Haec veritas iam in fontibus revelationis invenitur.

Notissima est quidem doctrina paulina de corpore mystico Christi: « Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra » (*Rom.* 12, 5). Si autem unum est corpus, iam diversa membra influxum aliorum membrorum persentiunt; et si unum membrum patitur, alia omnia membra compatiuntur; et si unum membrum bene se habet, et alia congaudent. Unde Paulus ad Corinthios scribebat: « Non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra » (*1 Cor.* 12, 25-26; cf. PIUS Pp. XII, *Mystici Corporis*: *A.A.S.* 1943, pp. 193-248).

Quousque haec solidarietas inter membra sese extendat, videamus. Paulus loquitur de solidarietate coniugum in sanctificatione: « Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem » (*1 Cor.* 7, 14).

Ceterum Paulus clare asserit passiones in hac vita patienter a nobis toleratas utilitati esse etiam ceteris Christianis: « Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quae desunt passionum Christi, in carne mea » (*Col.* 1, 24). Et alibi modo generaliori: « Fratres, et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis ... Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi » (*Gal.* 6, 1-2).

5. Haec doctrina confirmatur praxi antiquissima paenitentiali et liturgica. Hic recolere possumus usum reducendi tempus publicae paenitentiae in antiqua Ecclesia lapsis per intercessionem confessorum. In hoc casu satisfactio [15]
abundans martyrum cedebat in utilitatem lapsorum, qui exinde breviorem

[15] aut nullam habebant paenitentiam. (Cf. S. CYPRIANUS, *De lapsis,* 18, 36: *PL* 4, 495, 508; *Epist.* 11, 1: *PL* 4, 263; *Epist.* 10, 3; 11, 3; 12, 1: *PL* 4, 258, 264, 265).

At modo generaliore auxilium fidelium paenitentibus manifestabatur ex eo quod tota Ecclesia pro peccatoribus supplicabat et satisfaciebat. Sic e. g. Ambrosius scribit: « Velut enim operibus quibusdam totius populi purgatur et plebis lacrymis abluitur, qui orationibus et fletibus plebis redimitur a peccato, et in homine mundatur interiore. Donavit enim Christus Ecclesiae suae ut unum per omnes redimeret » (S. AMBROSIUS, *De paenitentia,* 1, 15, n. 80: *PL* 16, 511).

Haec ergo possibilitas adiuvandi ceteros christianos in Ecclesia sese extendit usque ad sublevandam satisfactionem pro poena temporali peccati.

6. Hoc autem non est mirum si consideramus ipsam *Communionem Sanctorum.* Si enim Ecclesia est unum corpus vivens per Spiritum Dei, iam apparet possibilitas abstracta communicandi etiam satisfactiones, si Deus hoc permittit; et revera scimus ex superius dictis, sive ex Scriptura sive ex traditione, Deum non solum permittere sed etiam desiderare hanc communicationem satisfactionum, quod est opus magnae caritatis. Merita quidem personalia sunt et alteri donari non possunt. Satisfactio vero, scilicet perpessio voluntaria poenarum temporalium peccati, assumi potest etiam pro peccatis aliorum, Deo acceptante.

7. Hoc quod diximus valet immediate de satisfactione pro aliis hominibus adhuc in hoc mundo degentibus. Sed applicari debet etiam ad animas defunctorum quae in purgatorio sunt. Certissima est doctrina et praxis Ecclesiae nos viatores eas adiuvare posse per nostra suffragia.

Haec veritas fundatur in ipsa Communione Sanctorum, de qua diximus superius; quia Ecclesia militans in terris communicat in caritate et in unione cum Christo cum animabus sanctis in purgatorio degentibus; ideo bona Ec-
[16] clesiae militantis possunt cedere in bonum animarum illarum; et Ecclesia militans potest per suffragia adiuvare animas purgatorii.

At clarius haec veritas inculcatur in Sacra Scriptura, praesertim in *2 Mach.* (12, 43-46), ubi laudatur Iudas Machabaeus, qui sacrificia et orationem pro defunctis procurabat « ut a peccatis solvantur ». Iuxta hanc doctrinam sensus profundus populi christiani colit devotionem pro mortuis. Et Concilia dogma fidei proclamaverunt: Lugdunense II, anno 1274 (DENZ. 856), Florentinum, anno 1439 (DENZ. 1304), Tridentinum, quod anno 1563, sessione XXV, docuit: « purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari » (DENZ. 1820). Inter haec suffragia non minoris momenti est indulgentia.

CAPUT II [17]

ECCLESIA HABET THESAURUM SATISFACTIONUM CHRISTI ET SANCTORUM

1. Notio indulgentiae, praeter hanc communicationem satisfactionum inter christifideles vivos atque defunctos, supponit Ecclesiam possidere superabundantes satisfactiones a Christo, a Beata Maria Virgine eius Matre et a Sanctis comparatas, quae remanent in conspectu Dei et thesaurum inexhaustum constituunt.

2. Existentia thesauri huius certe constat ex documentis Magisterii Ecclesiae.

De hoc primus clare et cum auctoritate docuit Papa Clemens VI, anno 1343, in Bulla Iubilaei *Unigenitus Dei Filius*: « thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit ... Quem quidem thesaurum ... per beatum Petrum caeli clavigerum, eiusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum, et propriis et rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitae, tam generaliter, quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent), vere paenitentibus et confessis misericorditer applicandum. Ad cuius quidem thesauri cumulum Beatae Dei Genitricis omniumque electorum a primo iusto usque ad ultimum merita adminiculum praestare noscuntur; de cuius consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi ... merita, quam pro eo, quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum » (DENZ. 1025-1027).

Eamdem doctrinam docuit Leo X in Bulla *Cum postquam,* quam anno 1518 ad Card. Caietanum, tunc in Germania legatum, misit (DENZ. 1447, 1448); et etiam in Bulla *Exsurge Domine,* contra Lutherum, anno 1520 (DENZ. 1467). Item Pius VI anno 1794 damnavit propositionem 41 Synodi Pistoriensis (DENZ. 2641).

3. Ratio vero theologica hac de re facile intelligitur. [18]

Merita enim et satisfactiones Christi infinita sunt, propter infinitam dignitatem Verbi Dei incarnati, et coram divina iustitia remanent ad peccata hominum auferenda. Haec merita et satisfactiones largiuntur hominibus per sacramenta, attamen infinitate sua sacramenta excedunt; remanent ergo et possunt extra sacramenta dispensari. Semper inexhauribilia remanent et semper dispensari possunt.

Christi meritis adduntur merita Sanctorum et satisfactiones praesertim Beatae Mariae Virginis. Sancti enim Dei multas satisfactiones meruerunt in sua vita, quae poenas pro peccatis suis debitas superant. Haec satisfactiones non in nihilum labuntur, sed coram Deo remanent et in bonum Ecclesiae totius cedunt, quia a membris Ecclesiae comparata sunt.

Hanc communem doctrinam sic describit *Supplementum ad Summam Theologicam* S. Thomae (q. 25, a. 1):

[18] « Multi in operibus paenitentiae supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum, et multas etiam tribulationes iniustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo poenarum poterat expiari, si eis deberetur: quorum meritorum tanta est copia quod omnem poenam debitam nunc viventibus excedunt... Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto, qui remissione indiget, huiusmodi opera fecerunt (alias abque omni indulgentia consequeretur remissionem), sed communiter pro tota Ecclesia; sicut Apostolus ait se adimplere ea quae desunt passionum Christi in corpore suo pro Ecclesia... (*Col.* 1, 24). Et sic praedicta merita sunt communia totius Ecclesiae. Ea autem quae sunt alicuius multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine, secundum arbitrium eius qui multitudini praeest. Unde sicut aliquis consequeretur remissionem poenae, si alius pro eo satisfecisset, ita si satisfactio alterius sibi per eum, qui potest, distribuatur ».

Merita et satisfactiones Beatae Mariae Virginis et Sanctorum non augent merita et satisfactiones Christi quoad satisfaciendi efficaciam intensivam, quasi Christus non sufficienter homines redemerit; sed augent efficaciam extensivam, prout scilicet hoc modo omnia membra corporis mystici Christi cooperentur cum capite, ut elucescat unitas corporis totius.

[19] CAPUT III

ECCLESIA POTESTATEM HABET THESAURUM SATISFACTIONUM CHRISTI ET SANCTORUM DISPENSARE

1. Haec doctrina sponte profluit ex praecedentibus. Thesaurus satisfactionum Christi et Sanctorum est thesaurus Ecclesiae; ergo Ecclesia potest ex hoc thesauro haurire et dispensare christifidelibus, vivis et defunctis.

2. Scriptura Sacra non dicit esse de potestate Ecclesiae haurire ex thesauro et dispensare fidelibus. Tamen ex Scriptura scimus Christum Ecclesiae dedisse potestatem contra peccata in genere. Sic in notissimo textu S. Ioannis: « Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt » (*Io.* 20, 23).

Quae quidem potestas intelligenda est proprie de remissione peccati per sacramentum; sed insuper de ampliore munere Ecclesiae contra peccatum in genere, etiam extra activitatem sacramentalem. Si enim Ecclesia remittere potest ipsam culpam peccati, quod est principale, a fortiori potest etiam poenam temporalem per potestatem suam remittere; quod quidem fit etiam per elargitionem thesauri satisfactionum in Ecclesia exsistentis.

Haec vero doctrina confirmatur alio textu S. Matthaei: « Tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis » (*Mt.* 16, 19) et textu parallelo in quo Christus apostolos omnes alloquitur: « Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo »

(*Mt.* 18, 18). A Christo ergo data est potestas amplissima ad aedificationem [19]
regni Dei; in qua etiam potestas contra poenas temporales peccati includitur.

3. Ecclesiam habere potestatem largiendi fidelibus thesaurum satisfactionum Christi et Sanctorum confirmatur a traditione, in qua notio indulgentiae paulatim declarata est.

Caput IV [20]

BREVIS INDULGENTIARUM HISTORIA

1. In principio non adest explicita notitia de differentia inter culpam et poenam peccati, sed iam adsunt fundamenta distinctionis huius.

Nam statim a principio magna adest differentia inter remissionem totalem peccatorum, et culpae et poenae, quae fit in baptismo, et remissionem peccatorum post baptismum patratorum, quae secumfert longam et laboriosam subiectivam paenitentiam. Attamen ille qui post baptismum peccaverat, in initio conversionis salvus considerabatur, etsi longam debebat agere paenitentiam personalem.

2. Iam antiquis temporibus usus erat ut episcopi in sua ecclesia poenas paenitentiales breviarent ex motivis diversis in bonum animarum et Ecclesiae.

E. g., Episcopi africani, anno 410, cum plures donatistae ad Ecclesiam catholicam redirent, illos redintegrarunt immediate, quia numerus eorum nimis erat ut omnes paenitentiam publicam facerent (cf. S. Augustinus, *Contra Cresconium,* n. 2, cc. 11-12: *PL* 43, 474-475).

Eratne hic usus condonandi paenitentiam canonicam vera condonatio etiam poenae debitae pro peccato coram Deo? Scilicet, erat haec condonatio vera indulgentia? Hoc non constat; non constat scilicet de intentione episcopi condonandi simul cum poena canonica facienda coram Ecclesia etiam poenam temporalem coram Deo debitam.

3. Alius fuit usus in antiqua Ecclesia; scilicet lapsi in persecutione ad confessores adhuc in carcere detentos currebant et ab illis petebant libellum pacis, hoc est, libellum per quem confessores peccatorem commendabant apud episcopum.

Qui quidem, intuitu abundantiae meritorum martyrum, remittebat etiam coram Deo poenam pro peccato subeundam, et statim pacem cum Ecclesia peccatori dabat. *Hoc videtur primum exemplum indulgentiae.*

Confessores, ut Cyprianus scribit, ad episcopum litteras dirigunt, quibus exa- [21]
minari desideria sua et lapsis quibusdam dare pacem expostulant (*Epist.* 11, 1; 16, 1; etc.: *PL* 4, 263; 276). Tunc episcopus examinat petitionem « si iusta, si licita, si non contra ipsum Dominum faciendam... si petentis fuerit religiosa moderatio » (*De lapsis* 18: *PL* 4, 495).

Condonationem poenae propter intercessionem martyrum explicite Cyprianus indicat (*De lapsis,* 17, 36: *PL* 4, 495, 508): « Credimus quidem posse apud iudicem plurimum martyrum merita et opera iustorum; sed cum iudicii dies venerit,

[21] cum, post occasum saeculi huius et mundi, ante tribunal Christi populus eius astiterit ». « Paenitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quidquid pro talibus et petierint martyres et fecerint sacerdotes ».

4. A saeculo septimo et deinceps incipiunt sic dictae *redemptiones* et *romanae peregrinationes.*

Redemptiones dicebantur illa opera quae supplebant ex dispositione confessarii paenitentias canonicas.

Redemptiones plures inveniuntur in documentis historicis; sic Petrus Damianus enarrat Episcopo mediolanensi, quia permiserat simoniam, indictam esse paenitentiam centum annorum, « redemptionemque eius taxatam per unumquemque annum pecuniae quantitate » (*Opusc.* V: *PL* 145, 95).

Peregrinationes vero *romanae* usitatae erant a saeculo VII et deinceps crebriores fiunt. Romam peregrinantibus Romani Pontifices minorem imponebant paenitentiam et propter difficultatem peregrinationis ipsius et propter devotionem erga beatissimos Apostolos Petrum et Paulum.

Et de hoc plura sunt documenta. E. g., Ioannes VII (877) hortatur episcopum quendam de paenitentia minore iniungenda peccatori Romam peregrino: « Mitius cum eo agere non detrectes, et eo quod ad sanctos apostolos fecit confugium in his quae oportuerit... misereri illius non omittas » (*PL* 126, 743).

Redemptiones ac peregrinationes romanae suntne verae et propriae indulgentiae? Non adsunt declarationes de hac re; tamen ipsa rei consideratio conclusionem indicat negativam. Nam redemptiones non apparent esse nisi commutationes, per quas paenitentia aliqua, quae inopportuna videtur, commutatur in aliam faciliorem. Nec tamen constat de intentione commutantis
[22] supplere ex thesauro Ecclesiae deficientiam satisfactionis ex commutatione resultantem. Etiam peregrinationes romanae considerabantur ut aliquod opus bonum ad redemptionem peccatorum; et non constat de intentione Romani Pontificis supplere ex thesauro Ecclesiae, quando mitiorem imponebat paenitentiam Romam peregrinantibus.

5. In primo medio aevo floruerunt sic dictae *absolutiones,* et extra sacramentum paenitentiae a S. Gregorio Magno et in ipso sacramento a saeculo x.

Erant formulae deprecativae orationis ut Deus peccata remitteret. Christifideles contra peccatum frequentes desiderabant absolutiones, quae in liturgiam (e. g. *Confiteor*) intraverunt, tam pro vivis quam pro defunctis. Quod desiderium destruendi peccatum et eius consequentias praeparavit institutionem indulgentiae.

6. Inde a saeculo XI frequentior est usus redemptionum seu commutationum, quae proxime ad rationem indulgentiae accedunt proprie dictae. Summus Pontifex et episcopi remittebant partem paenitentiae debitae ex sacramentali confessione, quartam partem, vel tertiam, vel ut maximum dimidiam, his omnibus christianis, qui aliquod opus bonum fecerint, uti eleemosynas pro extructione ecclesiae vel loci pii, aut auxilium praestiterint ad opus publicae utilitatis, ut ad pontem, ad hospitium, etc.

Posterius, iuxta exemplum Summi Pontificis, dimittebatur paenitentia canonica ecclesiae iuxta numerum dierum; in saeculo XI usque ad quadraginta dies, in saeculo XII usque ad unum annum et quadraginta dies. [22]

His duobus saeculis, XI et XII, indulgentia plenaria conceditur tantum cruciatis.

Prima indulgentia plenaria concessa est a Papa Urbano II in Concilio Claromontano (Clermont 1095): « Iter illud pro omni paenitentia computetur » (MANSI, XX, 816).

Idem Urbanus II, ad Bononienses scribens, ait: « Paenitentiam totam peccatorum, de quibus veram et perfectam confessionem fecerint, per omnipotentis Dei misericordiam et Ecclesiae catholicae preces, tam nostra quam omnium pene archiepiscoporum et episcoporum qui in Gallia sunt, auctoritate dimittimus, quoniam res et personas suas pro Dei et proximi caritate exposuerunt » (*PL* 151, 483).

Certum est in hac periodo indulgentiam etiam coram Deo validam existimari; hoc clare exprimit Caelestinus III Papa (1191-1198): « Sive autem supervixerint sive mortui (qui cruciatis opus dabant) et omnibus peccatis suis, de quibus rectam confessionem fecerint, impositae satisfactionis relaxationem de omnipotenti Dei misericordia, et apostolorum Petri et Pauli auctoritate et nostra, se noverint habituros » (*PL* 206, 1109). [23]

7. In saeculo XIII indulgentia paulatim evolvitur. Concilium Lateranense IV (1214) restringit episcoporum potestatem, statuens ne ultra annum concedant indulgentiam pro ecclesiae dedicatione et ne ultra 40 dies pro eius die anniversaria (DENZ. 819).

In hoc saeculo concessa est indulgentia Portiunculae visitantibus ecclesiam S. Mariae Angelorum die 2 augusti.

In hoc eodem saeculo theologia plurimum perficit doctrinam de indulgentiis: affirmantur valor remissionis poenarum coram Deo, thesaurus Ecclesiae satisfactionum, possibilitas indulgentiarum pro defunctis. De his praesertim docuerunt S. Albertus Magnus, S. Bonaventura, S. Thomas. Et Henricus Gandavensis potuit hanc dare definitionem indulgentiae: « Remissio sive relaxatio poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae relictae in absolutione sacramentali, facta rationabiliter a legitimo praelato Ecclesiae in recompensationem ex thesauro Ecclesiae de supererogatione sive poena indebita iustorum proveniens » (Quodl. 15, q. 14).

Bonifacius VIII anno 1300 voluit indulgentiam plenariam iubilarem; Clemens VI statuit, anno 1343, iubilaeum singulis quoque 50 annis; Urbanus VI, anno 1389, singulis quoque 30 annis; Paulus II, anno 1470, singulis 25 annis.

8. In saeculo XIV indulgentiae multiplicantur et opus indulgentiatum fit magis ac magis facile. Etenim tariffae paenitentiales non amplius imponuntur in confessionibus sacramentalibus; et tamen adhibentur ad indicandam poenam debitam pro peccato in indulgentiarum concessione. Tamen dies, mensis, annus paenitentiae nihil determinatum indicabant, ita ut facilius indulgentiae concederentur.

Magnum factum saeculi XIV est multiplicatio indulgentiarum.

[24] Ioannes XXII († 1334) dedit litteras confessionales, quibus concessionarius poterat in mortis periculo sacerdotem appellare, ut ipsum absolveret ab omnibus peccatis et a poenis: « Ut confessor tuus, quem duxeris eligendum, omnium peccatorum, de quibus corde contritus et ore confessus extiteris, ac poenarum etiam quibus tunc pro peccatis ipsis eris obnoxius, eam plenam remissionem... concedere valeat ». (Apud E. Göller, *Die päpstliche Pönitentiarie von ihrem Ursprung bis zu ihrer Umgestaltung unter Pius V,* I B., I T., Rom 1907, p. 221).

Opus bonum, quod imponebatur ad lucrandam indulgentiam, erat frequenter eleemosyna; inde facile intelligi possunt abusus. Praeterea, quaestores, scilicet illi qui munus habebant indulgentiam praedicandi et eleemosynas colligendi, non semper recte loquebantur. Imo erant etiam falsi quaestores, qui hoc modo conabantur dolo pecuniam sibi comparare. Abusus fuerunt in immoderatis petitionibus et concessionibus indulgentiarum; et litterae, quibus populo indulgentiae manifestabantur, non semper clarae erant. Ex his abusibus reformatores occasionem habuerunt, false quidem, de venditione indulgentiarum Ecclesiam catholicam accusare.

9. Indulgentia plenaria pro animabus purgatorii concessa est die 3 augusti 1476 a Sixto IV (Denz. 1398 et 1405), qui declarabat hanc indulgentiam acquisitam per eleemosynam in favorem Ecclesiae S. Petri, in civitate « Saintes » (Gallia), applicabilem esse pro animabus defunctis *ad modum suffragii;* ita scilicet ut non esset certum de suo absoluto valore, utrum nempe illa anima a purgatorio liberationem statim consequeretur. Iam S. Bonaventura (IV Sent., d. 20, p. 2, ad 1, q. 5) et S. Thomas (IV Sent., d. 45, c. 2, a. 3, sol. 2) docuerant Ecclesiam posse indulgentiam pro defunctis erogare et fideles hanc concessionem expectabant. Post aliqua saecula Ecclesia indulgentias defunctis applicabilem concessit.

10. Concilium Tridentinum nihil dicit expresse de doctrina circa indulgentias; tamen illam generatim probat et confirmat, curans summopere abusus omnes exstirpare: « In his tamen concedendis moderationem ... adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt et quorum occasione hoc indulgentiarum nomen ab haere-
[25] ticis blasfematur, emendatos et correctos cupiens, praesenti decreto generaliter statuit, pravos quaestus omnes pro his consequendis ... omnino abolendos esse » (Sessio XXV, *De indulgentiis*: Denz. 1835).

11. Saeculis subsequentibus et usque ad hodiernum diem, nihil quoad principia theologica indulgentiarum innovatum est, nec innovandum censetur. Nunc tamen novam disciplinam inducere novamque praxim promulgare, principiis ipsius Concilii Tridentini magis cohaerentes, opportunum videtur, non ex theologicis ambigibus, sed ex voluntate abusus compescendi, indulgentiarum dignitatem extollendi, pietatem ac devotionem in fidelibus fovendi.

Caput V [26]
DE NATURA INDULGENTIAE

1. Super hanc prius propositam doctrinam et iuxta hanc delineatam historicam evolutionem notio indulgentiae paulatim efformata est.

Est ergo indulgentia remissio poenae temporalis apud Deum valida, a legitima auctoritate concessa extra sacramentum per applicationem thesauri Ecclesiae et pro vivis et pro defunctis (cf. can. 911 C.I.C.).

2. Indulgentia est remissio poenae temporalis, non vero culpae. Haec est constans et communis doctrina in Ecclesia; remissio enim culpae fit per absolutionem sacramentalem.

Hoc valet immediate et specialiter pro peccatis mortalibus. Ad peccata venialia quod attinet, indulgentia remittit quidem poenam temporalem. Pauci theologi, qui peccatum veniale in solo reatu poenae consistere putant, dicere possunt indulgentiam totum peccatum veniale remittere. At generatim culpam venialem per ipsam indulgentiam remitti negant theologi.

Hic explicandae sunt aliquae formulae quae difficultatem fecerunt reformatoribus, quasi Ecclesia voluisset culpas extra sacramentum paenitentiae remittere.

a) Nam in documentis pontificiis adest quandoque formula « remissio omnium peccatorum ». Sic Bonifatius VIII, in Bulla *Antiquorum habet,* scribit: « Nos igitur ... vere paenitentibus et confessis ... non solum plenam et largiorem, immo plenissimam omnium suorum concedemus et concedimus veniam peccatorum ... » (Denz. 868).

Sic etiam Martinus V hanc interrogationem Wyclifitis et Husitis proponit: « Item, utrum credat, quod Papa omnibus christianis vere contritis et confessis ex causa pia et iusta possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum, maxime pia loca visitantibus et ipsis manus suas porrigentibus adiutrices » (Denz. 1266). Etc.

Ut ex contextu patet, expressio « remissio peccatorum » indicat remis- [27]
sionem tantum poenae, non culpae; nam culpa supponitur remissa per sacramentalem absolutionem, quae in textu expresse nominatur: « vere contritis et confessis ».

b) Item in documentis ecclesiasticis aliquando adhibita est formula: « indulgentia a culpa et a poena », quae idem significat ac praecedens formula.

Haec formula hanc habuit historicam originem. In concessione primae indulgentiae plenariae datum est cruciatis ut possent sacerdotem eligere qui ipsos absolveret a peccatis omnibus et deinde plenariam indulgentiam ipsi applicaret; exinde dictum est cruciatis concessam esse « indulgentiam a culpa et a poena ». Posterius haec expressio repetita est in occasione Iubilaei. Eadem gratia concessa est aliquibus per sic dictas *litteras confessionales,* cum eadem expressione.

Haec vero locutio, scilicet « indulgentia a culpa et a poena » erat revera

[27] popularis et vulgata; tamen non adhibebatur in Bullis ad indulgentiam concedendam; et theologi ac canonistae eam reiciebant. Imo Bonifatius VIII et Clemens V illam exprobaverunt, quia non exactam; insuper quia quaestores indulgentiarum illa abutebantur.

3. Remissio poenae per indulgentiam concessa valet etiam coram Deo.

Haec doctrina impugnata est a Petro de Osma (Denz. 1416). Negata est a Luthero affirmante indulgentias remittere tantum poenam ecclesiasticam (prop. 18-22: Denz. 1468-1472). Error Lutheri reassumptus est a Baio (Denz. 1960) et a Pistoriensibus (Denz. 2640); quem Pius VI damnavit ut doctrinam « falsam, temerariam, Christi meritis iniuriosam dudum in art. 19 Lutheri damnatam » (Denz. 2640).

Ceterum, ut S. Thomas (*Suppl.,* q. 25, a. 1) et Alexander Halensis (*Summa Theol.,* p. IV, q. 23, m. 1, a. 1) notant, si indulgentia valida esset tantum coram Ecclesia et non coram Deo, iam esset deceptio et damnum potius fidelibus.

Revera tunc per indulgentiam dimittebantur poena coram Deo et etiam poena ecclesiastica. Urbanus II scribit: « Benefacientibus et eundem locum colentibus quartam paenitentiae partem ab episcopo sive a presbytero illis iniunctam condonavimus » (Urbanus II, *Anal. Iuris Pontif.,* Romae, X
[28] [1869], p. 528). Et in concessione indulgentiae plenariae cruciatis, in canone 2 Concilii Claromontani (Mansi XX, 816), scripsit: « Iter illud pro omni paenitentia reputetur ». Similiter alii Pontifices dixerunt in pluribus aliis documentis; quibus proinde constat Ecclesiam voluisse non tantum poenam coram Deo dimittere, sed etiam poenam ecclesiasticam.

Ex his determinatur sensus expressionum hodie valde usitatarum: indulgentia centum, ter centum, etc., hoc est: illa remissio coram Deo poenae temporalis, quae comparata esset per centum, ter centum dies paenitentiae ecclesiasticae. Et indulgentia plenaria hoc significat: tanta dimittitur poena ecclesiastica, quanta necessaria esset ad satisfactionem omnium poenarum, ita ut tota poena revera dimissa sit coram Deo.

4. Remissio poenae temporalis per indulgentiam non fit vi sacramenti. Est tamen non ex opere operantis, sed *ex opere operato,* ut dicunt, etsi non identico modo ac in sacramentis expressio *ex opere operato* intelligitur.

Indulgentia non dependet a devotione recipientis, nec ab opere praestito a lucrante. Nam opus hoc tantum conditio reputatur et indulgentia recipitur et agit non proprie ex virtute huius operis. Valet enim ex eo quod datur ab auctoritate, impletis conditionibus, et de se efficax est tantum quia auctoritative datur. Thesaurus Ecclesiae et auctoritas hauriens ex hoc thesauro constituunt efficacitatem indulgentiae. Et hoc sensu indulgentia dicitur valere *ex opere operato.* Haec est etiam opinio S. Thomae. Nam in *Supplemento* scriptum invenimus: « Indulgentiae simpliciter tantum valent quantum praedicantur » (*Suppl.,* q. 25, a. 2).

Hoc verum est etiam in nova norma pro indulgentia partiali, in qua — uti infra explicabitur (Pars II, Caput I, n. 7 a) — effectus indulgentiarum totus quan-

tus pendet *formaliter* a concessione Ecclesiae, quamvis *materialiter* quantitas satisfactionis ex thesauro Ecclesiae depromptae aequalis sit satisfactioni operis a christifideli hic et nunc praestiti. [28]

Nova norma pro indulgentia partiali — uti videbimus — *non solvit, sed adimplet* (cf. *Mt.* 5, 17) seu perficit doctrinam traditionalem indulgentiae, intimam connexionem instituens cum virtute theologica caritatis, et sic christifideles apte sollicitat ad perfectionem assequendam (Pars III, Caput I, n. 3).

5. Indulgentia suam efficacitatem haurit ex thesauro Ecclesiae. At ex hoc thesauro haurire potest ille tantum qui habet auctoritatem in Ecclesia; auctoritatis enim legitimae est thesaurum communem societatis administrare. [29]

Quomodo vero auctoritas in Ecclesia indulgentiam applicat? Et quidem, qua ratione vivis et qua ratione defunctis?

a) Considerandum est antiquitus indulgentiam liberavisse a poena ecclesiastica, quae liberatio valida existimabatur etiam relate ad poenam coram Deo. Et ideo superius dicebamus indulgentiam esse etiam relaxationem poenae ecclesiasticae iniunctae in sacramento confessionis.

Quod attinet ad remissionem paenitentiae ecclesiasticae optime expressio adhiberi potest: « Indulgentia applicatur vivis *per modum absolutionis* ». Nam poena ecclesiastica imposita est a iudice ecclesiastico. Et ab hoc iudice pendet utrum poena relaxari seu remitti possit. Et si iudex relaxat, iam hoc facit per iudicialem potestatem, hoc est per modum absolutionis. Quae remissio etiam coram Deo valida existimabatur, quia debitum poenae supplebatur ab Ecclesia per thesaurum satisfactionum Christi et Sanctorum.

Quando vero Ecclesia non amplius iniungit poenas ecclesiasticas, ut olim faciebat, et non amplius de his poenis curat in concessione indulgentiarum, iam indulgentia evadit quidem remissio poenae coram Deo valida, non autem remissio poenae ecclesiasticae. Quam ob rem deest absolutio a poena ecclesiastica, sed remanet relaxatio poenae coram Deo. Haec autem relaxatio estne absolutio necne? Iam S. Thomas negabat hoc sensu veram rationem absolutionis poenae coram Deo validae in indulgentiis: « Qui indulgentias suscipit, non absolvitur, simpliciter loquendo, a debito poenae; sed datur ei unde debitum solvat » (*Suppl.,* q. 25, a. 1, ad 2).

Sunt revera aliqui vere boni theologi, qui putant indulgentias datas vivis per modum absolutionis esse veram absolutionem a reatu poenae coram Deo validae; sic Caietanus (*De Indulgentiis,* c. 2, 6), Bellarminus (*De Indulgentiis,* I, c. 5, 6), Suarez (*De Indulgentiis,* disp. 49, s. 4) et alii post ipsos. Contra quos aliqui obiciunt Ecclesiam remittere quidem in foro sacramentali et culpam et poenam aeternam et etiam aliquam poenam temporalem ad modum absolutionis, per potestatem clavium a Christo datam; sed non habere po- [30]
testatem eodem modo absolvendi poenas temporales extra sacramentum. Secus magis posset Ecclesia in remittendis poenis temporalibus extra sacramentum quam in sacramento; quod non est conveniens.

Quam ob rem putant alii per indulgentias peccatorem non absolvi a poenis temporalibus, sed ipsi dari « unde debitum solvat » (*Suppl.,* loc. cit.). Et hinc melius diceretur indulgentias dari vivis *per modum solutionis;* ita ut

[30] remaneat in potestate Dei determinare quanta pars satisfactionis ab Ecclesia oblatae revera cedat in bonum lucrantis.

Quae duae opiniones de facto non implicant differentiam circa usum practicum indulgentiarum, nec quoad modum determinationis quantitatis poenae temporalis remissae.

Nec tamen sequitur indulgentiam esse tantum orationem Ecclesiae, meritis Christi et Sanctorum innixam, ut Deus purificet fidelem paenitentem, prout aliqui affirmant. Nam ipse actus quo Ecclesia disponit ut determinata quantitas satisfactionum ex suo thesauro christifideli proficiat ad remissionem poenae temporalis, est iam actus iurisdictionalis, et non tantum oratio. Nam Ecclesia potestatem habet ut ex suo thesauro donet pro suo subdito; quod facere non potest pro defunctis, qui sui subditi non amplius sunt.

b) Quod attinet ad indulgentiam pro defunctis, iam minor difficultas habetur explicandi modum applicationis meritorum Christi, quia Summus Pontifex, eandem concedens, iam praecise determinavit valorem illius esse *ad modum suffragii.* Sixtus enim IV concedens indulgentiam pro defunctis, sic scribebat: « Volumus ipsam plenariam remissionem per modum suffragii ipsis animabus purgatorii ... pro relaxatione poenarum valere ac suffragari » (DENZ. 1398). Et, suam mentem explicans, Pontifex posterius scripsit: « Ut illa [indulgentia] in modum suffragii animarum saluti prodesset, perindeque ea indulgentia proficeret, ac si devotae orationes piaeque eleemosynae pro earumdem animarum salute dicerentur et offerentur » (DENZ. 1405).

Quantum vero proficiat indulgentia plenaria pro animabus defunctorum explicatum est authentice a S. Congregatione Indulgentiarum: « Si spectetur
[31] mens concedentis et usus potestatis clavium, intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam, cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet » (*Decreta authentica,* n. 283).

Hic est ergo sensus expressionis « ad modum suffragii »: Summus Pontifex de thesauro Ecclesiae offert Deo satisfactiones in favorem illius animae purgatorii pro qua indulgentia plenaria concessa est, quantum esset necessarium ad totam poenam abluendam. Deus vero acceptat oblationem Ecclesiae; at in sua iustitia decernit quantum animae condonatur. Similiter de indulgentia partiali dicendum est.

[32]
CAPUT VI
DE CONDITIONIBUS ET DE UTILITATE INDULGENTIARUM

1. Hic autem est attendendum *ad conditiones* ut indulgentia valide concedatur et licite; et ut valide acquiratur.

a) Quod attinet ad concessionem indulgentiarum est necessaria *legitima auctoritas* concedentis. Nam indulgentia datur ex thesauro Ecclesiae,

quae est societas. Nunc autem thesaurus societatis est in bonum singulorum [32] et communitatis; ex illo non possunt haurire privati, sed tantum illi qui habent auctoritatem legitimam in societate.

b) Cum vero praelatus in Ecclesia sit tantum dispensator thesauri satisfactionum, et non dominus, ideo requiritur *causa iusta* ad indulgentiam largiendam, quatenus bonum animarum, honor Ecclesiae et Dei promoveatur. Sic Leo X loquitur de « rationabilibus causis » (Denz. 1448) ad indulgentiam concedendam.

c) Ex parte recipientis conditiones ad indulgentiam lucrandam facile enumerantur.

Debet quidem adesse *character baptismalis,* quia indulgentia datur membris Ecclesiae, et quilibet fit membrum Ecclesiae per baptismum aquae, quo character baptismalis imprimitur.

Praeterea est necessaria *intentio lucrandi indulgentiam,* saltem generalis, ad normam canonis 925, n. 2 *C.I.C.*

Insuper debet *opus praescriptum* fideliter impleri.

Etiam *status gratiae* est necessarius, « saltem in fine operum praescriptorum » (*C.I.C.,* can. 925, n. 1).

2. *Utilitatem* indulgentiae non est qui non videat.

Verum est quidem indulgentiam non esse necessariam ad salutem aeternam aut ad perfectionem animarum. Indulgentia enim nullam habet vim medendi vulnera peccatorum; et melius est opus bonum quod et animam perficit et meritum aeternum comparat. Unde S. Thomas hortabatur magis ad opus satisfactorium, quam ad indulgentias lucrandas; sic enim mens eius manifestatur in *Supplemento*: « Quamvis indulgentiae multum valeant ad [33] remissionem poenae, tamen alia opera satisfactoria sunt magis meritoria, respectu praemii essentialis; quod in infinitum melius est quam dimissio poenae temporalis » (*Suppl.,* q. 25, a. 2, ad 2).

Tamen indulgentiae sunt magnae utilitatis fidelibus. Hoc docet Concilium Tridentinum (Denz. 1835); sic etiam can. 911 *C.I.C.* Nam non tantum perficitur remissio poenae temporalis, sed praebetur quasi in compendio summa catholicae fidei, et fere omnia dogmata recapitulantur in indulgentiis: gravitas peccati, iustitia divina, redemptio Christi, valor satisfactionum Christi et Sanctorum, Communio Sanctorum in corpore mystico Christi, potestas Romani Pontificis, purgatorium etc. Praeterea fovetur exercitium virtutum per preces vel pia opera praescripta.

Tandem pietas erga defunctos maxime exercetur. Eo vel magis quod haec pietas valde in populo radicata est, et per indulgentias excolitur, perficitur, expurgatur a superstitionibus. Quo fit ut erga fidem catholicam animus populorum inclinetur, qui omnes devotionem et amorem erga defunctos habent, ipsa natura humana edocti.

(R. M., *Notae historico-theologicae,* in Actis Commissionis).

[33] * * *

Amplissima bibliographia antiqua et recens apud De Angelis, *De Indulgentiis,* in Civitate Vaticana, 1950[2].

Recentior bibliographia et recentiores opiniones apud *Lexikon für Theologie und Kirche,* Freiburg, in Br., 1957[2], I, cc. 46-54.

[37] PARS II

SCHEMA
PRO INDULGENTIIS RECOGNOSCENDIS

Prooemium

Schema, quod proponitur, admodum paucis constat normis, quibus statuuntur tantum quae, iuxta Commissionis mentem, quoad indulgentias innovanda sunt.

Quodsi nova indulgentiarum disciplina in pauca confertur, ex attenta Capitum lectione et comparatione, necnon ex Commentariis in tertia huius tractationis parte additis, patebit qua assidua et diuturna elaboratione perpensa fuerint quae tam breviter praebentur.

In favorem huius Schematis est quod sacrorum Canonum praescripta fere integre servat, dum Decretorum Authenticorum densas vepres maxima ex parte perfringit.

Decretorum Authenticorum enim congeries, ad indulgentias reales quod attinet, utilis quidem fuit ad moderandam materiam quae quendam superstitioni locum dare poterat.

Nunc vero, hisce Decretis maxima ex parte posthabitis, tota indulgentiarum disciplina, circa pietatis obiecta, quatuor tantum regitur normis (Cap. IV).

Pari modo, complexa materia piarum Associationum earumque Scapularium, Cingulorum, Cincturarum. Numismatum, duabus tantum normis clare et plene definitur (Cap. III, n. 3 et Cap. IV, n. 2).

Ad sequentia, quoad particularia, remittentes, hic meminisse sufficiat rationem et ordinem quae in Schemate parando adhibita sunt.

Prior et praestantior cura fuit disciplinandi indulgentias partiales iuxta novam omnino mensurae normam. Dein normae circa indulgentiam plenariam
[38] iuxta rigidiorem et insimul simpliciorem rationem recognitae sunt. Tandem principia quibus indulgentiae personales, reales et locales reguntur, radicitus sunt innovata.

Quinque igitur habentur Capita:

Caput I: De indulgentia partiali.

Caput II: De indulgentia plenaria.

Caput III: De indulgentiis personalibus. [38]
Caput IV: De indulgentiis realibus.
Caput V: De indulgentiis localibus.

Caput I [39]

DE INDULGENTIA PARTIALI

1. Indulgentia partialis, preci vel pio operi adnexa, his tantum verbis « indulgentia partialis » designatur, nulla addita dierum vel annorum determinatione.

2. Per indulgentiam partialem, preci vel pio operi adnexam, Ecclesiastica Auctoritas christifideli concedit, ex thesauro Ecclesiae, tantam adhuc remissionem coram Deo poenae temporalis, quantam ipse eadem prece vel pio opere iam acquirit.

Caput II [40]

DE INDULGENTIA PLENARIA

1. Una tantum indulgentia plenaria in die acquiri potest.

2. Ad quamlibet indulgentiam plenariam acquirendam requiruntur: positio operis indulgentia ditati et adimpletio intra tempus determinatum trium conditionum, quae sunt: sacramentalis confessio, communio eucharistica, oratio ad mentem Summi Pontificis.

3. Tres praedictae conditiones adimpleri possunt vel die quo ponitur opus, indulgentia ditatum, vel etiam hebdomada praecedenti aut subsequenti praedictum diem.

4. Ad unamquamque indulgentiam plenariam lucrandam requiritur distincta communio eucharistica.

5. Christifidelis qui opus indulgentia plenaria ditatum ponit quidem, sed conditiones intra tempus determinatum non adimplet, indulgentiam partialem acquirit.

6. Speciales normae statuentur ad indulgentiam Anni Iubilaris, quo durante, indulgentiae quoque ordinariae simul acquiri poterunt.

Caput III [41]

DE INDULGENTIIS PERSONALIBUS

1. Indulgentiis ditentur praecipua opera quae ad apostolatum pertinent et misericordiae caritatisque formam induunt.

2. Rosarium mariale prae ceteris coronis principem locum teneat, etiam quoad indulgentias.

[41] 3. Piis Associationibus, cuiusvis originis et naturae, quaedam tribuantur indulgentiae plenariae, circa decem per annum; aliae omnibus Associationibus communes, in solemnioribus festivitatibus D. N. I. C. et B. M. V., aliae singulis speciales.

Indulgentiis insuper partialibus ditentur opera uniuscuiusque Associationis propria.

Indulgentiae, de quibus supra, cum adhaereant adimplemento precum vel piorum operum quae singulis Associationibus sunt propria, non autem usui insignium, inter personales in posterum recensentur.

4. Summaria Ordinum et Congregationum religiosarum recognoscantur.

5. In postrema concione Adventus, Quadragesimae, Spiritualium Exercitiorum et sacrarum Missionum, omnes sacerdotes concionatores impertiri poterunt benedictionem cum Crucifixo et unico Crucis signo cum adnexa plenaria indulgentia, lucranda ab omnibus christifidelibus qui, suetis conditionibus adimpletis, postremae eidem concioni adfuerint et tertiam saltem earundem concionum partem audierint.

[42]

Caput IV

DE INDULGENTIIS REALIBUS

1. Christifidelis qui habitualiter unum vel plura pietatis obiecta (crucifixum, crucem, coronam, scapulare, cingulum, cincturam, numisma) rite benedicta devote defert, acquirit indulgentiam partialem quotidie, plenariam autem, suetis conditionibus, semel in anno.

2. Omnes aliae indulgentiae iam rebus adnexae (scapularibus, cingulis, cincturis, numismatibus) per ea quae in Cap. III n. 3 « De indulgentiis personalibus » statuuntur, in personales mutantur.

Insignia, singulis Associationibus propria, adscriptionis signa manebunt.

3. Omnibus sacerdotibus competit non solum pietatis obiecta benedicere, sed eadem etiam indulgentiis de quibus in n. 1 ditare.

Benedictio crucifixi secumfert insuper indulgentiam Viae Crucis pro « impeditis » et indulgentiam in articulo mortis, quae tamen, si aliter obtineri nequeat, etiam per crucifixum non benedictum acquiri potest, servatis ceteris de iure servandis.

4. Christifidelis qui unum vel plura pietatis obiecta (crucifixum, crucem, coronam, numisma, parvam statuam) a Summo Pontifice vel a quolibet Episcopo benedicta secum pie defert vel domi reverenter servat, lucrari valet — praeter communes indulgentias quas ad normam n. 1 acquirere potest — aliam indulgentiam plenariam die festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, suetis conditionibus adimpletis, et insuper indulgentiam plenariam in articulo mortis, servatis ceteris de iure servandis.

CAPUT V [43]

DE INDULGENTIIS LOCALIBUS

1. Normae quae circa indulgentiam plenariam statuuntur, indulgentiis quoque plenariis « toties quoties » extenduntur (indulgentiis Portiunculae et Viae Crucis non exceptis).

2. « Indulgentia plenaria toties quoties » in posterum simpliciter dicatur « indulgentia toties quoties ». Christifidelis qui opus praescriptum pluries ponit lucrari potest quolibet die unam indulgentiam plenariam, suetis conditionibus adimpletis, et toties indulgentiam partialem quoties preces praescriptas, quin de ecclesia exire debeat, devote repetit.

3. Omnes indulgentiarum localium concessiones in perpetuum actu exsistentes recognitioni seu reductioni, ut plurimum, non subicientur, servatis tamen normis pro indulgentiis plenariis supra statutis. Novae autem concessiones et prorogationes moderate fient.

4. Altare privilegiatum, sive locale sive personale, supprimitur; sed pia Mater Ecclesia, fidelium defunctorum apprime sollicita, iisdem amplissime Missae sacrificio suffragari intendit; filios quoque viatores hortatur ut a divina misericordia impetrent « omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis ».

PARS III [47]

SCHEMATIS PRO INDULGENTIIS RECOGNOSCENDIS COMMENTARIUM

CAPUT I

DE INDULGENTIA PARTIALI

COMMENTARIUM

1. Nova norma pro indulgentia partiali est punctum praecipuum, veluti polus, totius recognitionis indulgentiarum.

Necesse proinde erit aliquantulum immorari in huius novae normae commentario.

Proposita in Commissionis pro indulgentiis Congregatione diei 22 aprilis ab uno ex Commissariis, fuit ab aliis statim magna attentione excepta, quamvis etiam sub conditione eandem, in se et in consectariis, penitius investigandi.

Sex Vota a Commissariis circa eandem normam parata sunt, quae deinde in tribus Congregationibus Commissionis excussa sunt.

[47] Tria ex dictis Votis et Tabellae disceptationum inserta tandem sunt in Commissionis « Relazione ».

Definitiva novae normae pro indulgentia partiali compositio, prouti in Schemate refertur, est sequens:

« *Per indulgentiam partialem, preci vel pio operi adnexam, Ecclesiastica Auctoritas christifideli concedit, ex thesauro Ecclesiae, tantam adhuc remissionem coram Deo poenae temporalis, quantam ipse eadem prece vel pio opere iam acquirit* ». (Schema I, 2).

Utile videtur, ad magis illustrandam novam hanc normam pro indulgentia partiali, heic adicere duas alias formulas, quarum prima, lingua italica exarata, refert verba Commissarii qui, in Congregatione Commissionis diei 22 aprilis 1964, dictam novam normam primus proposuit.

a) L'Autorità Ecclesiastica, concedendo ad una pia pratica l'indulgenza parziale, intende aggiungere al frutto soddisfattorio, che il fedele acquista « sua actione », *altrettanta* soddisfazione « ex thesauro Ecclesiae ».

[48] *b*) Per indulgentiam partialem, preci vel pio operi adnexam, Ecclesiastica Auctoritas, remissioni coram Deo poenae temporalis, quam christifidelis eadem prece vel pio opere iam acquirit, addere intendit *aequalem prorsus* remissionem ex thesauro Ecclesiae.

2. Nova norma numeros et computationes vitat, et nihilominus, aptius ac in vigenti norma indulgentiae quantitatem definit.

Loci (seu « citationes »), ex Votis, ex « Relazione » et ex Actis Commissionis pro indulgentiis excerpti, referuntur infra lingua qua scripti sunt.

Tamen, a latere, singulorum locorum sensus lingua latina redditur, astricte quidem, at simul, quoad substantiam, fideliter et integre.

a) « Nella norma vigente i giorni e gli anni di indulgenza corrispondono, come si è sempre insegnato, a giorni ed anni dell'antica penitenza. Ma, di quale tempo? di quale luogo? da chi e come eseguita? Così che, non ostante la precisazione dei numeri, nulla sappiamo della reale misura delle indulgenze; possiamo soltanto sapere che una indulgenza è maggiore di un'altra (perché, ad es., 300 è più di 100).

Nella nuova norma la reale misura della indulgenza, benché ci resti ignota, è determinata *"in se et obiective"*: il frutto cioè soddisfattorio di una determinata azione, posta da un determinato soggetto » (Votum Commissarii I. S. in « Relazione »).

In norma vigenti, mensura indulgentiae confuso modo indicatur (dies et anni relationem quidem habent ad paenitentiam canonicam antiqui temporis; sed, cuius temporis? cuius loci seu ecclesiae? pro quo delicto? quomodo adimplenda?).

In nova autem norma, mensura indulgentiae, quamvis nobis ignota, est plene determinata « in se et obiective »; tanquam mensura enim sumitur, singulis vicibus, fructus satisfactorius (et consequens poenae temporalis remissio) actionis determinatae, a determinato christifideli hic et nunc positae.

b) « L'indicazione di giorni ed anni non ha più senso. Prima poteva riferirsi a giorni ed anni della penitenza canonica in uso nella Chiesa, perché la dispensa mirava in primo luogo alla remissione della pena canonica. Naturalmente si credeva che il condono o mitigazione di tale pena, per l'intercessione della Chiesa o per il favore dei martiri, aveva valore *coram Deo*. Ma quello che concedeva la Chiesa era in primo luogo il condono della penitenza canonica.

Oggi invece la Chiesa, nel concedere le indulgenze, intende rimettere le pene temporali del peccato *apud ipsum Deum*. È stato cambiato il senso della indulgenza, si è conservata però la terminologia antica, la quale non ha più un senso accettabile. Trattandosi della remissione *coram Deo* delle pene temporali dovute per il peccato, la misura in giorni ed anni non è atta. Una modifica a questo riguardo sembra quindi opportuna e necessaria.

Dierum et annorum nu- [48]
merus optime adhiberi poterat ad designandam remissionem seu reductionem antiquae poenae canonicae, qua unus vel alter christifidelis per dies et annos tenebatur; mi-
nus apte, et nonnisi vi illata [49]
verbis, indicare potest in genere — et non pro uno vel altero christifideli cui poena canonica relaxata est — remissionem coram Deo *poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis.*

La nuova norma proposta ha molti pregi e vantaggi. Credo che può contribuire ad evitare abusi e malintesi e favorire lo spirito di pietà » (Votum D. F. in Actis Commissionis).

Nova norma plura incommoda vitat, multas utilitates affert et est apprime apta ad pietatem fovendam.

c) « La nouvelle discipline me paraît réaliser un grand progrès par sa sobriété et par sa décision de *renoncer* à tout "comput" et à tout ce qui rappellerait la mathématique dans d'octroi des indulgences » (Votum em.mi card. Journet in Actis Commissionis).

Nova norma numeros et computationes devitat et, sobrietate qua pollet, magni est facienda.

3. Nova norma pro indulgentia partiali spiritum pietatis et caritatis ardorem christifidelium fovet.

a) « La nouvelle discipline... permet d'insister — on ne le fera jamais trop — sur la ferveur et l'importance primordiale de la vertu théologale de charité: 1) qui seule nous insère dans la Communion des saints, permettant la réversibilité sur nous des satisfactions surabondantes du Christ, de la B. V. Marie et des saints, bref du "trésor de l'Eglise"; 2) qui seule donne une valeur satisfactoire à nos propres actions et bonnes œuvres » (Votum em.mi card. Journet in Actis Commissionis).

Nova norma laudabiliter connectitur virtuti theologicae caritatis, quae est fundamentum valoris satisfactorii nostrarum actionum, quaeque idoneos nos facit ad communicandum Christi, B. Mariae Virginis et Sanctorum satisfactionibus.

b) « La nuova norma induce il fedele a compiere con più retta intenzione, con maggior fervore le pratiche indulgenziate, per

Nova norma christifidelem
incitat ad opera sua peragen- [50]
da cum recta intentione et cum

[50] aumentare — oltre al merito che rimane sempre il frutto più importante — il frutto soddisfattorio "sua actione" e inoltre una eguale (tantam... quantam) soddisfazione "ex thesauro Ecclesiae".

Basti... un esempio. Secondo la norma vigente, chi offre un lavoro che sta compiendo "qualibet pia invocatione", riceve ogni volta 500 giorni di indulgenza. Che offra il lavoro con più o meno rassegnazione, con maggiore o minore fervore, non ha alcuna influenza sulla quantità della soddisfazione, purché soddisfi alla condizione "saltem corde contrito". Con la nuova norma la rassegnazione e il fervore avrebbero importante influenza sulla quantità della soddisfazione » (Votum Commissarii I. S. in « Relazione »).

c) « Il merito di una concessione di indulgenza così concepita (secondo la nuova norma) consiste nel fatto che essa stimola la generosità dei fedeli, proporzionando l'ampiezza della concessione al grado di merito di chi opera, al fervore del fedele nell'agire, pregare o soffrire cristianamente; mentre prima, cioè nella prassi ancora vigente, i fedeli facilmente sono portati a sottovalutare l'importanza della penitenza personale, fidandosi della facilità di liberarsi a buon conto del proprio debito col lucro delle indulgenze » (Votum E. M. in Actis Commissionis et, ex parte, inclusum in « Relazione »).

fervore caritatis, ut — praeter meritum quod actionis est fructus praecipuus — maiorem etiam poenae temporalis remissionem consequi valeat, sive actione sua sive ex aequo (tantam... quantam) de thesauro Ecclesiae.

Nova norma — cum rationem aequalitatis statuat inter remissionem quae conceditur ex thesauro Ecclesiae et remissionem quam christifidelis sua actione sibi comparat — christifideles sollicitat ut ferventius operentur et forti animo, ut christianum decet, vitae aerumnas perferant.

In norma vero vigenti christifideles facile ducuntur ad praetermittenda opera paenitentiae personalis, confisi se posse, sine nimia cura, poenae temporalis remissionem obtinere aliorum satisfactionibus per indulgentias large oblatis.

[51] 4. Nova norma novum ordinem inter opera indulgentiis ditata inducit: maiorem habet indulgentiam opus quod maiorem laborem seu poenam exigit et quod maiore perfectione impletur.

a) « La nuova norma rende più semplice il compito dell'Autorità Ecclesiastica che concede le indulgenze parziali, perché non dovrà più preoccuparsi di stabilire per ciascuna pratica il numero dei giorni o degli anni (conservando nei limiti del possibile le proporzioni con altre pratiche), ma soltanto dovrà stabilire quali pratiche meritino l'indulgenza parziale;

Nova norma facilius reddit officium Auctoritatis indulgentias partiales concedentis, cum haec determinare tantum debeat quaenam opera indulgentia partiali ditari mereantur.

Quantitas vero remissio-

il più o il meno sarà dato, con giusta proporzione, da questi elementi: la pratica in sé considerata, le disposizioni del fedele e il modo con cui il fedele compie la pratica stessa » (Votum Commissarii I. S. in « Relazione »).

nis poenae temporalis, ex thesauro Ecclesiae oblatae, exaequat ad amussim, singulis vicibus, remissionem poenae temporalis, quam christifidelis sua actione, hic et nunc, sibi comparat. [51]

b) « La nuova norma induce il fedele a scegliere le opere non secondo il criterio estrinseco della grandezza dell'indulgenza (correndo dietro alle indulgenze maggiori), ma secondo criteri intrinseci, tenendo sempre presenti i suoi personali doveri, in modo da ottenere, oltre e prima dell'indulgenza, altri preziosi frutti "ex opere operantis", secondo quanto osserva S. Tommaso parlando dei religiosi "... quia religiosi magis merentur religionem suam servando quantum ad premium vitae aeternae quam indulgentias acquirendo" (*Suppl.* q. 27, a. 2, ad 2) » (Votum Commissarii I. S. in « Relazione »).

Nova norma inducit christifidelem ad opera seligenda non iuxta rationem extrinsecam *minoris vel maioris indulgentiae, sed iuxta* intrinsecam rationem *praestantiae operum, prae oculis praesertim habens sui status obligationes.*

c) « Con la nuova gerarchia delle pratiche indulgenziate sarà possibile eliminare *indirettamente* — e quindi con minore offesa e meraviglia — alcune reali sproporzioni tra opere e indulgenze, che, non ostante tutto, si sono infiltrate nella prassi. Portiamo un esempio, ma purtroppo se ne potrebbero addurre tanti altri. A chi per mezz'ora circa e per non meno di venti minuti si dedica all'insegnamento della Dottrina cristiana è concessa l'indulgenza di tre anni (pari a 1.095 giorni). (Cf. *Enchiridion Indulgentiarum,* ed. 1952, n. 693). La riduzione in giorni serve per meglio comprendere l'esagerazione che si vuol notare. A chi recita la terza parte del Rosario e usa una corona benedetta (con la sola benedizione dei Crocigeri) è concessa — per il solo uso della corona benedetta (si noti bene: *per il solo uso*) — la indulgenza di 27.500 giorni, cioè di 500 giorni per ogni *Pater* o *Ave.*

Si consideri pure la causa o il fine di tale concessione, ma non c'è proporzione tra l'indulgenza concessa a chi insegna la Dottrina cristiana e quella concessa a chi recita il Rosario per il solo fatto che usa una corona benedetta (nel caso, con la sola benedizione dei Crocigeri).

Nova norma, novum ordinem inter opera indulgentia partiali ditata instituens, indirecte, *et proinde sine offensa, tollit inaequalitates et nonnullas immoderationes in praxim indulgentiarum partialium pedetentim inductas, praesertim* [52]
quod attinet ad indulgentias reales.

Cuilibet preci vel pio operi, indulgentia partiali ditato, iusta prorsus ratione et mensura, assignatur poenae temporalis remissio, iuxta operis praestantiam et iuxta fervorem caritatis, qua, singulis vicibus, opus a determinato christifideli ponitur.

[52] A tali sproporzioni sarebbe enormemente difficile rimediare *direttamente*; è facile farlo *indirettamente* con un taglio netto, adottando la nuova norma. Con questa, chi insegna la Dottrina cristiana e chi usa la corona benedetta (l'uso della corona benedetta, prescindendo dalla preghiera, può essere una professione di fede e una vittoria sul rispetto umano) avrà "sua actione" un determinato frutto soddisfattorio e altrettanto ne riceverà "ex thesauro Ecclesiae" » (Votum Commissarii I. S. in « Relazione »).

5. Nova norma pro indulgentia partiali viam sternit ad universam disciplinam indulgentiarum realium apte ordinandam uti suo loco explicabitur.

Hic tantum meminisse sufficiat unum et alterum Commissarium, de facili abusu indulgentiarum realium perturbatum, proposuisse earundem indulgentiarum abolitionem.

At, nova norma pro indulgentia partiali modum praebet confirmandi ex una parte legitimum usum indulgentiarum realium, quae scilicet obiectis sunt
[53] quodammodo adnexae, et ex altera parte abusus periculum subtrahit, in lumine ponens actionem christifidelis qui eisdem pietatis obiectis utitur.

Prae oculis habita norma pro indulgentia partiali, pronum fuit novam pariter normam statuere pro indulgentiis realibus, hoc modo:

« *Christifidelis, qui habitualiter unum vel plura pietatis obiecta* (*crucifixum, crucem, coronam, scapulare, cingulum, cincturam, numisma*) *rite benedicta devote defert, acquirit indulgentiam partialem quotidie, plenariam autem, suetis conditionibus, semel in anno* ».

Iuxta hanc normam, si bene attendatur, indulgentia non est simpliciter adnexa pietatis obiecto, nec mero facto idem obiectum deferendi, sed potius sequitur *modum* quo obiectum a christifideli defertur. Unde qui obiectum sine ulla animi devotione defert, nullam indulgentiam seu poenae temporalis remissionem assequitur; qui vero obiectum cum minore vel maiore animi devotione defert, minorem vel maiorem remissionem acquirit, sive tamquam *fructum* suae actionis, sive tamquam *donum* ex thesauro Ecclesiae.

6. Nova norma christifidelibus facile explicari potest.

Nova norma facile explicari potest fidelibus, si iisdem recolantur notiones, quas in Cathechismo apprehenderant, cum sermo erat de Communione Sanctorum.

a) « A tale scopo sarà certamente necessario ricordare che ogni buona azione, fatta in grazia di Dio, procura a chi la compie un frutto meritorio *strettamente personale* e inoltre un frutto soddisfattorio *comunicabile agli altri.* Sono concetti appresi nel Catechismo, studiando la Comunione dei Santi; il ricordarli contribuirà a una più cosciente pratica di vita cristiana » (Votum Commissarii I. S. in « Relazione »).

b) « Converrà anzitutto spiegare il fondamento della norma stessa.

Si dovrà, ad esempio, ricordare che ogni buona azione fatta in grazia di Dio e con il suo aiuto, procura a chi la compie un frutto meritorio *strettamente personale* (aumento di grazia e conseguente premio di vita eterna) e inoltre un frutto impetratorio e soddisfattorio *comunicabile agli altri.* Per questa *comunicabilità* in forza della Comunione dei Santi, possiamo aiutare ed *essere aiutati* a soddisfare il debito di pena temporale.

Un aiuto siffatto lo concede l'Autorità Ecclesiastica quando annette a una preghiera o a una pia opera una indulgenza; aggiunge infatti alla remissione di pena temporale, che il fedele *acquista* con la sua buona azione, *un'altra* remissione di pena temporale dal tesoro della Chiesa.

Se l'indulgenza è *plenaria,* è *regalata* al fedele, in aggiunta alla modesta remissione di pena temporale *acquistata* con la sua azione, tutto quello che manca perché questa remissione sia *piena*; soltanto se sarà difettosa la sua disposizione, questa remissione non sarà *piena* (cf. can. 926 *C.I.C.*).

Se invece l'indulgenza è *parziale,* è *regalata* al fedele, in aggiunta alla remissione di pena temporale *acquistata* con la sua azione, *altrettanta* remissione della stessa pena temporale.

Conviene quindi, anche per quanto riguarda la remissione della pena temporale, che il fedele metta ogni impegno nel compiere l'opera, cui è annessa una indulgenza parziale, in modo che la remissione *guadagnata* con lo sforzo personale sia rilevante, perché *altrettanto* rilevante sarà la remissione *regalata* dalla Chiesa.

La disposizione del soggetto ha somma importanza tanto per l'indulgenza *plenaria,* quanto per la *parziale;* infatti una perfetta disposizione del soggetto rende effettiva l'indulgenza *plenaria,* e una migliore disposizione del soggetto rende più abbondante l'indulgenza *parziale.*

La concordanza in questo punto tra indul-

Peculiariter recolenda est [53]
notio quod omne opus bonum in gratia positum habet fructum meritorium stricte personalem *et fructum impetratorium et satisfactorium* aliis communicabilem.

Attenta fructus satisfactorii communicabilitate, *possumus tum alios iuvare, tum*
vicissim ab aliis iuvari *ad poe-* [54]
nae temporalis remissionem assequendam. Fructus enim satisfactorius poenae temporalis remissionem affert.

Per indulgentiam autem partialem, remissioni poenae temporalis, quam christifidelis hic et nunc sua actione sibi comparat, dono additur *ex thesauro Ecclesiae alia aequalis poenae temporalis remissio.*

Dispositio *subiecti magnum momentum habet in acquirenda indulgentia sive plenaria sive partiali.*

Indulgentia enim plenaria praesupponit plenam dispositionem subiecti (cf. can. 903 *C.I.C.*).

In indulgentia autem par-

[54] genza *plenaria* e indulgenza *parziale* è cosa nuova, dovuta appunto alla nuova norma, e anche questo è un suo pregio » (« Relazione »).

tiali quo perfectior erit dispositio subiecti, eo amplior erit poenae temporalis remissio.

[55] 7. Sub finem huius commentarioli, oportet ea quae contra novam normam pro indulgentia partiali communius obici possunt referre eisque breviter respondere.

a) Nova norma pro indulgentia partiali probata fuit a maiore Commissariorum parte, non vero ab omnibus.

R. Unus tantum ex undecim Commissariis normam vigentem servare contendit, quamvis novam normam, a maiore Commissariorum parte acceptam, satis aestimet, praesertim quia ipsa « definit mensuram remissionis poenae, quae in computatione traditionali manet indefinita, quibuscumque explicationibus non obstantibus » (cf. Votum Commissarii P. L. in « Relazione »).

Tres alii Commissarii, cum timerent id quod in nova norma pro indulgentia partiali distincte statuitur: « tantam ... quantam » (vel similia verba) ansam praebere posse ad novas futuras computationes (dupli, tripli, quadrupli etc.), conati sunt formulam componere quae huiusmodi ansam omnino praecinderet. Proposuerunt autem hanc alteram formulam:

« Indulgentia partialis ea est, qua ex voluntate Ecclesiae *pro praestantia* operis, cui adnectitur, et *pro dispositione* subiecti, augetur de thesauro Ecclesiae fructus satisfactorius, quem fidelis ex sua actione iam perciperet ».

Hanc alteram formulam maior Commissariorum pars iam reprobaverat, quia in casu Ecclesia — proportionem tantum et non quantitatem remissionis designans — iurisdictionalem potestatem non exerceret et indulgentia partialis esset, etiam pro vivis, *ad modum suffragii* (cf. Votum Commissarii I. S. in « Relazione »).

Immo, si rem penitus consideremus, haec alia formula sensum traditionalem indulgentiae omnino subverteret: Ecclesia enim in casu nullam prorsus indulgentiam concederet, sed eam tantum impetraret, et quidem — ut videtur — modo incongruo. Melius enim esset indulgentiam impetrare « secundum magnam misericordiam Dei », « qui merita supplicum excedit et vota (cf. orat. Dom. XI post Pent. et *Eph.* 3, 20), potius quam « pro praestantia operis » et « pro dispositione subiecti ».

Rogatus sententiam circa unam et alteram formulam theologus qui extra Commissionem erat, sic respondit:

[56] « ... Ora, per dare su questo quesito un giudizio preciso e motivato, dirò che, a mio parere, la prima formula è da approvarsi, anche se ci fosse quella possibilità di una certa gradazione (molto meno grave di quella ora esistente), mentre si deve escludere la seconda formula, perché oggettivamente indeterminata e pertanto inefficace.

Altera formula reprobatur quatenus — proportionem tantum instituens remissionis poenae cum operis praestantia et dispositione subiecti — indeterminata manet.

Uni enim eidemque rei innumerae sunt quantitates

La ragione di questa ultima osservazione è la seguente:

Non si può aumentare un valore che comporta gradi diversi di aumento, senza determinare di quanti gradi si intende aumentarlo. Ora l'aumento di valore da concedersi ad un'opera comporta gradi e misure diverse. Quindi voler dare un aumento di valore "ex meritis Christi" senza dire in che misura, piccola o grande, equivale a non concedere nulla. Va bene che si dice: la concessione s'intende fatta a proporzione del fervore delle buone opere. Ma, così dicendo, non si elimina la difficoltà, perché anche ad uno stesso grado di fervore (diciamo di grado A o di grado B), si può elargire un aumento diversissimo, più o meno grande; e quindi dicendo che va aumentato il valore a seconda del fervore dell'operante, viene a mancare la determinazione necessaria, senza la quale diventa inoperante la concessione.

Si verifica qui in modo analogo ciò che avviene quando un sacerdote intende applicare il frutto ministeriale della Messa ad una delle cinquanta persone presenti, senza specificare a quale; sappiamo che l'applicazione è nulla. Quindi sarà necessario nella concessione della parziale secondo il sistema contemplato addivenire ad una determinazione dell'aumento del valore concesso, conforme alla prima formula suddetta » (Votum E. M. in Actis Commissionis. Cf. etiam Votum Commissarii P. M. A. in « Relazione »).

proportionales. Si quid in casu determinare volumus, debemus non tantum proportionem instituere, sed etiam huiusmodi proportionis mensuram (vulgo « scala ») definire. [56]

Prima vero formula probatur quia clare determinat remissionis quantitatem (aliam aequalem — tantam ... quantam, *vel similia verba*).

b) Timendum est (obicitur) quod nova norma pro indulgentia partiali inducat in tentationem sic dicti « activismi », aestimandi scilicet opera magis quam preces. [57]

R. « Il timore è fuori posto, anche perché la Chiesa ha sempre modo di mettere in evidenza l'importanza della preghiera con le indulgenze plenarie, che sono sempre legate alla preghiera e alla frequenza dei Sacramenti » (Votum Commissarii I. S. in « Relazione »).

Timor facile expelli potest, attento praesertim quod Ecclesia momentum precum et frequentiae Sacramentorum extollit in concessione indulgentiae plenariae, ad quam acquirendam requiruntur tamquam conditiones Sacramentorum susceptio et precum recitatio.

[57] *c*) Nova norma pro indulgentia partiali (obicitur) christifideles perturbare potest.

R. « L'attuale momento in cui, in seguito al Concilio Ecumenico, saranno apportate altre mutazioni alla disciplina della Chiesa, è il più favorevole per adottare qualche provvedimento, anche coraggioso, in fatto di indulgenze.

C'è anche il felice precedente della *Via Crucis*. Quando le innumerevoli indulgenze della *Via Crucis* con relazione ai Luoghi Santi, furono abolite e venne adottata al riguardo una norma chiara e semplice (cf. *A.A.S.* 1931, p. 522), la riforma è stata bene accolta » (Votum Commissarii I. S. in « Relazione »).

Tempus Concilii Oecumenici, in quo plura quoad Ecclesiae disciplinam mutantur, aptius videtur ad recognoscendas indulgentias sine fidelium admiratione.

Ceterum magna reductio indulgentiarum Viae Crucis, anno 1931 inducta, sine difficultate immo libenter admissa est ab omnibus.

d) Nova norma pro indulgentia partiali (obicitur) contradicere videtur
[58] doctrinae traditionali indulgentiarum. Scribit, e. g., S. Thomas (*Suppl.*, q. 25, a. 2): « Non autem causa remissionis *effectiva* est vel devotio vel labor vel datum recipientis indulgentiam ... Unde *non oportet* ad aliquid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiae, quae semper superabundant. Et ideo secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur ».

R. « Rispondiamo che, se ben si considera, il contrasto è soltanto apparente. Infatti, anche nella nuova norma, l'*effetto* dell'indulgenza, *formaliter,* dipende tutto quanto dalla concessione della Chiesa e non "ex opere operantis", quantunque *materialiter* la quantità della soddisfazione si adegui al frutto soddisfattorio dell'azione del fedele.

Inoltre, S. Tommaso, nel testo citato, usa le parole "non oportet" e non le parole "non potest". E che la Chiesa, nello stabilire la misura dell'indulgenza, possa tener conto della devozione, del sacrificio o dell'offerta del fedele, appare dalla risposta "ad 2um" nello stesso articolo di S. Tommaso: "... Quandoque autem distinguitur. Sicut Papa in generalibus absolutionibus, illis qui transeunt mare, dat

Norma est nova et ideo Auctores de ea non loquuntur. Attamen eorum textus, si bene perpenduntur, eidem normae non contradicunt (nisi specie tenus).

Nam, etiam in nova norma, effectus indulgentiarum totus quantus pendet formaliter *a concessione Ecclesiae (quod praecipue intendit S. Thomas cum aliis Auctoribus), quamvis* materialiter *quantitas satisfactionis ex thesauro Ecclesiae depromptae aequalis sit satisfactioni operis a christifideli hic et nunc praestiti.*

quinque annos; aliis, qui transeunt montes, tres; aliis, unum" » (Votum Commissarii I. S. in « Relazione »). [58]

Quibus expositis, quaeritur a Venerabilibus Patribus:

1. Placetne nova norma pro indulgentia partiali?
2. Ad formulam quod attinet, qua dicta nova norma proponitur, estne aliquid animadvertendum?

CAPUT II [59]

DE INDULGENTIA PLENARIA

COMMENTARIUM

Prooemium

Commissarii uno ore admittunt indulgentias plenarias esse numero minuendas, ut servetur earum dignitas, et a christifidelibus magis aestimentur (cf. can. 911); ne, humanarum rerum deformationi obnoxiae, utpote nimis assuetae, ipsae vilescant.

Eandem fere sententiam tenent alii theologi, ab Em.mo Praeside Commissionis interrogati.

Commissarii unanimiter admittunt indulgentias plenarias esse numero minuendas.

a) « È una esigenza da tutti ravvisata e riconosciuta, quella di una riduzione delle indulgenze plenarie, che rappresenti una loro rivalutazione nella opinione dei fedeli. La remissione totale della pena costituisce infatti un provvedimento di grazia di tanta importanza da richiedere parsimonia nel suo uso. Tutto questo, espressione di uno stato di disagio spirituale per tanti fedeli, rappresenta una pacifica convinzione di tutti i Commissari » (« Relazione »).

Ut fideles indulgentiae plenariae aequam aestimationem faciant et de facto eam acquirere valeant, convenit ab iisdem exigere ut ad eandem assequendam apte se praeparent.

b) « ... appare manifesta la necessità di rivalutare, soggettivamente nei fedeli e oggettivamente nella possibilità di acquistarla, la indulgenza plenaria. Conviene aiutare i fedeli nell'acquisto di detta indulgenza tanto preziosa, non già con una facilioneria che li dispensi da ogni sforzo virtuoso, ma bensì esigendo da loro e stimolando in loro ... quella tensione dell'anima, quel fervore di carità, quella generosità a portare la croce del Signore, che li renda conformi all'Unigenito Figlio di Dio (*Rom.*, VIII, 29) » (Votum E. M. in Actis Commissionis).

[60] *c*) « Ci vorrà quindi uno sforzo di generosità, di fervore, di carità, una ascesa spirituale che una volta veniva stimolata progressivamente in chi sperava la piena remissione dei peccati al termine di una lunga preparazione, in chi intraprendeva un lungo, faticoso viaggio a Roma .... In un tale clima c'era la possibilità, per l'anima generosa, di acquistare, mediante una progressiva applicazione ascetica, quelle disposizioni spirituali che la rendessero capace, cooperando al dono di Dio, di ottenere la piena remissione dei peccati. Tali disposizioni invece un cristiano non è in grado di procurarsele in un attimo, quando ad ogni pié sospinto viene a fare una preghiera, a porre un atto cui è annessa una indulgenza plenaria » (Votum E. M. in Actis Commissionis).

Olim christifideles ad acquirendam indulgentiam plenariam se disponebant per longam seriem operum pietatis et paenitentiae; nunc saltem cavere debemus ne indulgentiae plenariae eis obviam persaepe occurrant, ut congruum temporis spatium habeant ad debitas dispositiones fovendas.

Notae ad singulas normas

1. « *Una tantum indulgentia plenaria in die acquiri potest* ».

Omnes Commissarii concordant ut statuatur unam tantum acquiri posse indulgentiam plenariam singulis diebus.

a) « Per ridurre il numero, si potrebbe forse adottare il criterio: non si può lucrare più di una indulgenza plenaria al giorno » (Votum Commissarii I. S. in « Relazione »).

« Nell'ordine pratico, prima norma dovrebbe essere che non si possono mai lucrare diverse indulgenze plenarie in un solo giorno » (Votum E. M. in Actis Commissionis).

Ad minuendum indulgentiarum plenariarum numerum, statui potest norma: indulgentia plenaria semel tantum in die acquiri potest.

b) « Se fosse lecito meravigliare e scandalizzare i colleghi della nostra Commissione, io vorrei fare una proposta radicale, che mi sembra davvero semplificatrice: ridurre le indulgenze plenarie a poche all'anno, annesse alle maggiori solennità liturgiche universali (Natale, Pasqua, Pentecoste, Assunta, Ognissanti),
[61] a cui ogni Ordinario potrebbe aggiungerne poche altre (per es. due) annettendole a speciali ricorrenze della Diocesi o dell'Istituto religioso » (Votum Commissarii I. G. in « Relazione »).

Unus ex Commissariis putat rigidiori ratione indulgentiam plenariam moderandam esse, ita ut paucis solemnioribus in anno diebus acquiri possit.

2. « *Ad quamlibet indulgentiam plenariam acquirendam requiruntur: positio operis indulgentia ditati et adimpletio intra tempus determinatum*

trium conditionum, quae sunt: sacramentalis confessio, communio eucharistica, oratio ad mentem Summi Pontificis ». [61]

3. « *Tres praedictae conditiones adimpleri possunt vel die quo ponitur opus, indulgentia ditatum, vel etiam hebdomada praecedenti aut subsequenti praedictum diem* ».

4. « *Ad unamquamque indulgentiam plenariam lucrandam requiritur distincta communio eucharistica* ».

Secunda, tertia et quarta norma huius Capitis, cum invicem se compleant, simul illustrantur.

His tribus normis Commissio proponit uniformem omnino rationem pro conditionibus ponendis ad indulgentiam plenariam acquirendam ut, ablatis diversitatibus, conditiones a christifidelibus facilius memoria teneantur.

Tria notanda in nova disciplina quoad conditiones:

I) Tres conditiones statuuntur, semper et ab omnibus fideliter servandis (nisi applicandum sit pro legitime impeditis praescriptum can. 935 *C.I.C.*): confessio, communio, oratio pro Summo Pontifice. Non requiritur amplius ecclesiae visitatio, nisi sit ipsum opus praescriptum.

Praescriptum autem can. 935 sic enuntiatur: « Pia opera ad lucrandas indulgentias iniuncta, confessarii possunt in alia commutare pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeant ».

II) Communio distincta requiritur pro unaquaque indulgentia plenaria.

III) Quoad tempus utile pro adimplendis conditionibus statuitur norma simplicissima: « vel die quo ponitur opus, indulgentia ditatum, vel etiam hebdomada praecedenti aut subsequenti praedictum diem ». Haec regula simplicior omnino est praescripto can. 931 *C.I.C.*

Ad rem, sequentes loci ex « Relazione » referuntur: [62]

a) « Per rendere poi meno facile l'acquisto, non è il caso di complicare le solite condizioni. Queste anzi potrebbero essere rese più semplici, ma nello stesso tempo più impegnative » (Votum Commissarii I. S. in « Relazione »).

Non expedit ut conditiones ad indulgentiam plenariam lucrandam augeantur numero vel magis arduae reddantur, sed potius conveniens videtur ut ad simpliciorem rationem reducantur, quae tamen magis christifidelem adstringant et adiuvent ad opus indulgentia ditatum perfectius perficiendum.

b) « *L'Enchiridion Indulgentiarum,* nei *Praenotanda,* n. 4, precisa che le solite condizioni per l'acquisto di una indulgenza plenaria sono quattro: confessione, comunione, visita di una chiesa (od oratorio pubblico ecc.), preghiera per il Papa. Ma non mancano eccezioni. In alcuni casi, non si richiede la visita; in

In vigenti disciplina quatuor plerumque habentur conditiones ad indulgentiam plenariam lucrandam, sed frequentes exceptiones ab una vel a pluribus ponendis habentur (cf. *Enchiridion Ind.,*

[62] altri, non si richiede la preghiera per il Papa; in altri ancora, né la visita, né la preghiera per il Papa. Per la indulgenza infine della Via Crucis non si richiede alcuna delle quattro condizioni ...

Per la recita del Rosario mariano si hanno, secondo i casi, regole diverse (*Ench. Indulg.*, n. 395):

1. Chi recita il Rosario *da solo* deve compiere tutte e *quattro* le condizioni.

2. Chi lo recita *in compagnia* deve compiere *tre* condizioni (confessione, comunione e visita di una chiesa), non essendo tenuto alla preghiera per il Papa.

3. Chi lo recita *coram Sanctissimo* deve compiere *due sole condizioni*: confessione e comunione. Non è richiesta la visita alla chiesa, ritenuta evidentemente superflua, e non è richiesta la preghiera per il Papa.

Tutto ciò, evidentemente, sembra fatto apposta per generare confusione ...

nn. 256, 271, 395, 607, 610, 611 etc.).

Hae varietates seu exceptiones, quoad numerum conditionum, facile confusionem inducunt. Nec eas plene cognoscere vales, nisi semper prae manibus habeas Enchiridion Indulgentiarum!

Exemplum sit recitatio Rosarii marialis. Ad indulgentiam plenariam acquirendam, quatuor conditiones requiruntur si recites solus; tres autem si recites cum aliis et duae tantum si recites coram Sanctissimo (cf. *Enchiridion Ind.*, n. 395).

[63] Ciò premesso, e tenendo conto che per ciascuna indulgenza plenaria si richiederebbe, come si propone, *una* particolare comunione, non sarebbe il caso di lasciare da parte la visita (cfr. anche De Angelis, *op. cit.*, p. 61), e richiedere *in ogni caso,* anche per evitare confusioni, le tre condizioni: confessione, comunione e preghiera per il Papa?

Va da sé che la visita sarebbe assolutamente necessaria (salvo commutazione), quando *l'opera* indulgenziata fosse proprio la visita a una chiesa determinata » (Notae super conditionibus in « Relazione »).

Aptior videtur nova disciplina, qua statuuntur tres tantum conditiones, sed semper et pro omnibus indulgentiis plenariis adimplendae, et quidem ita ut ad unamquamque indulgentiam plenariam lucrandam requiratur distincta communio eucharistica. A conditionibus adimplendis nulla datur exceptio, sed eae commutari *tantum possunt a confessariis pro legitime impeditis* (can. 935 *C.I.C.*).

5. « *Christifidelis, qui opus indulgentia plenaria ditatum ponit quidem, sed conditiones intra tempus determinatum non adimplet, indulgentiam partialem acquirit* ».

Can. 926 *C.I.C.* cavet: « Plenaria indulgentia ita concessa intelligitur ut si quis eam plenarie lucrari non possit, eam tamen partialiter lucretur pro dispositione quam habet ».

Ex investigationibus expletis in Actis quae codificationem praecesserunt, apud Archivum Secretariae Status, repertum est praescriptum can. 926 additum esse propria manu ab E.mo card. Gasparri, antea tamquam tertium paragraphum can. 925, dein tamquam can. 926. Cum autem de huiusmodi praescripti origine nullum vestigium inveniatur in Actis, videtur ab ipso E.mo excogitatum.

In hoc canone, indulgentia partialis non computatur numero dierum et annorum antiquae disciplinae paenitentialis, sed eius quantitas exaequat christifidelis dispositionem. Haec indulgentia partialis, quamvis nobis maneat ignota, est plene determinata *in se et obiective*: *tanta* remissio conceditur, *quanta* est dispositio. Nemo est qui non videat *similitudinem* huius mensurae cum nova mensura pro indulgentia partiali, de qua supra, in Cap. I huius III Partis. [63]

Norma autem n. 5, de qua est sermo — complens praescriptum can. 926 — *aliquid simile* statuit, nempe ut christifidelis acquirere valeat indulgentiam partialem, quando indulgentiam plenariam, alicui operi adnexam, acquirere nequeat ob quemcumque defectum in ponendis conditionibus. [64]

Frequens enim, in nova disciplina indulgentiarum plenariarum, erit casus illius qui plura opera indulgentia plenaria ditata ponit, sed conditiones requisitas intra tempus debitum ponere nequit. Quamvis enim conditiones adimpleri possint non tantum die quo ponitur opus, sed etiam hebdomada praecedenti vel subsequenti (vide supra, n. 3 huius Capitis), evenire potest, exempli gratia, quod opera indulgentia plenaria ditata, quae quis ponit intra determinatum tempus, superent numero communiones sacramentales quas debito tempore ipse facere potest, dum (uti supra dictum est, n. 4 huius Capitis) pro unaquaque indulgentia plenaria requiritur distincta communio sacramentalis, et quidem intra debitum tempus peracta.

Merito igitur dispositio can. 926 *C.I.C.*, quae se refert ad defectum dispositionis, extenditur per normam n. 5, de qua est sermo, ad quemcumque defectum in adimplendis conditionibus, ne ad bona opera iteranda christifidelis minus alliciatur et in pietatis fervore deficiat.

Haec omnia in breve conferendo:

1) Si christifidelis opus aliquod, indulgentia plenaria ditatum, ponit cum omnibus conditionibus, sed cum aliquo defectu dispositionis, indulgentiam partialem acquirit « pro dispositione quam habet » (can. 926 *C.I.C.*).

2) Si vero christifidelis opus aliquod, indulgentia plenaria ditatum, ponit (etiam cum animi plena dispositione) cum aliquo defectu quoad requisitas conditiones, indulgentiam partialem acquirit, cuius mensura sic definitur: tanta poenae temporalis remissio ex thesauro Ecclesiae ei conceditur, quantam ipse suo opere iam acquirit (Norma n. 5 de qua agitur collata cum nova norma pro indulgentia partiali, in Cap. I huius III Partis).

Cum haec norma n. 5 aequa et apta visa sit, ab omnibus Commissariis absque ulla disceptatione probata est.

6. « *Speciales normae statuentur ad indulgentiam Anni Iubilaris, quo durante, indulgentiae quoque ordinariae simul acquiri poterunt* ».

Quoad Annum Iubilarem, nova disciplina duo continet conspicua: praenuntiat speciales normas, quae locupletiorem prae ceteris annis illum reddant, et indulgentias ordinarias integras servat. [65]

In vigenti disciplina, Ecclesiae liberalitas in indulgentiis erogandis tem-

[65] pore Iubilaei, parum vel nihil addere poterat omnibus indulgentiis, quas abundanter christifidelis lucratur quocumque suae vitae tempore.

Admittendum est solemniorem modum perficiendi opus ad indulgentiam Iubilaei assequendam omniaque rerum et locorum sacrorum adiuncta promptiorem reddere potuisse animum ad dispositiones opportunas sibi comparandas.

Sed praestantia indulgentiarum Anni Iubilaris, potius quam ex abundantiore Ecclesiae largitate, oriebatur ex omnium indulgentiarum ordinariarum suspensione. Unde dici potuit a quodam Commissario Annum Iubilarem, in actuali praxi, in tempus inopiae potius quam ubertatis indulgentiarum versum esse.

Nunc e contra, imminuta indulgentiarum copia, iuxta novam rationem, dum non aufertur christifideli possibilitas communes indulgentias lucrandi, normae, quae Anno Iubilari maiorem solemnitatem tribuant et thesauri Ecclesiae divitias christifidelibus, singularibus huius temporis conditionibus adimpletis, concedant, facile conficiendae manebunt.

In Commissione nulla oppositio expressa est huic articulo, qui unanimiter probatus est.

Quibus expositis, quaeritur a Venerabilibus Patribus:

1) An placeat norma: « una tantum indulgentia plenaria in die »? an potius placeat strictior norma (e. g. semel in hebdomada)?

2) An, firma norma « una tantum indulgentia plenaria in die », ulterius statuendum sit christifidelem semel (vel bis) tantum in mense, die ab ipso eligenda, quoad fieri potest inter dies festos primae classis, indulgentiam plenariam *sibi* acquirere posse, aliis vero diebus tantum in suffragium animarum defunctorum?

3) An placeant normae circa conditiones (tres sunt et semper et ab omnibus adimplendae, salva *commutatione* pro impeditis; adimpleri possunt
[66] vel die quo ponitur opus vel etiam hebdomada praecedenti aut subsequenti; unica communione eucharistica, una tantum indulgentia plenaria acquiri potest)?

4) An placeat norma: acquirit indulgentiam partialem qui ob defectum in conditionibus indulgentiam plenariam assequi nequit?

5) An aliquid aliud adnotandum sit?

CAPUT III [67]

DE INDULGENTIIS PERSONALIBUS

COMMENTARIUM

Prooemium

Commentarium, ad indulgentias personales quod attinet, breviter absolvi potest.

Quinque normae seu regulae, quae in Schemate inveniuntur, unanimiter a Commissariis admissae sunt (Acta et Tabulae Congregationum Commissionis).

Eaedem quinque normae, admodum perspicuae, potius quam declarationibus, paucis tantum adnotationibus sunt ornandae.

Notae ad singulas normas

1. « *Indulgentiis ditentur praecipua opera, quae ad apostolatum pertinent et misericordiae caritatisque formam induunt* ».

Non omnia apostolatus et caritatis opera, sed *praecipua* tantum indulgentiis ditanda dicuntur.

Auctoritatis autem Ecclesiasticae erit, consideratis personarum et locorum adiunctis, determinare huiusmodi praecipua opera.

Iam in « Enchiridion Indulgentiarum » aliqua exempla inveniuntur: opem ferre vel alios ad opem ferendam inducere in favorem sacrarum Missionum (n. 609, cf. etiam n. 611); infirmos in nosocomiis ad caritatis actus exercendos visitare (n. 667); infirmis in spiritualibus assistere (n. 754, pro sacerdotibus); gratuito opem suam praestare ad conficiendas vel reficiendas sacrarum aedium suppellectiles ac liturgicas vestes, addita pia invocatione (n. 710); doctrinam christianam docere (n. 693, cf. etiam nn. 674, 689, 692, 694); Deum orare pro vivis et defunctis (passim, cf. praesertim nn. a 656 ad 672).

Alia praecipua huiusmodi opera includi poterunt in nova editione Enchiridii Indulgentiarum; alia vero determinari poterunt, data occasione, a singulis locorum Ordinariis.

Tandem pro fidelibus, qui alicui piae Associationi adsciti sunt, prae [68]
oculis habeatur quod infra, n. 3, statuitur.

2. « *Rosarium mariale prae ceteris coronis principem locum teneat etiam quoad indulgentias* ».

Indulgentiae, marialis Rosarii recitationi adnexae, de quibus in n. 395 Enchiridii Indulgentiarum, erunt utique recognoscendae et ad simpliciorem formam reddendae, sive quod attinet ad indulgentias partiales iuxta novam normam designandas, sive praesertim quod attinet ad indulgentias plenarias

[68] earumque conditiones, uti iam supra dictum est cum sermo fuit de conditionibus ad indulgentiam plenariam assequendam requisitis (cf. supra, « De Indulgentia plenaria », nn. 2-4).

Etiam aliarum coronarum indulgentiae erunt recognoscendae. Hic statuitur principium, Rosarium nempe mariale, pro sua praestantia et pro communiore usu populi christiani, praecedere debere, quoad indulgentias, ceteras omnes coronas, quae proinde *ad summum* exaequare poterunt, quoad indulgentias, Rosarium mariale.

3. « *Piis Associationibus, cuiusvis originis ac naturae, quaedam tribuantur indulgentiae plenariae, circa decem per annum; aliae omnibus Associationibus communes, in solemnioribus festivitatibus D. N. I. C. et B. M. V., aliae singulis speciales.*

Indulgentiis insuper partialibus ditentur opera cuiuscumque Associationis propria.

Indulgentiae, de quibus supra, cum adhaereant adimplemento precum vel piorum operum quae singulis Associationibus sunt propria, non autem usui insignium, inter personales in posterum recensentur ».

Ad primum comma: Reducuntur indulgentiae plenariae et *simultas* inter pias Associationes quoad plenarias indulgentias perimitur. Numerus statuitur circa decem per annum; aliae, seu earum dimidia circiter pars, erunt omnibus Associationibus communes in sollemnioribus festis D. N. I. C. et B. M. V., aliae erunt propriae singularum Associationum in peculiaribus earum festis vel adiunctis.

Ad secundum comma: Iam fere omnes Associationes habent opera cuius-
[69] que propria indulgentiis partialibus ditata plus minusve. Nunc hoc ad omnes Associationes aeque extenditur iuxta novam indulgentiarum partialium mensuram.

Ad tertium comma: Maximum est momentum huius commatis.

Hucusque, *fere in omnibus piis Associationibus,* indulgentiae acquiri poterant tantum adimpleta conditione deferendi *semper,* i. e. diu noctuque et debito modo scapulare vel chordam vel cingulum etc. In Decretis enim Authenticis legitur de scapulari: « Christifideles, qui in confraternitatem sacri scapularis ingrediuntur et legitime parvum habitum recipiunt, eumque *semper* deferunt e collo pendentem unaque sui parte pectus, altera scapulas contegentem, frui possunt omnibus indulgentiis concessis » (S. Congr. Indulg. 12 febr. 1840; Decr. Auth. n. 279). Nec satis erat haec servare. Aliae conditiones erant adimplendae circa scapularium (chordarum, cingulorum, cincturarum) materiam, formam, confectionem, benedictionem (cf. plura Decr. Auth. apud De Angelis, *De Indulgentiis,* editio altera, a pag. 220 ad pag. 236). Haec omnia, etiam summatim, referre superfluum videtur.

Placet e contra notare quod in duobus casibus scapulare erat tantum signum Associationis, non vero conditio ad indulgentias acquirendas. Agitur de sodalitatibus 1) Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. et 2) S. Michaëlis Archangeli. Hae duae sodalitates Romae ortae sunt, respective anno 1809 et

anno 1880 (cf. DE ANGELIS, *De Indulgentiis,* editio altera, pagg. 272-275 et pag. 294 s.). [69]

Hae duae sodalitates quasi prototypum praebent novae disciplinae quae nunc instauratur.

Nunc enim Associationum insignia ornamenta manent, non vincula, et ad indulgentias acquirendas nihil aliud a sociis requiritur nisi peculiaria Associationis opera, indulgentiis ditata, ponere, servatis tantum communibus conditionibus.

Hoc modo indulgentiae, a vinculis insignium solutae, non sunt amplius indulgentiae reales seu obiectis adnexae, sed formam acquirunt indulgentiarum personalium. Unde fit quod socii, ampliore spiritus libertate, operibus Associationis propriis incumbere valent cum maiore pietatis et caritatis profectu.

4. « *Summaria Ordinum et Congregationum religiosarum recognoscantur* ».

Principium recognitionis pro piis Associationibus adoptatum applicari [70]
debet, congrua congruis referendo, etiam ad Ordines et Congregationes religiosas.

Summaria indulgentiarum Ordinum et Congregationum religiosarum saepe exhibent indicem indulgentiarum sat prolixum.

Paginas unius vel alterius Summarii percurrendo, facile exsurgit dubium quin eiusdem Summarii auctores prae oculis habuerint verba S. Thomae iam supra relata: « ... quia religiosi magis merentur religionem suam servando quantum ad praemium vitae aeternae quam indulgentias acquirendo » (*Suppl.,* q. 27, a. 2, ad 2).

Quod attinet praesertim ad indulgentias partiales notandae sunt, praeter nonnullas immoderationes, inaequalitates quoad indulgentias iisdem operibus adnexas sive inter unum et alterum Summarium, sive inter Summaria et Enchiridion Indulgentiarum, in quo continentur concessiones generales pro omnibus fidelibus.

Haec omnia, nova norma ad indulgentias partiales indicandas adhibita, penitus tolluntur; maiorem indulgentiam partialem assequitur christifidelis (religiosus vel non), qui opus praescriptum maiore caritatis fervore perficit; et sic magis ac magis elucet praestantia novae normae pro indulgentia partiali.

5. « *In postrema concione Adventus, Quadragesimae, Spiritualium Exercitiorum et sacrarum Missionum, omnes sacerdotes concionatores impertiri poterunt cum Crucifixo et unico crucis signo benedictionem cum adnexa plenaria indulgentia, lucranda ab omnibus christifidelibus qui, suetis conditionibus adimpletis, postremae eidem concioni adfuerint et tertiam saltem earundem concionum partem audierint* ».

Haec facultas concedebatur iam concionatoribus, qui eam rite petiissent; nunc sponte et ultro conceditur omnibus concionatoribus.

In Rescripto concessionis huius facultatis sermo erat de benedictione *papali.* Hoc verbum nunc omissum est ad confusionem vitandam.

[70] Benedictio *papalis* ea tantum nunc dicitur, quae vel ab ipso Summo Pontifice vel ab alio, eiusdem Summi Pontificis auctoritate et nomine, datur
[71] in peculiaribus rerum adiunctis (cf. cann. 914 et 915 cum *A.A.S.* 1962, p. 240; cf. insuper pro novensilibus sacerdotibus *A.A.S.* 1964, p. 953). Haec *papalis* benedictio datur praescripta singulis formula (cf. De Angelis, *De Indulgentiis,* edito altera, pp. 108 sq.).

Benedictio vero in fine concionum datur cum Crucifixo et unico crucis signo et nulla formula est necessario adhibenda; adhiberi tamen potest formula: « Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper. ℟. Amen » (cf. De Angelis, *l. c.,* p. 109).

Quibus expositis, quaeritur a Venerabilibus Patribus:

1) Placetne norma iuxta quam indulgentiae piis Associationibus concessae recognoscantur prout proponitur, ita ut apte et ex aequo reducantur et, ab insignibus seiunctae, formam assumant indulgentiarum personalium?

2) Estne aliquid animadvertendum quoad ceteras normas supra relatas?

[72] Caput IV

DE INDULGENTIIS REALIBUS

Commentarium

Prooemium

Iter ad quatuor normas pro indulgentiis realibus exarandas et approbandas sat longum et asperum fuit.

Tria vota a tribus Commissariis parata sunt, quae postea in tribus Commissionis pro indulgentiis Congregationibus fuse disserta sunt.

Sub finem tamen, prima norma acceptata fuit a longe maiore parte Commissariorum; et aliae tres unanimiter, vel fere, approbatae sunt (Congregationum Commissionis Tabulae in « Relazione »).

Notae ad singulas normas

1. « *Christifidelis, qui habitualiter unum vel plura pietatis obiecta* (*crucifixum, crucem, coronam, scapulare, cingulum, cincturam, numisma*) *rite benedicta devote defert, acquirit indulgentiam partialem quotidie, plenariam autem, suetis conditionibus, semel in anno* ».

Haec prima norma est praecipua, aliae tres sunt eiusdem consectaria vel complementa.

Unde adnotationes ad hanc normam appositae etiam ad alias tres normas pro rata referri possunt.

a) Nova norma pro indulgentiis realibus, *mediam veluti iniens viam,* vitat ex una parte scopulum defectuum vigentis disciplinae (in se et in male utentium vitio), ad quem scopulum vitandum unus ex Commissariis proposuit indulgentiarum realium plenam abolitionem; et, ex altera parte, vitare studet alium scopulum, fidelium nempe admirationem, ad quem vitandum alter Commissarius proposuit quidem moderationem in novis indulgentiis realibus concedendis sed simul contendit nil innovandum esse quoad vigentes indulgentias reales. [72]

b) Nova norma pro indulgentiis realibus vitat defectus vigentis disciplinae. [73]

Quoad vigentis disciplinae defectus legimus in voto unius Commissarii quae sequuntur:

« Incaricato di prestare la mia voce all'opposizione in tema di indulgenze reali, non vorrei esser considerato come chi parla solo per partito preso. Prego di credere che scrivo senza finzione.

Leggendo le 165 pagine che il nostro De Angelis ha dedicato alle indulgenze reali, io ho provato un senso di vero disagio e mi sono domandato se respirassi in atmosfera evangelica o se fossi entrato in quella del Talmud. Vi si parla di due crocifissi, di undici corone, di cinque medaglie, di diciotto scapolari, di sei cingoli. E per ciascuno di questi oggetti si danno regole minute e complicate riguardanti la materia di cui debbono essere fatti, le benedizioni che devono avere ricevute, il modo con cui debbono essere usati. Circa la materia nascono problemi relativi al vetro, al piombo, allo stagno, alla lana, al cotone, alle due parti dello scapolare, ai cordoni che le uniscono. Circa le benedizioni ci si domanda chi le possa dare, con quale rito e se basti una o ne occorrano parecchie. Circa l'uso impariamo che una certa medaglia ci arricchisce di indulgenze se la portiamo appesa al collo con un cordone, ma non serve allo scopo se l'abbiamo cucita sull'abito; che certe corone è necessario farle scorrere, altre basta tenerle in mano; e qualche volta servono a tutta una moltitudine, a patto che le tenga in mano chi guida la preghiera comune. Certi oggetti basta possederli od averli in casa. Le corone a braccialetto servono per certe indulgenze, non per altre ...

Unus ex Commissariis, sincero et simul dolenti animo, « oppositoris » seu obiurgatoris partem agens, conqueritur cl. De Angelis, in egregio suo opere « De Indulgentiis », insumere debuisse tot paginas ad describenda pietatis obiecta et minutas normas, quibus eorum confectio et usus reguntur ad indulgentias lucrandas.

Eadem obiecta et normas Commissarius noster breviter et concinne refert et notat se animi angorem sensisse, cum de iis legeret, putans se non aërem Evangelii sed Talmud respirasse.

[73] I Rev.mi Colleghi sono pregati di compatirmi se io domando quale apporto diano
[74] tutte queste minutaglie "ad aedificationem corporis Christi". Io ho grande paura che tutto questo arsenale di oggetti, destinati ad aprirci le porte del Paradiso, costituisca in realtà, almeno per molti, un pericolo di ricaduta nella degradazione magica del culto. Domando scusa se la frase da me usata ha un sapore molto drastico. Per tentare di giustificarmi noterò che oggi noi ci troviamo di fronte ad una scienza delle religioni a base universale, laica, e talvolta atea, ma qualche volta bene intenzionata; ed essa trova nella nostra odierna prassi delle indulgenze reali i pretesti più vistosi per stabilire confronti, paralleli, equiparazioni, a tutto scredito del Cristianesimo. Ho letto un discorso, in cui un africano si lamentava perché i missionari europei vanno in Africa a distruggere gli idoli e gli amuleti, ma poi la riempiono di medaglie miracolose. Credo che sarebbe desiderabile eliminare tali pretesti; ed il mezzo più efficace sarebbe la soppressione completa di tutte le indulgenze reali » (Votum Commissarii I. G. in « Relazione »).

Timet has parvulas res « ad aedificationem corporis Christi » haud conferre et periculum potius pro multis inducere labendi in superstitionem.

Notat scientiae religionum cultores, etiam bene animatos, invenire in hodierna praxi indulgentiarum realium occasionem instituendi cum aliis religionibus comparationes, quae in dedecus et offensam verae Religionis cedunt.

Ad rem notat se legisse orationem cuiusdam africani, qui lamentabatur missionarios Africam petiisse ad idola et amuleta destruenda sed eam dein numismatibus miraculosis implevisse.

Ad has offensionis et quaerelae causas efficaciter removendas, idem Commissarius putat esse plene abolendas Indulgentias reales.

Responsio erit, quoad fieri potest, brevis, argumentationes paucis tantum attingendo.

Indulgentiae reales sunt veluti gemmae luto infectae; ne remedium peius sit quam malum, gemmas ne abiiciamus, sed, deterso luto, eas servemus.

Agens de Sacramentis, S. Thomas scribit: « Humanae naturae ... proprium est ut per corporalia in spiritualia et intelligibilia deducatur » (*Summa Theol.*, p. 3, q. 61, a. 1). Haec et aliae rationes, in eodem articulo adductae pro Sacramentis, applicari possunt etiam pietatis obiectis.

In genere, rationes in favorem Sacramentorum et sacrarum imaginum cedunt etiam in favorem obiectorum pietatis.

Sed peculiares etiam rationes adduci possunt ad probandum christifide-
[75] lium usum secum deferendi pietatis obiecta; quae rationes comprobant tum eorumdem obiectorum benedictionem tum indulgentias iisdem adnexas.

« Nunc enim temporis adversarii religionis christianae eliminare cupiunt de vita publica omnem cultum religiosum, eique dare solum characterem privatum; remedium contra hoc malum sunt etiam obiecta devotionis, eorum usus coniunctus est speciali modo cum virtuali professione fidei, eiusque conservatione. Sunt res parvae, sed magni momenti et efficaciae, multumque conferunt ad conservationem spiritus christiani fidelium. Sufficit tantum notare momentum imaginis sacrae, quae in domo servata dat familiae characterem christianum. De cetero scimus etiam

qualem influxum in restaurationem vitae christianae, eiusque conservationem [75]
habuerit atque nunc conservet corona B. M. V. » (Votum Commissarii A. M. in « Relazione »).

« Obiecta indulgentiis ditata apprehenduntur a fidelibus ut instrumenta specialia cultus divini, per quae eis spiritualia beneficia conferuntur; suntque eis constans testimonium Ecclesiam eis semper adesse, curare ac media praestare, quo magis Deo placere possint » (Votum Commissarii A. M. in « Relazione »).

« Aliunde suppressio indulgentiarum realium videtur inopportuna; includeret enim confessionem Ecclesiam per tot annos deceptam fuisse in re ad cultum et sacramentalia spectante. Opinio acatholicorum confirmaretur ac si Ecclesia erravisset in materia indulgentiarum et populus christianus fieret magis pusillanimus, quod iam aliis de causis aliquo modo observatur; immo earum suppressio causaret diminutionem devotionis » (Votum Commissarii A. M. in « Relazione »).

Attamen, si indulgentiae reales servandae sunt, earum defectus sunt amovendi. Hos vero defectus prorsus aufert citata nova norma pro indulgentiis realibus, simul cum aliis tribus quae sequuntur et simul insuper cum nova norma pro indulgentia partiali (Cap. I, 2) et cum nova norma pro Associationibus (Cap. III, 3). Nam omnes hae sex normae inter se intime connectuntur et invicem complentur.

Per novam normam pro indulgentiis realibus, pietatis obiecta rite benedicta indulgentiis ditantur. Sed, uti iam supra (in Cap. III, 3, huius Partis) innuimus, indulgentiae non sunt, sic et simpliciter, adnexae pietatis obiecto, sed connectuntur etiam actioni christifidelis qui defert habitualiter et *devote* obiectum ipsum.

Obiectum requiritur quidem, unde indulgentia vere realis dici potest et est; sed non sufficit obiectum secum habere, etiam habitualiter, ad indulgentiam acquirendam, sed insuper necesse est ut obiectum devote deferatur. [76]
Et quo maior est devotio, eo maior est indulgentia.

Sic ordinatae, indulgentiae reales nil absoni vel immoderati praebent; periculum superstitionis efficaciter arcent, et mire conferunt ad fidem firmandam et ad fervorem caritatis fovendum.

c) Nova norma pro indulgentiis realibus scopulum admirationis fidelium vitare potest.

Ipsa enim, uti supra exposuimus, indulgentias reales ad *simpliciorem* formam redigit. Sed, nostris hisce temporibus, *simplicitas* plerumque magni aestimatur.

Ceterum, compertum est fideles libenti animo accepisse « simplificationem » seu commoditatem, in praxim iam late deductam, utendi scilicet, loco scapularis, numismate metallico; libentiore animo nunc accepturi esse censentur hanc alteram commoditatem, a nova norma inductam, iuxta quam nullo pietatis obiecto *indigent* (quamvis eo uti possint) ad lucrandas indulgentias piae Associationis cui nomen dederint.

Insuper, iuxta novam hanc normam, omnes christifideles — sive sint piae Associationis socii sive non — lucrari poterunt indulgentias, si devote

[76] deferant *quodcumque* pietatis obiectum, a *quocumque* sacerdote rite benedictum.

Nova norma pro indulgentiis realibus, multiplicibus indulgentiis vigentis disciplinae substituit unam indulgentiam partialem quotidie et unam indulgentiam plenariam semel in anno. Sic, nova norma magnam reductionem in indulgentias reales inducit, sed simul tollit immoderationes non paucas et sinceram devotionem fovet.

Peculiariter notandum est, ad indulgentiam partialem quod attinet, unicam indulgentiam partialem novae disciplinae se referre ad omnes devotionis actus, quos durante die christifidelis ponit. Unde haec unica indulgentia adaequare potest summam plurium indulgentiarum partialium disciplinae vigentis, praesertim si christifidelis usus fuerit pietatis obiecto quasi stimulo ad mentem suam in Deum frequenter elevandam, dum officia sua persequitur.

Propter haec omnia, sperandum est ut christifideles recognitionem indul-
[77] gentiarum realium aequo, immo laeto animo, suscipiant, et valde gratum habeant donum, simplex sed simul amplissimum, indulgentiae realis iuxta novam normam.

2. « *Omnes aliae indulgentiae iam rebus adnexae* (*scapularibus, cingulis, cincturis, numismatibus*) *per ea quae in Cap. III n. 3 "De indulgentiis personalibus" statuuntur, in personales mutantur.*

Insignia, singulis Associationibus propria, adscriptionis signa manebunt ».

Indulgentiae iam adnexae insignibus alicuius Associationis separantur ab usu insignium. Practice, nonnullae ex his indulgentiis supprimentur iuxta regulam generalem pro Associationibus (cf. supra Cap. III, n. 3).

Insignia manebunt signa adscriptionis et iisdem socii laudabiliter uti poterunt in publicis Associationis conventibus et in processionibus. Iisdem insignibus, si velint, uti poterunt etiam privatim.

In omnibus his casibus socii acquirere poterunt indulgentias communes omnibus pietatis obiectis, uti in norma n. 1 huius Capitis statuitur.

3. « *Omnibus sacerdotibus competit non solum pietatis obiecta benedicere, sed eadem etiam indulgentiis, de quibus in n. 1, ditare.*

Benedictio crucifixi secumfert insuper indulgentiam Viae Crucis pro "impeditis" et indulgentiam plenariam in articulo mortis, quae tamen, si aliter obtineri nequeat, etiam per crucifixum non benedictum acquiri potest, servatis ceteris de iure servandis ».

Iam per *Instructionem de S. Liturgia* diei 26 septembris 1964, n. 77 (*A.A.S.* 1964, p. 877) ablata est reservatio quarumdam benedictionum et per *Declarationem S. Paenitentiariae Ap.* diei 6 martii 1965 (*A.A.S.* 1965, p. 547) concessa est omnibus sacerdotibus facultas pietatis obiectis adnectendi indulgentias vigentes per benedictiones non amplius reservatas, « donec aliter statuatur ».

Nunc vero *aliter statuitur.* Per hanc enim novam Schematis normam omnibus sacerdotibus conceditur facultas 1) pietatis obiecta benedicendi, praescriptam adhibendo formulam, si qua in Rituali Romano inveniatur, vel,

ea deficiente, utendo unico crucis signo; 2) iisdem obiectis adnectendi indulgentias, de quibus in n. 1, scilicet indulgentiam partialem quotidie et indulgentiam plenariam semel in anno. [78]

Unde facultas benedicendi communia pietatis obiecta, quae christifideles secum deferre solent, extenditur ad omnes sacerdotes (en prima uniformitas).

Indulgentiae, de quocumque pietatis obiecto quomodolibet benedicto agatur, semper eaedem sunt (en altera uniformitas).

Quaeri nunc potest: ad quid uti una vel altera formula si idem effectus obtineri potest « unico crucis signo »?

R. Formulae praescriptae adhibendae sunt, cum benedictio publice datur, uti e. g. in benedictione et impositione scapularium pro iis qui in aliquam Associationem adscribi volunt; iisdem autem uti convenit etiam privatim ad spiritum fidei et pietatem fovendam tum benedicentis tum petentis benedictionem.

Quod attinet ad clausulam « unico crucis signo », de qua etiam in *C.I.C.* (can. 239, § 1, 5°), notandum est quod Commissarii nostrae Commissionis unanimiter *votum* dederunt ut signo crucis adiungantur saltem verba « *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* ℟. *Amen* ».

Hoc modo signum benedictionis constat ex *actione* et *verbis,* uti in Sacramentis et plerumque in Sacramentalibus, et aptius inservit ad fovendam fidem et pietatem tum sacerdotis benedicentis tum christifidelis benedictionem petentis.

Ceterum praxis benedicendi signo crucis et simul verbis « *In nomine Patris* etc. » ab immemorabili servatur ab Officialibus S. Paenitentiariae Apostolicae.

Votum, de quo supra, proponetur competenti S. Congregationi.

In secundo commate n. 3, de quo est sermo, statuitur quod « *benedictio crucifixi secumfert insuper indulgentiam Viae Crucis pro "impeditis" et indulgentiam plenariam in articulo mortis ...* ».

Agitur de duabus facultatibus quae in vigenti disciplina conceduntur sacerdotibus qui eas rite petant; nunc sponte et ultro conceduntur omnibus sacerdotibus.

Additur autem quod indulgentia in mortis articulo, « *si aliter obtineri nequeat, etiam per crucifixum non benedictum acquiri potest* ». Et sic, amplissimo modo [79]
providetur christifidelibus in periculo mortis constitutis.

Dicitur « *si aliter obtineri nequeat* ». Notum enim est quod *unica* indulgentia plenaria in articulo mortis variis titulis obtineri potest, e. g. per Benedictionem Apostolicam in articulo mortis de qua in can. 468, § 2; titulo adscriptionis in aliquam piam Associationem; titulo frequentis recitationis alicuius piae invocationis vel precis (*Ench. Indulg.,* nn. 36, 113, 292, 332, 454, etc.); titulo acceptationis propriae mortis (*Ench. Indulg.,* n. 638); titulo usus crucifixi ad hoc benedicti; etc.

Statuendo quod, his titulis deficientibus, indulgentia in articulo mortis acquiri potest per usum crucifixi non benedicti, novus huiusmodi titulus praebetur christifidelibus.

Notum pariter est verba « *servatis de iure servandis* » significare: 1) in casu

[79] christifidelis « impediti », quod servari debent (in vigenti disciplina) normae de quibus in n. 194, *b*) Enchiridii Indulgentiarum; 2) in casu christifidelis in articulo mortis constituti, quod servari debent sequentes normae: « dummodo confessus et sacra Communione refectus, vel saltem corde contritus, Ss.mum Iesu Nomen ore, si potuerit, sin minus corde, devote invocaverit et mortem de manu Domini, tanquam peccati stipendium, patienter susceperit » (cf. *Ench. Indulg.*, nn. 36, 113, 292, etc.).

4. « *Christifidelis qui unum vel plura pietatis obiecta (crucifixum, crucem, coronam, numisma, parvam statuam) a Summo Pontifice — vel a quolibet Episcopo — benedicta secum pie defert, vel domi reverenter servat, lucrari valet, praeter communes indulgentias quas ad normam n. 1 acquirere potest, aliam indulgentiam plenariam die festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, suetis conditionibus adimpletis; et insuper indulgentiam plenariam in articulo mortis, servatis ceteris de iure servandis* ».

Haec norma plene se conformat principio reddendi indulgentias reales in simpliciorem rationem.

Obiecta pietatis, quae recensentur, si a Summo Pontifice vel ab Episcopo benedicantur, habent adnexas — praeter indulgentiam partialem quotidie et indulgentiam plenariam semel in anno, de quibus in n. 1 huius Capitis — aliam indulgentiam plenariam die festo SS. Apostolorum Petri et Pauli et indulgentiam plenariam in articulo mortis.

Quoad indulgentiam plenariam in articulo mortis, agitur de *novo titulo* ad habendam hanc indulgentiam. Ad rem, prae oculis habeantur quae supra, in n. 3 huius Capitis, diximus de variis titulis ad habendam *unicam* indulgentiam plenariam in articulo mortis.

[80] Indulgentia plenaria die festo SS. Apostolorum Petri et Pauli et novus titulus ad indulgentiam plenariam lucrandam in articulo mortis videntur forte « parvae res ». Parvae quidem res sunt si conferantur cum indice Indulgentiarum Apostolicarum vigentis disciplinae; sed non sunt tales in se, et sufficientes videntur quatenus indulgentiae *reales,* adnexae scilicet — praeter eas de quibus in n. 1 — obiectis pietatis a Summo Pontifice vel ab Episcopo benedictis.

Integrum autem est Summo Pontifici, personaliter vel per medium Episcoporum aut S. Paenitentiariae Apostolicae, alias indulgentias concedere, sed potius *personales* vel *locales,* ut magis convenit.

Ceterum norma n. 4, quamvis simplex et modesta, cum reservet has indulgentias Summo Pontifici et Episcopis, aptius consulit dignitati eiusdem Summi Pontificis et Episcoporum quam longus et complicatus index Indulgentiarum Apostolicarum quae, in vigenti disciplina, fere ab omnibus sacerdotibus concedi poterant.

Indulgentiae Apostolicae — quarum index unusquisque Summus Pontifex initio sui Pontificatus statuere consueverat — debebant esse « propriae et personales » cuiusque Summi Pontificis (cf. De Angelis, *De Indulgentiis,* pp. 24 s.).

Sed, lapsu temporis, non solum Cardinales (can. 239 § 1, 5°) et Episcopi (can. 349 § 1, 1°), sed fere omnes sacerdotes religiosi et insuper alii sacerdotes qui petiissent huiusmodi facultatem, has indulgentias adnectere poterant pietatis obiectis. Una tantum limitatio observabatur: sacerdotes hanc facultatem exercere poterant « extra Urbem tantum ». **[80]**

Placet, sub finem, recolere viam qua ad n. 4, uti supra refertur, perventum est.

Commissio pro indulgentiis prius proposuerat hanc formam n. 4:

« *Indulgentiae Apostolicae recognoscentur et novus brevior elenchus conficietur. Christifidelis qui obiectum, his indulgentiis ditatum, secumfert vel domi pie servat, lucrari potest indulgentiam plenariam, suetis conditionibus, in praecipuis solemnitatibus liturgicis et diebus festivis Summum Pontificem respicientibus.*

Indulgentias Apostolicas largiri poterunt, praeterquam Romanus Pontifex, omnes S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Praelati S. Paenitentiariae Apostolicae et, durante munere, Officiales eiusdem S. Paenitentiariae et Paenitentiarii minores Basilicarum Patriarchalium ». **[81]**

Dein visum est indicem etiam breviorem indulgentiarum plenariarum minus convenire cum principio reddendi indulgentias reales ad simpliciorem rationem et haec altera forma exarata est:

« *Christifidelis qui unum vel plura pietatis obiecta (crucifixum, crucem, coronam, numisma, parvam statuam) ab ipso Summo Pontifice benedicta secum pie defert vel domi reverenter servat, lucrari valet, praeter communes indulgentias quas ad normam n. 1 acquirere potest — aliam indulgentiam plenariam die festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, suetis conditionibus adimpletis; et insuper indulgentiam plenariam in articulo mortis, servatis ceteris de iure servandis* ».

Cum ageretur de indulgentiis (sic dictis) Apostolicis quae per se essent « propriae et personales » Summi Pontificis, duae formae n. 4 eidem Summo Pontifici propositae sunt.

Et Summus Pontifex benigne admisit ut in Schemate altera forma n. 4 proponeretur, additis tamen his aut similibus verbis: « vel ab Episcopo », quo unico nomine nunc designari possunt omnes Ecclesiae Principes, a Cardinali ad Episcopum titularem.

Quibus expositis, quaeritur a Venerabilibus Patribus:

1) Placetne norma qua — sublatis omnibus diversitatibus nunc vigentibus — obiecta pietatis rite benedicta iisdem gaudeant indulgentiis, scilicet indulgentia partiali quotidie et indulgentia plenaria semel in anno, lucrandis a christifideli qui habitualiter unum vel plura pietatis obiecta devote defert?

2) Placetne norma qua omnibus sacerdotibus extenditur facultas (ex magna parte iam concessa per Instructionem de S. Liturgia et Declarationem

[81] S. Paenitentiariae) benedicendi communia pietatis obiecta, prout supra in n. 3 explicatur?

3) Placetne, casu quo formula benedictionis non habeatur vel ex rationabili causa praescripta formula recitari nequeat, ut obiecta benedicantur « unico crucis signo » additis verbis: « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. ℟. Amen »?

4) Estne aliud animadvertendum quoad indulgentias reales?

[82] CAPUT V

DE INDULGENTIIS LOCALIBUS

COMMENTARIUM

Notae ad singulas normas

1. « *Normae quae circa indulgentiam plenariam statuuntur, indulgentiis quoque plenariis "toties quoties" extenduntur* (*indulgentiis Portiunculae et Viae Crucis non exceptis*) ».

Quae de indulgentia plenaria statuta sunt, ne odiosae exceptiones inducantur cum primum promulgantur, indulgentiae plenariae « toties quoties » etiam Portiunculae aptanda erunt.

Statim notandum est ex nova disciplina de indulgentia plenaria « toties quoties », nullum fere pro illa detrimentum esse timendum, sed sperari posse ut ad pristinum decus et ad summam christifidelium aestimationem ipsa reddatur. Iamvero facilis ratio quae hodie praebetur lucrandi indulgentiam plenariam « toties quoties » et ipsa externa facies quae illam comitatur, non videntur aptiores ad dispositiones animi promovendas, ad indulgentiam plenariam acquirendam necessarias.

De spiritu quo saepe christifideles ducuntur in operibus ponendis ad indulgentiam huiusmodi lucrandam loquens, Pius XI, v. m., olim asseverasse dicitur ipsos hisce in adiunctis vagari potius quam mentem cogitationemque colligere. Summatim aiebat: « È piuttosto una distrazione che una devozione ».

Animus e contra ad altiora ducitur, cum unicam sibi indulgentiam plenariam acquirendam esse christifidelis novit, alias vero partiales.

Rationes historicae, quoad indulgentiam Portiunculae, nimis urgendae non sunt, quia « ab omnibus admittitur indulgentiam Portiunculae plenariam primitus semel tantum lucrandam die 2 augusti cuiusque anni ... Praeterea hoc magnum remissionis donum in una S. Mariae Angelorum ecclesia, Portiunculae dicta, tunc acquiri poterat ... » (Votum E. M., in Actis Commissionis).

[83] Amplificationes omnes, ad substantiam vel adiuncta temporum et locorum pertinentes, progressu saeculorum habitae, primaevam formam indulgentiae Portiunculae prorsus mutarunt.

Omnes aliae indulgentiae plenariae « toties quoties », quae e. g. pio

exercitio Viae Crucis, vel recitationi Rosarii marialis coram SS.mo, vel visitationi Basilicarum Patriarchalium in Urbe, adnexae sunt, tamquam imitationes indulgentiae Portiunculae exortae sunt et certe minorem haesitationis causam in earum recognitione praebere possunt. [83]

In Congregatione Commissionis res ita posita est:

« ... l'indulgenza plenaria "toties quoties" potrà essere ridotta in questi termini: Il fedele che — ferme le condizioni della confessione e della comunione — visiterà una chiesa *ad hoc* determinata e reciterà 6 *Pater, Ave* e *Gloria,* potrà acquistare una indulgenza plenaria. Se poi nello stesso giorno, anche senza uscire di chiesa, ripeterà la recita delle suddette preghiere, acquisterà *toties quoties* una indulgenza parziale » (Votum Commissarii I. S., in « Relazione »).

Quae propositio, multis disceptationibus interiectis, in Schema ingressa est, sex Commissariis faventibus, quatuor vero in oppositum vertentibus (Congregationum Commissionis Tabulae).

2. « *"Indulgentia plenaria toties quoties" in posterum simpliciter dicatur "indulgentia toties quoties". Christifidelis qui opus praescriptum pluries ponit lucrari potest quolibet die unam indulgentiam plenariam, suetis conditionibus adimpletis, et toties indulgentiam partialem quoties preces praescriptas, quin de ecclesia exire debeat, devote repetit* ».

Commissio recognoscendum esse admisit ipsum huius indulgentiae Titulum. Cum enim nequeant simul eodem die acquiri plures indulgentiae plenariae, dictio « indulgentia plenaria toties quoties » rerum veritati non amplius respondet et ideo mutanda est in aliam: « indulgentia toties quoties ».

Quoniam vero sensu ista appellatio sumenda sit, hic Articulus clare explicat christifidelem « qui opus praescriptum pluries ponit » lucrari posse « quolibet die unam indulgentiam plenariam ... et toties indulgentiam partialem quoties preces praescriptas ... devote repetit ».

Hic referenda veniunt quae disserta sunt in Commissione ad extollendam vel infirmandam — in oppositis sententiis — hanc normam. [84]

Opponitur scilicet quod si nova norma de indulgentiis toties quoties unam tantum indulgentiam plenariam concedit ceteras vero partiales, non expedit quidem ut christifidelis preces impositas (6 *Pater, Ave* e *Gloria*) pluries recitet ob exiguitatem spiritualium donorum, quae lucratur post primam plenariam, quia indulgentia partialis precibus brevioribus et levioribus operibus acquiri potest.

Responsio autem est in promptu. Relatio maioris Commissionis partis tenet nominis « indulgentiae toties quoties » acceptionem esse servandam cum actuali forma precum, quin christifidelis qui illam lucrari intendit de ecclesia exire unaquaque vice debeat, quia ratio historica et ipsa devotio christianae plebis id exigit.

Minime tamen cogitandum est christifidelem in bonis spiritualibus assequendis fraudari ex eo quod iisdem precibus pluries indulgentiam plenariam non lucratur, quia in indulgentiis partialibus assequendis, praeter plenariam,

[84] eo amplius fructus augentur quo ferventius preces funduntur. Nec est obliviscendum repetitione precum, quibus una indulgentia plenaria acquiritur, facilius dispositiones ad plenariam assequendam necessarias pertingi posse.

Cum autem ex nova norma de indulgentia partiali precibus et operibus maioris momenti, quibus maior fructus satisfactorius respondet, maiorem remissionem coram Deo poenae temporalis christifidelis lucretur, relate ad ea per quae minor fructus satisfactorius attingitur, patet hanc indulgentiae ubertatem minime despici posse, quae ad magnam fructuum copiam pervenire valebit.

Posita tandem huius indulgentiae applicatione plenarie sibi et partialiter pro defunctis, supervacaneum non erit tales indulgentias pluries acquirere, quarum amplitudo per modum suffragii divinae largitati relinquitur.

Praestantia igitur et opportunitas huius normae in totius novae disciplinae ambitu negari nequeunt.

3. « *Omnes indulgentiarum localium concessiones in perpetuum actu*
[85] *exsistentes recognitioni seu reductioni, ut plurimum, non subicientur, servatis tamen normis pro indulgentiis plenariis supra statutis. Novae autem concessiones et prorogationes moderate fient* ».

Quoad indulgentias locis adnexas in perpetuum difficillimum et fere impossibile visum est singulas recognitioni subicere. Principium igitur statutum est servandi plerumque omnes concessiones quae cum nova disciplina discrepantias non secumferunt. Ita loca indulgentiae plenariae totius quoties privilegio aucta, illo gaudere pergere poterunt modo novae disciplinae conformi et quae numerica quadam indulgentia partiali gaudent novae normae de indulgentia partiali se debent coaequare.

Admittendum tamen est plures indulgentias locales hucusque tributas esse ut illi indulgentiarum sacrae fami necnon privilegiorum affectationi satisfieret.

Pro futuro igitur sapienter haec norma disponit ut in novis concessionibus et in prorogationibus principia quae spiritum novae disciplinae servent prae oculis habeantur, in christifidelium mentem imprimendo spiritualia bona non ex rerum locorumque privilegiis pendere sed ex voluntate qua ad opus ponendum et ad debitas dispositiones sibi parandas adigeamur.

4. « *Altare privilegiatum, sive locale sive personale, supprimitur; sed pia Mater Ecclesia, fidelium defunctorum apprime sollicita, iisdem amplissime Missae sacrificio suffragari intendit; filios quoque viatores hortatur ut a divina misericordia impetrent "omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis"* ».

Salebrosa quaestio de Altari Privilegiato, longe lateque considerata, ad conclusionem in hoc Articulo expressam pervenit, supprimendi scilicet nomen et declarandi quid in animarum defunctorum suffragium per Missae sacrificium Ecclesia facere intendat.

Quaestio autem in eo est ut definiatur an iuxta doctrinam theologicam simul haberi possit applicatio pro anima eiusdem defuncti sive divini sacrificii

Missae, sive indulgentiae plenariae. Hanc quaestionem sibi proposuerunt duo Commissarii, qui votum paraverunt. [85]

Primus asserebat praxim hodiernam absolute sustineri posse, nec aliquid falsi exprimere, prout patet ex auctoritate Ecclesiae talem praxim hucusque probantis. Attamen, propter difficultatem explicandi theologice verum valorem huius indulgentiae (scil. in favorem eiusdem defuncti pro quo Missa applicatur) et propter rationes pastorales et oecumenicas, oportet ut mutatio disciplinae, quae iam circa alias indulgentias proponitur, etiam in hoc casu introducatur. [86]

a) Missa enim, ex se, habet fructum infinitum, unde si defunctus plenitudinem fructus satisfactorii non obtinet, hoc non fit ex parte Missae, sed ex obice exsistente in ipso defuncto. Idem autem obex aderit pro indulgentia plenaria per modum suffragii.

b) Certe in indulgentia plenaria, simul cum suffragio offertur solutio ex thesauro Ecclesiae. Iam vero hic thesaurus principaliter constituitur meritis et satisfactionibus Christi, quae eminenter applicantur per sacrificium Missae, et ex se sola sunt omnino sufficientia.

c) Certe, in casu indulgentiae plenariae, Pontifex — ut ita dicam — adiungit suum personale suffragium, applicationi factae a sacerdote. Hic autem vi muneris agit nomine Christi et totius Ecclesiae, ... Unde si effectus non obtinetur, non erit ex defectu intercessionis, sed ex obice defuncti. Intercessio enim sacerdotis, ex se, plenissima est, non ratione suae personae, sed ratione muneris.

d) Dici quidem potest: Summus Pontifex propter eminentem in Ecclesia dignitatem, per suum suffragium, Missae applicationi adiunctum, plus movere potest Deum quam suffragium sacerdotis qui ministerialiter Missam applicat. Et fortasse haec est ultima ratio theologica, cur sustineri possit praxis Altaris Privilegiati. Attamen negari non potest hanc explicationem, sub respectu pastorali et oecumenico, parum opportunam esse. Et sicut in aliis quaestionibus de indulgentiis mutationes propositae sunt, v. g. circa computationes dierum, quia res explicatu difficilis erat erga fideles, idem in hac materia dici potest. Etenim:

1) Videtur minui dignitas sacrificii Missae, eiusque valor satisfactorius et impetratorius, cum aliquid extrinsecum, ut est indulgentia, eidem coniungitur.

2) Videtur minui amplitudo muneris sacerdotalis, de quo legitur in n. 28 Constitutionis Dogmaticae de Ecclesia: « Presbyteri ... vi sacramenti Ordinis, ad imaginem Christi, summi atque aeterni Sacerdotis (*Hebr.* 5, 7, 24; 9, 11-28), ad Evangelium praedicandum fidelesque pascendos et ad divinum cultum celebrandum consecrantur, ut veri sacerdotes Novi Testamenti ... Suum vero munus sacrum maxime exercent in eucharistico cultu vel synaxi, qua in persona Christi agentes Eiusque mysterium proclamantes, vota fidelium sacrificio Capitis ipsorum coniungunt, et unicum sacrificium Novi Testamenti, Christi scilicet Sese Patri immaculatam hostiam semel offerentis [87]

[87] (cf. *Hebr.* 9, 11-28), in sacrificio Missae usque ad adventum Domini (cf. *1 Cor.* 11, 26) repraesentant et applicant » (*A.A.S.* 1965, p. 34).

3) Unde explicationes datae tam fidelibus quam non catholicis circa naturam et fructus sacrificii Missae, atque circa munus sacerdotale, quod exercetur *nomine Christi et Ecclesiae,* vim suam sub respectu psychologico facile amittent, si videtur Ecclesiam applicare novum distinctumque suffragium pro eadem anima pro qua Missa applicata est.

4) Nec facile intelligent cur Ecclesia, piissima Mater, non adiungat omnibus Missis pro defunctis illud speciale suffragium Summi Pontificis, idem includendo, semel pro semper, in munere sacerdotali quod exercetur *nomine Ecclesiae,* et consequenter etiam nomine ipsius Summi Pontificis.

5) Haec difficultas crescit, ex eo quod altaria privilegiata multiplicata sunt, tam localia quam personalia, unde ratio discriminationis (quae in initiis forte dari poterat) nunc vix habetur » (Votum Commissarii P. A., in « Relazione »).

Alter Commissarius in oppositam sententiam vertit et duas rationes adducit.

« *Prima considerazione.* La prassi della Chiesa in materia ». Notis historicis praehabitis, Commissarius concludit: « La norma contiene ... una dottrina, un insegnamento esplicito della Chiesa che si può tradurre in queste parole: Nonostante il valore infinito della S. Messa, che varrebbe per sé a liberare dalle pene del purgatorio immediatamente l'anima, in suffragio della quale si offre il di-
[88] vino sacrificio, la Chiesa per l'indulto dell'altare privilegiato applica a favore della stessa anima "ex potestate clavium" l'indulgenza plenaria, che a sua volta "ex mente concedentis vim habet animam liberandi ab omnibus purgatorii poenis". Emerge, da questo, la dottrina certa della Chiesa, che, maestra infallibile di verità, conosce appieno e il valore della Messa e il valore dell'indulgenza dell'altare privilegiato; e con tutto ciò abbina nel caso l'una e l'altra. Tale argomento, che ho chiamato *considerazione di valore estrinseco,* ma argomento di autorità (e di quale autorità!) esclude a noi ogni "ratio dubitandi". La Chiesa non può essere in errore. Ma passiamo alla

Prima ratio innititur *argumento extrinseco, seu auctoritatis. Ecclesia bene novit quinam sit valor Sacrificii Missae et quinam valor indulgentiae altaris privilegiati, et tamen unum alteri adiunxit. Ipsa enim, quamvis Missae sacrificium ex se valeat animam, pro qua offertur, statim e purgatorii flammis eripere, hucusque simul indulsit ex potestate clavium indulgentiam plenariam eidem sacrificio adnecti, quae ex sua mente vim habet liberandi ab omnibus purgatorii poenis. Ecclesia errare nequit.*

Seconda considerazione, al problema cioè in sé e per sé, e chiediamoci come mai possa abbinarsi in favore della stessa anima e il valore infinito della Messa e l'indulgenza plenaria

Altera ratio *theologico innititur argumento.*

1) *Est de fide quod Missae Sacrificium animabus pur-*

dell'altare privilegiato. Dalla quale considerazione si deduce con evidenza la sapienza della Chiesa e la sua materna sollecitudine, nel caso, verso le anime purganti. È l'argomento che vorrei dire di ragione teologica.

Sono due insegnamenti basilari della Teologia, che risolvono, con evidenza pari alla semplicità, il problema posto, se non vado completamente errato. Mi basti accennarli:

1) È domma di fede che il *Sacrificio della Messa* è di vantaggio alle anime del purgatorio. Non è però certo che i frutti siano applicati proprio a quell'anima per cui si celebra la Messa; così pure non si sa in quale misura la Messa porti vantaggio ai defunti. Parlando della S. Messa quanto agli effetti della remissione della pena i Teologi insegnano che "Missa offertur pro vivis atque defunctis, pro poenis et satisfactionibus. Sed poenae remitti nequeunt nisi ex opere operato defunctis, qui iam sunt impares merendi; ... remittuntur *infallibiliter* cum nulla alia conditio praerequiratur praeter remissionem culpae. Attamen, anche se il frutto satisfattorio della Messa va a vantaggio — per accettazione divina — dell'anima in suffragio della quale viene celebrato il Divino Sacrificio, la pena *non semper remittitur ex integro, sed iuxta divinae Providentiae beneplacitum*".

È talmente sicura questa credenza nella Chiesa che, nonostante il valore infinito della Messa, la pietà verso i defunti non si accontenta di una Messa, ma a gettito continuo fa celebrare Messe in suffragio di una stessa determinata anima.

Questo da parte della S. Messa.

2) Da parte dell'indulgenza dell'Altare privilegiato?

L'abbiamo appreso dalla S. C. delle Indulgenze in data 28 luglio 1840: "Per indulgentiam altari privilegiato adnexam si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam, cuius mensura divino beneplacito et acceptationi respondet".

gantibus prodest. Certum ta- [88]
men non est Sacrificii fructus vere et integre applicari animae pro qua Missa oblata est et insuper ignoratur mensura qua haec oblatio determinatae animae prosit. Theologi docent, quoad remissionem poenae, Missam offerri « pro vivis atque defunctis, pro poenis et satisfactionibus ». Attamen fructus satisfactorius Missae — ex divina acceptatione — prodest quidem animae, pro qua offertur, sed poena « non semper remittitur ex integro, sed iuxta divinae Providentiae beneplacitum ». Haec Ecclesiae mens eruitur
quoque ex eo quod fidelibus [89]
relinquitur ut pro eadem anima pluries constanterque Missam celebrare faciant.

2) *S. Congregatio de Indulgentiis, die 28 iulii 1840, edidit: « Per indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam,*

[89] Il fatto, il duplice fatto, dunque, per il quale con il frutto satisfattorio della S. Messa "non semper remittitur ex integro — la pena — sed iuxta divinae Providentiae beneplacitum" e con la indulgenza dell'altare privilegiato la misura della remissione della pena è rimessa parimenti al "divino beneplacito et acceptationi", non solo non costituisce difficoltà alcuna nel concedere alla S. Messa, celebrata con l'indulto dell'altare privilegiato, l'indulgenza plenaria, ma niente di più materno la Chiesa potrebbe escogitare a pro delle anime purganti.

[90] Con l'applicazione dell'indulgenza dell'altare privilegiato, la Chiesa offre infatti alla misericordia divina, mai disgiunto dalla giustizia, un nuovo titolo a pro dell'anima, perché questa, dalla somma della accettazione e applicazione divina del frutto satisfattorio della santa Messa e della indulgenza dell'altare privilegiato, possa avere in misura più abbondante sollievo e suffragio, affrettando così con maggiore lestezza la visione beatifica » (Votum Commissarii I. R., in « Relazione »).

cuius mensura divino beneplacito et acceptationi respondet ».

Cum autem per fructum satisfactorium Missae non semper remittatur ex integro poena, sed iuxta divinae Providentiae beneplacitum, et per indulgentiam altaris privilegiati mensura remissionis poenae pariter divino beneplacito et acceptioni relinquatur, non solum nihil impedit quominus Ecclesia indulgentiam plenariam Missae Sacrificio addat, sed ipsius Ecclesiae materna pietas erga defunctos extollitur. Ecclesia enim ita offert divinae misericordiae novum titulum pro eadem anima, ut ex divina acceptatione unius et alterius largius suffragium consequatur.

Hic alter Commissarius concludit igitur esse potius augendam benignitatem Ecclesiae erga defunctorum animas quam reducendam, etiam in largitione indulgentiae plenariae Missae Sacrificio adnexae. Et quaerit:

« Sarebbe contro lo spirito della Chiesa se tutti gli altari di tutte le chiese del mondo si dichiarassero privilegiati? Ovvero se si concedesse che tutte le Messe celebrate in suffragio delle anime dei defunti da qualunque sacerdote godessero di tale privilegio? Penso di no » (Votum Commissarii I. R., in « Relazione »).

Commissarius quaerit et proponit: Estne extra Ecclesiae spiritum ut omnia altaria in universo mundo « privilegiata » pro defunctis declarentur? Seu ut omnes Missae, a quolibet sacerdote pro defunctis celebratae, hoc gaudeant privilegio?

Commissarius qui pro abolendo altari privilegiato conclusit, nec ipse intendit quod deficiant viscera misericordiae Sanctae Matris Ecclesiae in animarum defunctorum favorem sed extensionem eiusdem intercessionis ad hoc coram Deo, per Missae Sacrificium, diversimode explicat, ut rationem habitualis intentionis Ecclesiae induat, neque amplius ad modum privilegii concipiatur:

« Ut fidelibus clarius appareat doctrina de sacrificio Missae et de munere sacerdotali, sumpta etiam occasione ex Constitutione Conciliari de Ecclesia, melius esset doctrinam proponere:

a) De fructibus Sacrificii Missae.

b) De applicatione Missae factae a sacerdote nomine Christi et Ecclesiae. In hac includitur imprimis eius caput visibile Romanus Pontifex, qui consequenter suum suffragium offert, non in determinatis Missis solummodo, sed in omnibus; cum in omnibus eadem ratio adsit. Ita Ecclesia, piissima Mater, offert pro filiis suis, in qualibet Missa, per sacerdotem nomine ipsius Ecclesiae offerentis, quidquid dare potest; tam ex parte thesauri quod pro solutione offert, quam ex parte voluntatis intercedendi et suffragandi. Ita fructus, quisquis sit, altaris privilegiati, non minuitur in favorem defunctorum; crescit apud fideles aestimatio ipsius S. Sacrificii et muneris sacerdotalis; atque obiectiones acatholicorum, quibus nunc non facile responsum datur, evanescunt. Imo aspectus Christocentricus Sacrificii Missae, et aspectus ministerialis sacerdotii catholici clarius elucebunt » (Votum Commissarii P. A., in « Relazione »). [91]

Conclusiones in n. 4 huius partis Schematis sex Commissarii praesentes et unus per litteras amplexi sunt. Tres autem, historicis iam allatis rationibus vel etiam propter tabulas super altaria positas, contrarium edixerunt (Congregationum Commissionis Tabulae).

Quibus expositis petitur a Venerabilibus Patribus:

1) An placeat quod norma unius indulgentiae plenariae in die applicetur etiam indulgentiis plenariis, sic dictis, « toties quoties »?

2) An placeant quae statuuntur in n. 4 circa Altare privilegiatum et circa amplissimum suffragium Ecclesiae in Missae Sacrificio pro fidelibus defunctis?

3) An aliquid aliud animadvertendum sit circa indulgentias locales?

2 – EM.MUS P. D. FERDINANDUS CARD. CENTO
Paenitentiarius Maior

Venerabiles Patres,

Honori mihi duco, iussu Sanctissimi Papae nostri Pauli VI, « Positionem de Sacrarum Indulgentiarum recognitione » Vobis reverenter proferre, fructum diuturni ac assidui laboris praestiti a Commissione, ad hoc nominatim electa, ut clarior redderetur disciplina quae easdem sacras indulgentias spectat.

Desiderium late diffusum, praesertim in membris Ecclesiasticae Hierarchiae, provisionem aliquam exspectabat, ut circa tam gravis ponderis materiam perspicuae et aptae pararentur normae.

Sufficiat referre duo tantum vota ab Episcopo Chusirensi et ab Episcopo Aberdonensi respective exhibita in praeparatione Concilii.

En id quod prior affirmat:

« Optabile ... esset, ut ecclesia usum concedendi indulgentias paululum modificet. Modesti fideles ita generatim intelligunt designationem "concessio

quadraginta dierum (aut unius anni etc.) de vera indulgentia", ut iis indulgeantur quadraginta dies (aut unus annus etc.) purgatorii. Christiani acatholici autem legentes librum catholicum orationum offendiculum accipiunt legentes tam multas orationes, quibus tempora indulgentiarum lucrandarum subscripta sunt. Unus veteris paenitentiae longe praeteriti temporis nescientes, indicationem diversorum temporum comprehendere non possunt » (Chusiren., *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* ser. I, vol. II, pars I - Europa - p. 715).

Et nunc audiatur alter:

« Pro vita spirituali et paenitentiali fidelium fovenda, videtur numerum indulgentiarum esse valde imminuendum, et pariter facilitatem lucrandi. Ex alia parte videtur facultatem indulgentias concedendi magis in ordinarias facultates cleri inducendam. In mente habeo praesertim facultatem indulgentias adnectendi coronis et rosariis » (Aberdonen., *Acta etc.,* ser. I., vol. II, pars I - Europa - p. 4).

Quocirca augustae Summi Pontificis voluntati et votis Episcoporum Coetus obsecutus, schema de indulgentiis recognoscendis conficiendum curavi, ubi novae normae praxi et utilitati fidelium magis accommodatae praebentur.

Magna cum simplicitate, perspicuitate pari, propositiones paucis in articulis continentur, quibus tota sacrarum indulgentiarum disciplina recognoscitur. Animadvertendum tamen est nostro schemate sacrorum Canonum praescripta fere integra servari et paucos tantum canones reformatione indigere.

* * *

Saeculorum praeteritorum fideles sitim quamdam fere inextinguibilem habuerunt lucrandi sacras indulgentias pro operibus sive pietatis, sive caritatis, sive etiam publicae utilitatis, eisque Ecclesia materne satisfacere non recusavit.

Porro, sicut in ipso Mystico Corpore Christi elementum divinum saepius fulgurat, sed humanum aliquando ibi etiam subrepit, mirandum non est si in materia quoque sacrarum indulgentiarum hoc evenerit. Abusus ferme circa eas non defuerunt, quos Ecclesia condemnare ac reprimere non destitit. Nostris etiam temporibus necessitas exorta est profundae renovationis in materia indulgentiarum, et Commissio ad hanc inducendam et proponendam curas convertit.

Duo fuerunt obiecta peculiaris istiusmodi considerationis: indulgentiarum numerica supputatio ac superabundans concessio, quae a quibusdam vocata fuit « inflatio »: altera parum definita et vaga apparebat, altera vero earum dignam aestimationem videbatur minuere.

Commissionis opus duo haec vitia emendavit, uti apparet in schemate quod secundam partem occupat in « Positione » et, ex quinque constans capitibus; viginti unum articulos continet. Ad hanc partem, Venerabiles Patres, oportet mentem praecipue vertere, nam prima « Positionis » pars, brevem excursum theologico-historicum praebens, tamquam introductio habenda est

et eo spectat ut demonstretur nullam inveniri discrepantiam inter disciplinam noviter inductam et traditionalem doctrinam de indulgentiis. Nullo modo autem mens Commissionis fuit ut excursus hic theologico-historicus introducatur in documentum, quo novae normae publici iuris fient.

Ad hoc ergo grave munus explendum, Sacra Paenitentiaria suae competentiae ambitum non est praetergressa, quae per can. 258, § 2 statuitur. Ipsa igitur non argumenta fidei directe tangere voluit, sed normas practicas tradere, cum id tantum sui iuris esset.

Vobis ergo, Venerabiles Patres, in vestrarum Conferentiarum sedibus hoc tantum petitum fuit, quid nempe sentiretis de concretis dispositionibus a Commissione propositis.

Quoad tertiam « Positionis » partem, notandum est ipsam penitius cum spiritu secundae partis cohaerere, schematis commentarium cum opportunis quaestionibus exhibendo.

In hac enim parte, instar conclusionis uniuscuiusque capitis, exponitur series quaedam quaestionum, circa quas a Venerabilibus Patribus responsio exspectatur.

En, Venerabiles Patres, summa nostra « Positionis ». Non effugit nos, psychologiam populi christiani prae oculis habentes, renovandam fortasse disciplinam de indulgentiis, primo saltem tempore, quandam mentium perturbationem excitare posse, sicut iam de aliis materiis accidit. Prudenter tamen ac sapienter eam promulgando et applicando, libenter ab omnibus opinamur acceptatum iri. Ceterum, operae pretium est temporaneam quamdam turbationem, si fortasse contigerit, probe sustinere, potius quam pigre ac passive haerere disciplinae, quae dubitationes, incertitudines ac incommoda gignit.

Hac in exspectatione, meo prologo finem facio, locum hunc cessurus Rev.mo Regenti Sacram Paenitentiariam Apostolicam, qui praecipuas nostras propositiones illustrabit.

Qualiscumque fuerit vestra sententia, eam humiliter accipiemus, prout datam desuper, cum ob oculos semper habeamus gloriam Dei, Ecclesiae honorem et bonum animarum.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, me rogant communicare vobis Missam exsequialem exc.mi D. Adolfi Marx celebratum iri vespere, hora quinta, in ecclesia S. Susannae.

Lego nunc suffragationem 431. Videatis pag. 61 [*cf. pag. 61*]. « An placeat expensio modorum facta a commissione de apostolatu laicorum circa modos cap. II respicientes? ». *Placet* an *non placet?*

3 – Rev.mus D. IOANNES SESSOLO
Sacram Paenitentiariam Apostolicam Regens

RELATIO
super Schema de indulgentiis recognoscendis

Prooemium

Inter renovationes, in indulgentiarum disciplinam inducendas, quatuor sunt praecipuae:

1. nova norma pro indulgentia partiali;
2. reductio, quoad numerum, indulgentiarum plenariarum;
3. novae normae pro indulgentiis realibus seu pro indulgentiis quae pietatis obiectis sunt quodammodo adnexae;
4. suppressio Altaris privilegiati, quatenus « privilegium » indicat aliquibus tantum Missis adnexum, dum eiusdem peculiare beneficium omnibus Missis extenditur.

Inter quatuor renovationes, princeps certe est, in se et in suis consectariis, earum prima, scilicet norma pro indulgentia partiali.

De hac praesertim renovatione agam, breviter recolens primum novae normae pro indulgentia partiali notionem, dein eiusdem normae praecipuas proprietates seu virtutes. Referam *ordinate* tum notas maioris momenti, quae in nostrae Positionis Commentario — uti ipsius Commentarii ratio postulat — *dispersae* inveniuntur, tum paucas alias notas.

Addam tandem concisas quasdam animadversiones circa indulgentiam plenariam.

DE INDULGENTIA PARTIALI

I

Nova norma pro indulgentia partiali

Tota disciplina indulgentiarum partialium duabus normis, quae sequuntur, penitus innovatur:

a) « *Indulgentia partialis, preci vel pio operi adnexa, his tantum verbis "indulgentia partialis" designatur, nulla addita dierum vel annorum determinatione* ».

b) « *Per indulgentiam partialem, preci vel pio operi adnexam, Ecclesiastica Auctoritas christifideli concedit, ex thesauro Ecclesiae, tantam adhuc remissionem coram Deo poenae temporalis, quantam ipse eadem prece vel pio opere iam acquirit* ».

Prima norma computationes dierum et annorum ab indulgentia partiali removet; altera, pro eadem indulgentia, novam mensuram profert simplicem prorsus et in se plene definitam.

Mensura, hucusque vigens, indulgentiae partialis, non obstante numerorum ostentatione, parum definita erat. Mensura enim, diebus et annis computata, se refert — uti explicari solet— ad paenitentiam canonicam antiqui temporis. Sed cuius temporis? cuius loci seu ecclesiae? quomodo adimplenda? Omnibus his interrogationibus nemo unquam respondit.

Dierum et annorum numerus optime *olim* adhiberi poterat ad designandam, *directe et immediate,* remissionem seu reductionem antiquae poenae canonicae, qua unus et alter christifidelis per dies et annos tenebatur; et ad designandam simul, *indirecte et consequenter,* remissionem coram Deo poenae temporalis ab eodem christifideli debitae pro peccatis.

Sed minus apte, et nonnisi vi illata verbis, numerus dierum et annorum indicare potest *directe et immediate* remissionem coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis a christifideli nostri temporis, qui nulla dierum vel annorum poena proprie afficitur.

Sensus indulgentiae mutatus est; sed retenta sunt propria prioris sensus verba, quae novo sensui difficulter accommodari possunt.

Unde aptiorem normam seu mensuram pro indulgentia partiali, sensu nunc accepto, studiose exquirere visum est.

Haec autem norma feliciter, uti putamus, inventa est, actionem ipsam considerando christifidelis, qui opus indulgentia ditatum complet.

Notum est enim quod omne opus bonum, in statu gratiae positum, habet fructum meritorium *stricte personalem* et fructum impetratorium et satisfactorium *aliis communicabilem.*

Attenta fructus satisfactorii *communicabilitate,* possumus tum alios iuvare, tum vicissim *ab aliis iuvari* ad poenae temporalis remissionem assequendam. Fructus enim satisfactorius poenae temporalis remissionem affert.

Huiusmodi adiutorium christifidelibus praebet Ecclesiastica Auctoritas, quando preci vel pio operi indulgentiam adnectit; addit enim remissioni poenae temporalis, quae respondet fructui satisfactorio a christifideli sua actione comparato, *aliam* remissionem poenae temporalis ex thesauro Ecclesiae depromptam.

Ad indulgentiam partialem quod attinet, placuit *hanc aliam* remissionem, ex thesauro Ecclesiae oblatam, determinare simplicissima prorsus mensura: remissio poenae temporalis, quam Ecclesiastica Auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit, *exaequet ad amussim,* singulis vicibus, remissionem poenae temporalis, quam christifidelis sua actione hic et nunc sibi comparat.

Unde nova norma pro indulgentia partiali formula iam supra relata vel simili, ut infra, proponi potest:

Per indulgentiam partialem, preci vel pio operi adnexam, Ecclesiastica Auctoritas *addere intendit* remissioni coram Deo poenae temporalis, quam

christifidelis eadem prece vel pio opere iam acquirit, *aequalem prorsus remissionem* ex thesauro Ecclesiae.

Si licet sacra componere profanis, christifidelis qui ponit opus indulgentia ditatum comparari potest — quoad poenae temporalis remissionem — operario qui suo labore percipit mercedem et simul mercedis cumulum seu praemium.

In indulgentia plenaria, praemium qui mercedi additur est tanta remissio poenae temporalis, quanta requiritur ad plenam remissionem consequendam.

In indulgentia partiali vero, praemium qui mercedi additur exaequat ad amussim mercedem ipsam. Unde in casu christifidelis unica actione duplicem remissionem assequitur: unam suo labore comparatam, alteram aequalem dono datam.

Secretarius generalis: Audiatis, Patres venerabiles! Lego epistulam, quam misit Ss.mus Dominus Noster Paulus Papa VI ad em.mum ac rev.mum D. card. Eugenium, Sanctae Romanae Ecclesiae card. Tisserant, primum e consilio praesidentiae Concilii Oecumenici Vaticani Secundi:

« PAULUS PP. VI

VENERABILIS FRATER NOSTER,
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Laeto animo comperimus labores Concilii Oecumenici Vaticani II non modo celeriter procedere, sed etiam ad exitum vergere. Hac de causa, nomine istius Consilii Praesidentiae, a Nobis postulasti, Venerabilis Frater Noster, ut dies ac sollemnes ritus statuantur, quibus Oecumenica Synodus sit concludenda.

Grates Deo maximas agamus de superna ope per totum Concilii celebrationis decursum Patribus et Ecclesiae collata, ac nostras multiplicemus preces, ut nuper per Adhortationem Apostolicam "Postrema Sessio" christifideles omnes appellavimus, quibus quidem ab Omnipotenti Deo impetretur, ut grande eventum, cuius initium spem maximam excitavit, ad exitum feliciter perducatur atque uberrimam salutarium fructuum copiam Ecclesiae et mundo gignere valeat.

Quamobrem tuis precibus libenter annuentes, statuimus ut Sacrosanctum Concilium Oecumenicum Vaticanum II, quod in festo divinae Maternitatis Mariae Sanctissimae initium cepit eiusque peculiari patrocinio commissum est, finem sollemni ritu habeat die VIII proximi mensis decembris, quo liturgicum festum Immaculatae Conceptionis Mariae, Matris Ecclesiae, recoletur. [*Plausus*]. Eodem decembris die, anno MDCCCLXIX, sollemniter inauguratum fuit Concilium Oecumenicum Va-

ticanum I, cuius praesens Oecumenica Synodus non una de causa veluti dignum complementum optimo iure haberi potest.

Statuimus etiam ut die VII eiusdem mensis decembris celebretur Publica Sessio, in qua Sacri Concilii deliberationi proponantur postrema Schemata, quae in superioribus Congregationibus Generalibus iam approbata sunt.

Faveas, Ven. Frater Noster, haec, quae statuimus, in notitiam Patrum Conciliarium humaniter perferre.

Spem bonam foventes, fore ut superna ope et Conciliarium Patrum sollertia reliqui Oecumenicae Synodi labores prosperum sortiantur exitum, Tibi, Ven. Frater Noster, ceterisque Consilii Praesidentiae Membris, necnon Concilii Oecumenici Patribus universis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die IX mensis novembris, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri tertio.

PAULUS PP. VI »

[*Plausus*].

En textus suffragationis 432; pag. 88 videatis [*cf. pag. 83*]. « An placeat expensio modorum facta a commissione de apostolatu laicorum circa modos cap. III respicientes? ». *Placet* an *non placet?*

[*Prosequitur relatio rev.mi D. Ioannis Sessolo*].

II

Praecipuae proprietates seu virtutes novae normae pro indulgentia partiali breviter illustrantur

Inter bona, quibus nova norma pro indulgentia partiali pollet, tria videntur peculiari mentione digna et, per ordinem, infra illustrantur.

Nova enim haec norma:

a) profert mensuram plene determinatam et insimul pro diversis casibus variam;

b) fovet spiritum pietatis et fervorem caritatis christifidelium;

c) confert indulgentiis realibus formam digniorem, alte spiritualem, et sic periculum superstitionis removet.

1. *Nova norma pro indulgentia partiali profert mensuram plene determinatam et insimul pro diversis casibus variam.*

In nova enim norma, mensura indulgentiae, quamvis nobis ignota, est plene determinata « in se et obiective »; tamquam mensura enim sumitur, singulis vicibus, fructus satisfactorius, et consequens poenae temporalis remissio, actionis determinatae, a determinato christifideli hic et nunc positae.

Hinc sequitur quod mensura est qualibet vice plene determinata, sed insimul multipliciter varia.

Difficulter enim unius actio idem momentum habet ac alterius actio; et eadem actio ab eodem agente diversimode perfici potest.

Inter actionis fructus in ordine supernaturali est etiam fructus satisfactorius; si iste fructus mutat, mutat mensura indulgentiae partialis actioni forte connexae.

Utcumque tamen res eveniat, remissioni poenae temporalis, quae correspondet fructui satisfactorio actionis, a christifideli hic et nunc positae, adiungitur per indulgentiam partialem alia prorsus aequalis remissio poenae temporalis ex thesauro Ecclesiae deprompta.

2. *Nova norma pro indulgentia partiali fovet spiritum pietatis et fervorem caritatis christifidelium.*

Nova norma — cum rationem aequalitatis statuat inter remissionem quae conceditur ex thesauro Ecclesiae et remissionem quam christifidelis sua actione acquirit — eumdem christifidelem sollicitat ut ferventius operetur et forti animo, ut christianum decet, vitae aerumnas perferat.

Sic enim agens, christifidelis consequi valet — praeter meritum quod actionis est fructus praecipuus — maiorem etiam poenae temporalis remissionem, sive actione sua, sive ex aequo (tantam ... quantam) de thesauro Ecclesiae.

In norma vero nunc vigenti, christifidelis facile ducitur ad praetermittenda opera paenitentiae personalis, confisus se posse, sine nimia cura, poenae temporalis remissionem obtinere aliorum satisfactionibus per indulgentias large oblatis.

Exemplum sit oblatio laboris.

Qui, in norma nunc vigenti, quotidianum laborem « qualibet pia invocatione » offert, toties acquirit indulgentiam partialem 500 dierum, sub unica conditione quod saltem corde contritus sit.

Devotio quidem requiritur, saltem quae cor contritum comitatur et in ipsa oblationis notione continetur, sed maior vel minor devotio, sicut maior vel minor patientia aut caritatis fervor in opere complendo, nullius momenti sunt, pro quantitate remissionis poenae per indulgentiam concessae.

Quoties quis laboris oblationem *quomodocumque* facit, toties indulgentiam lucratur et frequenti oblationis repetitione sat magnam quantitatem remissionis poenae cumulare potest.

Nunc vero, iuxta novam normam, quo maiores sunt devotio, patientia et caritatis fervor, eo maior est remissio quam christifidelis acquirit non tantum sua actione, sed etiam ex thesauro Ecclesiae.

In veteri norma, maiorem remissionem assequitur qui frequentius oblationem facit; in nova vero norma, maiorem remissionem obtinet qui laborem melius complet et offert, quamvis rarius forte offerat.

In primo casu, magis consideratur *quantitas* seu frequentia oblationis; in altero casu, attenditur potius *qualitas* seu modus, sive agendi sive offerendi.

Nemo est qui non videat quomodo nova norma, aptius quam vetus, christifideles ad sincerum spiritum pietatis et ad fervorem caritatis efficaciter inducat.

Secretarius generalis: Audiatis, Patres venerabiles, textum suffragationis 433, pag. 110 [*cf. pag. 102*]. « An placeat expensio Modorum facta a commissione de apostolatu laicorum circa Modos cap. IV respicientes? ». *Placet* an *non placet?*

[*Prosequitur relatio rev.mi D. Ioannis Sessolo*].

3. *Nova norma pro indulgentia partiali confert indulgentiis realibus formam digniorem, alte spiritualem, et sic periculum superstitionis removet.*

Nova norma pro indulgentia partiali novum ordinem inter opera indulgentiis ditata inducit: maiorem habet indulgentiam opus quod maiorem laborem seu poenam exigit et quod maiore perfectione impletur.

Ipsa, novum hunc ordinem instituens, indirecte — et proinde sine offensa — tollit inaequalitates et nonnullas immoderationes in praxim indulgentiarum pedetentim inductas, praesertim quod attinet ad indulgentias reales.

Cuilibet preci vel pio operi, indulgentia partiali ditato, iusta prorsus ratione et mensura, assignatur poenae temporalis remissio, iuxta operis praestantiam et iuxta fervorem caritatis qua, singulis vicibus, opus a determinato christifideli perficitur.

Nova igitur norma pro indulgentia partiali facilem modum praebet confirmandi ex una parte legitimum usum indulgentiarum realium, quae scilicet pietatis obiectis sunt quodammodo adnexae, et ex altera parte abusus periculum subtrahit, in lumine ponens actionem christifidelis qui eisdem pietatis obiectis utitur.

His omnibus prae oculis habitis, pronum fuit novam pariter normam statuere pro indulgentiis realibus, hoc modo:

« *Christifidelis, qui habitualiter unum vel plura pietatis obiecta* (*crucifixum, crucem, coronam, scapulare, cingulum, cincturam, numisma*) *rite benedicta devote defert, acquirit indulgentiam partialem quotidie, plenariam autem, suetis conditionibus, semel in anno* ».

Iuxta hanc normam, si bene attendatur, indulgentia non est simpliciter adnexa pietatis obiecto, nec mero facto idem obiectum deferendi, sed potius sequitur *modum* quo obiectum a christifideli defertur. Unde qui obiectum sine ulla animi devotione defert, nullam indulgentiam seu poenae temporalis remissionem assequitur; qui vero obiectum cum minore vel maiore animi

devotione defert, minorem vel maiorem remissionem acquirit, sive tanquam *fructum* suae actionis, sive tanquam *donum* ex thesauro Ecclesiae.

Sic ordinatae, indulgentiae reales nil absoni vel immoderati praebent, periculum superstitionis arcent et mire conferunt ad fidem firmandam et ad fervorem caritatis fovendum.

Ad periculum superstitionis quod attinet, ad illum removendum conspirant, cum nova norma pro indulgentia partiali, haec aliae opportunae normae:

a) Omnia pietatis obiecta rite benedicta, sublatis omnibus diversitatibus hucusque vigentibus, iisdem gaudent indulgentiis.

b) Indulgentiae piis Associationibus concessae, non amplius usui insignium ligatae manent, sed habendae sunt uti personales.

Insignia, singulis Associationibus propria, adscriptionis signa manent; quatenus autem sunt pietatis obiecta, iisdem indulgentiis gaudent ac alia pietatis obiecta.

Ad relationem vero quod attinet inter novam normam pro indulgentia partiali et usum obiectorum pietatis notandum insuper est unicam quotidianam indulgentiam partialem novae disciplinae se referre ad omnes devotionis actus quos durante die, cum relatione ad usum alicuius pietatis obiecti, christifidelis complet. Huius unicae indulgentiae quantitas erit proinde sat magna, si christifidelis usus fuerit pietatis obiecto quasi stimulo ad mentem suam in Deum frequenter elevandam, dum officia sua persequitur.

Maximum momentum novae normae pro indulgentia partiali in indulgentiis realibus expediendis et digne ordinandis, eiusdem novae normae praestantiam plane demonstrat.

Secretarius generalis: Audiatis, Patres venerabiles, textum suffragationis 434. Videatis pag. 127 [*cf. pag. 116*]. « An placeat expensio Modorum facta a commissione de apostolatu laicorum circa Modos cap. V respicientes ». *Placet* an *non placet?*

[*Prosequitur relatio rev.mi D. Ioannis Sessolo*].

DE INDULGENTIA PLENARIA

De indulgentia plenaria sermo paucis absolvitur.

Proponitur in Schemate reductio quoad numerum, ut christifideles indulgentiae plenariae aequam aestimationem faciant, et de facto eam acquirere valeant.

Nam nimia indulgentiarum plenariarum copia duos deprecabiles effectus necessario produxit: earundem indulgentiarum dignitatem minuit et prope abiecit, et restinxit christifidelium studium in assequendum beneficium quod iisdem creberrime et fere continenter offertur.

Proinde proposita est haec norma:

« *Una tantum indulgentia plenaria in die acquiri potest* ».

Praedicta norma, vel strictior norma, si qua forte eligatur, modum statuet indulgentiarum plenariarum *acquisitioni.*

Sed modum constituere oportet etiam *concessionibus.* Hoc proponitur praesertim in Capite IV nostri Schematis ubi, e. g., de Associationibus haec norma datur:

« *Piis Associationibus, cuiusvis originis ac naturae, quaedam tribuantur indulgentiae plenariae, circa decem per annum, aliae omnibus Associationibus communes, in solemnioribus festivitatibus D. N. I. C. et B. M. V., aliae singulis speciales* ... ».

Praeter concessionum deminutiones, de quibus agitur in Capite IV et etiam in Capitibus III et V nostri Schematis, aliae concessionum deminutiones opportune fient in recognitione Enchiridii Indulgentiarum, praesertim quod attinet ad indulgentiam plenariam mensilem quae, in vigenti praxi, sat frequenter comitatur indulgentiam partialem adnexam precis recitationi, si quotidie per integrum mensem eadem prex recitetur. Quo fit ut sub finem mensis quamplurimae indulgentiae plenariae emicent, tanquam scintillae in arundineto.

Plerumque tot indulgentiarum plenariarum concessiones inutiliter cumulantur, quia suetae conditiones non adimplentur; omittuntur praesertim visitationes ecclesiae vel oratorii, ob inadvertentiam vel etiam ob moralem impossibilitatem eas peragendi.

Circa conditiones ad indulgentiam plenariam acquirendam, visum est eas nunc sic determinare (Caput II, nn. 2-4):

a) *conditiones tres sunt, scilicet sacramentalis confessio, communio eucharistica et oratio ad mentem Summi Pontificis; et semper et ab omnibus sunt adimplendae, salva commutatione pro « impeditis »*;

b) *adimpleri possunt vel die quo ponitur opus, indulgentia ditatum, vel etiam hebdomada praecedenti aut subsequenti praedictum diem;*

c) *unica communione eucharistica una tantum indulgentia plenaria acquiri potest.*

Ut plene exponitur in Parte tertia nostrae Positionis, prima norma (*conditiones tres sunt etc.*) electa praesertim est ob uniformitatem; secunda norma (*adimpleri possunt vel die quo ponitur opus etc.*) potior habita est ob simplicitatem; tertia (*unica communione una tantum indulgentia plenaria acquiritur*) inducta est ad dignitatem indulgentiae plenariae extollendam et ad congruam dispositionem christifidelis aptius promovendam.

His dictis, considerare oportet difficultatem quae ex expositis sponte oritur eamque, pro viribus, dissolvere.

En difficultas. Laudabilis est finis quem assequi contendit proposita indulgentiarum plenariarum reductio: earum scilicet aequam aestimationem in fideles inducere; laudabile pariter est studium reddendi conditiones pro indulgentia plenaria assequenda ad simpliciorem sed simul strictiorem rationem, statuendo praesertim quod unica communione eucharistica una tantum indul-

gentia plenaria acquiri potest. Sed haec omnia (obicitur) instaurare videntur tempus inopiae indulgentiarum, post tempus ubertatis, tam pro vivis quam pro defunctis.

Respondeo per partes, brevissime.

a) *Per reductionem quae proponitur non instauratur tempus inopiae pro vivis.*

Nam indulgentiae plenariae quae in vigenti praxi christifideli offeruntur sunt saltem decem in die. Sed, quis eas revera acquirit, cum copia ipsa plerumque avertat — uti notavi — a studio comparandi plenam dispositionem quae ad indulgentiam plenariam assequendam exigitur? Unde, in praxi vigenti, christifideles, non obstante copia indulgentiarum plenariarum, acquirunt plerumque indulgentiam partialem tantum (cf. can. 926 C.I.C.).

Sed indulgentiam partialem, eadem opera peragendo, ipsi acquirunt quoque in nova disciplina et quidem — uti explicite cavetur — etiam in casu quod conditiones, ad indulgentiam plenariam ceterum requisitas, non compleant. Cum autem nova disciplina pro indulgentia partiali christifideles magis incitet ad perfectionem, sperandum est quod nullum damnum, sed potius quoddam emolumentum in dictis rerum adiunctis capiant, et quidem non solum quod attinet ad poenae remissionem, sed insuper quod attinet ad meritum et ad gloriam essentialem.

Praeterea, in hoc maioris fervoris statu, quem nova pro indulgentia partiali disciplina inducit, christifideles facilius sibi comparare tandem poterunt plenam illam dispositionem quae ad indulgentiam plenariam consequendam requiritur.

b) *Per reductionem quae proponitur non instauratur tempus inopiae pro defunctis.*

Ex parte iam respondi. Si pro se christifideles viatores ex nova indulgentiarum disciplina nihil perdunt, et aliquid amplius probabiliter adipiscuntur, sequitur quod etiam pro defunctis offerre possunt suffragia non minuta, sed probabiliter aucta.

Ad hoc notandum est quod fervor caritatis, quem nova pro indulgentia partiali disciplina fovet, facilius adducet christifideles ad animas defunctorum suffragandas.

Amplius notandum est quod fervor caritatis christifidelis magis movere potest ad misericordiam Deum, cuius « beneplacito et acceptationi » submittitur indulgentiae suffragium.

Quod si Deus fervorem considerat illius qui offert, et simul laborem seu poenam quam in opere complendo ipse sustinet, evenire etiam potest quod indulgentia partialis indulgentiam plenariam superet saltem ad effectum quod attinet, uti duo minuta, quae pauper vidua in gazophylacium misit, superaverunt — ut D. N. I. C. docet — munera multa quae multi divites in idem gazophylacium iactabant (cf. *Mc.* 12, 41 ss. cum *Lc.* 21, 1 ss.).

Unde reductio, quoad numerum, indulgentiarum plenariarum, omnibus perpensis, potius quam in damnum, in emolumentum feliciter cedere videtur.

Ad finem properans, noto:
De indulgentiis realibus aliquid innui loquens de nova norma pro indulgentia partiali; aliquid pariter commemoravi circa indulgentias personales agens de indulgentia plenaria. Cetera inveniri poterunt, clare et fuse exposita, in tertia Parte nostrae « Positionis », ad quam proinde remitto, praesertim quod attinet ad Altare privilegiatum.

Moderator: Gratias maximas agimus em.mo D. Paenitentiario Maiori atque rev.mo D. Regenti eiusdem Paenitentiariae necnon omnibus qui cum sollertia praeparabant schema novarum normarum pro indulgentiis. Loquatur nunc exc.mus. D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, distribuuntur nunc vobis schemata. Distribuitur, ni fallor, schema *de activitate missionali Ecclesiae*. Mox distribuetur etiam aliud schema, *de ministerio et vita presbyterorum*. Aliquod tempus non longum, breve, sed aliquod tempus adhuc requiritur. Ergo congregatio non finietur nisi omnia schemata distributa sint, et recolo suffragationem circa schema *de activitate missionali Ecclesiae* factum iri crastina post relationem relatoris.

Audiatis nunc exitum suffragationis 430, circa modos quoad cap. I schematis *de apostolatu laicorum*.

Praesentes votantes	2.127
Dixerunt *placet*	2.117
non placet	10

Audiatis textum suffragationis 435, pag. 140 [*cf. pag. 126*]. Quaeritur: « An placeat expensio Modorum facta a commissione de apostolatu laicorum circa Modos cap. VI respicientes? ». *Placet* an *non placet?*

Secretarius generalis: Audiatis, Patres! Feria VI, nempe die 19 huius mensis, erit congregatio generalis: nempe die post sessionem publicam quae habebitur, ut iam scimus, die 18, feria VI sequenti erit congregatio generalis.

Audiatis exitum suffragationis 431:

Patres praesentes votantes	2.116
Dixerunt *placet*	2.099
non placet	16
placet iuxta modum (sed est votum nullum)	1

Crastina, Patres, habebitur imprimis suffragatio circa integrum hoc schema *de apostolatu laicorum,* et haec suffragatio, uti scimus, fiet per *placet* et *non placet.* Deinde, post relationem, transitus fiet ad suffragandum schema *de activitate missionali,* in quo adhibebitur triplex formula pro capitibus integris. Quapropter faveatis hodie praeparare modos qui forte apponendi sunt ita ut tradi possint statim assignatoribus locorum. Quo enim celerior erit traditio Modorum, eo alacrior et celerior erit labor commissionis in expendendis Modis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, patientiam habeatis! Interea lego exitum suffragationis 432:

Patres praesentes votantes	2.087
Dixerunt *placet*	2.075
non placet	12

Adhuc pauca minuta, Patres venerabiles, et distributio complebitur.

(*Intervallum 5 momentorum*)

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina die, hora 9.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CLVII
10 novembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLVII

10 novembris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*: Rogantur Patres ut sua loca occupent! Patres venerabiles, vestras sedes sollicite occupetis, quia adventurus est Summus Pontifex.

Summus Pontifex, sequendo processionem ad inthronizandum S. Evangelium, ingressum facit in aulam et petit suam sedem in media mensa praesidentiae.

Post S. Evangelii inthronizationem et incensationem, celebratur Missa, qua expleta dicuntur preces sequentes:

Diaconus Missae: Si iniquitates observaveris, Domine: Domine quis sustinebit?
De profundis clamavi ...

Omnes: Fiant aures tuae ...

Diaconus Missae: Si iniquitates observaveris, Domine: Domine quis sustinebit?
Kyrie, eleison.

Omnes: Christe, eleison.

Diaconus Missae: Kyrie, eleison.

Summus Pontifex: Pater noster (secreto usque ad:)
Et ne nos inducas in tentationem.

Omnes: Sed libera nos a malo.

Summus Pontifex: A porta inferi.

Omnes: Erue, Domine, animas eorum.

Summus Pontifex: Requiescant in pace.

Omnes: Amen.

Summus Pontifex: Domine, exaudi orationem meam.

Omnes: Et clamor meus ad te veniat.

Summus Pontifex: Dominus vobiscum.

Omnes: Et cum spiritu tuo.
Summus Pontifex: Oremus. Deus, qui inter ... Per Christum Dominum nostrum.
Omnes: Amen.
Summus Pontifex: Requiem aeternam dona eis, Domine.
Omnes: Et lux perpetua luceat eis.
Summus Pontifex: Requiescant in pace.
Omnes: Amen.

Tunc Summus Pontifex discedit et continuatur congregatio generalis more solito.

Secretarius generalis:

Patres venerabiles, congregationem 157 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

In hac congregatione fiet suffragatio de integro schemate *de apostolatu laicorum*. Deinde, post relationem, transitus fiet ad suffragandum schema *de activitate missionali Ecclesiae.*

Interea, Patres venerabiles, audiemus relationes praesidum conferentiarum episcopalium, et aliorum em.morum cardinalium qui hunc coetum participant, *de indulgentiis.* Sed meminerint praesides conferentiarum in hac relatione exponendam esse unice mentem conferentiae, quam repraesentant. Unusquisque, antequam loquatur, dicat nomen conferentiae, quam repraesentat. Em.mus moderator appellabit praesidem, sed ipse praeses dicat quam conferentiam ipse repraesentet et cuius mentem ipse exprimere intendat.

Meminerint etiam Patres conciliares hoc argumentum ad Concilium non pertinere. Ideoque nulla disceptatio habetur. Est tantum relatio praesidum.

Postquam unusquisque praeses locutus fuerit, tradat scripto suam relationem nostrae secretariae. Si quis praeses loqui non intendit, hoc libere facere potest et det tantum scripto suam relationem nostrae secretariae. In normis quibus regitur haec expositio, dicitur relationem faciendam esse brevissimo sermone — brevissimo sermone —, et haec norma valet etiam nunc.

Summus Pontifex statuit deferendum esse in sessionem publicam proximam diei 18 huius mensis schema *de divina revelatione.*

Lego, Patres, exitus suffragationum heri peractarum qui nondum communicati sunt.

Suffragatio 433, quae erat quarta ex iis quae heri factae sunt:

Inter Patres praesentes votantes	2.076
Dixerunt *placet*	2.061
non placet	14
Suffragium nullum	1

Suffragatio 434:

Inter Patres praesentes suffragantes	2.097
Dixerunt *placet*	2.089
non placet	8

Denique in *suffragatione 435*:

Inter Patres praesentes	2.109
Dixerunt *placet*	2.100
non placet	6
Vota nulla	3

Ergo procedi potest ad suffragationem super integro schemate *de apostolatu laicorum,* quod mox per principium et finem legam, proponendo suffragationem.

Sed, Patres venerabiles, forsan vobis placet scire calendarium integrum usque ad finem. Possumus nunc dicere, quia finis Concilii iam statutus est.

Uti heri dixi, sabbato proximo habebitur congregatio generalis, cum suffragationibus.

Proxima hebdomada habebitur, ut de more, congregatio generalis, excepta feria V, nempe die 18 novembris, in qua habebitur publica sessio.

Post diem dominicam, quae, ni fallor, est dies 21 novembris, habebitur hebdomada in qua congregationes generales vacabunt: congregationes generales, sed non commissiones, quia illis diebus hae maxime adlaborare debent.

Ab hebdomada sequenti, nempe, ni fallor, a die 29 novembris — a die 29 novembris — usque ad diem 8 decembris, habebuntur congregationes generales et sessiones publicae, et die 8 sessio publica qua Concilium finietur; etiam congregatio diei 8 decembris iuridice est publica sessio, quia edendum est decretum de fine Concilio imponendo.

Et hoc est calendarium.

Quoad schemata *suffraganda.* Hac hebdomada, nos peragemus suf-

fragationes circa schemata *de activitate missionali* et *de ministerio et vita sacerdotali*. Hebdomada proxima — et speramus fore ut commissio competens, a nobis pluries rogata, nobis faveat —, hebdomada proxima, habebitur suffragatio schematis *de praesentia Ecclesiae in mundo huius temporis*.

Schemata distribuentur — hoc est in nostris propositis, et rogamus commissionem ut nobis faveat —, distribuentur schemata feria VI et sabbato; quia, ad labores maturiores reddendos, nos divisimus hoc schema in duos fasciculos, ita ut typographia posset expeditius laborare. Sed, feria VI et sabbato proximo nos distribuemus illas duas partes, ita ut feria II proximae hebdomadae incipere possint suffragationes, cum modis.

Suffragatio circa modos schematis *de libertate religiosa* praevidetur pro feria VI proximae hebdomadae, nempe die 19 novembris. Antea fieri non potest quia urget suffragatio quoad schema *de praesentia Ecclesiae in mundo huius temporis*. Sunt multae suffragationes cum triplici formula; et tempus non remanet. Oportet ut omnia rite et cum consideratione fiant.

Aliud addere debeo, quia precationes pervenerunt ad nostram secretariam. In sessione publica ultima distributum est opus quod continet vitam S. Caroli Borromaei; praeter nostram intentionem, aliqui Patres hoc opus, hanc vitam, recipere non potuerunt. Quapropter rogantur Patres, qui eam non receperunt, ut dicant propriis assignatoribus, si possibile est cum aliqua notula, et assignatores, qui sunt veloces et maximae alacritatis, ut vidistis heri, nonne? (*Plausus*), ad vos deferent hunc librum, vel hodie vel crastina, nam hodie multae suffragationes faciendae sunt, et ideo properemus ad suffragationem proponendam.

SCHEMA DECRETI DE APOSTOLATU LAICORUM

Prooemium.[1] « Apostolicam actuositatem populi Dei impensiorem reddere volens, Sacrosancta Synodus sollicite se vertit ad christifideles laicos, quorum partes in missione Ecclesiae proprias et omnino necessarias iam aliis in locis commemoravit. Apostolatus enim laicorum ex ipsa eorum christiana vocatione promanans, numquam potest in Ecclesia deficere. Quam spontanea fuerit huiusmodi actuositas in primordiis Ecclesiae, quamque frugifera, ipsae Sacrae Litterae luculenter demonstrant » et reliqua.

---

[1] Pag. 9 [*cf. p. 15*].

Cap. I: *De vocatione laicorum ad apostolatum* (pag. 11). « Ad hoc nata est Ecclesia ut regnum Christi ubique terrarum dilatando, ad gloriam Dei Patris, omnes homines salutaris redemptionis participes efficiat, et per eos mundus universus re vera ad Christum ordinetur » et reliqua, usque ad pag. 14, his verbis: « Hanc devotissime colant omnes suamque vitam atque apostolatum eius maternae curae commendent ».

Cap. II: *De finibus assequendis* (pag. 43). « Opus redemptionis Christi, dum homines salvandos de se spectat, totius quoque ordinis temporalis instaurationem complectitur » et reliqua usque ad finem capitis (pag. 46): « Laici ergo magni faciant et pro viribus adiuvent opera caritatis et incepta « assistentiae socialis » sive privata sive publica, etiam internationalia, quibus efficax auxilium singulis hominibus et populis in necessitate versantibus fertur, cooperantes in hoc cum omnibus bonae voluntatis hominibus ».

Cap. III (pag. 63): « Laici suum exercent multiplicem apostolatum tam in Ecclesia quam in mundo. In utroque hoc ordine varii patent campi apostolicae actuositatis, quorum principaliores hic commemorare volumus » et cetera. Videatis, Patres, pag. 65, ubi introducta est variatio quae communicata est heri, pag. 65, circa medium: « Hoc eorum adauctum in societate pondus consimilem ab eis exigit actuositatem apostolicam, sed et ipsa eorum naturalis indoles ad eamdem eos disponit. Maturescente conscientia propriae personalitatis, ardore vitae atque profluente navitate impulsi, propriam "responsabilitatem" assumunt, in vita sociali et "culturali" suas partes agere cupiunt: qui zelus si spiritu Christi imbuitur ac oboedientia et amore erga Ecclesiam animatur, uberrimos exinde fructus sperari licet. Ipsi debent fieri primi et immediati apostoli iuvenum, apostolatum inter seipsos per seipsos exercentes, ratione habita "ambitus" socialis ubi vivunt.

Curent adulti cum iuvenibus amicale colloquium instituere quod permittat utrique parti, aetatis distantia superata, mutuo sese cognoscere atque divitias cuique proprias invicem communicare. Exemplo primum et, data occasione, prudenti consilio validoque auxilio adulti iuventutem ad apostolatum stimulent. Reciprociter, iuvenes erga adultos reverentiam ac fiduciam nutriant; et, licet naturaliter sint ad novitates inclinati, laudabiles tamen traditiones debite aestiment » et reliqua huius capitis. Deinde:

Cap. IV: *De variis apostolatus modis* (videatis pag. 89). « Laici suam actionem apostolicam exercere possunt vel ut singuli, vel in variis communitatibus aut associationibus coadunati » et reliqua, usque ad verba ultima capitis: « ... ipsique ... » (pag. 92): « Pastores Ecclesiae hos

laicos libenter et grato animo recipiant, curent ut eorum condicio exigentiis iustitiae, aequitatis et caritatis quam maxime satisfaciat, praesertim quoad honestam eorum familiarumque sustentationem, ipsique necessaria institutione, spirituali solamine et incitamento gaudeant » et reliqua.

Cap. V: *De ordine servando* (pag. 111). « Laicorum apostolatus, sive a singulis sive a consociatis christifidelibus exerceatur, recto ordine insertus esse debet in apostolatum totius Ecclesiae; immo coniunctio cum eis, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, elementum essentiale apostolatus christiani est ». Videatis, in hac eadem pagina, aliam variationem versus finem: « Nullum autem inceptum nomen catholicum sibi vindicet, nisi consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae » (nempe deleta sunt verba « implicite vel explicite ») et cetera huius capitis. Tandem:

Cap. VI: *De formatione ad apostolatum* (pag. 129). « Apostolatus plenam efficaciam attingere potest solummodo multiformi et integra formatione ... » et reliqua usque ad finem capitis et schematis, qui est in exhortatione finali: « Ipse enim Dominus omnes laicos per hanc S. Synodum iterato invitat ut intimius in dies sibi iungantur et quae ipsius sunt, tamquam propria sentientes, in eiusdem salvifica missione consocientur; eosque denuo mittit in omnem civitatem et locum quo ipse venturus est; ut variis formis et modis unius apostolatus Ecclesiae, novis necessitatibus temporum continenter aptandi cooperatores ei se exhibeant, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor eorum non est inanis in Domino ».

Ergo, Patres: schema decreti, quod modo lectum est per partes, sed integrum habendum est lectum, *placetne* vobis an *non placet?*

Moderator: Audiatur nunc relatio de activitate missionali Ecclesiae et loquatur rev.mus P. Ioannes Schütte, Societatis Verbi Divini superior generalis.

SCHEMA DECRETI DE ACTIVITATE MISSIONALI ECCLESIAE * [5]

1 – TEXTUS EMENDATUS ET RELATIONES

Textus prior

1. [*Prooemium*]. Ad gentes divinitus missa ut sit « universale salutis sacramentum »,[1] Ecclesia ex intimis propriae catholicitatis exigentiis, mandato sui Fundatoris oboediens (*Mt.* 16, 15), Evangelium ad omnes homines afferre contendit. Ipsi enim Apostoli super quos Ecclesia est fundata, vestigia Christi sequentes, « praedicaverunt verbum veritatis et genuerunt Ecclesias ».[2] Ad eorum successores pertinet hanc missionem continuare ut Regnum Dei ubique terrarum annuntietur.

In praesenti autem novo rerum ordine, ex quo nova exsurgit humanitatis condicio, Ecclesia, sal terrae et lux mundi (*Mt.* 5, 13-14), vocatur ad omnem creaturam renovandam, ut omnia in Christo instaurentur, et in Ipso homines unam familiam unumque populum Dei constituant.

Quare Sancta Synodus, dum ob tam praeclara opera per generosam Ecclesiae filiorum industriam peracta Deo gratias agit, missionalis activitatis principia delineare, et vires omnium fidelium colligere cupit, ut populus Dei, per angustam viam crucis procedens, regnum Christi, Domini historiae, ubique diffundat eiusque adventui vias paret.

Textus emendatus

1. [*Prooemium*]. Ad gentes divinitus missa ut sit « universale salutis sacramentum »[1] Ecclesia ex intimis propriae catholicitatis exigentiis, mandato sui Fundatoris oboediens (*Mc.* 16, 16), Evangelium ad omnes homines afferre contendit. Ipsi enim Apostoli super quos Ecclesia est fundata, vestigia Christi sequentes, « praedicaverunt verbum veritatis et genuerunt Ecclesias ».[2] *Eorum successorum officium est hoc opus perenne reddere, ut « sermo Dei currat et clarificetur »* (*2 Thess.* 3, 1) *et* Regnum Dei ubique terrarum annuntietur *et condatur.*

In praesenti autem ( ) rerum ordine, ex quo nova exsurgit humanitatis condicio, Ecclesia, sal terrae et lux mundi (*Mt.* 5, 13-14), *urgentius* vocatur ad omnem creaturam *salvandam et* renovandam, ut omnia in Christo instaurentur, et in Ipso homines unam familiam unumque populum Dei constituant.

Quare *haec* Sancta Synodus, dum ob ( ) praeclara opera per generosam *totius* Ecclesiae ( ) industriam peracta Deo gratias agit, missionalis activitatis principia delineare, et vires omnium fidelium colligere cupit, ut populus Dei, per angustam viam crucis procedens, regnum Christi, Domini *et conspectoris saeculorum* (*Eccli.* 36, 19), ubique diffundat *eique advenienti* vias paret.

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali 156, die 9 novembris 1965.

[5]

Textus prior

CAPUT I

DE PRINCIPIIS DOCTRINALIBUS

2. [*Propositum Patris*]. Ecclesia natura sua missionaria est, cum ipsa ex missione Filii missioneque Spiritus Sancti procedat secundum
[6] Propositum Dei Patris.[1] Hoc autem Propositum ex « fontali amore » seu caritate Dei Patris profluit, qui, cum sit Principium sine Principio, ex quo Persona Filii et Persona Spiritus Sancti originem ducunt, ex nimia et misericordi benignitate sua, libere creans et insuper gratiose vocans nos ad Secum communicandum in vita et gloria, bonitatem suam liberaliter diffudit ac diffundere non desinit, ita ut qui Conditor est omnium, tandem fiat « omnia in omnibus » (*1 Cor.* 15, 28), gloriam suam simul et beatitudinem nostram procurando. Placuit autem Deo homines non singillatim, quavis mutua connexione seclusa, ad vitae Suae participationem vocare, sed eos in populum constituere, in quo filii sui, qui erant dispersi, in unum congregarentur (cf. *Io.* 11, 52).

3. [*Missio Filii*]. Hoc universale Dei propositum pro salute generis humani perficitur non solummodo quasi secreto in mente hominum vel per incepta, etiam religiosa, quibus ipsi multipliciter Deum quaerunt, si forte attrectent eum aut inveniant quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum (cf. *Act.* 17, 27): haec enim incepta indigent illuminari et sanari, etsi, ex benigno consilio providentis Dei, aliquando pro paedagogia ad Deum verum vel praeparatione evangelica possint haberi.[2] Deus autem ad pacem seu communionem Secum stabiliendam fraternamque societatem inter homines, eosque peccatores, componendam, in

Textus emendatus

CAPUT I

DE PRINCIPIIS DOCTRINALIBUS

2. [*Propositum Patris*]. Ecclesia *peregrinans* natura sua missionaria est, cum ipsa ex missione Filii missioneque Spiritus Sancti *originem ducat* (A) secundum Propositum Dei Patris.[1] Hoc autem Propositum ex « fontali amore » seu caritate Dei Patris profluit, qui, cum sit Principium sine Principio, ex quo Persona Filii et Persona Spiritus Sancti *procedunt* (A), ex nimia et misericordi benignitate sua, libere creans et insuper gratiose vocans nos ad Secum communicandum in vita et gloria, bonitatem suam liberaliter diffudit ac diffundere non desinit, ita ut qui Conditor est omnium, tandem fiat « omnia in omnibus » (*1 Cor.* 15, 28), gloriam suam simul et beatitudinem nostram procurando. Placuit autem Deo homines non *tantum singulatim* (B), quavis mutua connexione seclusa, ad vitae Suae participationem vocare, sed eos in populum constituere, in quo filii sui, qui erant dispersi, in unum congregarentur (cf. *Io.* 11, 52).

3. [*Missio Filii*]. Hoc universale Dei propositum pro salute generis humani perficitur non *solum modo* (C) quasi secreto in mente hominum vel per incepta, etiam religiosa, quibus ipsi multipliciter Deum quaerunt, si forte attrectent eum aut inveniant quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum (cf. *Act.* 17, 27): haec enim incepta indigent illuminari et sanari, etsi, ex benigno consilio providentis Dei, aliquando pro paedagogia ad Deum verum vel praeparatione evangelica possint haberi.[2] Deus autem ad pacem seu communionem Secum stabiliendam fraternamque societatem inter homines, eosque peccatores, componendam, in histo-

Textus prior

historiam hominum manifeste intrare decrevit mittendo Filium suum in carne nostra, ut homines per illum eriperet de potestate tenebrarum ac Satanae (cf. *Col.* 1, 13; *Act.* 26, 28; 10, 38) et in eo mundum Sibi reconciliaret (cf. *2 Cor.* 5, 19). Illum ergo, per quem fecit et saecula,[3] constituit haeredem universorum, ut qui omnia creavit, in seipso homine, omnia denuo instauraret (cf. *Eph.* 1, 10).

Christus enim Iesus missus est in mundum verus mediator Dei et hominum. Cum Deus sit, in ipso inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* 2, 9); secundum humanam autem naturam, novus Adam, novae humanitatis caput constituitur, plenus gratiae et veritatis (*Io.* 1, 14). Itaque per vias verae Incarnationis processit Filius Dei ut homines divinae naturae participes faceret, « propter nos egenus factus cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus » (*2 Cor.* 8, 9). Filius Hominis non venit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis, id est pro omnibus (cf. *Mc.* 10, 45). Hinc Sancti Patres constanter proclamant non esse sanatum quod assumptum a Christo non fuerit.[4] Assumpsit integram humanam naturam qualis apud nos miseros et pauperes invenitur, absque tamen peccato (cf. *Hebr.* 4, 15; 9, 28). De seipso enim dixit Christus, quem Pater sanctificavit et misit in mundum (cf. *Io.* 10, 36): « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum » (*Lc.* 4, 18), et rursus: « Venit Filius Hominis quaerere et salvum facere quod perierat » (*Lc.* 19, 10).

Quod enim semel a Domino praedicatum est vel in ipso pro salute generis humani

Textus emendatus [6]

riam hominum *novo et definitivo modo* (D) intrare decrevit mittendo Filium suum in carne nostra, ut homines per Illum eriperet de potestate tenebrarum ac Satanae (cf. *Col.* 1, 13; *Act.* ( ) 10, 38) et in Eo mundum Sibi reconciliaret (cf. *2 Cor.* 5, 19). Illum ergo, per quem fecit et saecula,[3] constituit haeredem universorum, ut *in Illo* (E) omnia ( ) instauraret (cf. *Eph.* 1, 10).

Christus enim Iesus missus est in mundum verus mediator Dei et hominum. Cum Deus sit, in ipso inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* 2, 9); secundum humanam autem naturam, novus Adam, *renovatae* (F) humanitatis caput constituitur, plenus gratiae et veritatis (*Io.* 1, 14). Itaque per vias verae Incarnationis processit Filius Dei ut homines divinae naturae participes faceret, « propter nos egenus factus cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus (*2 Cor.* 8, 9). Filius Hominis non venit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis, id est pro omnibus (cf. *Mc.* 10, 45). ( ) Sancti Patres constanter proclamant non esse sanatum quod assumptum a Christo non fuerit.[4] Assumpsit *vero* integram humanam naturam qualis apud nos miseros et pauperes invenitur, absque tamen peccato (cf. *Hebr.* 4, 15; 9, 28). De seipso enim dixit Christus, quem Pater sanctificavit et misit in mundum (cf. *Io.* 10, 36): « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum » (*Lc.* 4, 18), et rursus: « Venit Filius Hominis quaerere et salvum facere quod perierat » (*Lc.* 19, 10). [7]

Quod *autem* (G) semel a Domino praedicatum est vel in ipso pro salute generis humani

[7] *Textus prior*

actum, usque ad ultimum terrae (*Act.* 1, 8) proclamandum et disseminandum est, incipiendo ab Hierosolyma (cf. *Lc.* 24, 47), ita ut quod semel pro omnibus patratum fuit ad salutem, in universis, decursu temporum effectum suum consequatur.

4. [*Missio Spiritus Sancti*]. Ad hoc autem perficiendum misit Christus Spiritum Sanctum a Patre, qui salutiferum opus suum intus operaretur, et Ecclesiam suam ab intus ad sese dilatandam moveret: vel ecclesiastica instituta
[8] quasi anima eorum vivificando [5] vel eundem missionis animum, quo ipse Christus actus fuerat, in cordibus instillando. Dominus enim Iesus, priusquam vitam suam libere pro mundo poneret, ita apostolicum ministerium disposuit et Spiritum Sanctum mittendum promisit, ut ambo consociarentur in opere Christi ubique et semper ad effectum adducendo.[6]

Procul dubio Spiritus Sanctus iam in mundo operabatur antequam Christus glorificaretur.[7] Die tamen Pentecostes in Apostolos supervenit, ut cum eis maneret in aeternum (cf. *Io.* 14, 16), Ecclesia coram multitudine publice manifestata est, diffusio Evangelii exordium sumpsit, et tandem praesignata est unio populorum in Fidei catholicitate, per Novi Foederis Ecclesiam, quae omnibus linguis loquitur, in caritate omnes linguas intelligit et amplectitur, et sic dispersionem Babelicam superat.[8]

Textus emendatus

actum, usque ad ultimum terrae (*Act.* 1, 8) proclamandum et disseminandum est, incipiendo ab Hierosolyma (cf. *Lc.* 24, 47), ita ut quod semel pro omnibus patratum fuit ad salutem, in universis, decursu temporum effectum suum consequatur.

4. [*Missio Spiritus Sancti*]. Ad hoc autem perficiendum misit Christus Spiritum Sanctum a Patre, qui salutiferum opus suum intus operaretur *Ecclesiamque ad propriam dilatationem* moveret. Procul dubio Spiritus Sanctus iam in mundo operabatur antequam Christus glorificaretur.[5] Die tamen Pentecostes in *discipulos* (H) supervenit, ut cum eis maneret in aeternum (cf. *Io.* 14, 16), Ecclesia coram multitudine publice manifestata est, diffusio Evangelii *inter gentes per praedicationem* exordium sumpsit, et tandem praesignata est unio populorum in fidei catholicitate, per Novi Foederis Ecclesiam, quae omnibus linguis loquitur, in caritate omnes linguas intelligit et amplectitur, et sic dispersionem Babelicam superat.[6] *A Pentecoste enim inceperunt « Actus Apostolorum », sicut e superveniente Spiritu in Virginem Mariam conceptus fuerat Christus et eodem Spiritu in ipsum orantem descendente Christus actus fuerat ad opus ministerii sui.*[7] *Ipse autem* Dominus ( ) Iesus, priusquam vitam suam libere pro mundo poneret, ita apostolicum ministerium disposuit et Spiritum Sanctum mittendum promisit, ut ambo consociarentur in opere *salutis* ubique et semper ad effectum adducendo.[8] *Spiritus Ecclesiam totam per omnia tempora « in communione et ministratione unificat, diversis donis hierarchicis et charismaticis instruit »,*[9] ecclesiastica instituta quasi anima eorum vivificando [10] *et* eundem missionis animum, quo ipse Christus actus

Textus prior

Ex n. 3

Cum autem semel, morte et resurrectione sua, complevisset in seipso mysteria salutis nostrae et renovationis universorum, Dominus Iesus, omnem potestatem adeptus in caelo et in terra (cf.*Mt.* 28, 18), priusquam assumeretur in caelum (cf. *Act.* 1, 11), Ecclesiam suam ut sacramentum salutis fundavit, apostolosque in universum mundum misit sicut et ipse missus fuerat a Patre (cf. *Io.* 20, 21).

5. [*Ecclesia a Christo missa*]. Apostoli a Christo hoc mandatum acceperunt: « euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, docentes servare quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20; *Mc.* 16, 15). Quod munus post eos haereditavit Ordo episcoporum, una cum Successore Petri Ecclesiaeque visibili Capite. In exsequendo vero hoc mandato Ecclesia tota cooperatur, unusquisque secundum locum, officium et gratiam in corpore. Missio ergo Ecclesiae adimpletur operatione qua Populus Dei messianicus, mandato Christi oboediens et Spiritus Sancti caritate motus, hominibus vel gentibus in Christum non credentibus pleno actu praesens fit, ut eos, praedicatione, sacramentis ceterisque gratiae instrumentis, ad finem, libertatem et pacem Christi adducat, ita ut eis via libera ac firma patefiat ad plene partici-

Textus emendatus [8]

fuerat, in cordibus *fidelium* instillando. *Aliquando etiam actionem apostolicam praevenit,*[11] *sicut eam variis modis indesinenter comitatur et dirigit*[12] (I).

5. [*Ecclesia a Christo missa*]. Dominus Iesus, *inde ab initio « vocavit ad Se quos voluit Ipse et fecit ut essent duodecim cum Illo et ut mitteret eos praedicare* » (*Mc.* 3, 13; *Mt.* 10, 1-42). *Sic Apostoli fuerunt novi Israel germina simulque sacrae hierarchiae origo* (L). *Deinde,* cum semel, morte et resurrectione sua, complevisset in seipso mysteria salutis nostrae et renovationis universorum, Dominus ( ) omnem potestatem adeptus in caelo et in terra (cf. *Mt.* 28, 18), priusquam assumeretur in caelum [9] (cf. *Act.* 1, 11), Ecclesiam suam ut sacramentum salutis fundavit, apostolosque in universum mundum misit sicut et ipse missus fuerat a Patre (cf. *Io.* 20, 21) (K), *mandans eis*: « Euntes *ergo* docete omnes gentes: baptizantes eos *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*: docentes *eos* servare *omnia* quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19 s.). « *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*: *qui vero non crediderit, condemnabitur* » (*Mc.* 16, 15 s.). *Inde Ecclesiae officium propagandi fidem salutemque Christi incumbit, tum virtute expressi mandati,* quod post Apostolos haereditavit Ordo Episcoporum, una cum Successore Petri Ecclesiaeque *Summo Pastore, tum virtute vitae quam membris suis influit Christus, « ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate* » (*Eph.* 4, 16) (L). Missio ergo Ecclesiae adimpletur operatione qua

[9]

Textus prior	*Textus emendatus*
pandum mysterium Christi in unitate Ecclesiae quae est Populus Dei, Corpus Christi et Spiritus Sancti templum.	( ) mandato Christi oboediens et Spiritus Sancti *gratia caritateque* mot*a omnibus* hominibus vel gentibus ( ) pleno actu praesens fit, ut eos, *exemplo vitae et* praedicatione, sacramentis ceterisque gratiae *mediis* ad fidem, libertatem et pacem Christi adducat, ita ut eis via libera ac firma patefiat ad plene participandum mysterium Christi ( ) (M).
Cum haec missio Ecclesiae continuet et propaget ipsius Christi missionem, eadem via, instigante Spiritu Christi, procedere debet ac ipse Christus processit, via nempe paupertatis, servitii et sui ipsius immolationis usque ad mortem. Nam sic in spe ambulaverunt omnes Apostoli, qui tribulationibus multis et passionibus adimpleverunt ea quae desunt passionum Christi pro corpore eius quod est Ec- [10] clesia (cf. *Col.* 1, 24). Saepe etiam semen fuit sanguis christianorum.[9]	Cum haec missio Ecclesiae continuet et *per decursum historiae explicet* (N) ipsius Christi missionem, eadem via, instigante Spiritu Christi, procedere debet ac ipse Christus processit, via nempe paupertatis, servitii et sui ipsius immolationis usque ad mortem, *ex qua per resurrectionem suam victor processit* (O). Nam sic in spe ambulaverunt omnes Apostoli, qui tribulationibus multis et passionibus adimpleverunt ea quae desunt passionum Christi pro corpore eius quod est Ecclesia (cf. *Col.* 1, 24). Saepe etiam semen fuit sanguis christianorum.[13]
6. [*Activitas missionalis*]. Hoc munus ab Ordine Episcoporum, cui praeest Successor Petri, cooperante toto Ecclesiae corpore, adimplendum unum idemque exsistit, ubique et in omni condicione, licet non eodem pro rerum condicione modo exerceatur. Distinctiones proinde, quae in missionali Ecclesiae activitate agnoscendae sunt, non sumuntur ex intima natura ipsius missionis, sed ex condicionibus in quibus missio haec exercetur.	6. [*Activitas missionalis*]. Hoc munus ab Ordine Episcoporum, cui praeest Successor Petri, *orante et cooperante tota Ecclesia,* adimplendum unum idemque exsistit, ubique et in omni condicione, licet non eodem pro rerum condicione modo exerceatur. *Differentiae* (P) proinde, quae in *hac* Ecclesiae activitate (R) agnoscendae sunt, non sumuntur ex intima natura ipsius missionis, sed ex condicionibus in quibus missio haec exercetur.
Dependent vero hae condiciones sive ab Ecclesia, sive etiam a populis, a coetibus vel ab hominibus ad quos missio dirigitur. Ecclesiam enim, quamvis de se totalitatem seu plenitudinem instrumentorum salutis comprehendat, nec semper nec statim secundum omnia agit nec agere potest, sed initia et gradus in actione sua experitur, qua propositum Dei ad effectum	Dependent vero hae condiciones sive ab Ecclesia, sive etiam a populis, a coetibus vel ab hominibus ad quos missio dirigitur. Ecclesia enim, quamvis de se totalitatem seu plenitudinem *mediorum* (R) salutis comprehendat, nec semper nec statim secundum omnia agit nec agere potest, sed initia et gradus in actione sua experitur, qua propositum Dei ad

Textus prior

adducere conatur; imo quandoque, post feliciter inchoatam progressionem, regressum iterum deplorare cogitur, vel saltem in quodam semiplenitudinis et insufficientiae statu moratur. Quod autem ad homines, coetus et populos attinet, eos gradatim tantum tangit ac penetrat, et sic in eis radices agit, quibus substantia eorum in catholicam plenitudinem assumitur.

In hac missionali activitate Ecclesiae, diversae condiciones aliquando permixtae occurrunt: inceptionis primum seu plantationis, deinde novitatis seu iuventutis. Quibus tamen superatis, missio Ecclesiae non statim desinit, sed, saltem per activitatem missionalem Ecclesiae particularis perfecte constitutae, ad singulos quoque qui adhuc foris sunt dirigitur. Coetus insuper, inter quos Ecclesia versatur, ob varias causas non raro funditus mutantur, ita ut condiciones omnino novae oriri possint. Ecclesiae tunc est iudicare utrum hae condiciones activitatem eius missionalem denuo requirant. Insuper, rerum adiuncta aliquando talia sunt ut possibilitas pro tempore desit praeconium evangelicum directe ac statim proponendi: tunc quidem missionarii possunt ac debent patienter, prudenter ac simul magna cum fiducia saltem caritatis et beneficentiae Christi testimonium reddere, et sic, obstacula removendo, vias Domino praeparare.

Cum qualibet autem condicione vel statu actus proprii seu apta instrumenta congruere debent.

Incepta peculiaria quibus Ecclesia munus penetrationis christianae erga populos vel coetus nondum credentes exsequitur, communiter « missiones » nuncupantur, per activitatem proprie missionalem perficiuntur, et plerum-

Textus emendatus [10]

effectum adducere conatur; imo quandoque, post feliciter inchoatam progressionem, regressum iterum deplorare cogitur, vel saltem in quodam semiplenitudinis et insufficientiae statu moratur. Quod autem ad homines, coetus et populos attinet, eos gradatim tantum tangit ac penetrat, et sic *eos in catholicam plenitudinem assumit* (S).

In hac missionali activitate Ecclesiae, diversae condiciones aliquando permixtae occurrunt: inceptionis primum seu plantationis, deinde novitatis seu iuventutis. Quibus tamen *expletis, actio missionalis* Ecclesiae non statim desinit, sed *Ecclesiis particularibus iam constitutis officium incumbit eam continuandi et praedicandi Evangelium singulis, qui adhuc foris sunt* (T). Coetus insuper, inter quos Ecclesia versatur, ob varias causas non raro funditus mutantur, ita ut condiciones omnino novae oriri possint. Ecclesiae tunc est iudicare [11] utrum hae condiciones activitatem eius missionalem denuo requirant. Insuper, rerum adiuncta aliquando talia sunt ut possibilitas pro tempore desit praeconium evangelicum directe ac statim proponendi: tunc quidem missionarii possunt ac debent patienter, prudenter ac simul magna cum fiducia saltem caritatis et beneficentiae Christi testimonium praebere, et sic ( ) vias Domino praeparare *et ipsum aliquo modo praesentem reddere.*

Cum qualibet autem condicione vel statu actus proprii seu apta instrumenta congruere debent.

Incepta peculiaria quibus Ecclesia munus *evangelizationis suiipsiusque plantationis inter* populos vel coetus nondum *in Christum* credentes exsequitur, communiter « Missiones » nuncupantur, *quae* per activitatem ( ) missio-

[11]

Textus prior

que exercentur in certis territoriis a Sancta Sede agnitis. Finis proprius activitatis huius missionalis est dilatatio seu plantatio Ecclesiae apud gentes in quibus nondum radicata est, ita ut Ecclesiae autochtonae particulares ubique in mundo sufficienter condantur, viribus quidem propriis ac maturitate praeditae, cum hierarchia propria et instrumentis christianae vitae plene ducendae quasi affinibus et sufficientibus.[10] Ex quo patet activitatem missionalem intime cum ipsa natura connexam esse Ecclesiae, cuius catholicam unitatem dilatando perficit, cuius apostolicitate sustentatur, cuius collegialem affectum exercet, cuius sanctitatem testificatur, diffundit ac promovet. Itaque differt activitas missionalis apud gentes, tam ab activitate pastorali erga fideles exercenda, quam ab inceptis suscipiendis ad unitatem christianorum redintegrandam. Attamen duo haec cum missionali navitate Ecclesiae arctissime coniunguntur.

7. [*Rationes et necessitas missionalis activitatis*]. Ratio huius missionalis activitatis non unice ex aeterna salute uniuscuiusque hominum evangelizandorum procuranda sumitur. Ecclesia enim tenet Deum viis sibi notis homines ad Fidem adducere posse, sine qua impossibile

Textus emendatus

nalem perficiuntur, et plerumque exercentur in certis territoriis *ab Apostolica* Sede agnitis. Finis proprius activitatis huius missionalis est *evangelizatio et* plantatio Ecclesiae *in populis et coetibus* in quibus nondum radicata est,[14] ita ut *ex semine verbi Dei, cuius auditus corda in fidem Iesu Christi convertat,* Ecclesiae autochtonae *locales* ubique in mundo sufficienter *conditae crescant,* viribus quidem propriis ac maturitate praeditae, *quae* hierarchia propria *cum populo fideli unita et mediis* christianae vitae plene ducendae quasi affinibus *sufficienter ornata suam partem in utilitatem totius Ecclesiae afferant. Medium principale huius implantationis est praedicatio Evangelii Iesu Christi, quod annuntiandum Dominus discipulos suos misit in mundum universum, ut homines renati* (cf. *1 Pt.* 2, 23) *Ecclesiae per Baptismum aggregentur, quae ut Verbi incarnati corpus ex verbo Dei et mensa eucharistica nutritur et vivit* (cf. *Act.* 2, 42). Sic patet activitatem missionalem intime *ex* ipsa natura Ecclesiae *profluere, cuius fidem salvificam propagat* (U), cuius catholicam
[12] unitatem dilatando perficit, cuius apostolicitate sustentatur, cuius collegialem *Hierarchiae* affectum exercet, cuius sanctitatem testificatur, diffundit ac promovet. Itaque differt activitas missionalis *inter* gentes, tam ab activitate pastorali erga fideles exercenda, quam ad inceptis suscipiendis ad unitatem christianorum redintegrandam. Attamen duo haec cum missionali navitate Ecclesiae arctissime coniunguntur.[15]

7. [*Rationes et necessitas missionalis activitatis*]. Ratio huius missionalis activitatis *ex voluntate Dei sumitur, qui « omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim est Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit*

Textus prior

est Ipsi placere, etiamsi Evangelium non audierint; simul autem scit, per cognitionem Christi et Eius Evangelii homines incomparabiliter illuminari et donis spiritualibus ditari; insuper tenet Dei voluntatem esse ut homines per Fidem, Ecclesiae praedicatione suscitatam, et per Sacramenta christiana iustificentur ad salutem, ac proinde missionalem activitatem vim suam et necessitatem hodie servare ac semper integre servaturam esse.[11] Ad eam prosequendam impelluntur membra Ecclesiae caritate, qua Deum diligunt gloriamque eius procurare satagunt, et qua cum omnibus hominibus cupiunt communicare in spiritualibus bonis tam praesentis quam futurae vitae.

Textus emendatus [12]

redemptionem semetipsum pro omnibus » (*1 Tim.* 2, 4-5), « *et non est in alio aliquo salus* » (*Act.* 4, 12). *Oportet igitur ut ad Eum, per praedicationem Ecclesiae agnitum, omnes convertantur et Ipsi per baptismum incorporentur. Christus enim ipse « necessitatem fidei et baptismi expressis verbis inculcando* (cf. *Mc.* 16, 16; *Io.* 3, 5), *necessitatem Ecclesiae, in quam homines per baptismum tamquam per ianuam intrant, simul confirmavit. Quare illi homines salvari non possent, qui Ecclesiam Catholicam a Deo per Iesum Christum ut necessariam esse conditam non ignorantes, tamen vel in eam intrare, vel in eadem perseverare noluerint* ».[16] *Etsi ergo Deus* viis sibi notis homines *Evangelium sine eorum culpa ignorantes* ad Fidem adducere *possit,* sine qua impossibile est Ipsi placere (*Hebr.* 11, 6), *Ecclesiae necessitas incumbit* (cf. *1 Cor.* 9, 16), *simulque ius sacrum, evangelizandi, ac proinde missionalis activitas vim* suam et necessitatem hodie *sicut et semper integram* servat (V).

Per eam Corpus Christi mysticum ad suum proprium incrementum vires indesinenter colligit et ordinat (cf. *Eph.* 4, 11-16). Ad eam persequendam impelluntur membra Ecclesiae caritate, qua Deum diligunt gloriamque eius pro- [13] curare satagunt, et qua cum omnibus hominibus cupiunt communicare in spiritualibus bonis tam praesentis quam futurae vitae.

Textus prior

Ratio autem missionalis activitatis Ecclesiae maxime deducitur ex proposito Dei, cui Christus oboedienter et amanter inservit ad gloriam Patris qui misit eum,[12] ut universi ex quibus genus humanum constat, unum Populum efforment Dei, in unum corpus coalescant Christi, in unum coaedificentur templum Spiritus Sancti: quod sane, cum fraternam concordiam referat, intimo universorum hominum voto sublimiter

Textus emendatus

Per hanc activitatem missionalem denique Deus plene glorificatur, dum homines salutare Eius opus, quod in Christo perfecit, conscie et plene accipiunt (T). *Sic per eam completur Dei propositum,* cui Christus oboedienter et amanter inservit ad gloriam Patris qui misit eum,[17] ut *universum genus humanum* unum Populum efformet Dei, in unum corpus coalescat Christi, in unum coaedificetur templum

[13]

Textus prior

respondet. Ad hoc vero perficiendum Ecclesia suapte natura urgetur: necessitas ei incumbit (cf. *1 Cor.* 9, 16). Corpus enim Christi mysticum ad suum proprium incrementum vires indesinenter colligit et ordinat (cf. *Eph.* 4, 11-16). Sic tandem consilium Creatoris, hominem ad imaginem et similitudinem suam condentis, revera adimpletur, cum omnes qui humanam participant naturam, in Christo per Spiritum Sanctum regenerati, unanimiter gloriam Dei speculantes, dicere poterunt: « Pater noster ».[13]

Ex hoc Dei proposito ad effectum adducendo, sequitur ut activitas missionalis Ecclesiae absolute necessaria dicenda sit. Nonnisi enim, per eam propositum Dei fideliter manifestatur et oboedienter ad effectum deducitur, ad gloriam eiusdem Dei.

Textus emendatus

Spiritus Sancti: quod sane, cum fraternam concordiam refert, intimo universorum hominum voto ( ) respondet. Sic tandem consilium Creatoris, hominem ad imaginem et similitudinem suam condentis, revera adimpletur, cum omnes qui humanam participant naturam, in Christo per Spiritum Sanctum regenerati, unanimiter gloriam Dei speculantes, dicere poterunt: « Pater noster ».[18] ( )

Textus prior

8. [*Activitas missionalis in vita historiaque hominum*]. Etiam cum ipsa natura humana eiusque adspirationibus missio intimam habet connexionem. Christum enim manifestando, eo ipso Ecclesia hominibus genuinam eorum condicionis atque vocationis veritatem revelat, cum Christus perfectio sit huius humanitatis novae, fraterno amore, sinceritate et pacifico spiritu imbutae, ad quam omnes adspirant. Christus, et Ecclesia quae de Ipso per evangelicam praedicationem dat testimonium, omnem [14] peculiaritatem stirpis vel nationis transcendunt, ideoque nemini et nullibi ut extranei reputari possunt.[14] Ipse Christus est veritas atque via, quas evangelica praedicatio omnibus patefacit, dum ad aures omnium eiusdem Christi verba perfert: « Paenitemini et credite Evangelio » (*Mc.* 1, 15). Verba haec simul iudicii sunt et gratiae, mortis et vitae. Etenim solum vetustati mortem inferendo ad novitatem vitae accedere possumus: quod non solum de singulis perso-

Textus emendatus

8. [*Activitas missionalis in vita historiaque hominum*]. Etiam cum ipsa natura humana eiusque adspirationibus *activitas missionalis* (Q) intimam habet connexionem. Christum enim manifestando, eo ipso Ecclesia hominibus genuinam eorum condicionis atque vocationis veritatem revelat, cum Christus *principium sit et exemplar* huius humanitatis novae, fraterno amore, sinceritate et pacifico spiritu imbutae, ad quam omnes adspirant. Christus, et Ecclesia quae de Ipso per evangelicam praedicationem dat testimonium, omnem peculiaritatem stirpis vel nationis transcendunt, ideoque nemini et nullibi ut extranei reputari possunt.[19] Ipse Christus est veritas atque via, quas evangelica praedicatio omnibus patefacit, dum ad aures omnium eiusdem Christi verba perfert: « Paenitemini et credite Evangelio » (*Mc.* 1, 15). *Cum autem, qui non credit, iam iudicatus sit* (cf. *Io.* 3, 18), *verba Christi verba sunt* simul iudicii et gratiae, mortis et vitae. Etenim solum vetu-

Textus prior

nis valet, sed et de diversis bonis mundi huius, quae simul peccato humano et Dei benedictione signantur: « Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei » (*Rom.* 3, 23). Nemo ergo per seipsum et suis viribus a peccato liberatur et supra seipsum elevatur, nemo penitus a sua infirmitate vel solitudine vel servitute liberatur; omnes vero indigent Christo exemplari, magistro, liberatore, salvatore, vivificatore. Revera Evangelium in historia hominum, etiam temporali, fermentum libertatis ac progressus fuit seseque iugiter praebet fermentum fraternitatis unitatis et pacis. Non ergo sine causa Christus a fidelibus celebratur ut « Expectatio gentium et Salvator earum ».[15]

Textus emendatus [14]

stati mortem inferendo ad novitatem vitae accedere possumus: quod *primo de* personis valet, sed *etiam* de diversis bonis mundi huius, quae simul *hominis peccato* et Dei benedictione signantur: « Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei » (*Rom.* 3, 23). Nemo ( ) per seipsum et suis viribus a peccato liberatur et supra seipsum elevatur, nemo penitus a sua infirmitate vel solitudine vel servitute *solvitur,*[20] omnes vero indigent Christo exemplari, magistro, liberatore, salvatore, vivificatore. Revera Evangelium in historia hominum, etiam temporali, fermentum libertatis ac progressus fuit seseque iugiter praebet fermentum fraternitatis, unitatis et pacis. Non ergo sine causa Christus a fidelibus celebratur ut « Expectatio gentium et Salvator earum ».[21]

Revera autem divisio christianorum nuntium hoc pacis obscurat et aditum ad fidem multis praecludit. Quam ob rem causa missionalis activitatis et causa christianorum unitatis redintegrandae arcte coniunguntur: ex necessitate missionis omnes baptizati ad hoc vocantur, ut, in uno grege coadunati, coram gentibus de Christo, Domino suo, unanimiter testimonium reddant. Quod si unam fidem nondum plene testificare queant, mutua saltem aestimatione ac dilectione animentur oportet (W).

Textus prior

9. [*Indoles eschatologica activitatis missionalis*]. Itaque tempus missionis est inter priorem adventum Domini et alterum, in quo Ecclesia ex quatuor ventis sicut messis colligetur in regnum Dei.[16]

Missio igitur nihil aliud est et nihil minus quam propositi Dei manifestatio seu Epiphania in mundo et in historia. In hac historia mun-

Textus emendatus

9. [*Indoles eschatologica activitatis missionalis*]. Itaque tempus *activitatis missionalis* est inter priorem adventum Domini et alterum, in quo Ecclesia *a* quatuor ventis sicut messis [15]
colligetur in regnum Dei.[22] *Antequam enim Dominus veniet, in omnes gentes oportet praedicari evangelium* (cf. *Mc.* 13, 10). (X)

Activitas missionalis ( ) nihil aliud est et nihil minus quam propositi Dei manifestatio seu Epiphania *et adimplementum* in mundo et

[15] *Textus prior*

di Deus per missionem historiam salutis manifestando perficit. Non enim per verbum praedicationis et celebrationem sacramentorum Christum salutis auctorem praesentem reddit tantum, sed quidquid veritatis et gratiae iam apud gentes quasi secreta Dei praesentia inveniebatur, a contagiis malignis liberat et Auctori suo Christo restituit, ut per Ipsum omnibus notum et amatum efficiatur, et « quidquid boni in corde menteque hominum vel in propriis ritibus et culturis populorum seminatum invenitur, non tantum non pereat sed sanetur, elevetur et consummetur ad gloriam Dei, confusionem daemonis et beatitudinem hominis ».[17] Sic missio ad plenitudinem eschatologicam tendit:[18] per eam enim, usque ad mensuram et tempus quae Pater posuit in sua potestate (cf. *Act.* 1, 7), dilatatur Populus Dei, cui prophetice dictum est: « Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende! Ne parcas! » (*Is.* 54, 2),[19] augetur Corpus mysticum usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi (cf. *Eph.* 4, 13), templumque spirituale, ubi Deus adoratur in spiritu et veritate (cf. *Io.* 4, 23), crescit et superaedificatur super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu (*Eph.* 2, 20).

Textus emendatus

in *eius* historia, *in qua* Deus, per missionem, historiam salutis manifestando perficit. *Per* verbum praedicationis et *per* celebrationem sacramentorum, *quorum centrum et culmen est sanctissima Eucharistia,* Christum salutis auctorem praesentem *reddit. Quidquid autem* veritatis et gratiae iam apud gentes quasi secreta Dei praesentia inveniebatur, a contagiis malignis liberat et Auctori suo Christo restituit, *qui imperium diaboli evertit et multimodam scelerum malitiam arcet* (Y). *Itaque* quidquid boni in corde menteque hominum vel in propriis ritibus et culturis populorum seminatum invenitur, non tantum non perit, sed sanatur, elevatur et consummatur ad gloriam Dei, confusionem daemonis et beatitudinem hominis.[23] Sic *activitas missionalis* ad plenitudinem eschatologicam tendit:[24] per eam enim, usque ad mensuram et tempus quae Pater posuit in sua potestate (cf. *Act.* 1, 7), dilatatur Populus Dei, cui prophetice dictum est: « Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende! Ne parcas! » (*Is.* 54, 2),[25] augetur Corpus mysticum usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi (cf. *Eph.* 4, 13), templumque spirituale, ubi Deus adoratur in spiritu et veritate (cf. *Io.* 4, 23), crescit et superaedificatur super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu (*Eph.* 2, 20).

[16] NOTAE

PROOEMIUM.

[1] Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 48.
[2] S. AUGUSTINUS, *Enarr. in Ps.* 44, 23 (*PL* 36, 508).

CAPUT I.

[1] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 1.
[2] Cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 18, 1: « Verbum existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, et qui semper aderat generi humano... » (*PG* 7, 932);

id. IV, 6, 7: « Ab initio enim assistens Filius suo plasmati, revelat omnibus Patrem, quibus vult, et quando vult et quemadmodum vult Pater » (*ib.* 990); cf. IV, 20, 6 et 7 (ib. 1037); Demonstratio n. 34 (*Patr. Or.*, XII, 773; *Sources Chrét.*, 62, Paris 1958, p. 87); CLEMENS ALEX., *Protrept.*, 112, 1; *Strom.* VI, 44, 1; 13, 106, 3 et 4 (W. BIERBAUM, *Geschichte als Paidagogia Theou: die Heilsgeschichtslehre des Klemens von Alex.*: Muenchener Theol. Zeitschr. 5, 1954, 246-272); EUSEBIUS CAESAR, *Praeparatio Evangel.*, I, 1 (*PG* 21, 28). Cf. H. BUTTERFIELD, *Christianity and history,* London 1949. Pro doctrina ipsa cf. PIUS XII, *Nuntium radiophon.* 31 dec. 1952; Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 16. [16]

[3] Cf. *Hebr.* 1, 2; *Io.* 1, 3 et 10; *1 Cor.* 8, 6; *Col.* 1, 16.

[4] Cf. S. ATHANASIUS, *Ep. ad Epictetum,* 7 (*PG* 26, 1060); S. CYRILLUS HIEROS., *Catech.* 4, 9 (*PG* 33, 465); MARIUS VICTORINUS, *Adv. Arium,* 3, 3 (*PL* 8, 1101); S. BASILIUS, *Epist. 261,* 2 (*PG* 32, 969); S. GREGORIUS NAZ., *Epist. 101* (*PG* 37, 181); S. GREG. NYSS., *Antirrheticus, Adv. Apollin.*, 17 (*PG* 45, 1156); S. AMBROSIUS, *Epist. 48,* 5 (*PL* 16, 1153); S. AUGUSTINUS, *In Ioan. Ev.* tr. XXIII, 6 (*PL* 35, 1585); insuper hoc modo manifestat Spiritum Sanctum nos non redemisse, eo quod incarnatus non est: *De Agone Christ.*, 22, 24 (*PL* 40, 302); S. CYRILLUS ALEX., *Adv. Nestor.* I, 1 (*PG* 76, 20); S. FULGENTIUS, *Epist. 17,* 3, 5 (*PL* 65, 454); *Ad Trasimundum,* III, 21 (*PL* 65, 284: de tristitia et timore).

[5] Spiritus est qui locutus est per prophetas: *Symb. Constantinopol.* (DENZ.-SCHOENMETZER, 150); S. LEO MAGNUS, *Sermo 76* (*PL* 54, 405-406): « Cum in die Pentecostes discipulos Domini Spiritus Sanctus implevit, non fuit inchoatio muneris, sed adiectio largitatis: quoniam et patriarchae, et prophetae, et sacerdotes, omnesque sancti qui prioribus fuere temporibus, eiusdem sunt Spiritus sanctificatione vegetati... quamvis non eadem fuerit mensura donorum ». Etiam *Sermo 77,* 1 (*PL* 54, 412); LEO XIII, Enc. *Divinum illud* (*A.S.S.,* 1897, 650-651) Etiam S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, quamvis insistat in novitate missionis Spiritus Sancti in die Pentecostes: *In Eph.* c. 4, Hom. 10, 1 (*PG* 62, 75).

[6] De Babel et Pentecoste saepe loquuntur SS. Patres: ORIGENES, *in Genesim,* c. 1 (*PG* 12, 3); S. GREGORIUS NAZ., *Oratio 41,* 16 (*PG* 36, 449); S. IOANNES CHRYSOST., *Hom. 2 in Pentec.*, 2 (*PG* 50, 467); *In Act. Apost.* (*PG* 60, 44); S. AUGUSTINUS, *Enn. in Ps. 54,* 11 (*PL* 36, 636); *Sermo 271* (*PL* 38, 1245); S. CYRILLUS ALEX., *Glaphyrum in Genesim II* (*PG* 69, 79); S. GREGORIUS MAGN., *Hom. in Evang.*, Lib. II, Hom. 30, 4 (*PL* 76, 1222); S. BEDA, *In Hexaem.*, lib. III (*PL* 91, 125). Vide insuper imaginem in atrio Basilicae S. Marci Venetiis.

Ecclesia omnes linguas loquitur, et sic omnes colligit in Fidei catholicitate: S. AUGUSTINUS, *Sermones* 266, 267, 268, 269 (*PL* 38, 1225-1237); *Sermo* 175, 3 (*PL* 38, 946); S. IOANNES CHRYSOST., *In Ep. I ad Cor.*, Hom. 35 (*PG* 61, 296); S. CYRILLUS ALEX., *Fragm. in Act.* (*PG* 74, 758); S. MAXIMUS TURIN., *Sermo 50* [17]
(*PL* 57, 636-637); S. FULGENTIUS, *Sermo 8,* 2-3 (*PL* 65, 743-744).

De Pentecoste ut consecratione Apostolorum ad missionem, cf. J. A. CRAMER, *Catena in Acta SS. Apostolorum,* Oxford 1838, p. 24 s.

[7] Cf. *Lc.* 3, 22; 4, 1; *Act.* 10, 38.

[8] Cf. *Io.* c. 14-17; PAULUS VI, Alloc. in Concilio habita die 14 sept. 1964 (*A.A.S.*, 1964, 807).

[9] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 4.

[10] S. AUGUSTINUS, *Sermo 267,* 4 (PL 38, 1231): « Hoc agit Spiritus Sanctus

[17] in tota Ecclesia quod agit anima in omnibus membris unius corporis ». Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 7 (cum nota 8).

[11] Cf. *Act.* 10, 44-47; 11, 15; 15, 8.

[12] Cf. *Act.* 4, 8; 5, 32; 8, 26 29 39; 9, 31; 10; 11, 24 28; 13, 2 4 9; 16, 6-7; 20, 22-23; 21, 11 etc.

[13] TERTULLIANUS, *Apologeticum,* 50, 13 (*PL* 1, 534; ed. Rauschen, Bonn, 1906, 141).

[14] Iam S. THOMAS AQ. loquitur de munere apostolico plantandi Ecclesiam: cf. *Sent.* Lib. I, dist. 16, q. 1, a. 2 ad 2 et ad 4; a. 3 sol.; *Summa Theol.,* I[a], q. 43, a. 7 ad 6; I[a] II[ae], q. 106, a. 4 ad 4. Cf. BENEDICTUS XV, *Maximum illud,* 30 nov. 1919 (*A.A.S.,* 1919, 445 et 453); PIUS XI, *Rerum Ecclesiae,* 28 febr. 1926 (*A.A.S.,* 1926, 74); PIUS XII, 30 apr. 1939 ad Directores OO.PP.MM.; ID., 24 iun. 1944, ad Directores OO.PP.MM. (*A.A.S.,* 1944, 210; rursus in *A.A.S.,* 1950, 727, et 1951, 508); ID., 29 iun. 1948 ad clerum indigenam (*A.A.S.,* 1948, 374); ID., *Evangelii Praecones,* 2 iun. 1951 (*A.A.S.,* 1951, 507); ID., *Fidei Donum,* 15 ian. 1957 (*A.A.S.,* 1957, 236); IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum,* 28 nov. 1959 (*A.A.S.,* 1959, 835); PAULUS VI, *Hom.* 18 oct. 1964 (*A.A.S.,* 1964, 911).

Tam S. Pontifices quam Patres et Scholastici saepe loquuntur de *dilatatione* Ecclesiae: S. THOMAS AQ., *Comm. in Matt.,* 16, 28; LEO XIII, Enc. *Sancta Dei Civitas* (*A.S.S.,* 1880, 241); BENEDICTUS XV, Enc. *Maximum illud* (*A.A.S.,* 1919, 442); PIUS XI, Enc. *Rerum Ecclesiae* (*A.A.S.,* 1926, 65).

[15] In hac notione activitatis missionalis, sicuti patet, secundum rem etiam illae partes Americae Latinae includuntur, in quibus nec hierarchia propria nec maturitas christianae vitae nec praedicatio Evangelii sufficiens adsunt. Utrum autem territoria haec a Sancta Sede de facto ut missionaria agnoscantur, a Concilio non pendet. Quapropter quoad connexionem inter notionem activitatis missionalis et territoria certa consulto dicitur hanc activitatem « plerumque » exerceri in certis territoriis a S. Sede agnitis.

[16] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 16.

[17] Cf. *Io.* 7, 18; 8, 30 et 44; 8, 50; 17, 1.

[18] De hac synthetica idea apud S. Irenaeum, quae in eius theologia de Recapitulatione continetur, vide A. NYGREN, *Människan och Incarnationem enligt Ireneus.* Lund 1947 (*Mann and Incarnation. A Study on the Biblical Theol. of Irenaeus.* Edinburgh-London, 1959). Cf. etiam HIPPOLYTUS, *De Antichristo,* 3: « Omnes volens omnesque salvare desiderans, omnes Dei filios praestare volens sanctosque omnes in unum hominem perfectum vocans... » (*PG* 10, 732); *Benedictiones Iacob,* 7 (T.U., 38-1 p. 18, lin. 4 ss.); ORIGENES, *In Ioann.* Tom. I, n. 16: « Tum enim cognoscendi Deum una erit actio eorum qui ad Deum pervenerint, duce eo Verbo quod est apud Deum; ut sic sint in cognitione Patris formati omnes accurate filii, ut nunc solus Filius novit Patrem » (*PG* 14, 49); S. AUGUSTINUS, *De sermone Domini in monte,* I, 41: « Diligamus quod nobiscum potest ad illa regna perduci, ubi nemo dicit: Pater meus, sed omnes uni Deo: Pater noster » (*PL* 34, 1250); S. CYRILLUS ALEX., *In Ioann.* I: « Sumus enim
[18] omnes in Christo et communis humanitatis persona in ipsum reviviscit. Nam et novissimus Adam idcirco nuncupatus est... Habitavit enim in nobis, qui per naturam Filius est ac Deus; ideoque in eius Spiritu clamamus: Abba Pater! Habitat autem Verbum in omnibus in uno templo, scilicet quod propter nos et ex nobis

assumpsit, ut omnes in seipso habens, omnes in uno corpore, sicuti Paulus ait, reconciliaret Patri » (*PG* 73, 161-164). [18]

[19] BENEDICTUS XV, *Maximum illud* (*A.A.S.*, 1919, 445): « Nam ut Ecclesia Dei catholica est nullamque apud gentem vel nationem extranea... ». Cf. IOANNES XXIII, Enc. *Mater et Magistra*: « a iure divino ad universas pertinet gentes... Ecclesia, cum in populi alicuius quasi venas vim suam inseruerit, idcirco neque est neque se existimat institutum quoddam, eidem populo extrinsecus impositum... Atque ideo quidquid bonum honestumque sibi esse videatur, idem confirmant atque perficiunt (hi qui in Christo renati sunt » (*A.A.S.*, 1961, 444).

[20] Cf. IRENAEUS, *Adv. Haer.*, III, 15, n. 3 (*PG* 7, 919): « Veritatis fuerunt praedicatores et apostoli libertatis ».

[21] Ant. O diei 23 decembris.

[22] Cf. *Mt.* 24, 31; *Didaché* 10, 5 (FUNK I, p. 32).

[23] Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 17; S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei,* 19, 17 (*PL* 41, 646). Instr. S. C. P. F. (*Collectanea* I, n. 135 p. 42).

[24] De indole eschatologica Missionis secundum S. Paulum Apost. cf. MUNCK, *Paulus und die Heilsgeschichte* (*Acta Jutlandica,* XXVI, 1, Theol. ser., 6), Aarhus-Copenhague, 1954; O. CULLMANN, *Le caractère eschatologique du devoir missionnaire et de la conscience apostolique de S. Paul,* in *Rev. Hist. Phil. Relig.*, 1936, pp. 210-245; alia in A. SEUMOIS, *Apostolat. Structure théologique,* Roma, 1961, p. 206, n. 5. Secundum Originem, Evangelium praedicari debet ante consummationem mundi huius: *Hom. in Luc.*, XXI (C. G. S., Orig. Werke, IX, p. 136, 21 sq.); *In Matth. comm. ser.,* 39 (XI, p. 75, 25 sq.; p. 76, 4 sq.); *Hom. in Ierem.* III, 2 (VIII, p. 308, 29 s.); S. THOMAS, *Summ. Theol.* I^{a} II^{ae}, q. 106, a. 4, ad 4. Pro Medio Aevo, cf. A. SPOERL, *Das Alte und das Neue in MA,* in Histor. Jahrbuch, 1930, p. 316 sq.

[25] HILARIUS PICT., *In Ps.* 14 (*PL* 9, 301); EUSEBIUS CAESARIENSIS, *In Isaiam* 54, 2-3 (*PG* 24, 462-463); CYRILLUS ALEX., *In Isaiam* V, cap. 54, 1-3 (*PG* 70, 1193).

[19]

Textus prior

CAPUT II

DE IPSO OPERE MISSIONALI

10. [*Introductio*]. Ecclesia a Christo missa ad caritatem Dei omnibus hominibus et gentibus manifestandam opus missionale adhuc ingens sibi faciendum intelligit. Vicies enim milies centena milia hominum, qui stabilibus vitae culturalis nexibus, antiquis religionis traditionibus, firmis socialium necessitudinum vinculis in magnos et determinatos coetus coalescunt, nuntium evangelicum nondum audierunt; quo-

Textus emendatus

CAPUT II

DE IPSO OPERE MISSIONALI

10. [*Introductio*]. Ecclesia a Christo missa ad caritatem Dei omnibus hominibus et gentibus manifestandam *et communicandam* (A) opus missionale adhuc ingens sibi faciendum intelligit. Vicies enim milies centena milia hominum, *quorum numerus in dies augetur* (B) qui stabilibus vitae culturalis nexibus, antiquis religionis traditionibus, firmis socialium necessitudinum vinculis in magnos et determinatos

[19]

Textus prior

rum alii unam ex magnis religionibus sequuntur, alii vero notitiae ipsius Dei extranei manent, immo eius existentiam quandoque expresse negant. Ecclesia, ut omnibus mysterium salutis vitamque a Deo allatam offerre possit, sese omnibus his coetibus inserere debet eodem motu, quo ipse Christus incarnatione sua se obstrinxit certis socialibus et culturalibus condicionibus hominum cum quibus conversatus est.

Textus emendatus

coetus coalescunt, nuntium evangelicum nondum *aut vix* (C) audierunt; quorum alii unam ex magnis religionibus sequuntur, alii vero notitiae ipsius Dei extranei manent, immo eius existentiam quandoque expresse negant. Ecclesia, ut omnibus mysterium salutis vitamque a Deo allatam offerre possit, sese omnibus his coetibus inserere debet eodem motu, quo ipse Christus incarnatione sua se obstrinxit certis socialibus et culturalibus conditionibus hominum cum quibus conversatus est. (D).

Art. 1

De Praeambulis Evangelizationis

11. [*De Dialogo cum Non-Christianis*]. Ecclesia his coetibus humanis praesens esse incipit per suos filios, qui inter eos conversantes, exemplo vitae et testimonio verbi novum hominem, quem per baptismum induerunt, ita manifestant, ut ceteri bona eorum opera considerantes glorificent Patrem, et genuinum vitae humanae sensum, et communionis hominum universale vinculum percipiant.

[20]

Ut ipsi hoc testimonium Christi fructuose dare possint, cum illis hominibus aestimatione et caritate iungantur, se ut membra coetus hominum inter quos vivunt agnoscant, et in vita culturali et sociali partem habeant per varia humanae vitae commercia et negotia; familiares sint cum eorum traditionibus nationalibus et religiosis; laete et reverenter detegant semina Verbi in eis latentia; simul vero ad transformationem profundam attendant, quae inter gentes fit, et adlaborent ne homines nostrae aeta-

Art. 1

De testimonio christiano (A)

11. [*De testimonio vitae et de dialogo*]. (B). Ecclesia his coetibus humanis praesens *sit oportet* per suos filios, qui inter eos conversan*tur vel ad eos mittuntur.* (C). *Omnes enim christifideles, ubicumque vivunt,* exemplo vitae et testimonio verbi novum hominem, quem per baptismum induerunt, *et virtutem Spiritus Sancti, quo in confirmatione roborati sunt* (D), ita manifes*tare tenentur,* ut ceteri bona eorum opera considerantes glorificent Patrem (cf. *Mt.* 5, 16) et genuinum vitae humanae sensum, et communionis hominum universale vinculum percipiant.

Ut ipsi hoc testimonium Christi fructuose dare possint, cum illis hominibus aestimatione et caritate iungantur, se ut membra coetus hominum inter quos vivunt agnoscant, et in vita culturali et sociali partem habeant per varia humanae vitae commercia et negotia; familiares sint cum eorum traditionibus nationalibus et religiosis; laete et reverenter detegant semina Verbi in eis latentia; simul vero ad transformationem profundam attendant, quae inter gentes fit, et adlaborent ne homines nostrae aeta-

Textus prior

tis scientiae et technologiae mundi moderni nimis intenti a rebus divinis alienentur, immo vero ad impensius desiderium veritatis et caritatis divinitus revelatae expergefiant. Sicut ipse Christus cor hominum scrutatus est eosque colloquio vere humano ad lucem divinam perduxit, ita eius discipuli cognoscant homines ad quos mittuntur et cum eis conversentur, ut ipsi dialogo sincero et patienti discant, quas divitias Deus munificus Gentibus dispensaverit; simul vero istas veritates luce evangelica collustrare, liberare, et in Dei Salvatoris dominium reducere conentur.

12. [*De Praesentia caritatis*]. Praesentia christifidelium in coetibus humanis illa caritate animetur, qua nos dilexit Deus, qui vult ut et nos alterutrum eadem caritate diligamus (cf. *1 Io.* 4, 11). Sicut enim Christus circuibat omnes civitates et castella, non tantum docens et praedicans, sed et curans omnem languorem et infirmitatem (cf. *Mt.* 9, 35 ss.; *Act.* 10, 38), ita et Ecclesia iungitur cum hominibus cuiuscumque condicionis et libenter pro eis impenditur (cf. *2 Cor.* 12, 15). Participat enim eorum gaudia et dolores, novit vitae adspirationes et problemata, eis in anxietatibus mortis compatitur. Pacem quaerentibus respondere cupit fraterno dialogo afferens eis pacem et lucem ex Evangelio.

Textus emendatus [20]

tis scientiae et technologiae mundi moderni nimis intenti a rebus divinis alienentur, immo vero ad impensius desiderium veritatis et caritatis divinitus revelatae expergefiant. Sicut ipse Christus cor hominum scrutatus est eosque colloquio vere humano ad lucem divinam perduxit, ita eius discipuli *Spiritu Christi profunde perfusi* (E), cognoscant homines *inter quos vivunt,* et cum eis conversentur, ut ipsi dialogo sincero et patienti discant, quas divitias Deus munificus Gentibus dispensaverit; simul vero istas *divitias* (F) luce evangelica collustrare, liberare, et in Dei Salvatoris dominium reducere conentur.

12. [*De Praesentia caritatis*]. Praesentia christifidelium in coetibus humanis illa caritate animetur, qua nos dilexit Deus, qui vult ut et nos alterutrum eadem caritate diligamus (cf. *1 Io.* 4, 11). *Caritas christiana enim ad omnes extenditur sine discrimine nationis, condicionis socialis seu religionis; nullum exspectat lucrum seu gratitudinem; sicut enim Deus dilexit nos amore gratuito, ita et fideles caritate sua homines ipsos sollicitos habeant, sine dolo malo, diligendo eum eodem motu quo Deus hominem quaesivit* (A). Sicut *ergo* Christus circuibat omnes civitates et castella ( ) curans omnem languorem et infirmitatem *in signum adventus Regni* Dei (B) (cf. *Mt.* 9, [21] 35 ss.; *Act.* 10, 38), ita et Ecclesia *per filios suos* iungitur cum hominibus cuiuscumque condicionis, *maxime vero cum pauperibus et afflictis* (C), *atque* libenter pro eis impenditur (cf. *2 Cor.* 12, 15). Participat enim eorum gaudia et dolores, novit vitae adspirationes et *aenigmata,* eis in anxietatibus mortis compatitur. Pacem quaerentibus respondere cupit fraterno dialogo afferens eis pacem et lucem ex Evangelio.

[21]

Textus prior

Laborent christifideles et cum nationibus inter quas degunt collaborent in rebus oeconomicis, socialibus et educativis recte ordinandis. Partem sumant in conatibus eorum populorum qui, famem, ignorantiam et morbos debellando, humaniores condiciones condere et pacem in mundo firmare satagunt. In hac activitate fideles sociam operam suam praestare exoptant inceptis quae ab Institutis privatis et publicis, a guberniis, ab organis internationalibus, a diversis communitatibus christianis necnon religionibus non-christianis promoventur.

Ecclesia nullo modo vult suam operam imponere, nec se in moderamen terrenae civitatis ingerere. Nullam aliam auctoritatem sibi quaerit nisi ut, Deo adiuvante, caritate et fideli servitio hominibus ministret (cf. *Mt.* 20, 26; 23, 11).[1]

In sua vita et operatione intime cum hominibus coniuncti, Christi discipuli eis vera praeambula evangelizationis se oblaturos, et in eorum salutem se operaturos sperant, etiam
[22] ubi Christum plene annuntiare nequeunt. Non enim quaerunt progressum et prosperitatem mere terrenam hominum, sed eorum dignitatem et fraternam unionem promovent, docentes veritates religiosas et morales, quas Christus luce sua illustravit, sicque gradatim aditum pleniorem ad Deum aperiunt. Ita homines iuvantur in assequenda salute per carita-

Textus emendatus

Laborent christifideles et cum *coeteris omnibus* collaborent in rebus oeconomicis et socialibus ( ) recte ordinandis. *Speciali cura sese devovebunt educationi puerorum et adolescentium per scholas diversi generis, quae considerandae sunt non tantum tamquam medium eximium ad formandam et provehendam iuventutem christianam, sed simul ut servitium summi valoris hominum, maxime vero Nationum progredientium, ad elevandam dignitatem humanam et ad conditiones humaniores praeparandas* (D). *Insuper* partem *as*sumant *Christiani* in conatibus eorum populorum qui, famem, ignorantiam et morbos debellando, *meliores vitae* condiciones condere et pacem in mundo firmare satagunt. In hac activitate fideles sociam operam suam praestare exop*tent* inceptis quae ab Institutis privatis et publicis, a guberniis, ab organis internationalibus, a diversis communitatibus christianis necnon religionibus non-christianis promoventur.

Ecclesia *vero* nullo modo vult ( ) se in moderamen terrenae civitatis ingerere. Nullam aliam auctoritatem sibi *vindicat* (E) nisi ut, Deo adiuvante, caritate et fideli servitio hominibus ministret (cf. *Mt.* 20, 26; 23, 11).[1]

In sua vita et operatione intime cum hominibus coniuncti, Christi discipuli eis *verum testimonium Christi* (F) se oblaturos, et in eorum salutem se operaturos sperant, etiam ubi Christum plene annuntiare nequeunt. Non enim quaerunt progressum et prosperitatem mere *materialem* (G) hominum, sed eorum dignitatem et fraternam unionem promovent, docentes veritates religiosas et morales, quas Christus luce sua illustravit, sicque gradatim aditum pleniorem ad Deum aperiunt. Ita homines iuvantur in assequenda salute per caritatem

Textus prior

tem erga Deum et proximum et elucere incipit mysterium Christi, in quo novus homo apparuit, qui secundum Deum creatus est (cf. *Eph.* 4, 24), et in quo caritas Dei revelatur.

Art. 2

DE PRAEDICATIONE EVANGELII ET DE CONGREGANDO POPULO DEI

13. [*De Evangelizatione et Conversione*]. Animis ad suscipiendum Verbum dispositis annuntietur « publice et per domos » (*Act.* 20, 20) Deus vivus et, quem ad omnium salutem misit, Iesus Christus, ut non-christiani, Spiritu Sancto cor ipsorum aperiente (cf. *Act.* 16, 14), credentes ad Dominum convertantur, Eique sincere adhaereant qui, cum sit « via, veritas et vita » (*Io.* 14, 6), omnes eorum exspectationes spirituales explet, imo infinite superat.

Quae conversio necessario initialis intelligenda est, sufficiens tamen ut homo percipiat se, avulsum a peccato, introduci in mysterium amoris Dei, qui eum vocat ad personale commercium cum Se ipso in Christo ineundum.

Textus emendatus [22]

erga Deum et proximum et elucere incipit mysterium Christi, in quo novus homo apparuit, qui secundum Deum creatus est (cf. *Eph.* 4, 24), et in quo caritas Dei revelatur.

Art. 2

DE PRAEDICATIONE EVANGELII ET DE CONGREGANDO POPULO DEI

13. [*De Evangelizatione et Conversione*]. *Ubicumque Deus aperit ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi* (cf. *Col.* 4, 3) (A), *omnibus hominibus* (cf. *Mc.* 16, 15) (B) *fiducialiter et constanter* (cf. *Act.* 4, 13, 29, 31; 9, 27, 28; 13, 46; 14, 3; 19, 8; 26, 26; 28, 31; *1 Thess.* 2, 2; *2 Cor.* 3, 12; 7, 4; *Phil.* 1, 20; *Eph.* 3, 12; 6, 19, 20) (C) annuntietur (cf. *1 Cor.* 9, 15; *Rom.* 10, 14) (D) Deus vivus et, quem ad omnium salutem misit, Iesus Christus (cf. *1 Thess.* 1, 9-10; *1 Cor.* 1, 18-21; *Gal.* 1, 31; *Act.* 14, 15-17; 17, 22-31) (E) ut non-christiani, Spiritu Sancto cor ipsorum aperiente (cf. *Act.* 16, 14), credentes ad Dominum *libere* (F) convertantur, Eique sincere adhaereant qui, cum sit « via, veritas et vita » (*Io.* 14, 6), omnes eorum exspectationes spirituales explet, imo infinite superat.

Quae conversio necessario initialis intelligenda est, sufficiens tamen ut homo percipiat se, avulsum a peccato, introduci in mysterium amoris Dei, qui eum vocat ad personale commercium cum Seipso in Christo ineundum. *Etenim, gratia Dei operante, neoconversus spirituale iter aggreditur quo, fide iam communicans mysterio Mortis et Resurrectionis, transit a vetere* [23]
homine ad novum hominem in Christo perfectum (cf. *Col.* 3, 5-10; *Eph.* 4, 20-24). *Hic transitus, secum trahens progressivam sensus*

[23]

Textus prior

De libertate huius conversionis constare debet. Ecclesia enim severe prohibet ne quis ad fidem amplectendam cogatur vel artibus importunis inducatur aut alliciatur, sicut et fortiter vindicat ius ne ullus iniquis vexationibus a fide deterreatur.

Iuxta perantiquam Ecclesiae consuetudinem, motiva conversionis investigentur et, si necesse est, purificentur.

14. [*De Catechumenatu et Initiatione christiana*]. Qui fidem a Deo per Ecclesiam acceperunt,[2] liturgicis caeremoniis admittantur ad catechumenatum; qui non est mera dogmatum praeceptorumque expositio, sed totius vitae christianae institutio et tirocinium sat longum, quibus discipuli cum Christo suo Magistro coniunguntur. Catechumeni ergo apte initientur mysterio salutis et exercitio morum evangelicorum sacrisque ritibus, successivis temporibus celebrandis,[3] introducantur in vitam fidei, liturgiae et caritatis Populi Dei.

Deinde per initiationis christianae sacramenta liberantur a daemone [4] et Christo commortui, consepulti ac conresuscitati, Spiritum accipiunt adoptionis filiorum et memoriale mortis et resurrectionis Domini cum cuncto Populo Dei celebrant.

[24] Desiderandum est ut liturgia temporis qua-

Textus emendatus

et morum immutationem, cum suis socialibus consectariis manifestus fieri debet et tempore catechumenatus paulatim evolvi; cum Dominus cui creditur signum sit contradictionis (cf. *Lc.* 2, 34; *Mt.* 10, 34-39), *homo conversus rupturas et separationes non raro experitur, sed etiam gaudia quae non ad mensuram dat Deus* (cf. *1 Thess.* 1, 6) (G). ( ) Ecclesia severe prohibet ne quis ad fidem amplectendam cogatur vel artibus importunis inducatur aut alliciatur, sicut et fortiter vindicat ius ne ullus iniquis vexationibus a fide deterreatur.[2]

Iuxta perantiquam Ecclesiae consuetudinem, motiva conversionis investigentur et, si necesse est, purificentur.

14. [*De Catechumenatu et Initiatione christiana*]. Qui fidem *in Christum* a Deo per Ecclesiam acceperunt,[3] liturgicis caeremoniis admittantur ad catechumenatum (A); qui non est mera dogmatum praeceptorumque expositio, sed totius vitae christianae institutio et tirocinium sat longum, quibus discipuli cum Christo suo Magistro coniunguntur (B). Catechumeni ergo apte initientur mysterio salutis et exercitio morum evangelicorum sacrisque ritibus, successivis temporibus celebrandis,[4] introducantur in vitam fidei, liturgiae et caritatis Populi Dei.

Deinde per initiationis christianae sacramenta *liberati a potestate tenebrarum* (cf. *Col.* 1, 13),[5] (C) Christo commortui, consepulti et conresuscitati (cf. *Rom.* 6, 4-1; *Col.* 2, 12-13; *1 Pt.* 3, 21-22; *Mc.* 16, 16), Spiritum accipiunt (cf. *1 Thess.* 3, 5-7; *Act.* 8, 14-17) (D) adoptionis filiorum et memoriale mortis et resurrectionis Domini cum cuncto Populo Dei celebrant.

Desiderandum est ut liturgia temporis qua-

[24]

Textus prior

dragesimalis et paschalis ita restauretur ut animos catechumenorum componat ad celebrationem paschalis mysterii in cuius sollemnibus peragendis per baptismum Christo regenerantur.

Initiatio autem illa christiana in catechumenatu non a solis catechistis vel sacerdotibus, sed a tota communitate fidelium est procuranda, ita ut catechumeni inde ab initio sentiant se esse membra populi Dei. Cumque vita Ecclesiae sit apostolica, catechumeni item discant testimonio vitae et fidei professione ad evangelizationem et Ecclesiae aedificationem actuose cooperari.

Status tandem iuridicus catechumenorum in novo Codice clare ponatur. Iam enim cum Ecclesia coniuncti sunt,[5] iam de domo sunt Christi [6] et non raro iam vitam agunt fidei, spei et caritatis.

Art. 3

De Communitate Christiana efformanda

15. [*De Formatione Communitatis Christianae*]. Spiritus Sanctus, qui omnes homines per semina Verbi praedicationemque Evangelii ad Christum convocat et in cordibus obsequium fidei suscitat, cum credentes in Christum in baptismalis fontis sinu ad novam vitam generet, eos congregat in unum Populum Dei qui est « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis » (*1 Pt.* 2, 9).[7]

Missionarii ergo, cooperatores Dei (cf. *1 Cor.* 3, 9), tales suscitent fidelium congregationes quae digne ambulantes vocatione qua vocatae sunt (cf. *Eph.* 4, 1) triplex a Deo sibi concreditum exerceant munus, sacerdotale scilicet, propheticum et regale. Hoc modo communitas christiana signum fit praesentiae Dei in mundo: ipsa enim sacrificio eucharistico incessanter cum

Textus emendatus

dragesimalis et paschalis ita restauretur ut animos catechumenorum componat ad celebrationem paschalis mysterii in cuius sollemnibus peragendis per baptismum Christo regenerantur.

Initiatio autem illa christiana in catechumenatu non a solis catechistis vel sacerdotibus, sed a tota communitate fidelium, *praesertim a patrinis* (E), est procuranda, ita ut catechumeni inde ab initio sentiant se *pertinere ad populum Dei* (F). Cumque vita Ecclesiae sit apostolica, catechumeni item discant testimonio vitae et fidei professione ad evangelizationem et Ecclesiae aedificationem actuose cooperari.

Status tandem iuridicus catechumenorum in novo Codice clare ponatur. Iam enim cum Ecclesia coniuncti sunt,[6] iam de domo sunt Christi [7] et non raro iam vitam agunt fidei, spei et caritatis.

Art. 3

De Communitate Christiana efformanda

15. [*De Formatione Communitatis Christianae*]. Spiritus Sanctus, qui omnes homines per semina Verbi praedicationemque Evangelii ad Christum *vocat* et in cordibus obsequium fidei suscitat, cum credentes in Christum in baptismalis fontis sinu ad novam vitam gen*erat*, eos congregat in unum Populum Dei qui est « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis » (*1 Pt.* 2, 9).[8]

Missionarii ergo, cooperatores Dei (cf. *1 Cor.* 3, 9), tales suscitent fidelium congregationes quae digne ambulantes vocatione qua vocatae sunt (cf. *Eph.* 4, 1) triplex a Deo sibi concreditum exerceant munus, sacerdotale scilicet, propheticum et regale. Hoc modo communitas christiana signum fit praesentiae Dei in mundo: ipsa enim sacrificio eucharistico incessanter cum

[24] *Textus prior*

Christo ad Patrem transit,[8] verbo Dei sedulo enutrita [9] testimonium Christi praebet,[10] et ca-
[25] ritate denique ambulat spirituque apostolico fervet.[11]

... Communitas christiana inde ab initio ita efformari debet ut suis necessitatibus, quantum fieri potest ipsa providere queat ...

Haec fidelium congregatio, divitiis culturae propriae gentis praedita, in populo profunde radicetur: efflorescant familiae spiritu evangelico imbutae [12] atque scholis idoneis iuventur; associationes et coetus erigantur per quos laicorum apostolatus totam societatem spiritu evangelico permeare valeat. Splendescat denique caritas praesertim inter catholicos diversi ritus.[13]

Spiritus oecumenicus nutriatur inter neophytos, qui probe aestiment fratres separatos esse Christi discipulos, baptismate regeneratos, perplurium bonorum Populi Dei consortes. Quantum sinunt condiciones religiosae, actio oecumenica ita promoveatur ut, seclusa omni tam indifferentismi quam insanae aemulationis specie, communi professione fidei in Deum et in Iesum Christum coram Gentibus atque cooperatione in re tam sociali et technica quam culturali et religiosa, catholici fraterne collaborent cum fratribus seiunctis ad normas Decreti de Oecumenismo.

Fideles Christi ex Gentibus cunctis in Ecclesia congregati, « neque regimine, neque sermone, neque politicis vitae institutis a ceteris hominibus sunt distincti »,[14] ideoque in consue-

Textus emendatus

Christo ad Patrem transit,[9] verbo Dei sedulo enutrita [10] testimonium Christi praebet,[11] et caritate denique ambulat spirituque apostolico fervet.[12]

Communitas christiana inde ab initio ita efformari debet ut suis necessitatibus, quantum fieri potest ipsa providere queat.

Haec fidelium congregatio, divitiis culturae propriae gentis praedita, in populo profunde radicetur: efflorescant familiae spiritu evangelico imbutae [13] atque scholis idoneis iuventur; associationes et coetus erigantur per quos laicorum apostolatus totam societatem spiritu evangelico permeare valeat. Splendescat denique caritas ( ) inter catholicos diversi ritus.[14]

Spiritus oecumenicus nutriatur inter neophytos, qui probe aestiment fratres *in Christum credentes* esse Christi discipulos, baptismate regeneratos, perplurium bonorum Populi Dei consortes. Quantum sinunt condiciones religiosae, actio oecumenica ita promoveatur ut, seclusa omni tam indifferentismi *et confusionismi* quam insanae aemulationis specie, communi *pro quanto datur* professione fidei in Deum et in Iesum Christum coram Gentibus atque cooperatione in re tam sociali et technica quam culturali et religiosa, catholici fraterne collaborent cum fratribus *a se* seiunctis ad normas Decreti de Oecumenismo. *Collaborent praesertim propter Christum, suum Dominum communem: Eius Nomen eos colligat! Haec collaboratio instituatur non solum inter privatas personas, sed etiam inter Ecclesias earumque opera* (A).

Fideles Christi ex Gentibus cunctis in Ecclesia congregati, « neque regimine, neque sermone, neque politicis vitae institutis a ceteris hominibus sunt distincti »,[15] ideoque in con-

Textus prior

tudine vitae gentis suae Deo et Christo vivant; ut boni cives, amorem Patriae vere et efficaciter colant, alienae tamen stirpis contemptionem et nationalismum exacerbatum vitent omnino.

Verum ad Ecclesiae plantationem et ad incrementum communitatis christianae necessaria sunt varia ministeria, quae vocatione divina ex ipsa fidelium congregatione suscitata, omnibus diligenti cura sunt fovenda atque colenda; inter quae habentur munera sacerdotum, diaconorum et catechistarum. Item Religiosi et Religiosae ad regnum Christi in animis radicandum et corroborandum illudque ulterius dilatandum sive oratione, sive actuosa opera plurimum conferunt.

16. [*De Clero Locali Constituendo*]. Gaudio magno Ecclesia gratias agit pro inaestimabili vocationis sacerdotalis dono, quod inter Gentes nuper ad Christum conversas tot iuvenibus Deus elargitus est. Firmiores enim radices Ecclesia in unoquoque coetu humano figit, cum

Textus emendatus [25]

suetudine vitae gentis suae Deo et Christo vivant; ut boni cives amorem Patriae vere et efficaciter colant, alienae tamen stirpis con*temptum* et nationalismum exacerbatum vitent omnino, *amorem hominum universalem pro-* [26]
moveant (B).

Ad omnia haec obtinenda maximi momenti et speciali cura digni sunt illi christifideles, qui Christo per baptismum incorporati, in saeculo viventes, laici nuncupantur. Ipsorum enim proprium est, Spiritu Christi imbuti, fermenti instar res temporales ab intra animare et ordinare ut secundum Christum iugiter fiant.[16]

Attamen non sufficit ut populus christianus praesens sit et constitutus in aliqua gente, nec sufficit ut apostolatum exempli exerceat; ad hoc constituitur, ad hoc praesens est, ut concivibus non-christianis Christum verbo et opere annuntiet eosque iuvet ad plenam Christi receptionem (C).

Verum ad Ecclesiae plantationem et ad incrementum communitatis christianae necessaria sunt varia ministeria, quae vocatione divina ex ipsa fidelium congregatione suscitata, *ab* omnibus diligenti cura sunt fovenda atque colenda; inter quae habentur munera sacerdotum, diaconorum et catechistarum, *operositasque apostolica laicatus.* Item Religiosi et Religiosae ad regnum Christi in animis radicandum et corroborandum illudque ulterius dilatandum sive oratione, sive actuosa opera plurimum conferunt.

16. [*De Clero Locali Constituendo*]. Gaudio magno Ecclesia gratias agit pro inaestimabili vocationis sacerdotalis dono, quod inter Gentes ad Christum *recenter* conversas tot iuvenibus Deus elargitus est. Firmiores enim radices Ecclesia in unoquoque coetu humano figit, cum

	Textus prior	Textus emendatus
[26]	variae communitates fidelium ex suis membris proprios habent salutis ministros in ordine diaconorum ac presbyterorum fratribus suis inservientes, imo episcopali munere fungentes.	variae communitates fidelium ex suis membris proprios habent salutis ministros in ordine *Episcoporum, Presbyterorum ac Diaconorum,* fratribus suis inservientes, *ita ut novellae Ecclesiae structuram dioecesanam cum suo clero paulatim acquirant* (A).
[27]	Quae de sacerdotali vocatione et formatione ab hoc Concilio statuta sunt, sancte serventur ubi Ecclesia primo plantatur et apud novellas ecclesias. Maximi facienda sunt quae dicuntur de institutione spirituali cum doctrinali et pastorali arcte connectenda, de vita secundum formam evangelii gerenda, de intimo sensu mysterii Ecclesiae excolendo. Inde mirabiliter discent totos se ipsos in servitium Corporis Christi et ad opus evangelii dedicare, proprio episcopo tanquam fidos cooperatores adhaerere et sociam confratribus operam praestare.[15]	Quae de sacerdotali vocatione et formatione ab hoc Concilio statuta sunt, sancte serventur ubi Ecclesia primo plantatur et apud novellas ecclesias. Maximi facienda sunt quae dicuntur de institutione spirituali cum doctrinali et pastorali arcte connectenda, de vita secundum formam evangelii gerenda, *sine consideratione commodi proprii vel familialis* (B), de intimo sensu mysterii Ecclesiae excolendo. Inde mirabiliter discent totos se ipsos in servitium Corporis Christi et ad opus evangelii dedicare, proprio episcopo tanquam fidos cooperatores adhaerere et sociam confratribus operam praestare.[17]
	Ad quem generalem finem assequendum, tota alumnorum formatio ordinetur sub luce mysterii salutis uti in Scripturis exhibetur. Hoc mysterium Christi et salutis humanae in Liturgia praesens inveniant et vivant.[16]	Ad quem generalem finem assequendum, tota alumnorum formatio ordinetur sub luce mysterii salutis uti in Scripturis exhibetur. Hoc mysterium Christi et salutis humanae in Liturgia praesens inveniant et vivant.[18]
	Quae exigentiae communes sacerdotalis institutionis, ad normam Concilii,[17] componantur cum studio obviam eundi peculiari cogitandi agendique modo propriae gentis. Alumnorum mentes ergo aperiantur et exacuantur ut bene cognoscant et iudicare valeant suae gentis culturam; in disciplinis philosophicis et theologicis perspiciant rationes quae traditiones ac religionem patriam inter et religionem christianam intercedunt.[18] Item componantur cum necessitatibus pastoralibus regionis: alumni discant historiam, finem et methodum actionis missionalis Ecclesiae, et speciales condiciones sociales, oeconomicas, culturales proprii	Quae exigentiae communes sacerdotalis institutionis, *etiam pastoralis et practicae* (C), ad normam Concilii,[19] componantur cum studio obviam eundi peculiari cogitandi agendique modo propriae gentis. Alumnorum mentes ergo aperiantur et exacuantur ut bene cognoscant et iudicare valeant suae gentis culturam; in disciplinis philosophicis et theologicis perspiciant rationes quae traditiones ac religionem patriam inter et religionem christianam intercedunt.[20] Item *institutio sacerdotalis necessitates pastorales regionis respiciat* (D): alumni discant historiam, finem et methodum actionis missionalis Ecclesiae, et speciales condiciones

Textus prior

populi. In spiritu oecumenismi educentur, et ad dialogum fraternum cum non-christianis rite praeparentur.[19] Haec omnia postulant, ut studia ad sacerdotium peragantur, quantum fieri potest, in consuetudine et convictu cum sua cuiusque gente.[20]

Attamen, ut clerus localis ad omnia munera ecclesiastica magis magisque idoneus evadat, seligantur sacerdotes qui, post praxim aliquam pastoralem, in studiorum Universitatibus etiam exteris, maxime in Urbe, aliisque Institutis scientificis studia superiora perficiant.

Ubi Conferentiis Episcoporum opportunum apparuerit, ordo diaconatus ut status vitae permanens restauretur ad normam constitutionis « de Ecclesia ».[21] Iuvat enim viros, qui ministerio vere diaconali funguntur, vel verbum nomine parochi et episcopi dissitas communitates christianas moderantes, vel caritatem exercentes in operibus socialibus seu caritativis, divinum tanquam catechistae praedicantes, vel per impositionem manuum inde ab Apostolis traditam corroborari, ut ministerium suum per gratiam sacramentalem diaconatus efficacius expleant.

17. [*De Catechistarum Institutione*]. Item laude dignum est agmen illud, de opere missionum ad Gentes tam optime meritum, catechistarum scilicet, tam virorum quam mulierum, qui spiritu apostolico imbuti, magnis laboribus singulare et omnino necessarium adiumentum conferunt ad dilatationem fidei et Ecclesiae.

Textus emendatus [27]

sociales, oeconomicas, culturales proprii populi. In spiritu oecumenismi educentur, et ad dialogum fraternum cum non-christianis rite praeparentur.[21] Haec omnia postulant, ut studia ad sacerdotium peragantur, quantum fieri potest, in consuetudine et convictu cum sua cuiusque gente.[22] *Cura tandem habeatur de formatione ad activitatem administrativam seu oeconomicam* (E).

Insuper idonei sacerdotes seligantur qui, [28] post praxim aliquam pastoralem, in studiorum Universitatibus etiam exteris, maxime in Urbe, aliisque Institutis scientificis studia superiora perficiant, *ita ut Ecclesiis novellis ex clero locali praesto sint ad magis ardua munera ecclesiastica implenda congrua scientia et peritia praediti* (F).

Ubi Conferentiis Episcoporum opportunum apparuerit, ordo diaconatus ut status vitae permanens restauretur ad normam constitutionis « de Ecclesia ».[23] Iuvat enim viros, qui *iam* ministerio vere diaconali funguntur, vel verbum divinum tanquam catechistae praedicantes, vel nomine parochi et episcopi dissitas communitates christianas moderantes, vel caritatem exercentes in operibus socialibus seu caritativis, per impositionem manuum inde ab Apostolis traditam corroborari *et altari arctius coniungi* (G), ut ministerium suum per gratiam sacramentalem diaconatus efficacius expleant.

17. [*De Catechistarum Institutione*]. Item laude dignum est agmen illud, de opere missionum ad Gentes tam optime meritum, catechistarum scilicet, tam virorum quam mulierum, qui spiritu apostolico imbuti, magnis laboribus singulare et omnino necessarium adiumentum conferunt ad dilatationem fidei et Ecclesiae.

[28] *Textus prior*

Nostris diebus, cum ad tot multitudines evangelizandas et ad ministerium pastorale exercendum pauci sint missionarii, catechistarum officium maius quam praeteritis temporibus momentum habet. Eorum ergo institutio ita perfici debet et culturali progressui accommodari, ut tanquam validi cooperatores ordinis sacerdotalis quam optime exsequi possint munus suum novis et amplioribus oneribus ingravescens.

Multiplicentur ergo scholae dioecesanae et regionales in quibus futuri catechistae cum
[29] doctrinam catholicam, praesertim in re biblica et liturgica, tum etiam methodum catecheticam praximque pastoralem excolant, seque ad mores hominum christianorum [22] forment pietatem sanctitatemque vitae colere indesinenter satagentes. Insuper conventus vel cursus habeantur quibus catechistae in disciplinis et artibus suo ministerio utilibus certis temporibus renoventur et eorum vita spiritualis nutriatur et roboretur. Praeterea, status vitae decens et securitas socialis eis procuretur per iustam remunerationem.

In voto est ut formationi et sustentationi catechistarum modo congruo provideatur subsidiis S. Dicasterii de Propaganda Fide specialibus. Si necessarium et aptum apparebit, Opus pro Catechistis fundetur.

Insuper Ecclesiae grato animo agnoscent generosam operam catechistarum auxiliarium, quorum adiutorio indigebunt. Ipsi in suis communitatibus precibus praesident et doctrinam tradunt. De eorum formatione doctrinali et spirituali rite curandum est. Praeterea optandum est ut, ubi opportunum videbitur, catechistis debite formatis missio canonica in actione liturgica publice celebranda conferatur,

Textus emendatus

Nostris diebus, cum ad tot multitudines evangelizandas et ad ministerium pastorale exercendum pauci sint *clerici,* catechistarum officium *maximum* momentum habet. Eorum ergo institutio ita perfici debet et culturali progressui accommodari, ut tanquam validi cooperatores ordinis sacerdotalis quam optime exsequi possint munus suum novis et amplioribus oneribus ingravescens.

Multiplicentur ergo scholae dioecesanae et regionales in quibus futuri catechistae cum doctrinam catholicam, praesertim in re biblica et liturgica, tum etiam methodum catecheticam praximque pastoralem excolant, seque ad mores hominum christianorum [24] forment pietatem sanctitatemque vitae colere indesinenter satagentes. Insuper conventus vel cursus habeantur quibus catechistae in disciplinis et artibus suo ministerio utilibus certis temporibus renoventur et eorum vita spiritualis nutriatur et roboretur. Praeterea, *iis qui totos huic operi se devovent* (A) status vitae decens et securitas socialis procuretur per iustam remunerationem.[25]

In voto est ut formationi et sustentationi catechistarum modo congruo provideatur subsidiis S. Dicasterii de Propaganda Fide specialibus. Si necessarium et aptum apparebit, Opus pro Catechistis fundetur.

Insuper Ecclesiae grato animo agnoscent generosam operam catechistarum auxiliarium, quorum adiutorio indigebunt. Ipsi in suis communitatibus precibus praesident et doctrinam tradunt. De eorum formatione doctrinali et spirituali rite curandum est. Praeterea optandum est ut, ubi opportunum videbitur, catechistis debite formatis missio canonica in actione liturgica publice celebranda conferatur,

Textus prior

ut apud populum maiore auctoritate fidei deserviant.

18. [*De Vita Religiosa Promovenda*]. Inde a periodo plantationis Ecclesiae vita religiosa sedulo promoveatur, quae non solum pretiosa omninoque necessaria auxilia activitati missionali affert, sed praeprimis lucide manifestat et significat intimam vocationis christianae naturam.[23]

Congregationes religiosae, plantationi Ecclesiae adlaborantes, mysticis divitiis, quibus traditio religiosa Ecclesiae insignitur, penitus imbutae, eas pro suo cuiusque gentis ingenio et indole exprimere et tradere conentur. Attente considerent quomodo traditiones asceticae et contemplativae, quarum semina iam ante Evangelii praedicationem nonnunquam antiquis culturis a Deo indita sunt, in vitam religiosam assumi possint.

In novellis Ecclesiis variae formae vitae religiosae excolenda sunt, ut diversos aspectus missionis Christi exerceant. Attamen Episcopi in Conferentia videant ne Congregationes, eundem finem apostolicum prosequentes, condantur cum detrimento vitae religiosae et apostolatus.

Speciali mentione digna sunt varia ad vitam contemplativam radicandam incepta, quibus alii, essentialia Institutionis monasticae elementa retinentes, divitissimam traditionem sui Ordinis implantare satagunt, alii vero ad antiqui monachismi simpliciores formas redeunt: omnes tamen genuinam aptationem ad conditiones locales quaerere studeant. Cum enim vita contemplativa ad plenitudinem praesentiae Ecclesiae pertineat, oportet apud novellas Ecclesias ubique instauretur.

Textus emendatus [29]

ut apud populum maiore auctoritate fidei deserviant (B).

18. [*De Vita Religiosa Promovenda*]. Inde a periodo plantationis Ecclesiae vita religiosa sedulo promoveatur, quae non solum pretiosa omninoque necessaria auxilia activitati missionali affert, sed praeprimis lucide manifestat et significat intimam vocationis christianae naturam.[26]

Instituta religiosa, plantationi Ecclesiae adlaborantia, mysticis divitiis, quibus traditio religiosa Ecclesiae insignitur, penitus imbuta, eas pro cuiusque gentis ingenio et indole exprimere et tradere conentur. Attente considerent quomodo traditiones asceticae et contemplativae, [30] quarum semina iam ante Evangelii praedicationem nonnunquam antiquis culturis a Deo indita sunt, in vitam religiosam *christianam* assumi possint.

In novellis Ecclesiis variae formae religiosae excolendae sunt, ut diversos aspectus missionis Christi *et vitae Ecclesiae exhibeant, ac variis operibus pastoralibus se devoveant, suaque membra ad ea exercenda rite praeparent* (A). Attamen Episcopi in Conferentia videant ne Congregationes, eundem finem apostolicum prosequentes, *multiplicentur* (B) cum detrimento vitae religiosae et apostolatus.

Speciali mentione digna sunt varia ad vitam contemplativam radicandam incepta, quibus alii, essentialia Institutionis monasticae elementa retinentes, divitissimam traditionem sui Ordinis implantare satagunt, alii vero ad antiqui monachismi simpliciores formas redeunt: omnes tamen genuinam aptationem ad conditiones locales quaerere studeant. Cum enim vita contemplativa ad plenitudinem praesentiae Ecclesiae pertineat, oportet apud novellas Ecclesias ubique instauretur.

[30] NOTAE

[1] Cf. Alloc. Pauli VI die 21 nov. 1964 in Concilio habita (*A.A.S.*, 1964, 1013).
[2] Cf. Decl. *De Libertate Religiosa*, 2, 4, 10; Const. *De Ecclesia in mundo huius temporis.*
[3] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, 17.
[4] Cf. Const. *De Sacra Liturgia*, 64-65.
[5] De qua liberatione a servitute daemonis et tenebrarum, in Evangelio cf. *Mt.* 12, 28; *Io.* 8, 44; 12, 31 (cf. *1 Io.* 3, 8; *Eph.* 2, 1-2). In Liturgia Baptismi cf. *Rit. Rom.* In primis saeculis, cf. S. Foster, *After the Apostles*, London 1951.
[6] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, 14.
[7] Cf. S. Augustinus, *Tract. in Ioann.* 11, 4 (*PL* 35, 1476).
[8] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, 9.
[9] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, 10, 11, 34.
[10] Cf. Const. Dogm. *De Divina Revelatione*, 21.
[11] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, 12, 35.
[12] Cf. *Ib.*, 23, 36.
[13] Cf. *Ib.*, 11, 35, 41.
[31] [14] Cf. Decr. *De Ecclesiis Orientalibus*, 30.
[15] *Epist. ad Diognetum*, 5 (*PG* 2, 1173); cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, 38
[16] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, 32; Decr. *De Apostolatu laicorum.*
[17] Cf. Decr. *De institutione Sacerdotali*, 4, 8, 9.
[18] Cf. Const. *De Sacra Liturgia*, 17.
[19] Cf. Decr. *De institutione Sacerdotali*, 1.
[20] Cf. Ioannes XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.*, 1959, 843-844).
[21] Cf. Decr. *De Oecumenismo*, 4.
[22] Cf. Ioannes XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.*, 1959, 842).
[23] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, 29.
[24] Cf. Ioannes XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.*, 1959, 855).
[25] Agitur de sic dictis « catéchistes à plein temps », « full time catechists ».
[26] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, 31, 44.

[32] *Textus prior*

Art. 4

De Ecclesiis Particularibus

19. [*De Ecclesiarum localium incremento*]. Opus plantationis Ecclesiae in determinato humano coetu certam attingit metam, cum congregatio fidelium, in sociali vita iam radicata culturaeque loci aliquatenus conformata, quadam stabilitate et firmitate fruitur: propria

Textus emendatus

Caput III (A)

DE ECCLESIIS PARTICULARIBUS

19. [*De Ecclesiarum novellarum incremento*] (B). Opus plantationis Ecclesiae in determinato *hominum* coetu certam attingit metam, cum congregatio fidelium, in sociali vita iam radicata culturaeque loci aliquatenus conformata, quadam stabilitate et firmitate fruitur:

Textus prior

nempe, etsi insufficienti, instructa copia localium sacerdotum, religiosorum laicorumque, iis ministeriis et institutis ditatur quae ad vitam populi Dei ducendam ac dilatandam necessaria sunt sub ductu Episcopi proprii.

In huiusmodi Ecclesiis novellis, vita Populi Dei maturescere debet per omnes campos vitae christianae ad normas huius Concilii renovandae: congregationes fidelium magis in dies conscie vivae efficiuntur communitates fidei, liturgiae et caritatis; laici per civilem et apostolicam operositatem ordinem caritatis et iustitiae in civitate instaurare nituntur; instrumenta communicationis socialis adhibentur; familiae per vitam vere christianam seminaria evadunt vocationum sacerdotalium et religiosarum. Fides denique per catechesim aptatam edocetur, in liturgia ingenio populi consona celebratur et per legislationem canonicam congruam inducitur in honesta instituta et consuetudines locales.

Episcopi vero, una cum suo quisque presbyterio, sensu Christi et Ecclesiae magis magisque imbuti, cum universali Ecclesia sentiant atque vivant. Intima permaneat ecclesiarum novellarum communio cum tota Ecclesia, cuius traditionis elementa culturae propriae adiungant ad augendam mutuo quodam virium effluvio vitam Corporis Mystici.[24] Quae communio perfecta erit cum et ipsae navitatem missionalem ad alias Gentes actuose participabunt.

Hae vero Ecclesiae, saepissime in pauperibus orbis partibus sitae, gravissima plerumque sacerdotum penuria et subsidiorum materialium inopia adhuc laborant. Quare summopere indigent ut continuata totius Ecclesiae actio missionalis ea subministret adminicula quae

Textus emendatus [32]

propria nempe, etsi insufficienti, instructa copia localium sacerdotum, religiosorum laicorumque, iis ministeriis et institutis ditatur quae ad vitam populi Dei ducendam ac dilatandam necessaria sunt sub ductu Episcopi proprii.

In huiusmodi Ecclesiis novellis, vita Populi Dei maturescere debet per omnes campos vitae christianae ad normas huius Concilii renovandae: congregationes fidelium magis in dies conscie vivae efficiuntur communitates fidei, liturgiae et caritatis; laici per civilem et apostolicam operositatem ordinem caritatis et iustitiae in civitate instaurare nituntur; instrumenta communicationis socialis adhibentur; familiae per vitam vere christianam seminaria evadunt *apostolatus laicorum necnon* (C) vocationum sacerdotalium et religiosarum. Fides denique per catechesim aptatam edocetur, in liturgia ingenio populi consona celebratur et per legislationem canonicam congruam inducitur in honesta instituta et consuetudines locales.

Episcopi vero, una cum suo quisque presbyterio, sensu Christi et Ecclesiae magis magisque imbuti, cum universali Ecclesia sentiant atque vivant. Intima permaneat ecclesiarum novellarum communio cum tota Ecclesia, cuius traditionis elementa culturae propriae adiungant ad augendam mutuo quodam virium effluvio vitam Corporis Mystici.[1] *Hinc illa colantur elementa, non solum theologica sed et* [33] *psychologica et humana quae ad fovendum hunc sensum communionis cum Ecclesia universali afferre valeant* (D).

Hae vero Ecclesiae, saepissime in pauperioribus orbis partibus sitae, gravissima plerumque sacerdotum penuria et subsidiorum materialium inopia adhuc laborant. Quare summopere indigent ut continua totius Ecclesiae actio missionalis ea subministret adminicula

[33]

Textus prior

Ecclesiae localis incremento vitaeque christianae maturitati praeprimis inserviant.

Attamen istae Ecclesiae commune pastorale studium aptaque opera instaurent, quibus vocationes sacerdotales et religiosae numero augeantur, securius diiudicentur et efficacius excolantur,[25] ita ut paulatim sibimetipsis providere valeant.

Textus emendatus

quae Ecclesiae localis incremento vitaeque christianae maturitati praeprimis inserviant. *Quae actio missionalis opem etiam ferat iis Ecclesiis, diu fundatis, quae in quodam statu regressionis vel debilitatis versantur* (E).

Attamen istae Ecclesiae commune pastorale studium aptaque opera instaurent, quibus vocationes *ad clerum dioecesanum et ad Instituta* religiosa numero augeantur, securius diiudicentur et efficacius excolantur,[2] ita ut paulatim sibimetipsis providere *et aliis auxilium afferre* valeant.

20. [*De Ecclesiarum particularium activitate missionali*]. *Cum Ecclesia particularis universalem Ecclesiam quam perfectissime repraesentare teneatur, probe noscat se ad eos quoque qui in Christum non credentes cum ipsa in eodem territorio commorentur, esse missam ut testimonio vitae singulorum fidelium et totius communitatis signum sit eis indicans Christum.*

Requiritur insuper ministerium verbi, ut Evangelium ad omnes perveniat. Episcopus imprimis fidei praeco sit oportet, qui novos discipulos ad Christum adducat.[3] *Quod eximium munus ut rite adimpleat, penitus percipiat tum condiciones sui gregis tum intimas suorum concivium de Deo opiniones, sedulo habita ratione illarum mutationum, quas urbanizationes uti dicunt, migrationes et indifferentismus religiosus introduxerint.*

[34]

Presbyteri locales in novellis Ecclesiis opus evangelizationis ardenter aggrediantur, communem operam instituendo cum missionariis exteris, quibuscum unum efforment presbyterium, adunatum sub auctoritate Episcopi, non solum ad fideles pascendos et ad divinum cultum celebrandum, sed ad Evangelium praedicandum iis qui foris sunt. Promptos se praebeant et, oc-

Textus prior

Ex n. 16:

Curent Conferentiae Episcopales ut statis temporibus cursus renovationis doctrinalis, spiritualis et pastoralis instituantur eo consilio, ut inter rerum varietates et mutationes clerus pleniorem cognitionem scientiae theologicae et methodorum pastoralium acquirat.

Textus emendatus [34]

casione data, alacri animo Episcopo suo sese offerant ad opus missionarium in dissitis et derelictis regionibus propriae dioeceseos incipiendum vel in aliis dioecesibus.

Eodem zelo fervescant religiosi et religiosae itemque laici erga suos concives praesertim pauperiores.

Curent Conferentiae Episcopales ut statis temporibus cursus renovationis *biblicae,* doctrinalis, spiritualis et pastoralis instituantur eo consilio, ut inter rerum varietates et mutationes clerus pleniorem cognitionem scientiae theologicae et methodorum pastoralium acquirat.

De cetero, sancte serventur ea quae ab hoc Concilio, praesertim in Decreto de ministerio et vita presbyterorum sancita sunt.

Ut hoc opus missionale Ecclesiae particularis perfici possit, requiruntur ministri idonei, tempestive parandi modo condicionibus uniuscuiusque Ecclesiae congruenti. Cum autem homines magis magisque in coetus coalescant, maxime convenit Conferentias episcopales communia consilia inire de dialogo cum his coetibus instituendo. Si autem in quibusdam regionibus coetus hominum inveniuntur, qui a fide catholica amplectenda eo arceantur, quod formae peculiari quam Ecclesia ibi induerit, sese accommodare nequeant, in voto est ut tali condicioni speciali modo[4] *provideatur, donec omnes christiani in unam communitatem congregari possint. Missionarios vero, quos Apostolica Sedes ad hunc finem praesto haberet, singuli Episcopi in suas dioeceses vocent vel libenter recipiant eorumque incepta efficaciter* [35] *promoveant.*

Ut hic zelus missionarius apud domesticos patriae florescat, valde convenit ut Ecclesiae novellae quam primum Missioni universali Ec-

[35] *Textus prior*

Ex n. 19:

Quae communio perfecta erit cum et ipsae navitatem missionalem ad alias Gentes actuose participabunt.

Textus emendatus

clesiae opere participent, mittendo et ipsae missionarios qui Evangelium ubique terrarum annuntient, etsi penuria cleri laborent. Communio enim cum Ecclesia universali perfecta erit cum et ipsae navitatem missionalem ad alias Gentes actuose participabunt.

21. [*De Apostolatu Laicorum fovendo*]. *Ecclesia non vere fundata est, non plene vivit, nec Christi signum est inter homines, nisi cum hierarchia laicatus veri nominis exstat et laborat. Evangelium enim non potest radicitus infigi in ingeniis, vita et labore alicuius populi sine actuosa praesentia laicorum. Ideo iam in fundatione Ecclesiae ad laicatum maturum Christianum constituendum maxime attendendum est.*

Laici enim fideles plene pertinent simul ad Populum Dei et ad societatem civilem: Ad gentem suam pertinent in qua nati sunt, in cuius thesauris culturalibus per educationem participare coeperunt, cuius vitae per multiformia vincula socialia iunguntur, in cuius progressu proprio nisu in suis professionibus cooperantur, cuius problemata ipsi tamquam propria sentiunt et solvere conantur; pertinent etiam ad Christum, quia regenerati sunt in Ecclesia per fidem et baptismum, ut novitate vitae et operis Christi sint (cf. *1 Cor.* 15, 23), *ut in Christo omnia Deo subiciantur, et tandem sit Deus omnia in omnibus* (cf. *1 Cor.* 15, 28).

Principale officium eorum, virorum et mulierum, est testimonium Christi quod vita et verbo in familia, in suo coetu sociali, et in ambitu suae professionis reddere tenentur. Appareat enim in eis oportet novus homo qui secundum Deum creatus est in iustitia et sancti-
[36] *tate veritatis* (cf. *Eph.* 4, 24). *Debent vero hanc novitatem vitae exprimere in ambitu so-*

Textus prior | *Textus emendatus* [36]

cietatis et culturae patriae, secundum traditiones suae nationis. Ipsi cognoscere hanc culturam, eam sanare et servare, secundum condiciones recentes evolvere, et tandem in Christo perficere debent, ut fides Christi et vita Ecclesiae societati, in qua vivunt, iam non sit extranea sed eam permeare et transformare incipiat. Iungantur concivibus suis sincera caritate ut in eorum conversatione appareat novum vinculum unitatis et solidarietatis universalis, quae ex mysterio Christi hauritur. Disseminent etiam fidem Christi inter eos, quibus vitae et professionis vinculis nectuntur; quae obligatio eo magis urget, quod plurimi homines nonnisi per vicinos laicos Evangelium audire et Christum agnoscere possunt. Immo, ubi fieri potest, laici parati sint in magis immediata cooperatione cum hierarchia specialem missionem implere ad Evangelium annuntiandum et doctrinam Christianam communicandam, ut nascenti Ecclesiae vigorem adiciant.

Ministri Ecclesiae vero operosum apostolatum laicorum magni habeant. Laicos forment ut tamquam membra Christi responsabilitatis suae pro omnibus hominibus conscii fiant; eos in mysterio Christi profunde instruant, in practicas methodos introducant ac eis in difficultatibus paterne adsint, ad mentem Constitutionis Lumen Gentium et Decreti de Apostolatu Laicorum.

Servatis ergo Pastorum et laicorum muneribus et responsabilitatibus propriis, tota Ecclesia novella unum testimonium Christi vivum et firmum reddat, ut lucidum signum fiat salutis, quae in Christo nobis advenit.

20. [*De diversitate in unitate*]. Semen quod est verbum Dei, germinans ex terra bona, rore divino irrigata, succum trahit, illum transfor-

22. [*De diversitate in unitate*]. Semen quod est verbum Dei, germinans ex terra bona, rore divino irrigata, succum trahit, illum transformat

[36]

Textus prior

mat sibique assimilat ut denique fructum mul- [37] tum afferat. Equidem ad instar oeconomiae Incarnationis, Ecclesiae novellae in Christo radicatae Apostolorumque fundamento superaedificatae, in admirabile commercium assumunt omnes divitias nationum quae Christo datae sunt in haereditatem (cf. *Ps.* 2, 8). Ipsae e suorum populorum consuetudinibus et traditionibus, sapientia et doctrina, artibus et disciplinis, ea omnia mutuantur quae ad gloriam Creatoris confitendam, ad gratiam Salvatoris illustrandam et ad vitam christianam rite ordinandam conferre possunt.[26]

Ad hoc propositum assequendum necesse est, ut in unoquoque magno territorio socio-culturali, uti aiunt, ea consideratio theologica stimuletur qua, praelucente Traditione universalis Ecclesiae, facta et verba a Deo revelata, in Sacris Litteris consignata, novae investigationi subiiciantur. Sic clarius percipietur quibus viis fides, ratione habita philosophiae vel sapientiae populorum, quaerere possit intellectum, et quibus modis consuetudines, vitae sensus et socialis ordo, cum moribus revelatione divina significatis componi queant. Inde patebunt viae ad profundiorem aptationem in toto ambitu vitae christianae. Hoc agendi modo omnis syncretismi et falsi particularismi species secludetur, vita christiana ingenio indolique cuiusque culturae accommodabitur,[27] traditiones particulares cum propriis cuiusque familiae gentium dotibus luce Evangelii illustratis, in unitatem catholicam assumentur. Novae denique Ecclesiae particulares, suis traditionibus exornatae, locum suum habebunt in ecclesiastica communione, integro manente Primatu Petri Cathedrae, quae universo caritatis coetui praesidet.[28]

Textus emendatus

sibique assimilat ut denique fructum multum afferat. Equidem ad instar oeconomiae Incarnationis, Ecclesiae novellae in Christo radicatae Apostolorumque fundamento superaedificatae, in admirabile commercium assumunt omnes divitias nationum quae Christo datae sunt in haereditatem (cf. *Ps.* 2, 8). Ipsae e suorum populorum consuetudinibus et traditionibus, sapientia et doctrina, artibus et disciplinis, ea omnia mutuantur quae ad gloriam Creatoris confitendam, ad gratiam Salvatoris illustrandam et ad vitam christianam rite ordinandam conferre possunt.[5]

Ad hoc propositum assequendum necesse est, ut in unoquoque magno territorio socio-culturali, ut aiunt, ea consideratio theologica stimuletur qua, praelucente Traditione universalis Ecclesiae, facta et verba a Deo revelata, in Sacris Litteris consignata *et ab Ecclesiae Patribus explicata,* novae investigationi subiiciantur. Sic clarius percipietur quibus viis fides, ratione habita philosophiae vel sapientiae populorum, quaerere possit intellectum, et quibus modis consuetudines, vitae sensus et socialis ordo, cum moribus revelatione divina significatis componi queant. Inde patebunt viae ad profundiorem aptationem in toto ambitu vitae christianae. Hoc agendi modo omnis syncretismi et falsi particularismi species secludetur, vita christiana ingenio indolique cuiusque culturae accommodabitur,[6] traditiones particulares cum propriis cuiusque familiae gentium dotibus luce Evangelii illustratis, in unitatem catholicam assumentur. Novae denique Ecclesiae particulares, suis traditionibus exornatae, locum suum habebunt in ecclesiastica communione, integro manente Primatu Petri Cathedrae, quae universo caritatis coetui praesidet.[7]

Optandum est ergo ut Conferentiae Episco-

Textus prior | *Textus emendatus* [37]

pales intra limites uniuscuiusque magni territorii socio-culturalis inter se ita coadunentur ut communibus consiliis hoc aptationis propositum concordi animo prosequi valeant.

NOTAE [38]

[1] Cf. IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.*, 1959, 838).
[2] Cf. Decr. *De Ministerio et Vita Sacerdotali,* 10; Decr. *De Institutione Sacerdotali,* 2.
[3] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 25.
[4] Cf. Decr. *De Past. Episc. Munere in Ecclesia,* 23.
[5] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 13.
[6] Cf. Alloc. PAULI VI in Canon. Ss. Mart. Ugandens. (*A.A.S.,* 1964, 908).
[7] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 13.

Textus prior | *Textus emendatus* [39]

Textus prior

CAPUT III
DE MISSIONARIIS

21. [*De vocatione missionaria*]. Christus Dominus opus suum perenne reddere omnesque gentes ad fidem adducere volens semper vocat quos vult ipse, ut sint secum et ut mittat eos praedicare (*Mc.* 3, 13 s.). Quare per Spiritum Sanctum, qui charismata prout vult ad utilitatem dividit (*1 Cor.* 12, 11), peculiarem vocationem missionariam in cordibus singulorum inspirat simulque in Ecclesia suscitat Instituta, quae munus evangelizationis ad totam Ecclesiam pertinens quasi proprium officium suscipiant.

Speciali enim vocatione signantur, qui congrua naturali indole praediti, dotibus et ingenio idonei, parati sunt ad opus missionale suscipiendum.[1] A legitima auctoritate missi, fide et oboedientia exeunt in locum, quem arandum

Textus emendatus

CAPUT IV
DE MISSIONARIIS

23. [*De vocatione missionaria*]. *Quamvis cuilibet discipulo Christi onus fidei disseminandae pro parte sua incumbit,*[1] *Christus Dominus semper e numero discipulorum* vocat quos vult ipse, ut sint *cum illo* et ut mittat eos praedicare (cf. *Mc.* 3, 13 s.). (A) Quare per Spiritum Sanctum, qui charismata prout vult ad utilitatem dividit (*1 Cor.* 12, 11), ( ) vocationem missionariam in cordibus singulorum inspirat simulque in Ecclesia suscitat Instituta,[2] (B) quae munus evangelizationis ad totam Ecclesiam pertinens *tamquam* proprium officium suscipiant.

Speciali enim vocatione signantur, qui congrua naturali indole praediti, dotibus et ingenio idonei, parati sunt ad opus missionale suscipiendum,[3] *sive autochthoni sive exteri: sacerdotes, religiosi, laici.* (C) A legitima auctoritate

[39] *Textus prior*

et inseminandum acceperunt, « sanctificare Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto » (*Rom.* 15, 16).

22. [*De spiritualitate missionaria*]. At vero Deo vocanti homo respondere debet tali modo, ut carni et sanguini non acquiescens totum et quidem per totam vitam — sese devinciat operi Evangelii, ad quod segregatus est (cf. *Gal.* 1, 15; *Act.* 13, 2). Hoc vero responsum dari nequit nisi Spiritu Sancto incitante et roborante. Missus enim intrat in vitam et missionem Eius, qui « seipsum exinanivit formam servi accipiens » (*Phil.* 2, 7). Ideo paratus esse
[40] debet renuntiare omnibus quae hucusque sua habuit (*Eph.* 3, 7) et similem sese reddere eis ad quos missus est.

Minister Evangelii factus in Gentibus, scandalum crucis superans, cum fiducia notum faciat mysterium Christi, pro quo legatione fungitur, ita ut in ipso audeat, prout oportet, de Ipso loqui (cf. *Eph.* 6, 19 s.; *Act.* 4, 31). Vestigia premens Magistri sui, mitis et humilis corde, manifestet iugum Eius suave esse et onus leve (*Mt.* 11, 29 s.). Vita revera evangelica,[2] in multa patientia, in longanimitate, in suavitate, in caritate non ficta (cf. *2 Cor.* 4, 6), testimonium reddat Domini sui, si necesse est, usque ad sanguinis effusionem. Virtutem et fortitudinem a Deo impetrabit, ut cognoscat in multo experimento tribulationis et altissimae paupertatis abundantiam esse gaudii (cf. *2 Cor.* 8, 2). Persuasum habeat oboedientiam esse virtutem peculiarem ministri Christi per quem sermo Dei currit et clarificatur (*2 Thess.* 3, 1).

Evangelii praecones, ne gratiam quae in eis

Textus emendatus

missi, fide et oboedientia *ad eos qui longe sunt a Christo* exeunt, *segregati in opus ad quod assumpti sunt* (cf. *Act.* 13, 2) *tamquam ministri Evangelii,* « ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto » (*Rom.* 15, 16).

24. [*De spiritualitate missionaria*]. (A) At vero Deo vocanti homo respondere debet tali modo, ut carni et sanguini non acquiescens (cf. *Gal.* 1, 16) totum ( ) sese devinciat operi Evangelii ( ). Hoc vero responsum dari nequit nisi Spiritu Sancto incitante et roborante. Missus enim intrat in vitam et missionem Eius, qui « seipsum exinanivit formam servi accipiens » (*Phil.* 2, 7). Ideo paratus esse debet *ad vitam* (B) *stare vocationi suae,* renuntiare *sibi et* omnibus quae hucusque sua habuit ( ) et «*omnibus omnia sese facere* » (*1 Cor.* 9, 22). (C)

Annuntians Evangelium in gentibus, ( ) cum fiducia notum faciat mysterium Christi, pro quo legatione fungitur, ita ut in Ipso audeat, prout oportet, ( ) loqui (cf. *Eph.* 6, 19 s.; *Act.* 4, 31), scandalum crucis *non erubescens.* (D) Vestigia premens Magistri sui, mitis et humilis corde, manifestet iugum Eius suave esse et onus leve (*Mt.* 11, 29 s.). Vita revera evangelica,[4] in multa patientia, in longanimitate, in suavitate, in caritate non ficta (cf. *2 Cor.* 4, 6), testimonium reddat Domin*o* su*o*, si necesse est, usque ad sanguinis effusionem. Virtutem et fortitudinem a Deo impetrabit, ut cognoscat in multo experimento tribulationis et altissimae paupertatis abundantiam *gaudii esse* (cf. *2 Cor.* 8, 2). Persuasum habeat oboedientiam esse virtutem peculiarem ministri Christi, *qui oboedientia Sua redemit genus humanum.* (E)

Evangelii praecones, ne gratiam quae in eis

Textus prior

est, neglegant, renoventur spiritu mentis de die in diem (cf. *1 Tim.* 4, 14; *Eph.* 4, 23; *2 Cor.* 4, 16). Ordinarii vero et Superiores statutis temporibus missionarios coadunent ut spe vocationis suae roborentur.

23. [*De formatione spirituali et morali*]. Ad tam praeclarum opus futurus missionarius diligenti formatione spirituali et morali praeparandus est. Debet enim esse promptus ad initia capienda, constans ad opera perficienda, perseverans in difficultatibus, patienti et laeto animo ferens solitudinem, defatigationem, infructuosum laborem. Mente aperta et corde dilatato hominibus occurret; officia libenter suscipiet; alienis populorum moribus et variantibus condicionibus sponte se aptabit, concordi animo et mutua caritate sociam operam dabit fratribus et omnibus qui eidem operi sese dedicant.

Hae animi habitudines iam tempore formationis sedulo exerceantur, excolantur et vita spirituali eleventur et nutriantur. Fide viva imbutus, missionarius sit vir orationis; ardeat spiritu virtutis et dilectionis et sobrietatis (cf. *2 Tim.* 1, 7); discat in quibus sit sufficiens esse (cf. *Phil.* 4, 11); spiritu sacrificii mortem Iesu in seipso circumferat, ut vita Iesu operetur in eis ad quos mittitur (cf. *2 Cor.* 4, 10 ss.); zelo animarum libenter omnia impendat et superimpendatur ipse pro animabus (cf. *2 Cor.* 12, 15 s.). Ita voluntati Patris oboediens cum Christo missionem Eius sub auctoritate hierarchica Ecclesiae continuabit, et mysterio salutis cooperabitur.

24. [*De formatione doctrinali*]. Qui vero vo-

Textus emendatus [40]

est, neglegant, renoventur spiritu mentis de die in diem (cf. *1 Tim.* 4, 14; *Eph.* 4, 23; *2 Cor.* 4, 16). Ordinarii vero et Superiores statutis temporibus missionarios coadunent, ut spe vocationis ( ) roborentur *et in ministerio apostolico innoventur.* (F)

25. [*De formatione spirituali et morali*]. Ad tam praeclarum opus futurus missionarius *speciali* (A) formatione spirituali et morali praeparandus est.[5] Debet enim esse promptus ad initia capienda, constans ad opera perficienda, perseverans in difficultatibus, patienti et laeto animo ferens solitudinem, defatigationem, infructuosum laborem. Mente aperta et corde dilatato hominibus occurret; officia *sibi commissa* libenter suscipiet; (B) alienis *etiam* populorum moribus et variantibus condicionibus sponte se aptabit, concordi animo et mutua caritate sociam operam dabit fratribus et omnibus qui [41] eidem operi sese dedicant.

Hae animi habitudines iam tempore formationis sedulo exerceantur, excolantur et vita spirituali eleventur et nutriantur. Fide viva *et spe indeficienti* (C) imbutus, missionarius sit vir orationis; ardeat spiritu virtutis et dilectionis et sobrietatis (cf. *2 Tim.* 1, 7); discat in quibus sit sufficiens esse (cf. *Phil.* 4, 11); spiritu sacrificii mortem Iesu in seipso circumferat, ut vita Iesu operetur in eis ad quos mittitur (cf. *2 Cor.* 4, 10 ss.); zelo animarum libenter omnia impendat et superimpendatur ipse pro animabus (cf. *2 Cor.* 12, 15 s.), *adeo ut « quotidiano officii sui exercitio in Dei proximique amore » crescat.*[6] (D) Ita voluntati Patris oboediens cum Christo, missionem Eius sub auctoritate hierarchica Ecclesiae continuabit, et mysterio salutis cooperabitur.

26. [De formatione doctrinali *et apostolica*].

[41]

Textus prior

cationi divinae oboedientes ad varias gentes mittentur, ut boni ministri Christi, enutriti sint « verbis fidei et bonae doctrinae » (*1 Tim.* 4, 6).

Quae omnes missionarii — sacerdotes, fratres, sorores, laici — pro sua quisque condicione praeparandi et efformandi sunt, ne exigentiis futuri operis impares inveniantur.[4] Ab ipsis iam initiis formatio doctrinalis eorum ita instituatur, ut et universalitatem Ecclesiae et diversitatem gentium comprehendat. Quod de omnibus disciplinis valet, per quas ad ministerium obeundum parentur, necnon de aliis scientiis, quibus utiliter edoceantur, ut communem habeant populorum, culturarum, religionum cognitionem, non tantum ad praeteritum, sed et ad praesens tempus spectantem. Quicumque nempe alium populum aditurus, magni aestimet eius patrimonium et linguas et
[42] mores. Futuro missionario necessarium est cognoscere doctrinam et normas Ecclesiae circa activitatem missionalem, scire quas vias nuntii Evangelici decursu saeculorum percurrerint, necnon praesentem missionum condicionem simul ac methodos, quae nunc temporis efficaciores recensentur.[5]

Fratres et sorores quamplurimi arte catechetica bene edoceantur et praeparentur, ut magis adhuc in apostolatu collaborare possint.

Textus emendatus

(A) Qui vero vocationi divinae oboedientes ad varias gentes mittentur, ut boni ministri Christi, enutriti sint « verbis fidei et bonae doctrinae » (*1 Tim.* 4, 6), *quas praeprimis ex Sacris Scripturis haurient, perscrutantes Mysterium Christi, cuius praecones et testes erunt.* (B)

Quare omnes missionarii — sacerdotes, fratres, sorores, laici — pro sua quisque condicione praeparandi et efformandi sunt, ne exigentiis futuri operis impares inveniantur.[7] Ab ipsis iam initiis formatio doctrinalis eorum ita instituatur, ut et universalitatem Ecclesiae et diversitatem gentium comprehendat. Quod de omnibus disciplinis valet, per quas ad ministerium obeundum parantur, necnon de aliis scientiis, quibus utiliter edocentur, ut communem habeant populorum, culturarum, religionum cognitionem, non tantum ad praeteritum, sed et ad praesens tempus spectantem. (C) Quicumque nempe alium populum aditurus *est,* magni aestimet eius patrimonium et linguas et mores. Futuro missionario *apprime* (D) necessarium est *studiis missiologicis incumbere, id est* cognoscere doctrinam et normas Ecclesiae circa activitatem missionalem, scire quas vias nuntii Evangelii decursu saeculorum percurrerint, necnon praesentem missionum condicionem simul ac methodos, quae nunc temporis efficaciores recensentur.[8] (E)

Etsi vero haec integra institutio pastorali sollicitudine imbuenda sit, peculiaris tamen et ordinata formatio apostolica praebeatur, tam doctrina quam practicis exercitationibus.[9] (F)

Fratres et sorores quamplurimi artem catecheticam bene edoceantur et praeparentur, ut magis adhuc in apostolatu collaborare possint.

Etiam qui ad tempus in activitate missionali partes assumunt, formationem conditioni suae adaequatam acquirant necesse est. (G)

Textus prior

Haec vero formatio in terris, ad quas mittentur, ita compleatur, ut missionarii fusius cognoscant historiam, structuras et consuetudines populorum, perspiciant ordinem moralem et praecepta religiosa necnon ideas intimas, quas secundum sacras suas traditiones de Deo, de mundo et de homine efformaverint. Linguas vero ediscant tali gradu, ut illis expedite et polite uti queant, et ita faciliorem ad hominum mentes et corda aditum inveniant.

Aliqui vero profundiore ratione praeparentur apud Instituta Missiologica vel alias Facultates aut Universitates, ut efficacius specialibus muneribus fungi et ceteris missionariis eruditione sua adiutorio esse possint in exercendo opere missionario quod nostris praesertim temporibus tot difficultates et opportunitates praebet. Valde insuper optandum, ut Conferentiae Episcoporum Regionales talium peritorum copiam praesto habeant, eorumque scientia et experientia fructuose utantur in sui muneris necessitatibus. Nec desint qui sciant quam perfectissime uti instrumentis technicis et communicationis socialis, quorum momentum omnes magni faciant.

25 [*De Institutis in Missionibus laborantibus*]. Quae omnia, quamvis unicuique ad gentes misso omnino necessaria sint, a singulis vix reapse attingi possunt. Cum autem ipsum opus missionale a singulis impleri nequeat, communis vocatio singulos ad Instituta congregavit, in quibus, collatis viribus, apte formarentur et illud opus nomine Ecclesiae et ad nutum hierarchicae auctoritatis exsequerentur. Quae Instituta multis abhinc saeculis pondus diei et aestus portaverunt, sive inte-

Textus emendatus [42]

Haec vero formatio*nis genera* in terris, ad quas mittentur, ita complea*n*tur, ut missionarii fusius cognoscant historiam, structuras *sociales* et consuetudines populorum, perspiciant ordinem moralem et praecepta religiosa necnon ideas intimas, quas *ii* secundum sacras *sibi* traditiones de Deo, de mundo et de homine efformaverint.[10] (H) Linguas vero ediscant tali gradu, ut illis expedite et polite uti queant, et ita faciliorem ad hominum mentes et corda aditum inveniant.[11] *Praeterea in peculiares necessitates pastorales rite introducantur.* (I)

Aliqui vero profundiore ratione praeparentur apud Instituta Missiologica vel alias Facultates aut Universitates, ut efficacius specialibus muneribus fungi [12] et ceteris missionariis eruditione sua adiutorio esse possint in exercendo opere missionario quod nostris praesertim temporibus tot difficultates et opportunitates praebet. Valde insuper optandum, ut Conferentiae *Regionales Episcoporum* talium peritorum copiam praesto habeant, eorumque scientia et experientia fructuose utantur in sui muneris necessitatibus. Nec desint qui sciant quam perfectissime uti instrumentis technicis et com- [43] municationis socialis, quorum momentum omnes magni faciant.

27. [*De Institutis in Missionibus laborantibus*]. Quae omnia, quamvis unicuique ad gentes misso omnino necessaria sint, *ab individuis* vix reapse attingi possunt. Cum etiam ipsum opus missionale *experientia teste* (A) a singulis impleri nequeat, communis vocatio singulos ad Instituta congregavit, in quibus, collatis viribus, apte formentur et illud opus nomine Ecclesiae et ad nutum hierarchicae auctoritatis exsequerentur. Quae Instituta multis abhinc saeculis pondus diei et aestus portave-

[43]

Textus prior

gre labori missionali sese devoverunt sive ex parte. Saepe vasta territoria illis evangelizanda a Sancta Sede commissa sunt, in quibus Deo novum populum coadunaverunt, Ecclesiam localem propriis pastoribus adhaerentem. Ecclesiis suo sudore, immo et sanguine suo, fundatis, zelo atque experientia in servitium erunt fraterna cooperatione vel curam animarum gerendo vel munera specialia ad bonum commune persolvendo.

Aliquando pro toto alicuius regionis ambitu urgentiores quosdam labores in se sument, ex. gr. evangelizationem coetuum vel populorum qui forsan nuntium evangelicum ob peculiares rationes nondum acceperunt vel ei hucusque restiterunt.[10]

His de causis, et cum multae adhuc exstent gentes ad Christum adducendae, Instituta apprime necessaria manent.

Textus emendatus

runt, sive integre labori missionali sese devoverunt sive ex parte. Saepe vasta territoria illis evangelizanda a Sancta Sede commissa sunt, in quibus Deo novum populum coadunaverunt, Ecclesiam localem propriis pastoribus adhaerentem. Ecclesiis suo sudore, immo et sanguine suo fundatis, zelo atque experientia in servitium erunt fraterna cooperatione vel curam animarum gerendo vel munera specialia ad bonum commune persolvendo.

Aliquando pro toto alicuius regionis ambitu urgentiores quosdam labores in se sument, ex. gr. evangelizationem coetuum vel populorum qui forsan nuntium evangelicum ob peculiares rationes nondum acceperunt vel ei hucusque restiterunt.[13]

Si opus est, illos qui activitati missionali ad tempus se devovent, experientia sua efformare et adiuvare praesto sint. (B)

His de causis, et cum multae adhuc exstent gentes ad Christum adducendae, Instituta apprime necessaria manent.

[44]

NOTAE

[1] Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 17.

[2] « Institutorum » nomine veniunt Ordines, Congregationes, Instituta et Asso ciationes quae in Missionibus laborant.

[3] Cf. Pius XI, *Rerum Ecclesiae* (*A.A.S.,* 1926, 69-71); Pius XII, *Saeculo exeunte* (*A.A.S.,* 1940, 256); *Evangelii Praecones* (*A.A.S.,* 1951, 506).

[4] Cf. Benedictus XV, *Maximum illud* (*A.A.S.,* 1919, 449-450).

[5] Cf. Benedictus XV, *Maximum illud* (*A.A.S.,* 1919, 448-449); Pius XII *Evangelii Praecones* (*A.A.S.,* 1951, 507).

[6] Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 41.

[7] Cf. Benedictus XV, *Maximum illud* (*A.A.S.,* 1919, 440); Pius XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.,* 1951, 507).

[8] Benedictus XV, *Maximum illud* (*A.A.S.,* 1919, 448); Decr. S.C.P.F., 20 maii 1923 (*A.A.S.,* 1923, 369-370); Pius XII, *Saeculo exeunte* (*A.A.S.,* 1940, 256); *Evangelii Praecones* (*A.A.S.,* 1951, 507); Ioannes XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.,* 1959, 843-844).

[9] Decr. *de Institutione Sacerdotali,* 19-21; Const. Apost. *Sedes Sapientiae* cum Statutis generalibus. [44]

[10] Pius XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.,* 1951, 523-524).

[11] Benedictus XV, *Maximum illud* (*A.A.S.,* 1919, 448); Pius XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.,* 1951, 507).

[12] Cf. Pius XII, *Fidei donum* (*A.A.S.,* 1957, 234).

[13] Cf. *De vita et ministerio presbyterorum,* 9, ubi de Dioecesibus et Praelaturis personalibus et aliis huiusmodi sermo fit.

Textus prior [45]

Caput IV

DE ORDINATIONE ACTIVITATIS MISSIONALIS

26. [*Introductio*]. Christifideles, etsi donationes habeant differentes (cf. *Rom.* 12, 6), pro sua quisque opportunitate, facultate, charismate ac ministerio (cf. *1 Cor.* 3, 10), in Evangelio collaborare debent; omnes proinde, qui seminant et qui metunt (cf. *Io.* 4, 37), qui plantant et qui rigant, unum sint oportet (cf. *1 Cor.* 3, 8), ut « ad eundem finem libere et ordinatim conspirantes »,[1] unanimiter ad aedificationem Ecclesiae cooperentur.

Quamobrem Evangelii Praeconum labores et auxilia christifidelium ita dirigenda et colliganda sunt, ut « omnia secundum ordinem fiant » (*1 Cor.* 14, 40) in cunctis activitatis et cooperationis missionalis campis.

27. [*Ordinatio generalis*]. Cum enim cura Evangelium ubique terrarum annuntiandi ad corpus Episcoporum pertineat,[2] coetus seu Consilium Centrale Summi Pontificis[3] inter generalis momenti negotia,[4] activitatis missionalis, maximi sanctissimique Ecclesiae muneris, specialem habeat rationem.

Pro omnibus Missionibus et pro tota activi-

Textus emendatus

Caput V

DE ORDINATIONE ACTIVITATIS MISSIONALIS

28. [*Introductio*]. Christifideles, *cum* donationes habeant differentes (cf. *Rom.* 12, 6), pro sua quisque opportunitate, facultate, charismate ac ministerio (cf. *1 Cor.* 3, 10), in Evangelio collaborare debent; omnes proinde, qui seminant et qui metunt (cf. *Io.* 4, 37), qui plantant et qui rigant, unum sint oportet (cf. *1 Cor.* 3, 8), ut « ad eundum finem libere et ordinatim conspirantes »,[1] unanimiter ad aedificationem Ecclesiae *vires impendant.*

Quamobrem Evangelii Praeconum labores et auxilia *ceterorum* Christifidelium ita dirigenda et colliganda sunt, ut « omnia secundum ordinem fiant » (*1 Cor.* 14, 40) in cunctis activitatis et cooperationis missionalis campis.

29. [*Ordinatio generalis*]. Cum enim cura Evangelium ubique terrarum annuntiandi *imprimis* (A) ad Corpus Episcoporum pertineat,[2] *Synodus Episcoporum seu « stabile Episcoporum Consilium pro Ecclesia universa »,*[3] inter generalis momenti negotia,[4] activitatis missionalis, maximi sanctissimique Ecclesiae muneris,[5] specialem habeat rationem.

Pro omnibus Missionibus et pro tota activi-

[45] *Textus prior*

tate missionali unum tantum sit oportet Dicasterium competens, nempe « De Propaganda Fide », a quo dirigantur necnon coordinentur ubique terrarum et ipsum opus missionale et cooperatio missionaria. Ab eo promoveantur vocatio et spiritualitas missionaria, zelus et oratio pro missionibus, necnon nuntia de missionibus; suscitentur et secundum urgentiores necessitates regionum distribuantur missionarii.
[46] Ab eo disponatur ordinata operandi ratio, profluant normae directivae et principia pro Evangelizatione adaptata, dentur impulsus. Ab eo incitetur et coordinetur efficax collectio subsidiorum, quae distribuantur secundum rationes necessitatis vel utilitatis necnon extensionis dicionis, numeri fidelium et infidelium, operum et Institutorum, ministrorum et missionariorum.

Itaque necesse est ut hoc Dicasterium sit tam instrumentum administrationis quam organum directionis dynamicae, quod utatur methodis scientificis et instrumentis huius temporis condicionibus adaptatis, ratione nempe habita hodiernae investigationis theologicae, methodologicae et pastoralis missionariae.

Hoc Dicasterium constituatur membris selectis ex omnibus illis qui in opere missionali collaborant: Cardinales nempe, Patriarchae et Episcopi ex toto orbe, quicumque est eorum ritus, necnon Moderatores Institutorum et Operum Pontificalium. Hi omnes, statutis temporibus convocandi, collegialiter sub auctoritate

Textus emendatus

tate missionali unum tantum sit oportet Dicasterium competens, nempe « De Propaganda Fide », a quo dirigantur necnon coordinentur ubique terrarum et ipsum opus missionale et cooperatio missionaria, *salvo tamen iure Ecclesiarum Orientalium.* (B) Ab eo promoveantur vocatio et spiritualitas missionaria, zelus et oratio pro missionibus, necnon nuntia *genuina et adaequata* (C) de missionibus; suscitentur et secundum urgentiores necessitates regionum distribuantur missionarii. Ab eo disponatur ordinata operandi ratio, profluant normae directivae et principia pro Evangelizatione adaptata, dentur impulsus. Ab eo incitetur et coordinetur efficax collectio subsidiorum, quae distribuantur secundum rationes necessitatis vel utilitatis necnon extensionis dicionis, numeri fidelium et infidelium, operum et Institutorum, ministrorum et missionariorum.

Una cum Secretariatu ad unitatem Christianorum fovendam quaerat vias et media ad procurandam fraternam collaborationem et ordinatam conviventiam cum incoeptis missionalibus aliarum communitatum christianarum, ut scandalum divisionis tollatur. (D)

Itaque necesse est ut hoc Dicasterium sit tam instrumentum administrationis quam organum directionis dynamicae, quod utatur methodis scientificis et instrumentis huius temporis condicionibus adaptatis, ratione nempe habita hodiernae investigationis theologicae, methodologicae et pastoralis missionariae.

In directione huius Dicasterii (E) *partem actuosam et decisivam habeant repraesentantes selecti omnium illorum qui in opere missionali collaborant: Episcopi ex toto orbe necnon moderatores Institutorum et Operum Pontificalium, modis et rationibus a Romano Pontifice statuendis. Hi omnes, statutis temporibus con-*

Textus prior	*Textus emendatus* [46]
Summi Pontificis, supremam gubernationem totius operis missionalis exerceant.	*vocandi, sub auctoritate Summi Pontificis supremam ordinationem totius operis missionalis exerceant.*
Huic Dicasterio praesto sit Secretariatus Consultorum peritorum permanens, cuius inter alia erit cum de condicione variarum regionum locali et de modo cogitandi diversorum coetuum hominum, tum de methodis evangelizationis adhibendis opportunas notiones colligere et conclusiones scientifice fundatas pro opere et cooperatione missionali proponere.	Huic Dicasterio praesto sit permanens *Coetus* Consultorum peritorum, *scientiae aut experientiae probatae, quorum* inter alia erit cum de condicione variarum regionum locali et de modo cogitandi diversorum coetuum hominum, tum de methodis evangelizationis adhibendis opportunas *notitias* colligere et conclusiones scientifice fundatas pro opere et cooperatione missionali proponere.
Opera regionalia pro Missionibus necnon organizationes etiam laicorum internationales modo congruo repraesententur.	[47] *Instituta religiosarum,* opera regionalia pro Missionibus necnon organizationes *laicorum, praesertim* internationales, modo congruo repraesententur. (F)
28. [*De ordinatione locali in Missionibus*]. Ut in ipso opere missionali exercendo fines et effectus attingantur, omnibus operariis missionalibus sit « cor unum et anima una » (*Act.* 4, 32).	30. [*De ordinatione locali in Missionibus*]. Ut in ipso opere missionali exercendo fines et effectus attingantur, omnibus operariis missionalibus sit « cor unum et anima una » (*Act.* 4, 32).
Episcopi est, uti rectoris et centri unitatis in apostolatu dioecesano, activitatem missionalem promovere, moderari et coordinare, ita tamen, ut spontanea navitas eorum qui in opere partem habent, servetur et foveatur. Ad hoc constituat in quantum fieri potest Consilium Pastorale, in quo clerici, religiosi et laici per delegatos selectos partem habeant. Curet insuper ne activitas apostolica ad solos iam conversos limitetur, sed aequa pars et operariorum et subsidiorum evangelizationi non-christianorum destinetur.	Episcopi est, (A) uti rectoris et centri unitatis in apostolatu dioecesano, activitatem missionalem promovere, moderari et coordinare, ita tamen ut spontanea navitas eorum qui in opere partem habent, servetur et foveatur. *Omnes missionarii, etiam religiosi exempti, eiusdem potestati subsunt in variis operibus, quae sacri apostolatus exercitium respiciunt.*[6] Ad hoc constituat in quantum fieri potest Consilium pastorale, in quo clerici, religiosi et laici per delegatos selectos partem habeant. Curet insuper ne activitas apostolica ad solos iam conversos limitetur, sed aequa pars et operariorum et subsidiorum evangelizationi non-christianorum destinetur.
29. [*De coordinatione regionali*]. Conferentiae Episcopales communi consilio graviores	31. [*De coordinatione regionali*]. Conferentiae Episcopales communi consilio graviores

[47]

Textus prior

quaestiones et problemata urgentia tractent, quin tamen differentias locales negligant. Ne insufficiens personarum et subsidiorum copia dissipetur, neve incepta sine necessitate multiplicentur, commendatur ut opera bono omnium inservientia collatis viribus condant, uti e. g. seminaria, centra pastoralia, catechetica, liturgica necnon instrumentorum communicationis socialis.

Eiusmodi cooperatio pro opportunitate etiam inter diversas conferentias episcopales instituatur.

30. [*De coordinatione activitatis Institutorum*]. Expedit quoque coordinare activitates
[48] quae ab Institutis vel Associationibus Ecclesiasticis exercentur. Quae omnia, cuiusvis sint generis, in universis quae ipsam activitatem missionalem spectant, obsecundent Ordinario loci. Quare multum proderit particulares inire conventiones, quibus relationes inter Ordinarium loci et Moderatorem Instituti regantur.

Quando Instituto cuidam commissum fuit territorium, Superiori Ecclesiastico et Instituto cordi erit omnia ad hunc finem dirigere ut nova communitas christiana in Ecclesiam localem crescat, quae opportuno tempore a proprio Pastore cum suo clero regatur.

Cessante territorii commissione nova oritur condicio. Quamquam Instituta parata erunt continuare opus inceptum, collaborando in ministerio ordinario curae animarum, tamen crescente clero locali, providendum erit ut Instituta, in quantum eorum fini congruit, in ipsa Dioecesi radices figant et opera specialia vel aliquam regionem sibi assumant.

Conferentiae vero Episcoporum et Instituta, communi consilio, novas proponant normas, a

Textus emendatus

quaestiones et problemata urgentia tractent, quin tamen differentias locales negligant.[7] (A) Ne insufficiens personarum et subsidiorum copia dissipetur, neve incepta sine necessitate multiplicentur, commendatur ut opera bono omnium inservientia collatis viribus condant, uti e. g. seminaria, centra pastoralia, catechetica, liturgica necnon instrumentorum communicationis socialis.

Eiusmodi cooperatio pro opportunitate etiam inter diversas conferentias episcopales instituatur.

32. [*De ordinatione activitatis Institutorum*]. (A) Expedit quoque coordinare activitates quae ab Institutis vel Associationibus Ecclesiasticis exercentur. Quae omnia, cuiusvis sint generis, in universis quae ipsam activitatem missionalem spectant, obsecundent Ordinario loci. Quare multum proderit particulares inire conventiones, quibus relationes inter Ordinarium loci et Moderatorem Instituti regantur.

Quando Instituto cuidam commissum fuit territorium, Superiori Ecclesiastico et Instituto cordi erit omnia ad hunc finem dirigere ut nova communitas christiana in Ecclesiam localem crescat, quae opportuno tempore a proprio Pastore cum suo clero regatur.

Cessante territorii commissione nova oritur condicio. Quamquam Instituta parata erunt continuare opus inceptum, collaborando in ministerio ordinario curae animarum, tamen crescente clero locali, providendum erit ut Instituta, in quantum eorum fini congruit, in ipsa Dioecesi radices figant et opera specialia vel aliquam regionem sibi assumant.

Conferentiae vero Episcoporum et Instituta, communi consilio *statuant* normas, ( ) quae re-

Textus prior

Sancta Sede approbandas, quae statuant relationes inter Ordinarium loci et Instituta.

31. [*De coordinatione inter Instituta*]. Instituta vero, quae in eodem territorio activitati missionali incumbunt, vias et modos inveniant oportet, quibus opera coordinentur. Quare summae utilitatis sunt Conferentiae Religiosorum et Uniones Religiosarum, in quibus omnia eiusdem nationis vel regionis Instituta partes habeant. Hae Conferentiae inquirant, quaenam communi conatu peragi possint, et arcta relatione cum Conferentiis Episcopalibus connectantur.

Quae omnia pari ratione ad collaborationem Institutorum missionalium in terris patriis extendi possunt et debent, ita ut quaestiones et incepta communia facilius et minoribus cum expensis solvi queant, ut puta formatio doctrinalis futurorum missionariorum, necnon cursus pro missionariis, relationes ad publicas auctoritates vel ad organa internationalia et supra nationalia.

32. [*De coordinatione inter Instituta scientifica*]. Cum rectum et ordinatum exercitium actuositatis missionariae requirat ut operarii evangelici ad munera sua, praesertim ad dialogum cum religionibus et culturis non-christianis, scientifice praeparentur, desideratur ut in favorem missionum inter se fraterne et generose collaborent quaelibet Instituta scientifica quae colunt missiologiam aliasque disciplinas vel artes missionibus utiles, uti ethnologiam, historiam et scientiam religionum, sociologiam, artes pastorales et similia.

Textus emendatus [48]

lationes inter Ordinarios *locorum* et Instituta *moderentur.*[8] (B)

33. [*De coordinatione inter Instituta*]. Instituta vero, quae in eodem territorio activitati missionali incumbunt, vias et modos inveniant oportet, quibus opera coordinentur. Quare summae utilitatis sunt Conferentiae Religiosorum et Uniones Religiosarum, in quibus omnia eiusdem nationis vel regionis Instituta partes habeant. Hae Conferentiae inquirant, quaenam communi conatu peragi possint, et arcta relatione cum Conferentiis Episcopalibus connectantur.

Quae omnia pari ratione ad collaborationem Institutorum missionalium in terris patriis *extendere convenit,* ita ut quaestiones et incepta communia facilius et minoribus cum expensis solvi queant, ut puta formatio doctrinalis futurorum missionariorum, necnon cursus pro [49] missionariis, relationes ad publicas auctoritates vel ad organa internationalia et supra nationalia.

34. [*De coordinatione inter Instituta scientifica*]. Cum rectum et ordinatum exercitium actuositatis missionariae requirat ut operarii evangelici ad munera sua, praesertim ad dialogum cum religionibus et culturis non-christianis, scientifice praeparentur, (A) *et in ipsa executione efficaciter adiuventur,* desideratur ut in favorem missionum inter se fraterne et generose collaborent quaelibet Instituta scientifica quae colunt missiologiam aliasque disciplinas vel artes missionibus utiles, uti ethnologiam *et linguisticam,* (B) historiam et scientiam religionum, sociologiam, artes pastorales et similia.

[49] NOTAE

[1] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 18.
[2] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 23.
[3] Cf. Motu proprio *Apostolica Sollicitudo,* 15 sept. 1965.
[4] Cf. PAULUS VI, Alloc. die 21 nov. 1964 in Concilio habita (*A.A.S.,* 1964).
[5] Cf. Ep. Ap. BENEDICTI XV *Maximum illud* (*A.A.S.,* XI, 1919, 39-40).
[6] Cf. Decr. *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia,* 35, 4.
[7] Cf. Decr. *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia,* 36-38.
[8] Cf. Decr. *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia,* 35, 5-6.

[50] *Textus prior*

CAPUT V

DE COOPERATIONE

33. [*Introductio*]. Cum tota Ecclesia missionaria sit, et opus evangelizationis officium Populi Dei fundamentale, Sacra Synodus omnes ad profundam renovationem interiorem invitat, ut vivam conscientiam propriae responsabilitatis in Evangelii diffusione habentes, partes suas assumant in opere missionali apud Gentes.

34. [*Missionale officium totius Populi Dei*]. Ut membra viventis Christi, Ipsi per Baptismum necnon per Confirmationem et Eucharistiam incorporati et configurati, omnes fideles officio tenentur ad Eius Corporis expansionem et dilatationem cooperandi, ut quamprimum Illud ad plenitudinem adducant.

Quare omnes Ecclesiae filii vivam suae erga mundum responsabilitatis conscientiam habeant, spiritum vere catholicum in seipsis foveant, suasque vires in opus evangelizationis impendant. Attamen, sciant omnes, primum ac potissimum suum debitum pro fidei diffusione esse, vitam christianam profunde vivere. Eorum enim fervor in Dei servitio et erga alios caritas

Textus emendatus

CAPUT VI

DE COOPERATIONE

35. [*Introductio*]. Cum tota Ecclesia missionaria sit, (A) et opus evangelizationis officium Populi Dei fundamentale, Sacra Syodus omnes ad profundam renovationem interiorem invitat, ut vivam conscientiam propriae responsabilitatis in Evangelii diffusione habentes, partes suas assumant in opere missionali apud Gentes.

36. [*Missionale officium totius Populi Dei*]. Ut membra viventis Christi, Ipsi per Baptismum necnon per Confirmationem et Eucharistiam incorporati et configurati, omnes fideles officio tenentur ad Eius Corporis expansionem et dilatationem cooperandi, ut quamprimum Illud ad plenitudinem adducant (*Eph.* 4, 13).

Quare omnes Ecclesiae filii vivam suae erga mundum responsabilitatis conscientiam habeant, spiritum vere catholicum in seipsis foveant, suasque vires in opus evangelizationis impendant. Attamen, sciant omnes, primum ac potissimum suum debitum pro fidei diffusione esse, vitam christianam profunde vivere. Eorum enim fervor in Dei servitio et erga alios caritas

Textus prior

novum spiritualem afflatum toti Ecclesiae afferent, quae apparebit ut signum levatum in nationes (cf. *Is.* 11, 12), «lux mundi» (*Mt.* 5, 14) et «sal terrae» (*Mt.* 5, 13).

Ex hoc renovato spiritu preces et paenitentiae opera Deo sponte offerentur ut opus missionariorum sua foecundet gratia, vocationes missionariae ortum habebunt, opes quibus missiones indigent promanabunt.

Ut autem omnes et singuli christifideles praesentem Ecclesiae in mundo condicionem plane noverint, et vocem audiant multitudinum clamantium: « Adiuva nos » (cf. *Act.* 16, 9), notitiae missionales, modernis etiam instrumentis communicationis socialis adhibitis, tales praebeantur, ut activitatem missionalem suam sentientes, ad tam immensas et profundas hominum necessitates cor aperiant eisque subvenire valeant.

Necessaria quoque est coordinatio notitiarum et cooperatio cum organis nationalibus et internationalibus.

35. [*Missionale Officium Communitatum Christianarum*]. Cum autem Populus Dei in communitatibus, praesertim dioecesanis et paroecialibus vivat, et in ipsis quodammodo visibilis appareat, ad istas etiam pertinet Christum coram Gentibus testificari.

Gratia renovationis in communitatibus crescere nequit nisi unaquaeque spatia caritatis ad terminos terrae dilatet, similemque curam habeat de iis qui longe ac de illis qui propria membra sunt.

Textus emendatus [50]

novum spiritualem afflatum toti Ecclesiae afferent, quae apparebit ut signum levatum in nationes (cf. *Is.* 11, 12), «lux mundi» (*Mt.* 5, 15) et «sal terrae» (*Mt.* 5, 13). *Hoc testimonium vitae facilius effectum suum obtinebit si una cum aliis coetibus christianis praestabitur. Commune enim testimonium monstrabit amorem Christi omnes differentias et divisiones inter homines superare.*[1]

Ex hoc renovato spiritu preces et paenitentiae opera Deo sponte offerentur ut opus missionariorum sua foecundet gratia, vocationes missionariae ortum habebunt, opes quibus missiones indigent promanabunt. [51]

Ut autem omnes et singuli christifideles praesentem Ecclesiae in mundo condicionem plane noverint, et vocem audiant multitudinum clamantium: « Adiuva nos » (cf. *Act.* 16, 9), notitiae missionales, modernis etiam instrumentis communicationis socialis adhibitis, tales praebeantur, ut activitatem missionalem suam sentientes, ad tam immensas et profundas hominum necessitates cor aperiant eisque subvenire valeant.

Necessaria quoque est coordinatio notitiarum et cooperatio cum organis nationalibus et internationalibus.

37. [*Missionale Officium Communitatum Christianarum*]. Cum autem Populus Dei in communitatibus, praesertim dioecesanis et paroecialibus vivat, et in ipsis quodammodo visibilis appareat, ad istas etiam pertinet Christum coram Gentibus testificari.

Gratia renovationis in communitatibus crescere nequit nisi unaquaeque spatia caritatis ad terminos terrae dilatet, similemque curam habeat de iis qui longe ac de illis qui propria membra sunt.

[51] *Textus prior*

Sic tota communitas precatur, cooperatur et activitatem inter gentes exercet per filios suos quos Deus ad hoc praestantissimum munus eligit.

Perutile erit, dummodo ne negligatur opus missionale universale, specialem servare coniunctionem cum missionariis ex ipsa communitate oriundis, vel cum paroecia aut dioecesi aliqua missionum, ut communio inter communitates ad manifestum effectum deducatur, et in mutuam cedat aedificationem.

36. [*Missionale Officium Episcoporum*]. Episcopi omnes, sive singuli sive ut membra corporis Episcoporum Collegio Apostolorum
[52] succedentis, non solum pro aliqua dioecesi, sed pro totius mundi salute consecrati sunt. Mandatum Christi praedicandi Evangelium omni creaturae (*Mc.* 16, 15) eos, cum Petro et sub Petro, primo et immediate afficit. Inde oritur illa communio et cooperatio Ecclesiarum quae hodie tam necessaria est ad opus evangelizationis prosequendum. Vi istius communionis singulae Ecclesiae sollicitudinem omnium aliarum ferunt, proprias necessitates sibi invicem aperiunt, res suas mutuo communicant, ita ut dilatatio Corporis Christi opus totius Collegii Episcoporum sit.

In tota sua dioecesi Episcopus opus missionale suscitans, promovens, dirigens, spiritum et ardorem missionalem Populi Dei praesentem et quasi visibilem reddit.

Episcopi erit in suo populo, praesertim inter infirmos et pauperes, animas suscitare quae orationes et paenitentiae opera Deo corde aperto pro mundi evangelizatione offerant; vocationes iuvenum et clericorum ad Instituta missionalia libenter fovere, grato animo ferens, si

Textus emendatus

Sic tota communitas precatur, cooperatur et activitatem inter gentes exercet per filios suos quos Deus ad hoc praestantissimum munus eligit.

Perutile erit, dummodo ne negligatur opus Missionale universale, ( ) *coniunctionem servare* cum missionariis ex ipsa communitate ortis, vel cum paroecia aut dioecesi aliqua missionum, ut communio inter communitates *visibilis fiat,* et in mutuam cedat aedificationem.

38. [*Missionale Officium Episcoporum*]. Episcopi omnes, ( ) ut membra corporis Episcoporum Collegio Apostolorum succedentis, non solum pro aliqua dioecesi, sed pro totius mundi salute consecrati sunt. Mandatum Christi praedicandi Evangelium omni creaturae (*Mc.* 16, 15) eos, cum Petro et sub Petro, primo et immediate afficit. Inde oritur illa communio et cooperatio Ecclesiarum quae hodie tam necessaria est ad opus evangelizationis prosequendum. Vi istius communionis singulae Ecclesiae sollicitudinem omnium aliarum ferunt, proprias necessitates sibi invicem aperiunt, res suas mutuo communicant, ita ut dilatatio Corporis Christi *munus* totius Collegii Episcoporum sit.[2]

In ( ) sua dioecesi, *cum qua unum constituit,* Episcopus opus missionale suscitans, promovens, dirigens, spiritum et ardorem missionalem Populi Dei praesentem et quasi visibilem reddit, *ita ut tota dioecesis missionaria evadat.*

Episcopi erit in suo populo, praesertim inter infirmos et *aerumnis oppressos,* animas suscitare quae orationes et paenitentiae opera Deo corde aperto pro mundi evangelizatione offerant; vocationes iuvenum et clericorum ad Instituta missionalia libenter fovere, grato animo ferens, si

Textus prior

Deus quosdam eligat qui actuositati Ecclesiae missionali inserantur; Congregationes dioecesanas hortari et assistere ut propriam partem in missionibus assumant; opera Institutorum missionalium, et praesertim Opera Pontificalia Missionalia, quibus iure primus locus concedi debet quaeque media sunt ad catholicos inde ab infantia sensu vere universali et missionario imbuendos, apud suos fideles promovere.

Cum vero in dies crescat necessitas operariorum in vinea Domini, et sacerdotes dioecesani desiderent et ipsi partes semper maiores in mundi evangelizatione habere, Sancta Synodus exoptat ut Episcopi, gravissimam considerantes penuriam sacerdotum qua evangelizatio multarum regionum impeditur, aliquos e melioribus suis sacerdotibus, debita praeparatione peracta, ad dioeceses clero carentes, generatim ad tempus, mittant, qui in terris missionum spiritu servitii laborent.

Ut autem Episcoporum activitas missionalis efficacius exerceri possit, expedit eam per Conferentias episcopales in bonum totius Ecclesiae ordinari.

Conferentiarum episcopalium est negotia moderari quae ad ordinatam cooperationem regionis spectant; numerum indicare sacerdotum quos singulae dioeceses ad missiones destinare deberent; stipem statuere quam eaedem propriis redditibus proportionatam pro opere missionum quotannis dare tenentur; varia media missionibus directe subveniendi dirigere ac ordinare; Instituta Missionalia et seminaria cleri dioecesani pro missionibus adiuvare, et si opus est

Textus emendatus [52]

Deus quosdam eligat qui actuositati Ecclesiae missionali inserantur; Congregationes dioecesanas hortari et assistere ut propriam partem in missionibus assumant; *opera Institutorum missionalium apud suos fideles promovere, sed praesertim Opera Pontificalia Missionalia. Istis enim Operibus iure primus locus tribui debet quippe quae media sunt tum ad catholicos inde ab infantia sensu vere universali et missionario imbuendos, tum ad excitandam efficacem collectionem subsidiorum in bonum omnium Missionum pro cuiuscumque necessitate.*[3]

Cum vero in dies crescat necessitas operariorum in vinea Domini, et sacerdotes dioecesani desiderent et ipsi partes semper maiores in mundi evangelizatione habere, Sancta Synodus exoptat ut Episcopi, gravissimam considerantes penuriam sacerdotum qua evangelizatio multarum regionum impeditur, aliquos e melioribus [53] suis sacerdotibus, *qui se ad opus missionale offerant,* debita praeparatione peracta, ad dioeceses clero carentes *mittant, ubi saltem ad tempus ministerium missionale in spiritu servitii exerceant.*[4]

Ut autem Episcoporum activitas missionalis efficacius exerceri possit, expedit eam per Conferentias episcopales in bonum totius Ecclesiae ordinari.

Conferentiarum episcopalium est negotia moderari quae ad ordinatam cooperationem regionis spectant; numerum indicare sacerdotum quos singulae dioeceses ad missiones destinare deberent; stipem statuere quam eaedem propriis redditibus proportionatam pro opere missionum quotannis dare tenentur; varia media missionibus directe subveniendi dirigere ac ordinare; Instituta Missionalia et seminaria cleri dioecessani pro missionibus adiuvare, et si opus est

[53] *Textus prior* | *Textus emendatus*

Textus prior:

fundare; opera instituere ac promovere quibus illi qui studii vel laboris causa ex terris missionum immigrant fraterne excipiantur et congruenti cura pastorali adiuventur.

Textus emendatus:

fundare, *arctioremque nexum inter illa et dioeceses fovere.*

Ad Conferentias episcopales pariter pertinet opera instituere et promovere quibus illi qui laboris et studii causa ex terris missionum immigrant fraterne excipiantur et congruenti pastorali cura adiuventur. *Per eos enim populi longinqui vicini quodammodo fiunt et communitatibus antiquitus christianis optima occasio offertur cum nationibus quae Evangelium nondum audierunt colloquendi et eis in proprio servitio amoris et assistentiae genuinum Christi vultum ostendere.*[5]

Textus prior:

37. [*Missionale Officium Sacerdotum*]. Presbyteri personam Christi gerunt et cooperatores sunt ordinis episcopalis in sacerdotio et in missione. Penitus ergo intellegant totam suam vitam in servitium Missionis Ecclesiae consecratam esse. Cum autem per proprium suum ministerium — quod praecipue in Eucharistia, quae Ecclesiam perficit, consistit — cum Chri-
[54] sto Capite communicent et alios ad hanc communionem adducant, non possunt non sentire quantum adhuc Ipsi ad plenitudinem Corporis desit, et quantum proinde praestandum sit ut in dies crescat. Curam ergo pastoralem ita ordinabunt, ut dilatationi Evangelii apud non-christianos prosit.

Presbyteri in cura pastorali zelum pro mundi evangelizatione inter fideles excitabunt et conservabunt, per catechesim et praedicationem eos instruendo de munere Ecclesiae Christum Gentibus annuntiandi; familias christianas edocendo de necessitate et honore vocationes missionales inter proprios filios et filias colendi; in iuvenibus scholarum et catholicarum associationum fervorem missionalem fovendo ita

Textus emendatus:

39. [*Missionale officium Sacerdotum*]. Presbyteri personam Christi gerunt et cooperatores sunt ordinis episcopalis, *in triplici sacro munere quod natura sua ad missionem Ecclesiae spectat.*[6] Penitus ergo intelligant ( ) suam vitam in servitium Missionum consecratam esse. Cum autem per proprium suum ministerium — quod praecipue in Eucharistia, quae Ecclesiam perficit, consistit — cum Christo Capite communicent et alios ad hanc communionem adducant, non possunt non sentire quantum adhuc Ipsi ad plenitudinem Corporis desit, et quantum proinde praestandum sit ut in dies crescat. Curam ergo pastoralem ita ordinabunt, ut dilatationi Evangelii apud non-christianos prosit.

Presbyteri in cura pastorali zelum pro mundi evangelizatione inter fideles excitabunt et conservabunt, per catechesim et praedicationem eos instruendo de munere Ecclesiae Christum Gentibus annuntiandi; familias christianas edocendo de necessitate et honore vocationes missionales inter proprios filios et filias colendi; in iuvenibus scholarum et catholicarum associationum fervorem missionalem fovendo

Textus prior

ut ex illis futuri Evangelii Praecones oriantur. Fideles doceant pro missionibus orare et ab eisdem eleemosynas quaerere ne erubescant, quasi mendici pro Christo animarumque salute facti.

Professores Seminariorum et Universitatum iuvenes veram condicionem mundi et Ecclesiae docebunt, ut necessitas impensioris evangelizationis non-christianorum eis appareat et eorum zelum nutriat. In tradendis vero disciplinis dogmaticis, biblicis, moralibus et historicis rationes missionales in illis contentas in lucem ponant, ut hoc modo conscientia missionaria in futuris sacerdotibus formetur.

38. [*Missionale Officium Institutorum Perfectionis*]. Instituta religiosa, vitae contemplativae et activae, maximam hucusque partem in mundi evangelizatione habuerunt et habent. Eorum merita Sacrosancta Synodus libenter agnoscit et Deo gratias agit pro tot impensis in Dei gloriam et in servitium animarum praestitis, eademque hortatur ut indefessi in opere incepto prosequantur, scientes virtutem caritatis, quam ex vocatione perfectius colere tenentur, ad spiritum et laborem vere catholicum eos impellere et obligare.

Instituta vitae contemplativae per suas orationes, paenitentiae opera et tribulationes, maximum momentum habent in conversione animarum, cum Deus sit qui rogatus mittit operarios in messem suam (cf. *Mt.* 9, 38), animos non-christianorum ad audiendum Evangelium aperit (cf. *Act.* 16, 14), et verbum salutis in eorum cordibus foecundat (cf. *1 Cor.* 3, 7). Imo, ubi fieri potest, rogantur haec Instituta ut domus in locis missionum condant, sicut non pauca iam fecerunt, ita ut eorum praesen-

Textus emendatus [54]

ita ut ex illis futuri Evangelii Praecones oriantur. Fideles doceant pro missionibus orare et ab eisdem eleemosynas quaerere ne erubescant, quasi mendici pro Christo animarumque salute facti.[7]

Professores Seminariorum et Universitatum iuvenes veram condicionem mundi et Ecclesiae docebunt, ut necessitas impensioris evangelizationis non-christianorum eis appareat et eorum zelum nutriat. In tradendis vero disciplinis dogmaticis, biblicis, moralibus et historicis rationes missionales in illis contentas in lucem ponant, ut hoc modo conscientia missionaria in futuris sacerdotibus formetur.

40. [*Missionale Officium Institutorum Perfectionis*]. Instituta religiosa, vitae contemplativae et activae, maximam hucusque partem in mundi evangelizatione habuerunt et habent. Eorum merita Sacrosancta Synodus libenter agnoscit et Deo gratias agit pro tot impensis in Dei gloriam et in servitium animarum praestitis, eademque hortatur in indefe*ssa* in opere incepto prosequantur, scientes virtutem caritatis, quam ex vocatione perfectius colere tenentur, ad spiritum et laborem vere catholicum *se* impellere [55] et obligare.[8]

Instituta vitae contemplativae per suas orationes, paenitentiae opera et tribulationes, maximum momentum habent in conversione animarum, cum Deus sit qui rogatus mittit operarios in messem suam (cf. *Mt.* 9, 38), animos non-christianorum ad audiendum Evangelium aperit (cf. *Act.* 16, 14), et verbum salutis in eorum cordibus foecundat (cf. *1 Cor.* 3, 7). Imo ( ) rogantur haec Instituta ut domos in locis missionum condant, sicut non pauca iam fecerunt, *ut ibi, modo traditionibus genuine re-*

[55] *Textus prior*

tia testimonium caritatis et unionis in Christo inter non-christianos praeclarum reddat.

Instituta vero vitae activae, sive finem stricte missionalem prosequuntur sive non, sincere coram Deo sese interrogent utrum actuositatem suam in expansionem Regni Dei inter Gentes extendere valeant; utrum quaedam ministeria aliis relinquere possint, ita ut suas vires pro missionibus impendant; utrum activitatem in missionibus incipere possint, aptantes, si necesse fuerit, suas Constitutiones, ad mentem tamen Fundatoris; utrum sodales sui pro viribus in activitate missionali participent; utrum eorum consuetudo vitae sit testimonium Evangelii indoli et condicioni populi accommodatum.

Cum autem, Spiritu Sancto inspirante, in dies crescant in Ecclesia Instituta saecularia, eorum opera, sub auctoritate Conferentiarum Episcopalium, multiplici ratione in missionibus utilis esse potest, ut signum plenae deditionis laicorum ad evangelizationem mundi.

39. [*Missionale Officium Laicorum*]. Laici ad commune opus Ecclesiae cooperantur[2] et tamquam testes simul et viva instrumenta missionem eius salvificam participant.[3]

[56] In terris iam christianis laici ad evangelizationis opus cooperantur, cognitionem et amorem erga missiones in seipsis et in aliis fovendo, vocationes in propria familia, in associationibus catholicis et in scholis excitando, subsidia cuiusque generis offerendo, ut donum fidei, quod gratis receperunt, aliis donari possit.

In terris autem missionum laici, sive advenae sive autochtoni, in scholis doceant, res tem-

Textus emendatus

ligiosis populorum accommodato, vitam degentes, testimonium maiestatis et caritatis Dei, necnon et unionis in Christo, inter non-christianos praeclarum reddant.

Instituta vero vitae activae, sive finem stricte missionalem prosequuntur sive non, sincere coram Deo sese interrogent utrum actuositatem suam in expansionem Regni Dei inter Gentes extendere valeant; utrum quaedam ministeria aliis relinquere possint, ita ut suas vires pro missionibus impendant; utrum activitatem in missionibus incipere possint, aptantes, si necesse fuerit, suas Constitutiones, ad mentem tamen Fundatoris; utrum sodales sui pro viribus in activitate missionali participent; utrum eorum consuetudo vitae sit testimonium Evangelii indoli et condicioni populi accommodatum.

Cum autem, Spiritu Sancto inspirante, in dies crescant in Ecclesia Instituta saecularia, eorum opera, sub auctoritate *Episcopi* multiplici ratione in missionibus *fructuosa* esse potest, ut signum plenae deditionis ( ) ad evangelizationem mundi.

41. [*Missionale Officium Laicorum*]. Laici ad opus *evangelizationis* Ecclesiae cooperantur et tamquam testes simul et viva instrumenta missionem eius salvificam participant,[9] *praesertim si a Deo vocati ab Episcopis ad hoc opus assumuntur.*

In terris iam christianis laici ad evangelizationis opus cooperantur, cognitionem et amorem erga missiones in seipsis et in aliis fovendo, vocationes in propria familia, in associationibus catholicis et in scholis excitando, subsidia cuiusque generis offerendo, ut donum fidei, quod gratis receperunt, aliis donari possit.

In terris autem missionum, laici, sive advenae sive autochtoni, in scholis doceant, res tem-

Textus prior

porales gerant, in activitate paroeciali et dioecesana collaborent, varias formas apostolatus laicorum instituant atque promoveant, ut fideles novellarum Ecclesiarum quamprimum propriam partem in vita Ecclesiae assumere possint.

Laici tandem cooperationem oeconomico-socialem populis in via evolutionis libenter praebeant; quae cooperatio eo magis laudanda est, quo magis eadem ad instituta fundanda spectat, quae structuras fundamentales vitae socialis attingunt, vel ad formationem eorum ordinantur, qui responsabilitatem publicae rei habent.

Peculiari laude digni sunt illi laici qui, in Universitatibus vel Institutis scientificis, suis investigationibus historicis vel scientifico-religiosis cognitionem populorum et religionum promovent, Evangelii Praecones adiuvando et dialogum cum non-christianis praeparando.

Cum aliis christianis, cum non-christianis necnon cum membris consociationum internationalium fraterno animo collaborent, semper id prae oculis habentes, ut « aedificatio terrenae civitatis in Domino fundetur ad Ipsumque dirigatur ».[4]

Ad haec omnia munera obeunda, necessaria indigent laici praeparatione technica et spirituali, quae in Institutis ad hoc destinatis dari debet, ut eorum vita testimonium inter non-christianos pro Christo sit, secundum verbum Apostoli: « Sine offensione estote Iudaeis et Gentibus et Ecclesiae Dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant » (*1 Cor.* 10, 32-33).

Conscii autem Deum esse qui efficit ut Regnum suum in terris adveniat, preces effundant fideles omnes, ut quamprimum Gentes ad agni-

Textus emendatus [56]

porales gerant, in activitate paroeciali et dioecesana collaborent, varias formas apostolatus laicorum instituant atque promoveant, ut fideles novellarum Ecclesiarum quamprimum propriam partem in vita Ecclesiae assumere possint.[10]

Laici tandem cooperationem oeconomico-socialem populis in via evolutionis libenter praebeant; quae cooperatio eo magis laudanda est, quo magis ( ) ad *ea* instituta fundanda spectat, quae structuras fundamentales vitae socialis attingunt, vel ad formationem eorum ordinantur, qui responsabilitatem publicae rei habent.

Peculiari laude digni sunt illi laici qui, in Universitatibus vel Institutis scientificis, suis investigationibus historicis vel scientifico-religiosis cognitionem populorum et religionum promovent, Evangelii Praecones adiuvando et dialogum cum non-christianis praeparando.

Cum aliis christianis, cum non-christianis, *speciatim* cum membris consociationum internationalium fraterno animo collaborent, semper id prae oculis habentes, ut « aedificatio terrenae civitatis in Domino fundetur ad Ipsumque dirigatur ».[11]

Ad haec omnia munera obeunda, necessaria indigent laici praeparatione technica et spirituali, quae in Institutis ad hoc destinatis dari debet, ut eorum vita testimonium inter non-christianos pro Christo sit, secundum verbum Apostoli: « Sine offensione estote Iudaeis et Gentibus et Ecclesiae Dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant » [57]
(*1 Cor.* 10, 32-33).

[57] *Textus prior*

tionem veritatis adducantur. « In his orationibus nata est, et crescit, et crevit Ecclesia ».[5]

CONCLUSIO

Patres Concilii una cum Romano Pontifice gravissime sentientes officium Regnum Christi ubique totis viribus diffundendi, omnibus Evangelii Praeconibus eorumque adiutoribus gratos animi sensus exhibent. Peramanter quoque salutant eos, qui propter Evangelium persecutionem patiuntur.

Hodie eodem amore, qui ex corde Christi profluit, Ecclesia erga omnes homines exardescit. Afflante Spiritu Sancto, christifideles, conscii propriae responsabilitatis, fratribus donum Fidei communicare exoptant.

Actuosa voluntate quisque respondeat, ut quam primum gentibus evangelizentur investigabiles divitiae Christi et illuminentur omnes, « quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo qui omnia creavit, ut innotescat principatibus et potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum praefinitionem saeculorum, quam fecit in Christo Domino nostro » (*Eph.* 3, 8-11).

Textus emendatus

42. [*Conclusio*]. *Patres Concilii una cum Romano Pontifice, officium Regnum Dei ubique diffundendi gravissime sentientes, omnes Evangelii praecones peramanter salutant, eos praesertim qui pro Christi nomine persecutionem patiuntur, socii eorum passionum effecti.*[12]

Eodem amore quo Christus erga homines flagravit, et ipsi exardescunt. Conscii autem Deum esse qui efficit ut Regnum suum in terris adveniat, una cum omnibus christifidelibus preces effundunt, ut per intercessionem Virginis Mariae Reginae Apostolorum, gentes quamprimum ad agnitionem veritatis adducantur (*1 Tim.* 2, 4) *et claritas Dei quae in facie Christi Iesu resplendet per Spiritum Sanctum omnibus illucescat* (*2 Cor.* 4, 6).

[58] NOTAE

1 Cf. Decr. *De Oecumenismo,* 12.

2 Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 23-24.

3 Cf. BENEDICTUS XV, *Maximum illud* (*A.A.S.,* 1919, 453-454); PIUS XI, *Rerum Ecclesiae* (*A.A.S.,* 1926, 71-73); PIUS XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.,* 1951, 525-526); ID., *Fidei Donum* (*A.A.S.,* 1957, 241).

4 Cf. PIUS XII, *Fidei Donum* (*A.A.S.,* 1957, 245-246).

5 Cf. *ibid.,* 245.

6 Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 28.

7 Cf. PIUS XI, *Rerum Ecclesiae* (*A.A.S.,* 1926, 72).

8 Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium,* 44.

9 Cf. *ibid.,* 33, 35.

[10] Cf. Pius XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.*, 1951, 510-514); Ioannes XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.*, 1959, 851-852). [58]
[11] Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, 46.
[12] Cf. Pius XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.*, 1951, 527); Ioannes XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.*, 1959, 864).

2 – RELATIO GENERALIS [59]

Venerabiles Patres,

En praesentamus Vobis textum emendatum schematis *De activitate missionali Ecclesiae*.

Interventiones conciliares sive oretenus sive scriptis factae — praeter illas quae post expletum nostrum emendationis laborem ad nos pervenerunt — a centum nonaginta tribus Patribus datae sunt, et quingentas et fere quinquaginta paginas impleverunt. Quae omnes mechanice multiplicatae, singulis Membris et Peritis Commissionis sunt distributae, ita ut omnes et singuli integrum textum emendationum quas Patres desiderabant, prae oculis haberent. Magna cum cura ac diligentia tunc statim respectivae 5 subcommissiones — una pro unoquoque Capite — has emendationes propriis Capitibus inserere coeperunt. Omnium emendationum ratio explicita redditur in huic fasciculo insertis Relationibus de singulis Capitibus. Unde in hac mea Relatione de solis rebus maioris momenti verbum vobis facere sufficiat.

Parcatis, venerabiles Patres, si nonnullae suggestiones vestrae textui emendato inseri non potuerint, idque variis de causis:

Primo quia nonnunquam placita diversorum Patrum sibi invicem contradicebant: tunc Commissio, pro sua prudentia, aut unum eligere et aliud omittere, aut etiam pro priore textu stare debebat.

Alia quaedam placita aspectum nimis restrictum, localem nempe aut regionalem, prae se ferebant: quae autem in una regione optima, immo necessaria videri possunt, in alia econtra nociva forsan, vel saltem inutilia apparebunt. Iamvero, schema activitatem missionalem universalem in toto terrarum orbe valentem pro posse contemplari debet.

Demum: nonnulla fuerunt etiam placita rem minoris momenti, et quidem tempore facile labilem proponentia: haec Decreto permanentis indolis minus apta censenda sunt.

I

Inter emendationes principaliores, a Commissione admissas, hae quae sequuntur enumerare possum:

[59] 1. *Ante omnia,* multo magis quam in priore textu insistitur in motivis et rationibus, necnon in urgenti necessitate activitatis missionalis Ecclesiae, et quidem magis positive, ad mentem Constitutionis Dogmaticae « Lumen Gentium » (n. 7), cum argumentis ex S. Scriptura de-
[60] promptis. In eodem contextu Ecclesiae etiam « ius sacrum evangelizandi » apte vindicatur.

2. Missionale mandatum Christi Domini, utpote ratio fundamentalis totius operis evangelizationis, integro textu citatur, prout tum apud Matthaeum tum apud Marcum invenitur.

Quamvis verum sit, populo Dei qua tali incumbere necessitatem fovendi opus missionum, Commissio tamen tenendum censuit hoc mandatum Christi imprimis directum esse Apostolis eorumque successoribus, sub Petro et cum Petro, ideoque obligationem primariam et principalem Hierarchiae Ecclesiae fuisse iniunctam cum et sub Romano Pontifice.

Ex alia tamen parte, quia saepius a Patribus desiderabatur, ut nempe activitas missionalis praesentaretur tamquam munus et officium totius Populi Dei, in textu recognoscendo conati sumus aequilibrium quoddam inter utrumque problematis aspectum stabilire, vindicando hoc officium missionale « tum virtute expressi mandati ... tum virtute vitae quam membris suis influit Christus » (n. 5).

3. Alia obiectio fuit, quod, in priore textu, Ecclesiae recenter evangelizatae considerabantur magis ut *obiectum* activitatis missionalis, ut *recipiens,* dum minus in lucem ponebatur has Ecclesias crescentes et maturantes etiam esse *subiectum,* et quidem subiectum activum, ulterioris evangelizationis: christiani et pastores in terris missionum, non tam « missionati » (ut ita dicam) esse debent quam « missionarii ». Textus, ideo, emendatus, in primo Capitulo ponit obligationem missionalem talium Ecclesiarum novellarum (n. 6); sed insuper, per creationem novi Capituli, tertii scilicet a secundo demembrati, sub titulo « De Ecclesiis Particularibus », hae Ecclesiae ab ipso Opere missionali distinguuntur.

4. Ubi sermo fit de « missionariis », nonnulli Patres sensu restricto hoc intellexerunt, quasi « missionarius » esset solus ille, qui mittitur de patria sua in terram alienam. Hoc sensu vox « missionarius » restringeretur ad solos alienigenas, ad eos nempe qui ab exteris terris venerunt. Quapropter Capite quarto « De Missionariis », nomen explicite interpretatur: « missionarius » est quicumque in terris missionum missus est ad eos qui longe sunt a Christo, etiamsi hi et illi in eadem natione ac patria maneant. « Missionarii » proinde vocantur sacerdotes et laici,

religiosi ac religiosae, sive autochtoni sive exteri, dummodo in terris missionum Evangelium annuntiant iis qui foris sunt, qui non sunt ex hoc ovili. [60]

5. Ubi sermo est de laicis, Patrum interventiones saepius postularunt ut de Laicorum Apostolatu in missionibus, tanquam de proprio officio, magis explicite ageretur. Nunc textus emendatus fusius loquitur de officio missionali laicorum in Capite secundo, et in tertio Capite introductus est numerus specialis « De Apostolatu Laicorum fovendo », [61] scil. in Ecclesiis Particularibus Missionum.

6. Spiritus oecumenicus in textu emendato non solum uberior, sed et fortior apparet. Praeter textus iam exsistentes, numerus 7 nunc explicite tractat de divisione christianorum quae « nuntium pacis obscurat et aditum ad Fidem multis praecludit », necnon de necessitate unanimiter Christo testimonium reddendi. In Capitulo secundo, numero 15, commendatur collaboratio propter Christum « non solum inter personas privatas, sed etiam inter Ecclesias earumque opera ». In Capite V, numero 29 (olim 27), proponitur ut Dicasterium de Propaganda Fide « una cum Secretariatu ad unitatem christianorum fovendam, quaerat vias et media ad procurandam fraternam collaborationem et ordinatam conviventiam cum inceptis missionalibus aliarum communitatum christianarum, ut scandalum divisionis tollatur ». Tandem, numerus 36 (olim 34) Capitis sexti loquitur denuo de communi vitae christianae testimonio.

His modis Decretum de Oecumenismo optime videtur condicionibus peculiaribus missionum applicatum. Sperandum fore ut haec via et voluntas collaborationis non evadat unilateralis, sed etiam ex parte fratrum christianorum responsum affirmativum, immo fervidum eliciat.

II

Adsunt et quaesita Patrum, quae Commissio non plene acceptas habendas iudicavit.

1. Apud quosdam Praelatos Nullius, Vicarios et Praefectos Apostolicos Americae Latinae certa sollicitudo orta est et perturbatio animi, quasi ipsi, quamvis in situatione vere missionali versantes, cum suis operibus et regionibus, nullo modo in ambitum conceptus « missionum » vel « activitatis missionalis Ecclesiae » in sensu huius Schematis intrare possent, quamquam deberent. Itaque conceptum aliquatenus in sensu affirmativo et largiore mutatum postulant. Commissio autem, re bene perpensa et discussa, votis secretis fere unanimis censuit

[61] mutandum non esse conceptum missionis eo quod revera huic anxietati ansam non praebet.

Porro, sicut explicite ibi dicitur, Sanctae Sedis est in concreto statuere utrum hoc vel illud territorium missionibus sit adnumerandum necne: haec quaestio concreta non a Commissione, et proinde nec a schemate derimi potest.

Ex altera parte, praesens conceptus missionis tam amplus videtur ut etiam certis Americae Latinae regionibus applicari valeat. Brevi, ubicumque, quovis terrarum, habeatur veri nominis activitas missionalis, ibi habetur et missio.

Insuper, textus expresse loquitur de Ecclesia quae « quandoque in
[62] quadam semiplenitudinis et insufficientiae statu moratur » (n. 6); Ecclesiae seu S. Sedis tunc est « iudicare utrum hae condiciones activitatem missionalem denuo requirant » (n. 6); ubi agitur de « certis territoriis a S. Sede agnitis » addit « plerumque ». Insistit etiam textus ut Ecclesiae locales « ubique in mundo sufficienter conditae crescant, viribus quidem propriis ac maturitate praeditae ... mediis christianae vitae plene ducendae quasi affinibus sufficienter ornatae » (n. 6). Quousque ergo hic finis proprius non sit consecutus, remanet situatio missionalis ideoque activitas missionalis.

Tandem, in capite tertio huius textus emendati legitur: « Quae actio missionalis opem etiam ferat iis Ecclesiis, diu fundatis, quae in quodam statu regressionis vel debilitatis versantur ».

Sic multis modis porta aperta est etiam istis Praelaturis ac Vicariatibus, ut intrent non solum in ambitum conceptus « missionis », sed etiam sub S. C. P. F., si forte S. Sedi placuerit. Postulat enim schema, ut « pro omnibus missionibus et pro tota activitate missionali unum tantum sit Dicasterium competens » (n. 29); quod diversimode fieri posset, e. g. etiam per aliquam sectionem missionalem in Dicasterio alio, scilicet Consistoriali. Tales autem decisiones particulares statuere nec Commissionis nec schematis competentiae est, sed S. Sedis (cf. Nota 15, in fine n. 6, quae ibi explicationis causa addita est).

2. Est etiam votum 120 Patrum — inter quos 7 Em.mi Cardinales — proponens ut invitentur etiam Dioeceses, copia sacerdotum et opum a Deo ditatae, ad accipienda territoria vel opera missionalia ad instar Institutorum Religiosorum.

Etiam hoc votum a Commissione discussum ac perpensum fuit, et votis secretis fere unanimiter reiectum. Nam nihil impedit quominus dioeceses quae hoc facere possunt ac desiderant, missionem sibi postulent et obtineant, uti etiam tempore transacto factum est. Non tamen videbatur Commissioni rem tractare in schemate, scilicet ius

commissionis, quae his ultimis annis magis ac magis in desuetudinem venit; nam ob hoc motivum schema de plurisaeculari instituto commissionis ad Religiosos non loquitur nisi de re temporis transacti, eamque non amplius commendat (uti in priore schemate factum erat); quare rem novam, nondum experientia probatam, commendandam non censuit Commissio. [62]

3. Demum, quod a nonnullis petitum fuit, ut scilicet Episcopi qui seligantur ad partem habendam in directione S. Congregationis de Propaganda Fide, sint « ab ipsorum Conferentiis praesentati », Commissio ob non parvas difficultates admittendum non esse censuit. Magna visa est difficultas in numero nimis magno membrorum illius coetus, si ab omnibus Conferentiis unus (vel forsan, propter aequitatem, etiam plures) praesentari possit. Quare melior iudicatur expressio in Decreto De Pastorali Episcoporum munere in Ecclesia n. 5 adhibita: « modis et [63]
rationibus a Romano Pontifice statuendis ».

4. Tandem, petitum fuit ut textus: « Conferentiae (episcopales) novas proponant normas, *a S. Sede approbandas,* quae statuant relationes inter Ordinarium Loci et instituta » in n. 32 schematis conservetur. Hoc autem Commissio fieri non posse censuit, ad mentem Decreti « De Pastorali Episcoporum Munere in Ecclesia » n. 35, 5. Quamvis in missionibus rationes et condiciones valde speciales saepe vigere possint quae postulare videantur ut similes normae seu conventiones a Sede Apostolica, i. e. a Congregatione de Propaganda Fide, approbentur, Commissio tamen censuit se non posse hoc imponere et ita restringere potestatem et ius Conferentiis Episcopalibus ab aliis Concilii documentis datum. Nihil de cetero impedit quominus in singulis casibus Conferentiae suo iuri cedant et has conventiones, maioris firmitatis et stabilitatis causa, Apostolicae Sedi probandas submittant.

III

Post haec, quae maioris momenti indolis videbantur, liceat nunc vel breviter mentionem facere de quibusdam aliis emendationibus:

1. Schema melius extollit momentum, pro activitate missionali, influxus Spiritus Sancti, Praedicationis Verbi Dei, necnon Scholarum catholicarum.

2. In Capite 2 titulus articuli 1 « De Praeambulis Evangelizationis » mutatus est in « De Testimonio Christiano ».

3. Caput V fortius iterum exprimit votum participationis Episcoporum et Missionariorum in directione dynamica totius operis missionalis; ad nimia particularia tamen non descendit.

[63] 4. Ut locus et potestas Episcopi melius in lucem ponatur, secundum mentem Decreti « De Pastorali Episcoporum munere in Ecclesia », additur numero 30 monitio: « Omnes missionarii, etiam religiosi exempti, eiusdem potestati subsunt in variis operibus quae sacri apostolatus exercitium respiciunt ».

5. Demum in Capite VI versus finem numeri 38, Conferentiae Episcopales rogantur ut opera instituant pro pastorali cura eorum qui laboris vel studii causa ex terris missionum immigrant.

6. In eodem Capite Episcopis speciali modo commendantur Opera Pontificalia Missionaria, quibus primus locus tribuendus est.

7. Tandem, Beatissimae Virginis Mariae mentio fit tum in Capite primo (« sicut superveniente Spiritu in Virginem conceptus fuerat Christus »), tum in Conclusione (« per intercessionem Virginis Mariae Reginae Apostolorum »).

[64] CONCLUSIO

Venerabiles Patres,

Qui diligenter comparationem instituit inter textum priorem et textum emendatum, non potest non videre quam sincere conati simus omnibus sententiis et placitis pro posse satisfacere. Sperare itaque licet novum textum emandatum et recognitum, omnibus et singulis Patribus fore receptum voce concordi atque unanimi *Placet.*

[65] 3 – RELATIO PARTICULARIS

seu de Animadversionibus in Quarta Sessione factis

Praenotanda

Schema *De missionali activitate Ecclesiae* in Aula conciliari a die 8 ad die 13 octobris discussum, sequenti suffragatione a Patribus approbatum est ut basis ulterioris elaborationis ex parte competentis Commissionis:

Praesentes votantes	2.085
Placet	2.070
Non placet	15

Die 15 octobris Commissio « De missionibus » conventum habuit et Subcommissioni quae iam schema elaboraverat, munus commisit reelaborationem curare ut deinde toti Commissioni examini subiceretur.

Istius Subcommissionis membra fuerunt: E.mi Lokuang, Zoa, Lecuona, [65]
Riobé et Rev.mus P. Schütte SVD, qui etiam praeses renuntiatus est. Quibus adiutorio fuerunt nonnulli periti (Congar, Ratzinger, X. Seumois, Neuner, Glazik, Moya, Buys, Greco, Grasso, Eldarov) et Secretarius adiunctus Commissionis R. P. Peeters. Ista Subcommissio quae in domo nemorensi SVD collecta est omnes interventiones Patrum tum ore in Aula conciliari prolatas, tum scripto Secretariae traditas examinavit diebus 19-22 octobris, et praecipuas emendationes schemati adiecit. Labor sic praestitus a singulis Subcommissionibus pertractatus est diebus 22-26 octobris, et denique a tota Commissione, in conventu apud Collegium De Propaganda Fide die 27 octobris habito, illum antea in singulis capitibus, deinde in toto unanimiter suffragio secreto approbando.

Sic stabilitus est « textus emendatus » qui suffragationi Patrum exhibetur.

I. *Animadversiones generales Patrum*

Schema in genere placuit, immo multis valde placuit et laudibus cumulatus est. Non paucae tamen generales emendationes propositae sunt ad illud perficiendum ita ut vera « charta missionum » in tempore moderno evadere possit.

En praecipuae generales animadversiones: [66]

1) Conceptio schemati subiacens est nimis hierarchica et non sufficienter in lucem ponit missionem pertinere ad totum Populum Dei (2, 70 et alii);

2) Melius et fortius sublineetur necessitas activitatis missionalis ut missionum plena actualitas eluceat (multi Patres);

3) explicitius sermo sit de necessitate fidei ad salutem et consequenter de necessitate praedicationis Evangelii (pariter multi Patres);

4) de Spiritu Sancto de eiusque parte in missione Ecclesiae ad gentes diffusius doctrina exponatur (2, 66 et plures alii);

5) clarius explicetur momentum oecumenismi in activitate missionali (8, 164 et alii);

6) clarificetur theoria de praeambulis evangelizationis (plures Patres);

7) sermo fiat de formatione spiritus apostolici in novellis Ecclesiis (4, 7 et alii);

8) distinguatur inter missionalem vocationem generalem Populi Dei, et vocationem missionalem specialem (5, 30 et alii);

9) vitetur impressio in schemate unice agi de missionariis exteris

[66] et non etiam de illis qui in ipsis locis missionum orti sunt et ad gentes evangelizandas mittuntur (plures Patres);

10) discussio instituatur utrum conveniat missiones committere etiam dioecesibus copioso clero praeditis;

11) clarius determinetur functio concilii generalis evangelizationis (plures Patres);

12) sermo fiat de momento oecumenismi in ipsa cooperatione missionali, praesertim de testimonio communi coram gentibus pro omnibus christianis praestando (3, 45 et alii).

II. *Animadversiones Patrum circa titulum schematis*

Unus Pater proposuit titulum mutare, ne impressio daretur missiones ad gentes aliquam activitatem Ecclesiae constituere, et non esse de ipsa essentia Ecclesiae.

III. *Animadversiones Patrum circa dispositionem materiae schematis*

1) In dispositione materiae melius esset sequi ordinem qui in constitutione *Lumen Gentium* habetur. Postquam sermo habitus est de origine trinitaria missionis, indicetur functio quam singula membra Ecclesiae in ipsa perficienda habent. Sic materia capitis V de cooperatione transferri posset in capite II (3, 107).

2) Novum addatur caput inter III et IV circa partem episcoporum in missionibus, et cetera quae in schemate de episcopis dicuntur iuxta hoc novum caput exarentur (5, 30).

[67] IV. *Animadversiones circa singulos numeros textus factae*

(Prooemium)

Pag. 5, lin. 2 post *Ecclesia* addatur: *natura sua apostolica et* ex intimis ecc. (2, 15).

Lin. 4 post *Apostoli* addatur: *duce Petro* (unus Pater); *super quos* Ecclesia est fundata, dicatur: *in quibus* Ecclesia est fundata (7, 91).

Lin. 5 *vestigia Christi sequentes*: non bene intelligitur (7, 119).

Lin. 6 loco *ad eorum successores pertinet,* dicatur: *eorum successorum ius et officium est* (5, 53).

Lin. 7 post *continuare* addatur: *ut sermo Dei currat et clarificetur* (5, 7); post *annuntietur* addatur: *et stabiliatur* (4, 32).

Lin. 7 verbum *novo* deleatur (4, 49); loco *in praesenti* dicatur: *etiam* in praesenti (3, 103).

Lin. 9 *sal terrae et lux mundi* (*Mt.* 5, 13-14) non est citatio exacta

(4, 4); post *Ecclesia* addatur: *Christi* (4, 49); post *condicio* dicatur: *Iesus Christus, Dominus Mundi, per Ecclesiam suam, sal terrae et lucem mundi, omnem creaturam* etc. (5, 30). [67]

Lin. 10 post *renovandam* addatur: *et salvandam* (4, 49).

Lin. 12 post *Quare* addatur: *Haec* Sancta Synodus (3, 103 et alii); verbum *tam* deleatur (4, 32).

Lin. 13 ante *Ecclesiae* dicatur: *totius Ecclesiae* (5, 30).

CAPUT I

Caput I substantialiter Patribus placuerat, sed praeter numerosas propositiones, quae ad singularia spectabant, quattuor animadversiones maioris momenti saepe revertuntur:

a) De necessitate activitatis missionalis clarius esset loquendum.

b) Ampliatio notionis activitatis missionalis diversis modis postulabatur, imprimis aliquis « extrinsecismus » considerationis nimis hierarchicae vituperabatur, in qua parum de Verbo Dei et de fide sermo esset. Exordium totius considerationis secundum Constitutionem « Lumen gentium » esset de « Populo Dei » sumendum.

c) De Spiritu Sancto amplior postulabatur tractatio.

d) Momentum Decreti De Oecumenismo pro munere missionali clarius esset explicandum.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS [68]

Relatio de n. 2

(A) Secundum observationem 4, 33 (cf. 8, 201) verbum « procedere », quod in textu impresso pag. 51 lin. 18 de origine Ecclesiae ex missione Filii et Spiritus Sancti adhibitum erat, secundum vocabularium classicum processionibus divinis reservatur. Qua de causa nunc in lin. 18 dicitur « originem ducunt », lin. 21 autem, ubi revera de processionibus divinis sermo fit, nunc scribitur « procedunt ».

Insuper in lin. 17 post « Ecclesia » inseritur « peregrinans », ut iam in initio clare appareat tempus missionis esse inter duos adventus Domini (cf. propositio 2, 72).

(B) Secundum propositionem 5, 30 et aliorum post « non » inseritur « tantum », ne vocatio personalis ad participationem vitae divinae videatur excludi; loco « singillatim » dicitur « singulatim », sicut habetur in Const. De Ecclesia I 9.

[68] *Relatio de n. 3*

(C) Mendum typographicum textus impressi emendatur, ut loco « solummodo » « solum modo » legatur (cf. 5, 74 et alios).

(D) Loco « manifeste » dicitur « novo et definitivo modo », quia Deus iam in Vetere Testamento et iam a creatione hominis in eius historiam aliquo modo, qui etiam manifestus dici posset, intravit (cf. 5, 53).

(E) Tota sententia « Illum ... instauraret » abbreviatur, secundum sensum authenticum loci ex epistula ad Ephesios allegati (cf. 4, 4).

(F) Loco « humanitatis novae » dicitur nunc « humanitas renovata », quia una tantum est humanitas, quae in Christo renovatur.

(G) Secundum propositionem 1, 54/65 linn. 34-39 textus impressi transponuntur ad n. 5, quia bonam introductionem praebent ad missionem salutarem Ecclesiae describendam.

Textus linn. 25-28 magis logice ordinatur; propositio autem 5, 30, quae in linn. 28 ss. de paupertate fusius tractari vult, non assumitur, quia de hac materia tam in nostro schemate quam in aliis textibus huius Concilii satis dicitur.

Relatio de n. 4

(H) Loco « apostolos » dicitur « discipulos », quia secundum *Act.* 1, 14 s.; 2, 1 non solum apostoli effusionem Spiritus Sancti die Pentecostes receperunt (cf. 5, 31; 7, 108).

(I) Totus numerus de missione Spiritus Sancti melius ordinatus et insuper ampliatus est secundum desideria plurium Patrum (e. g.
[69] 2, 62 s.; 2, 66 s.; 5, 30 s.; 5, 43 etc.). Ex diversis observationibus tria imprimis elementa recepta sunt:

a) Explicatur parallelismus a Sancto Luca insinuatus inter initia oeconomiae Incarnationis et initia Ecclesiae, quae duo in operatione Spiritus Sancti exordium sumpserunt et sic inter se connectuntur ut duo momenta unius oeconomiae divinae. Tali modo etiam aliquibus Patribus satisfit, qui mentionem Beatae Virginis in schemate postulaverunt (e. g. 3, 77).

b) Momentum charismatum pro missionibus declaratur.

c) Actionem charismaticam a Spiritu Sancto excitatam actionem hierarchicam etiam praecedere posse exprimitur.

Relatio de n. 5

(K) Sicuti iam sub G dictum, ex n. 3 linn. 34-39 transponuntur in initium huius numeri.

(L) Haud pauci Patres conceptum activitatis missionalis in hoc et

in sequenti numero exhibitum ut nimis hierarchicum vituperaverunt [69] (e. g. 2, 70; 6, 58; 7, 108 s.; 8, 197). Exordium sumendum esset de toto populo Dei, in cuius ministerium hierarchia instituta est, sicut in Constitutione De Ecclesia declaratur. Sed Commissioni visum est has observationes non satis prae oculis habuisse differentiam inter scopum Constitutionis De Ecclesia et Decretum de activitate missionali. Hoc Decretum, sicut de se patet, illam Constitutionem semper praesupponit. Dummodo autem Constitutio totum mysterium Ecclesiae respicit et sic revera de populo Dei exordium sumere debet, ut deinceps munus ministerii hierarchici in hoc populo Dei declaret, in nostro Decreto iam de aliquo mandato agitur, quod sine dubio hierarchiae speciali modo committitur, quamvis revera totam Ecclesiam afficiat et ad eius intimam essentiam ita pertineat, ut nullo modo in solo campo actionis externae intelligi queat. Ut omnibus desideriis et iis, quae ab ipsa re postulantur, satisfiat, Commissio denique explicare voluit, iam in ipso initio duos aspectus adesse, inquantum apostoli, quibus mandatum activitatis missionalis impositum est, tam germen totius novi populi Dei appellandi sunt (sicut e. g. numerus « 12 » ut numerus tribuum Israel exprimit) quam exordium sacrae hierarchiae sunt. Sic iam ex ipso initio indicantur nunc et officium totius Ecclesiae et mandatum speciale, quod hierarchiae ecclesiasticae competit.

De cetero secundum vota multorum Patrum nunc textus *Mt.* 28, 19 s. et *Mc.* 16, 15 s. plene allegantur (e. g. 2, 51; 5, 12; 6, 9; 6, 32).

(M) In lin. 23 s. deletur « Populus Dei messianicus », quae expressio aliquibus Patribus minus placuit (e. g. 5, 8) et revera hic superflua est. In lin. 25 deletur « in Christum non credentibus », quia in hoc numero adhuc de missione Ecclesiae in sensu latiore sumpta agitur et definitio activitatis missionalis in sensu stricto primum in n. 6 ponitur. [70]
Denique secundum propositionem 5, 74 hic et in sequentibus locis pro « instrumenta » semper dicitur « media ». Ultima verba (lin. 28 ss.: in ... templum) omittuntur, quia nil addunt. In lin. 27 mendum typographicum a multis (e. g. 5, 74) vituperatum emendatur et loco « finem » legitur « fidem ».

(N) Secundum observationem 5, 74, quae dicit vocabulum « propagari » haud bene cum missione Christi coniungi posse, quae quidem continuatur, sed ut talis non propagatur, nunc legitur: « et per decursum historiae explicet ».

(O) Secundum propositionem 1, 51/65 post mortem crucis mentio fit resurrectionis Christi, cuius virtus et victoria etiam in passione christianorum iam aliquo modo adsunt. In lin. 33 inseritur « oboedientiae »

[70] et sic in tota sententia aliqua subsonantia habetur textus gravissimi *Phil.* 2, 5 ss. et nexus praeparatur cum cap. 3, ubi de oboedientia missionarii sermo fit.

Relatio de n. 6

(P) Secundum propositionem 5, 75 loco « distinctiones » dicitur « differentiae ». In lin. 39 inseritur « et orante », ut iam hic in fundamento theologico de necessitate orationis pro missionibus sermo fiat (cf. 3, 129).

(Q) Ut semper una eademque terminologia habeatur, hic nondum de missionali Ecclesiae activitate sermo fit, quia hic terminus nunc in textu semper sensum strictiorem exprimit, hic autem, ubi de differentiis agitur, adhuc conceptus generalis adhibetur. E converso in initio n. 9 loco « missio » dicitur « activitas missionalis », quia nunc sensus strictus intenditur.

(R) Iterum loco « instrumentorum » dicitur « mediorum » secundum 5, 74 (cf. M). Mendum typographicum a diversis Patribus vituperatum corrigitur et loco « Ecclesiam » legitur « Ecclesia ».

(S) Quia aliqui Patres quaerunt, quid significet « substantiam populorum assumere » (sic 5, 75; 7, 102) nunc tota comparatio de radicibus et de substantia omittitur et simpliciter legitur « eos in catholicam plenitudinem assumit ».

(T) Loco « superatis », quod verbum haud bene sonare videtur in hoc contextu, dicitur secundum propositionem 5, 75 « expletis ». Ad evitandam impressionem, quasi missio Ecclesiae aliquando finiri possit (obiectio 2, 18; 2, 44) nunc omittitur « statim » et loco « missio » adhibetur « activitas missionalis », i. e. vocabulum, quod sensum strictiorem exprimit. Denique, ut officium missionarium Ecclesiarum novellarum clarius exprimatur, additur « Ecclesiis particularibus ... officium incumbit eam (= activitatem missionalem) continuandi et praedicandi Evangelium singulis, qui adhuc foris sunt ». Quia 2, 18 pleno iure observat
[71] Ecclesiam localem numquam sibi sufficere, numquam « perfectam » esse, loco « perfecte constitutis » nunc dicitur « iam constitutis ».

(U) Quoad notionem activitatis missionalis Ecclesiae, quae in hoc inciso explanatur, permultae propositiones ad Commissionem pervenerunt, quae tamen ad tria elementa reduci possunt:

a) Multis Patribus notio in textu impresso proposita nimis hierarchica videbatur, aliquo « extrinsecismo » laborare, solummodo elementa externa, institutionalia respiciens, negligendo populum fidelem, qui una cum hierarchia Ecclesiam localem efformat (ex. gr. 3, 139; 5, 8; 6, 64; 8, 182).

b) Haud pauci etiam postulaverunt fusius loqui de ministerio praedicationis et de vi verbi Dei pro Ecclesiis condendis, quae non sicut aliqua institutio terrena ab extra eriguntur, sed auditum fidei et conversionem cordium praesupponunt, de qua etiam secundum Patrum desideria aliqua addenda erant (ex. gr. 5, 8 s.; 2, 66 s.; 7, 109 s.). [71]

c) Permulti Patres ex America Latina postulant, ut notio activitatis missionalis ita extendatur, ut ipsi (imprimis sic dicti « Praelati nullius ») in ea includantur (ex. gr. 3, 86-90; 3, 100 s.; 5, 21; 8, 207 etc.). Qua de causa aliqui ex eis proponunt, ut ante « erga ... non credentes » inseratur « praesertim ». Alia ex parte non desunt, qui talem extensionem notionis impugnant (3, 125). Denique ex ipsis Praelatis nullius aliqui bene perspexerunt se in notionem activitatis missionalis in nostro schemate propositam iam plene intrasse (3, 100; imprimis 6, 28 s.). Deest enim plerumque in illis regionibus vera fides christiana sicut deest praedicatio verbi, quae fidem excitat, deest hierarchia propria; deest maturitas vitae christianae. In nova redactione textus, quae nunc a Commissione proponitur, hoc adhuc clarius in lucem venit, quia attendendo ad animadversiones sub *a*) et *b*) supra declaratas nunc fusius momentum praedicationis, conversionis, fidei et pars populi fidelis in formatione Ecclesiae localis explanatur. Quia et in quantum haec elementa in illis regionibus desunt, eae secundum rem sine dubio in notione activitatis missionalis a schemate delineata includuntur. Quaestio autem, utrum dicioni S. C. de Prop. Fide attribuantur, est quaestio applicationis, quam decidere Concilio non competit, sicut iterum 6, 28 s. bene declaravit. Quibus de causis ex una parte superfluum visum est verbum « praesertim » inserere, quia res intenta inserta est; ex altera parte etiam periculosum esset tale verbum assumere, quod notionem activitatis missionalis penitus indefinitam redderet et episcopis in missionibus Asiae et Africae laborantibus sine dubio multum displiceret.

(V) Totus numerus 7 in novam formam redactus est, quia quamplurimi Patres postulaverunt necessitatem activitatis missionalis pro salute hominum magis positive et multo fortius declarari (ex. gr. 1, 52/65; 2, 51-57; 3, 111 s.; 6, 20; 7, 115; 8, 163 etc.). Qua de causa nunc positive ex necessitate fidei ad salutem incipitur; Constitutio De Ecclesia, sicut multi postulaverant, verbotenus reassumitur et necessitas [72]
evangelizandi, quae Ecclesiae incumbit, clare et fortiter exprimitur.

(W) Quia secundum 5, 75 verbum « perfectio » in pag. 9 lin. 39 adhibitum non satis clare relationem Christi ad humanitatem novam exprimit, nunc dicitur « principium et exemplar ». Secundum desiderium 2, 63 in pag. 10 lin. 4 nunc fortius de iudicio Dei, quod per Evangelium praedicatum in mundo exercetur, sermo fit. In pag. 10 lin. 6 secundum

[72] propositionem, 5, 35 loco « non solum de singulis » dicitur nunc « primo de (personis) », ut character personalis vocationis christianae melius in lucem ponatur. In lin. 7 accipitur propositio 5, 75 et loco « peccato humano » clarius dicitur « hominis peccato ».

Denique multi Patres postulaverunt, ut in schemate nostro fusius de nexu inter activitatem missionalem et rem oecumenicam agatur (ex. gr. 2, 62; 2, 73; 5, 35; 7, 107; 8, 164). Hoc fit nunc in pluribus locis novi textus, sed Commissioni ex tenore plurium interventuum necessarium visum est aliquod fundamentum iam in capite de principiis doctrinalibus praebere, ut momentum generale huius rei sufficienter exprimatur. Quia autem de singulis in capitibus sequentibus satis loquimur, hic solummodo principium indicatur nexum intimum rem oecumenicam inter et activitatem missionalem ex ipsis internis necessitatibus huius activitatis provenire.

(X) Motivum temporis intermedii inter duos adventus Domini secundum optata, 2, 72 nunc amplius declaratur.

(Y) In lin. 20 secundum propositionem 7, 92 post « Epiphania » additur « atque adimplementum », quia propositum Dei in Christo non solum manifestatur, sed adimpletur. Quoad linn. 22-24 propositio 5, 35 iure advertit formulationem negativam infaustam esse, quia agitur « de summa realitate in terra ». Eius propositio substantialiter admittitur. Denique in lin. 26 s. propositio 3, 81-83 accipitur (quacum alii secundum rem concordant sicut 6, 68; 8, 203 s.) et aliquid de destruendo regno Satanae et de sceleribus, quae ex eo sequuntur, dicitur, ne species falsi optimismi foveatur.

CAPUT II

Relatio de n. 10

(A) Post verbum *manifestandam* additur *et communicandam,* iuxta animadversionem unius Patris (4, 63).

(B) Plures Patres optaverunt ut urgentia operis missionalis acutioribus verbis exprimatur. Partim eis satisfieri conatur addendo *quorum numerus in dies augetur,* utpote propositum a quibusdam Patribus (4, 41; 4, 68; 6, 3).

(C) Additur *aut vix* ut sermo magis veritati concordet (4, 41).

[73] (D) Plures Patres (2, 21; 5, 39) proposuerunt modum, iuxta quem haec ultima sententia exprimet culturalium conditionum assumptionem et elevationem faciendam esse a christianis. Sed hic non est locus talia edisserendi, cum hinc tenor paragraphi agat solummodo de necessitate

attingendi homines in coetibus culturalibus et religiosis in quibus vivunt, [73]
et illinc purificatio, elevatio et assumptio valorum culturalium alibi, praesertim sub n. 11 et 22 tractetur.

Non retinetur suggestio (2, 63) loquendi hic de scandalo divisionis christianorum, cum fusius de hoc argumento in n. 8 actum sit.

Relatio de n. 11

(A) Titulus articuli mutatus est. Materia subiacens, proposita a Patribus durante disceptione anni 1964, ab eis designabatur vocabulis « prae-evangelizatio », « evangelizatio initialis », « apostolatus indirectus », « evangelizatio praeparatoria ». Haec vocabula non placuerunt Commissioni, quia intelligi possent de quodam stadio speciali in opere evangelizationis, cum revera haec actio protrahitur durante tota activitate missionali et pastorali Ecclesiae. Adhibuimus tunc locutionem *praeambula evangelizationis* propter ditissimam theologiam subiacentem ex analogia cum vocabulo in theologia recepto, scilicet praeambula fidei: sicut praeambula fidei quodammodo viam parant fidei in credente, eiusque fidem semper sustentant, ita praeambula evangelizationis viam parant evangelii praedicationi, eamque semper comitant et quasi sustentant; haec analogia fertur etiam in id quod praeambula haec, sive fidei sive evangelizationis, non sunt actio mere profana et humana, sed operatio divino-humana: iam gratia fidei et evangelizationis in eis operatur.

Attamen hoc vocabulum non placuit multis Patribus, qui timent ne male intelligeretur ut « stadium » quoddam praeliminare, sat longum et protractum, intercedens antequam ad evangelizationem proprie dictam procedatur (2, 57; 4, 9); pariter dolebant Patres quod non expresse dicebatur in textu haec praeambula evangelizationis reapse valorem verae evangelizationis habere (2, 71) et ipsam evangelizationem concomitare et subsequi debere (2, 60; 2, 58).

Quas ob rationes, multi Patres rogaverunt ut alius titulus inscribatur (6, 62; 6, 65 nomine 74 aliorum; 6, 69; 8, 173 nomine 77 aliorum; 8, 182). Unus ex illis proponit *Ecclesiae conversatio cum non-christianis* vel *De Conversatione cum non-christianis.* Maluimus simpliciter dicere *De Testimonio Christiano.*

(B) Inscriptio ipsius numeri 11, quae erat *De dialogo cum Non-Christianis,* mutata est in *De Testimonio vitae et Dialogo* ut accuratius indicetur materia totius numeri, cuius prima paragraphus de testimonio vitae agit, secunda vero de dialogo.

Quaedam emendationes redactionales introductae sunt in corpus
huius numeri (v. g. *oportet,* manifestare *tenentur*), ut obligatio et neces- [74]

[74] sitas testimonii reddendi strictior appareret, quod plures petierunt Patres (2, 51; 4, 1).

Unus Pater (7, 75) rogavit ut hic numerus etiam de atheis tractet. De facto ita res se habet, cum introductio totius capitis secundi, diversos coetus humanos describens in quibus actio missionalis exercenda sit, expresse de atheis mentionem faciat.

(C) Addita sunt verba *vel ad eos mittuntur* quia, uti bene observat unus Pater (2, 21), ut Ecclesia praesens fiat in aliquo coetu humano, saepe necesse est ut aliqui mittantur.

(D) Mentio Spiritus Sancti et sacramenti confirmationis postulata est ab uno Patre (5, 39).

(E) Indoles supernaturalis dialogi cum non-christianis expresse notatur subintroductis verbis *Spiritu Christi profunde perfusi*; ita satisfacere conati sumus Patri hoc ipsum petenti (5, 26).

(F) Loco *veritates* substituimus verbum *divitias* iam in linea praecedenti adhibitum, quia non agitur tantum de veritatibus, i. e. de bonis ordinis intellectualis, sed etiam de bonis ordinis gratiae. Sic rem illustrabat unus Pater (5, 79) qui etiam rogavit ut in praecedenti paragrapho citetur *Mt.* 5, 16.

Relatio de n. 12

(A) Plures Patres solliciti fuerunt de motivo caritatis rite exprimendo: etenim caritas concipi nequit ut quamdam « methodum » missionalem (une technique missionnaire); profundo affectu complacentiae et benevolentiae movetur erga ipsum hominem (2, 22-23; 5, 27; 5, 39).

Quapropter textus recognitus introducit aliquam descriptionem caritatis christianae. Verba *sine dolo malo* alludunt ad quaestiones quas Gandhi catholicis ponebat et alii adhuc ponunt.

(B) Haec verba addita sunt ex optima suggestione unius Patris (4, 34).

(C) Introducta est haec incisa, ad satisfaciendum his Patribus qui aestimaverunt schema non satis rationem habere pauperum evangelizandorum.

(D) Momentum scholarum non satis in textu priore in luce ponebatur. Unde fusius de his tractatur (2, 75; 3, 130; 4, 13).

(E) Verbum *vindicat* substituitur verbo *quaerit* ex fidelitate ad textum originalem allocutionis Papae Pauli sexti in nota citatae (5, 79).

(F) Loco *vera praeambula evangelizationis,* adhibita est locutio *verum testimonium Christi* ob rationes supra expositas, ubi de mutatione tituli huius articuli argumentatur.

(G) Verbum *terrenam* quasdam difficultates movit (5, 79; 6, 58); accuratius dicitur *materialem.*

Relatio de n. 13 [75]

Schema laudatur quia de conversione sermo instituitur (3, 140). Attamen textus multis Patribus videtur nimis ieiunus (2, 23), negativus (2, 53), brevis et debilis (4, 35), non satis fortiter affirmans obligationem annuntiandi evangelium (5, 22; 2, 56; 6, 54) omnibus hominibus (2, 51; 2, 66; 4, 42; 7, 81; 8, 212); non satis apparet obiectum praedicationis (5, 22). Natura conversionis pariter non satis elucidatur (2, 24; 5, 39; 8, 211); fere nihil dicitur de eius ratione poenitentiali (2, 66) et de eius relatione cum mysterio paschali (2, 53); eius consectaria personalia et socialia tacentur (2, 24; 2, 48; 5, 39).

Commissio rationem habuit omnium istarum observationum. Attamen, ne sermo longior evaderet, suam fecit solutionem a quibusdam Patribus (4, 42; 5, 39) propositam, nempe ut textus prior ditior reddatur praesertim allegationibus ex S. Scriptura interpositis. Tali methodo, tota vis textus residet in ipsa virtute verbi Dei.

Quaedam suggestiones tamen a Commissione non sunt retentae. Quidam Patres optabant ut conversio magis « theologice » describeretur (8, 157; 6, 56), reassumendo ea quae a Concilio Tridentino et Vaticano I iam definita sunt. Commissio iudicavit hoc inutile fore et maluit textum exarare secundum indolem pastoralem capitis II. Alius Pater bene animadvertit quod Ecclesia curam habere debet de sic dictis « sympathizantibus » qui ad conversionem non perveniunt (5, 23). De hoc satis provisum est in schemate ubi loquitur de dialogo et de praesentia caritatis; modus practicus, quo haec principia in praxim deducenda sint, ab adiunctis tam diversis pendet quod impossibile videatur rem pressius determinare.

(A) Haec sententia, ab uno Patre proposita (5, 27) in luce ponit et initiativam divinam qua Deus ipse opus evangelizationis dirigit (2, 24) et urgentiam praedicationis ad exemplar S. Pauli.

(B) Addita sunt haec verba ut expresse inculcetur obligatio evangelii praedicandi omni creaturae.

(C) Agitur hic de *parrêsia,* scilicet de fortitudine et de constantia in ipsa annuntiatione Evangelii omnibus hominibus, quae in S. Litteris commendatur. Istius virtutis mentio postulata est ab uno Patre (2, 33).

(D) Hae referentiae ad Epistolas S. Pauli introductae sunt ad urgentiam praedicationis affirmandam.

(E) Ut clare dicatur quid sit evangelizatio (8, 211; 5, 22; 5, 39 nomine plurium; 2, 53) allegantur textus S. Scripturae quibus enuntiatur kerygma apostolicum ad Gentiles.

(F) Verbum *libere* hic subintroductus est, secundum suggestionem

[75] unius Patris (7, 89), ut de libera indole conversionis clare constet. Sed suppressa est sententia e textu priore, in initio paragraphi tertiae, scilicet *de libertate conversionis constare debet,* quia gubernia quaedam
[76] hac declaratione uti possent ad « inquisitiones » suas officiales legitimandas; de quo plures Patres conquesti sunt (2, 56; 4, 35; 6, 56).

(G) Sententia nova introducta est ut describatur quid sit conversio (2, 24; 5, 39 nomine plurium) et quae sint eius consectaria. De hoc argumento, ad vota Patrum accedit suggestio a cl. Observatore Commissioni transmissa.

Relatio de n. 14

(A) Quidam Patres difficultates moverunt: Primo circa fidem iam habendam antequam ad catechumenatum quis admittatur (2, 58; 6, 9; 6, 55; 3, 140): sed haec quaestio sub lite iam non est, cum Constitutio De Sacra Liturgia iam promulgata ita rem statuerit (cf. Const. citata, n. 64 col. cum n. 9). Secundo circa inopportunitatem ritus admissionis in catechumenatum (6, 11): idem respondetur; adiunctis difficilioribus providetur in art. 66 Const. De Sacra Lit. Tertio circa silentium textus schematis de « audientibus »: dicunt « antequam ad catechumenatum perveniant, multi remanent audientes ut testatur in Traditione et docetur experientia christiana » (2, 24; 5, 39): respondetur quod ad ordinem catechumenorum pertinent, non solum proxime baptizandi (seu electi, competentes, illuminandi), sed etiam audientes, scilicet ii qui, ad Christum conversi, ecclesiastice instituantur in fide et in conversatione christiana.

Textus prior remanet ergo in suo tenore, adiectis tamen verbis *in Christum* ut ratio habeatur observationum illorum Patrum qui postulaverunt ut in articulo 2 aspectus christocentricus magis exprimeretur (2, 57; 8, 157).

(B) Emendationis Commissioni transmissae proponunt, vel ut tollantur verba *sat longum* (7, 110), vel ut indicetur tempus a Conferentiis episcopalibus statuendum esse (1, 12), vel ut dicatur catechumenatum esse absolute necessarium (5, 47). De his omnibus iam provisum est in Const. De S. Lit. (ad quam textus noster sese refert in nota), ubi Concilium decrevit praxim catechumenatus instaurati iudicio Ordinarii loci subiici. Schema de activitate missionali Ecclesiae, praecise in suo capite pastorali, hanc instaurationem catechumenatus silentio praeterire nequibat. De cetero, interventus anni praeteriti hoc ipsum postulaverunt. Textus uti est propositus plane concordat cum iis quae iam decreta sunt in Const. De S. Liturgia.

(C) Legitur nunc *liberati* loco *liberantur* ex animadversione unius

Patris (8, 182) et loquitur *de potestate tenebrarum* quia prior redactio [76]
posset male intelligi de possessione daemoniaca (5, 12; 5, 79). In nota, ad calcem capitis, ablatae sunt referentiae quae de possessione diabolica potius agebant et aliae accuratiores introductae sunt.

(D) Referentiae explicitae ad baptismum et confirmationem textui
subintroductae sunt secundum votum plurium Patrum (2, 51; 6, 43; [77]
6, 54).

(E) Mentio explicita patrinorum desiderabatur a quibusdam Patribus (2, 25; 5, 40 nomine plurium; 7, 105).

(F) Haec incisa recognita est ut magis conformis efficiatur cum praefatis in Const. Lumen Gentium, secundum animadversionem Patrum (1, 12; 3, 135; 4, 49).

Relatio de n. 15

(A) Prima emendatio, qua formulatio magis speciosa praesentatur, desumpta est ex observationibus unius Patris (5, 12). Postea modus loquendi accuratior (*confusionismi, in quanto datur*) proponitur in documento a pluribus Patribus subsignato (5, 40; 6, 3). Addita de fundamento et de spiritu collaborationis respondent desideriis plurium Patrum (6, 3; 6, 61; 8, 164; 8, 214) quibus confluunt vota ab Observatoribus expressa (2, 49-50); denique verbum quoddam additur de collaboratione inter Ecclesias optanda, secundum vota Patrum (2, 63; 8, 124) et Observatorum (2, 50; 7, 139).

(B) Haec sententia, aspectum positivum enuntians, proposita est nomine plurium Patrum (5, 40).

(C) Textus de apostolatu laicorum ex parte provenit ab uno Patre (4, 35) et ex parte ab ipsa Commissione ut votorum plurium Patrum (5, 45; 6, 49; 7, 127; 8, 197) et Auditorum ratio habeatur.

Quibus additis, ut argumentum huius numeri melius currat paragraphus quae antea sexta erat in tertio loco nunc posita est.

Relatio de n. 16

(A) Sententia recognita est et fusius elaborata ad satisfaciendum observationibus Patrum (5, 86 nomine 5 aliorum; 6, 4; 6, 10).

(B) Haec incisa addita est secundum propositionem ab uno Patre factam (4, 35).

(C) Haec emendatio respondet votis 2, 58 et 4, 10.

(D) Redactio clarior, petita a pluribus (1, 14).

(E) Haec sententia subintroducta est textui, uno Patre petente (6, 43).

(F) Tota haec paragraphus novae redactioni subiecta est, elaborata

[77] secundum suggestiones Patrum (5, 84; 5, 40 nomine plurium; 4, 37; 7, 90).

(G) Oportuit etiam alludi ad ministerium altaris quo diaconus fungitur (2, 26).

Cum novus numerus 20 confectus sit ubi fusius tractetur de clero locali, ad hoc remissa est paragraphus sexta prioris schematis.

[78] *Relatio de n. 17*

(A) Incisa subintroducta est textui ut clarius appareat quod haec remuneratio respicit catechistas uti dicunt full time (2, 26; 5, 41). De his enim, praesertim, agitur in tribus primis paragraphis huius numeri; de catechistis « voluntariis » vel « auxiliaribus » tractatur in quinta paragrapho.

(B) Unus tantum Pater (4, 62) quaestionem movet de Ordinibus minoribus catechistis conferendis. Satis videtur ut schema proponat *actionem liturgicam* specialem ad catechistam instituendum.

Relatio de n. 18

Emendatio A proposita est ab uno Patre (2, 58); emendatio B, a pluribus (1, 14).

CAPUT III

Relatio de n. 19

(A) Materia prioris articuli IV constituit nunc caput speciale. Etenim plures Patres, ex omnibus fere Orbis partibus, hanc mutationem postulaverunt (5, 81; 4, 46; 6, 63-64; 6, 73; 7, 127; 8, 159; 3, 126). Rationes ab iisdem allatas ponderanti, apparet maximum momentum huius emendationis. Nam, cum de iis tractetur in capite separato, Ecclesiae novellae non iam praesentantur, sicut in textu priori, tantummodo ut terminus operis missionalis, sed ut vocatae ad laborem evangelizationis eodem titulo ac missionarii exteri (5, 81) de quibus sermo in capite sequenti. Modus loquendi de Ecclesiis novellis, qui adhibetur in priore schemate, non iam correspondet statui hodierno missionum (6, 63), cum Ecclesiae novellae sint realitas quaedam, quam non iam liceat praesentare ut merum obiectum operis missionalis; ipsae enim opera missionaria exercent et sunt subiectum activum, immo principale, in his temporibus, activitatis missionalis (3, 126).

(B) Inscriptio numeri 19 parum mutata est: loco *Ecclesiarum localium* habetur *Ecclesiarum novellarum,* ut terminologia conformis sit

modo dicendi in aliis Actis Concilii, secundum animadversionem communem pluribus Patribus (1, 14 n; 5, 36). [78]

(C) Incisa ista introducta est secundum votum plurium Patrum (5, 45).

(D) Haec addita sunt ut ratio habeatur suggestionis unius Patris (3, 142). Sententia sequens in textu priore transfertur in novum numerum immediate subsequentem.

(E) Item haec sententia introducta est ad melius conscribendam condicionem missionalem hodiernam, ad mentem unius Patris (7, 117). [79]

Commissio non retinuit suggestionem unius Patris (2, 28) rogantis ut prima paragraphus huius numeri tolleretur. Etenim non instituitur, uti putavit, oppositio inter plantationem Ecclesiae et eius autonomiam: describitur conditio specialis novellarum Ecclesiarum.

Relatio de n. 20

Hic novus numerus *de activitate missionali Ecclesiae particularis* a multis Patribus petitus est (4, 36; 1, 14 h; 6, 73; 7, 99; 2, 73; 5, 83). Ex magna parte desumptus est ex textu communiter proposito a pluribus Patribus (1, 14 h) Commissio aliqua verba adiungit de munere evangelizationis quod speciatim clero locali incumbit (3ª et 4ª paragraphus) secundum desiderata Patrum (2, 73; 5, 16; 5, 83) et huic numero integravit quaedam elementa, sparsa inter diversos numeros schematis prioris, quae idipsum argumentum respiciunt.

Ideae progrediuntur modo sequenti:

§ 1: Principium fundamentale, sc. Ecclesiam universalem reddere visibilem. Primum officium missionale: testimonium vitae.

§ 2: Testimonium verbi, cuius primus minister est Episcopus.

§ 3: Officium missionale totius cleri.

§ 4: Officium missionale religiosorum et laicorum.

§ 5: De cursibus renovationis (stat textus prioris schematis, n. olim 16).

§ 6: Annuetur ad Decretum De ministerio et vita presbyterorum, secundum animadversiones unius Conferentiae episcopalis (1, 12).

§ 7: De ministris peculiaribus saepe necessariis.

§ 8: Participatio in missionibus universalibus (partim ex N. olim 19).

Relatio de n. 21

Hic novus numerus *de apostolatu laicorum fovendo* respondet votis a pluribus Patribus expressis (5, 14; 6, 49-50; 7, 127 nomine 31 aliorum; 8, 197; 5, 45 nomine plurium), quibus adnumerantur vota cl. Audi-

[79] torum. Textus desumptus est ex propositione in documento 5, 45 facta et a Commissione recognita.

§ 1: agit de necessitate huius apostolatus in Ecclesia plantanda;

§ 2: recolit indolem huius apostolatus;

§ 3: expressis verbis significat partem laicorum in ipso opere missionali prout in capite II describitur;

§ 4: agit de officio sacerdotum erga hanc formam apostolatus;

§ 5: conclusio.

Relatio de n. 22

Pauca emendata sunt. Incisa subintroducta mentionem facit Patrum Ecclesiae, ad mentem plurium Patrum (5, 41) et in fine addita est
[80] paragraphus secundum votum plurium Patrum (5, 59, nomine plurium; 6, 37 nomine 8; 7, 113).

CAPUT IV (olim III)

Praecipuae emendationes a Patribus Conciliaribus propositae hae sunt:

1) distinctio inter vocationem missionariam fundamentalem totius Populi Dei et vocationem missionariam specialem

2) clarior enumeratio eorum, de quibus in hoc Capite agitur

3) expressa mentio necessariae formationis apostolicae.

SINGULAE EMENDATIONES

Numerus 23 (olim 21)

(A) Plures Patres insistunt in vocatione missionaria *totius* Populi Dei. Commissio plene affirmat *fundamentalem* hanc vocationem, quam omnes et singuli exercere debent, sed hoc semper « pro parte sua », « pro condicione sua », « secundum mensuram Christi ». Hoc significat terminum « fundamentalis » intellegi debere ad litteram, i. e. tanquam fundamentum, supra quo quaevis vocatio specialis innititur.

Qua de causa in initio numeri citantur verba Const. dogm. *Lumen Gentium* de vocatione missionaria uniuscuiusque discipuli Christi, sed adiungitur textus biblicus, secundum quem e numero discipulorum vocati sunt speciali modo alii, ut mittantur et praedicent. Aliis verbis: Omnis apostolus debet esse discipulus, sed non omnis discipulus est apostolus.

His responderi videtur interventionibus 2, 28; 3, 132 ss.; 5, 31; 5, 82; 8, 218. [80]

(B) De qualibus Institutis sermo fit, explicatur in nota 2. Agitur de omnibus institutionibus, quae in activitate missionali partes habent, sive sint religiosae sive saeculares, sive autochthonae sive exterae, sive exclusive tali activitati se dedicant sive eam inter alias activitates assumunt. Cf. 1, 13; 5, 1; 5, 39; 8, 160; 8, 183.

De his Institutis dicitur modo affirmativo, non exclusivo ea amplecti officium missionale commune totius Ecclesiae « tamquam proprium officium ». Non agitur de usurpatione, sed de dedicatione talium coetuum. Cf. 8, 160; 8, 183.

(C) Enumerantur, qui hoc in Capite intelliguntur *missionarii* (quamvis non omnia omnibus pari ratione conveniant). Cf. interventiones 2, 68; 2, 70; 4, 8; 4, 37; 5, 1; 5, 13 s.; 5, 31; 5, 39; 5, 42; 5, 78; 6, 9; 6, 45; 6, 49 s.; 6, 63; 7, 78; 7, 126; 7, 131; 8, 159 s.; 8, 169.

Numerus 24 (olim 22) [81]

(A) Quaeritur quaenam elementa in *vocationem missionariam specialem* intrent. In textu indicantur sequentia:

Missionarius debet 1) esse segregatus 2) esse missus ab auctoritate 3) exire 4) « longe » (non necessario sensu geographico, sed certo sensu spirituali) 5) praedicare Evangelium, et quidem ut talis, qui missus est.

His respondeatur sive satisfiat interventionibus 2, 28 s.; 3, 143; 4, 11 s.; 4, 21; 4, 37; 4, 42; 5, 13 s.; 6, 15.

(B) Verba « ad vitam » loco « per totam vitam », intellegenda sunt de generosa dispositione spirituali missionarii perseverandi in vocatione et missione sua. Non agitur de physica praesentia in aliquo territorio missionum. Ad evitanda dubia, verba a linea 9 translata sunt ad lin. 13, ubi de dispositione interna agitur (« paratus esse debet »). Retinenda videntur

1) ratione fidelitatis religiosae cum qua homo Deo vocanti respondere debet;

2) ratione ipsius activitatis missionalis, quae talis est, ut indigeat speciali praeparatione per annos protracta necnon sat longa adaptatione linguistica, culturali etc.

Cf. interventiones de hac re 4, 15; 6, 4; 7, 94; 7, 111; 7, 132; 8, 218.

(C) Verba « similem sese reddere » mutata sunt verbis ex *1 Cor.* 9, 22 desumptis, ne falsae interpretationi ansam praebeant. Cf. 2, 32; 4, 56; 5, 39.

(D) Pro verbis « scandalum crucis superans » expressio magis bi-

[81] blica posita est « scandalum crucis non erubescens ». Initio paragraphi scribitur « Annuntians Evangelium », quae verba sensum ampliorem habent. Cf. 5, 76.

(E) Ratio additur, cur oboedientia sit virtus missionario propria, « (Christus) oboedientia Sua redemit genus humanum ». Cf. 5, 77; 7, 111.

(F) Finis pastoralis coadunationum missionariorum additur « et in ministerio apostolico innoventur ».

Numerus 25 (olim 23)

(A) Speciali muneri formatio non diligens tantum, sed specialis requiritur cf. interventio scripta, non numerata.

(B) Claritatis causa loco « quaelibet officia » dicitur « officia sibi commissa ». Cf. 2, 32.

Vocabulum « alienis » retineri potest: agitur de difficultate psychologica, quae ex eo oritur, quod missionarius sub aliquo respectu semper « alienus », « extraneus » consideratur, etiamsi omni nisu sese adaptare studeat. Non agitur de morali qualitate morum, sed de eorum « alienitate », si ita loqui licet. Quare additur « etiam ». Cf. 3, 132.

[82] (C) Post verba: « Fide viva imbutus », addita sunt a Commissione plenaria « Et spe indeficienti ».

(D) Additur citatio ex Const. dogm. *Lumen Gentium,* ut indicetur sanctitatem attingi posse in ipso exercitio ministerii missionalis. Interventio non numerata.

Numerus 26 (olim 24)

(A) In titulo additur « et apostolica », quia infra de speciali formatione apostolica agendum erit.

(B) Adiuncta sunt aliqua verba, quibus momentum S. Scripturae pro formatione missionaria et pro toto eorum apostolatu insinuatur: « qua praeprimis ex Sacris Scripturis haurient, perscrutantes Mysterium Christi, cuius praecones et testes erunt ». Cf. 2, 35.

(C) In interventione 4, 1 ss. momentum scientiae religionum pro dialogo cum non-christianis sublineatum est. Hac de causa cognitionem non theoreticam tantum, sed comprehensivam et vivam postulavit. Commissio censet se huic voto satisfecisse, cum lin. 36 s. dicat « religionum cognitionem non tantum ad praeteritum, sed et ad praesens tempus spectantem » necessariam esse; insuper pag. 42 lin. 19 ss. dicit: « perspiciant ... praecepta religiosa necnon ideas intimas quas (populi) secundum sacras sibi traditiones de Deo ... efformaverint ».

(D) Facilioris intellegentiae causa expressis verbis studia missiologica nominantur, addita voce: « apprime » ob momentum huius scientiae pro activitate missionali. Cf. 3, 132. [82]

(E) Verbis « methodos, quae nunc temporis » methodi hucusque adhibitae nullo modo excluduntur, minus adhuc condemnantur et contemnuntur nihilque dicitur de earum inefficacitate. Affirmatur sine ira et studio missionarium scire debere de methodis « quae nunc temporis efficaciores recensentur », ut iis uti queat, si hoc utile esse censet. Cf. 3, 128 s.; 3, 131.

(F) Fit insertio de formatione apostolica, praesertim practica iuxta mentem Concilii et Const. Apost. *Sedes Sapientiae.* Cf. 4, 7 s.; 6, 40.

(G) Adduntur aliqua verba de formatione eorum omnium qui *ad tempus* partes in activitate missionali assumunt. Affirmatur hanc formationem debere esse « conditioni adaequatam ». Cf. 4, 31.

(H) Ne videatur iudicium ferri de obiectivo charactere sacro traditionum populorum, dicitur « secundum sacras *sibi* traditiones ». Cf. 5, 39.

(I) Adduntur quaedam verba de necessaria introductione pastorali novorum missionariorum relate ad diversitatem coetuum et locorum ad quos missi sunt. Cf. 4, 7 s.; 6, 40.

Numerus 27 (olim 25) [83]

Diversas, immo oppositas interventiones provocavit. Rationibus pro et contra perpensis, Commissioni visum est numerum non esse supprimendum. Nequaquam sapit triumphalismum (contra 8, 183). Necessitas Institutorum pro activitate missionali exercenda manet, etsi modi quibus eam exercent in futuro mutari possint. (Cf. 3, 98; 4, 43; 4, 48; 5, 60; 6, 68; 7, 82; 8, 183).

(A) Sublineatur momentum experientiae qua testatur opus missionale ab individuis expleri non posse. Cf. 1, 13.

(B) Commendatur Institutis, ut ipsa formationi eorum qui ad tempus exeunt incumbant (3, 113; 4, 31).

CAPUT V (olim IV)

Numerus 29 (olim 27)

(A) Verbum « imprimis » additur ut in memoria revocetur necessaria sollicitudo etiam omnium Christifidelium erga evangelizationem mundi (5, 14; 6, 3; 8, 197).

[83] (B) Ponitur « Salvo iure Ecclesiarum Orientalium » ut earum genium proprium conservetur (3, 120; 6, 24).

(C) Post verbum « nuntia » additur « genuina et adaequata » (4, 72; 8, 198).

(D) Sicut plures Patres petierunt, auspicatur ut vitae concretae inveniantur ad collaborationem fraternam fovendam cum aliis communitatibus christianis, ut scandalum divisionis tollatur (5, 23; 5, 78; 8, 164-165; 7, 143).

(E) Quoad compositionem ipsam huiusmodi Dicasterii, sicut expresse postulaverunt multi Patres, textus clarior et praecisior praesentatur. Omnes laudant et volunt reordinationem, dummodo vere efficax sit, et cum voce deliberativa in decisionibus quoad directionem totius operis missionalis ex parte illorum qui seligendi sunt ex omnibus regionibus Orbis (3, 84 cum 77 aliis; 3, 97; 5, 25 nomine plus quam 77 Patrum; 5, 39-40; 5, 64; 5, 74; 6, 14; 7, 121; 7, 134-135; 8, 170; 8, 188 nomine 38 aliorum; 8, 208 nomine 110 Patrum).

(F) Participatio mulierum, et speciatim religiosarum postulata a multis Patribus libenter in textu introducitur (4, 56; 7, 90; 8, 184). Verbum « praesertim » ante « internationales » ponitur ne aliae organizationes laicorum excludi videantur.

Numerus 30 (olim 28)

(A) Ad maiorem coordinationem activitatis missionalis in memoria evocantur quae in Decr. De Past. Episc. Munere statuta sunt. Auctoritas missionis sit Episcopus et quidem residentialis (5, 55).

[84] *Numerus 31* (olim 29)

(A) Quae dicuntur de Conferentiis Episcopalibus in praefato Decr. de Past. Episc. Mun. applicari debent (2, 68; 5, 3; 7, 134; 8, 183; 8, 213 nomine 36 Patrum).

Numerus 32 (olim 30)

(A) Inscriptio fit de « ordinatione » loco « coordinatione » quia magis ad rem sonat.

Aliqui petierunt ut quando dicitur Institutum, addatur « vel dioecesis iuris communis » (4, 17 nomine 121 Patrum, et quoad mentem, 4, 27-28). Hoc esset faciendum si admitteretur commissio dioecesibus: de hoc autem vide Relationem generalem II, 2.

(B) Textus hic tuetur autonomiam Conferentiarum Episcopalium et Institutorum in conventionibus inter se ineundis. Sic servatur prin-

cipium subsidiaritatis. Cf. Decr. de Past. Ep. Mun., 35, 5 (5, 3-4 nomine 39 Patrum; 6, 13; 8, 176; 8, 190-194). Quoad mutationem iuris commissionis, dantur a Patribus lineamenta (8, 170), sed Commissio ad potiora principia limitari debuit; textus tamen, praecise illas conventiones mutuo consilio faciendas commendat. [84]

Numerus 34 (olim 32)

De Institutis scientificis hic breviter in textu momentum sublineatur, sed sicut nonnulli (5, 40; 5, 55; 5, 57-58) merito postulaverunt, campus quasi sine limite se exhibet.

(A) Post verba « scientifice praeparentur », ut in realitatem vitae haec omnia deducantur, adduntur verba « et in ipsa exsecutione adiuventur ». Sic Instituta scientifica non solum theoretice agunt, sed etiam in ordine practico activitatis missionalis.

(B) Tandem post verbum « ethnologiam » additur « et linguisticam », ut momentum maximum huius scientiae appareat (5, 20; 7, 135).

CAPUT VI (olim V)

Observationes generales

1) Proponantur fundamenta doctrinalia pro officio singulorum ad cooperationem missionalem (3, 108). Respond.: Ex parte haec fundamenta adsunt in nostro capite; alia inveniuntur in capite primo.

2) Caput quintum (sicuti et alia capita a secundo) respicere videtur potius clerum externum, non vero indigenam (5, 38). Respond.: Cooperatio sua natura potius eos afficit qui extra missiones degunt; qui vero in missionibus inveniuntur ad ipsam activitatem missionalem sunt invitandi, sive sint exteri sive indigenae — sed de hoc agitur in capite secundo.

3) Desideratur aliquid rationis oecumenicae (6, 31-32; 6, 60-61; 7, [85]
139; 7, 143; 8, 167). Respond.: Provisum in textu, sub num. 36 (olim 34).

Numerus 35 (olim 33)

(A) Contradictio cernitur cum num. 5, ubi ratio missionalis Ecclesiae dicitur pendere a missione apostolica episcoporum, atque concordia proponitur (4, 48). Respond.: Differentia ex alio et alio titulo rationis missionariae Ecclesiae. Utcumque quaestio doctrinalis remittenda ad caput I.

[85] Novus textus proponitur a 7, 124. Respond.: Non placet novus textus quia nimis exhortatorius.

Numerus 36 (olim 34)

Mentio fiat de officio assistendi operarios et studentes qui ex terris missionum ad terras antiquitus christianas adveniunt (4, 12); immo etiam illos qui ratione turistica veniunt (4, 56). Respond.: Recipitur primum; respuitur alterum, cum phoenomenon non ita grave omnibus membris subcommissionis appareat.

Numerus 37 (olim 35)

1) Agnoscatur possibilitas commissionis missionis singulis etiam dioecesibus, sicuti fit pro Congregationibus religiosorum (3, 98; 4, 27; 6, 63; 8, 178), immo et ipsa seminaria ad hoc instituta tales missiones suscipere valeant (4, 31). Respond.: Hoc nimis saperet « gemellaggio » circa quod mentes Patrum sat divisae sunt, proinde melius non ingrediamur in quaestionem ita particularem. Ceteroquin in casu singulo, providebit SCPF.

2) Non nomen tantum sed et radix ipsa instituti vulgo « gemellaggio » extirpetur e textu ob pericula quae secumfert (5, 8 ss.; 7, 95; 7, 116; 4, 39; et quodammodo 1, 7). Respond.: Ipsa idea nequit expungi cum maioritas Patrum Commissionis clare pro gemellatione suo tempore steterint; attamen idea sat extenuata est in praesenti textu atque cautelis praedita: communio erit praesertim in spiritualibus.

3) Connexio specialis inter missionem et communitatem ex qua ortum sumpsit missionarius, fundamentum habet tandem aliquando in pertinentia sacerdotis missionarii ad presbyterium sui episcopi originis (2, 40). Respond.: Transeat explicatio theologica, attamen hic aliud volumus extollere, seu vincula spiritualia specialia quae statuuntur.

Numerus 38 (olim 36)

1) Non sufficienter extolluntur partes et onus episcopi in cooperatione missionali (2, 40-41; 3, 109; 6, 70; ex parte 4, 49). Respond.:
[86] Pro parte nostra sat extulimus episcopum in hoc numero; ex parte tamen excipitur suggestio 4, 49 quoad suppressionem vocis *sive singuli,* initio numeri.

2) Nimis extollitur momentum Conferentiarum episcopalium (5, 31; 7, 95). Respond.: Conferentia bene exprimit indolem collegialem episcopatus.

3) Faveatur aditus et permanentia in missionibus illis sacerdotibus

dioecesanis qui nomine Fidei Donum veniunt (5, 41; 6, 60; 4, 39). [86]
Respond.: Ex parte provisum per mutationem vocis *saltem* ad tempus, loco *generatim* ad tempus. Non expedit alia addere.

4) Numerus fiat efficacior quoad subsidia pro missionibus (2, 40-41; 7, 84; 7, 85; 8, 167; 8, 176 ss.; 8, 197). Respond.: Textus est sat explicitus, at non expedit ad particularia descendere, huius praesertim generis, in documento conciliari.

5) In luce ponatur aspectus practicus Pontificalium Operum Missionum in colligendis et distribuendis subsidiis (4, 65-66; 6, 74; 6, 28). Respond.: Recipitur textus propositus, cum sit vere ad rem.

Numerus 39 (olim 37)

1) Dicendum omne sacerdotium habere dimensionem missionalem (2, 41). Respond.: Est etiam mens subcommissionis.

2) Non est opportunum tradere hic doctrinam de sacerdotio (8, 184). Respond.: Quaedam tamen oportet innuere ut clara sint quae sequuntur.

3) Loco praesentis textus in p. 26 lineis 16-17, melius ponatur textus qui incipit « in triplice ... » (6, 4). Respond.: Excipitur suggestio, cum videatur bene ad rem.

4) Novus textus pariter proponitur pro lin. 24, quo appareat desiderium sacerdotum dioecesanorum adeuntium missiones saltem ad tempus (4, 56). Respond.: Suggestio excipitur cum eadem sit mens subcommissionis.

5) Instituantur specialia seminaria pro Missionibus (7, 90). Respond.: Ex parte iam provisum in textu.

Numerus 40 (olim 38)

1) Agat numerus de solis illis qui in patria manent (4, 40). Respond.: Instituta perfectionis sua totalitate agunt, nec actio eorum qui sunt in missionibus facilis vel etiam possibilis est sine illis qui in patria manent.

2) Arctius connectantur Instituta perfectionis cum hierarchia (5, 4; 4, 45). Respond.: Est mens ipsius subcommissionis, sed res satis adest in textu.

3) Non placet illud « sub auctoritate Conferentiarum episcopalium » sub fine numeri, ob diversas rationes (6, 50; 7, 95). Respond.: Excipitur animadversio et expungitur textus ad evitandas difficultates interpreta- [87]
tionis.

4) Ne dicatur « laicorum » sub fine numeri, ob incertam definitionem Institutorum saecularium (8, 148). Respond.: Excipitur emendatio quia est ad rem, et novus proponitur textus.

[87] *Numerus 41* (olim 39)

1) De his omnibus agatur in capite III (4, 40). Respond.: Sed hic res tanguntur sub respectu *cooperationis* a laicis praestandae.

2) De laicis non satis agitur qua concrete in mundo existentibus (3, 108); ulterius urgeatur apostolatus directus laicorum (5, 26); non satis de ipsis agitur (8, 189). Respond.: Pro scopo et extensione capitis videtur subcommissioni satis de re actum esse.

3) Laici assumantur uti periti inter consultores Dicasterii centralis pro fidei propagatione (7, 89).

4) Ad finem p. 27 dicatur cooperationem oeconomico-socialem fieri debere iuxta principia sociologiae catholicae (7, 82). Respond.: Res patet, sed hic tantum necessitas cooperationis innuitur.

Quoad conclusionem:

Novus textus proponitur a 2, 42, sed nimis exhortatorius; item a 7, 95, sed non congruit cum mente subcommissionis; 4, 40 novas ideas proponit, quae non videntur ad rem. 1, 7 vero desiderat ideam trinitariam quae adest iam initio schematis. Respond.: Textus conclusionis funditus recognoscitur, includendo etiam desideratam ideam trinitariam.

[89]

4 – SUFFRAGATIONES

CIRCA TEXTUM EMENDATUM

1) n. 1-4 *placet* vel *non placet*
2) n. 5-6 *placet* vel *non placet*
3) n. 7 *placet* vel *non placet*
4) n. 8-9 *placet* vel *non placet*
5) n. 1-9 (Caput I) *placet* vel *non placet* vel *placet iuxta modum*
6) n. 10-12 *placet* vel *non placet*
7) n. 13-14 *placet* vel *non placet*
8) n. 15-18 *placet* vel *non placet*
9) n. 10-18 (Caput II) *placet* vel *non placet* vel *placet iuxta modum*
10) n. 19-20 *placet* vel *non placet*
11) n. 21-22 *placet* vel *non placet*
12) n. 19-22 (Caput III) *placet* vel *non placet* vel *placet iuxta modum*
13) n. 23-26 *placet* vel *non placet*
14) n. 27 *placet* vel *non placet*
15) n. 23-27 (Caput IV) *placet* vel *non placet* vel *placet iuxta modum*

16) n. 28-29 *placet* vel *non placet* [89]
17) n. 30-31 *placet* vel *non placet*
18) n. 32-34 *placet* vel *non placet*
19) n. 28-34 (Caput V) *placet* vel *non placet* vel *placet iuxta modum*
20) n. 35-42 (Caput VI) *placet* vel *non placet* vel *placet iuxta modum*

REV.MUS P. IOANNES SCHÜTTE
Societatis Verbi Divini Superior Generalis

RELATIO GENERALIS

[*Cf. pag. 261-266*].

Moderator: Gratias maximas agimus relatori et membris commissionis pro labore feliciter confecto et adimpleto. Audiatur nunc secretarius generalis.

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO, arch. Matritensis-Complutensis, *subsecretarius Concilii*: Devenimus, Patres, ad lectionem schematis *de activitate missionali Ecclesiae,* ut perveniamus ad suffragationem. Videatis pag. 5, latus dextrum nn. 1-4 [*cf. pag. 207-211*]. *Placet* Patribus an *non placet*? Videatis, Patres, quod *placet iuxta modum* sunt suffragia nulla, et ita computantur.

Secretarius generalis: Proponitur interea altera suffragatio. Nam textus legendus est et, hoc tempore, potest et schedula auferri et nova schedula distribui.

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum, *subsecretarius Concilii*: Lego nunc textum proximae suffragationis, 438, quod inveniatur pag. 8, nn. 5-6 [*cf. pag. 211-214*]. Quaeritur: *placet* an *non placet*?

Moderator: Loquatur nunc *de Positione de Sacrarum Indulgentiarum recognitione* em.mus D. card. Ignatius Tappouni... Audiatur em.mus D. card. Patriarcha Maximos IV.

1

BEAT.MUS D. MAXIMUS IV CARD. SAIGH
Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Vénérables Pères,

Je parle au nom du Synode de l'Episcopat Grec-Melkite Catholique, et je voudrais commencer par déclarer ce qui suit:

Il est incontestable que l'Eglise peut ajouter une valeur propitiatoire supplémentaire aux actes pieux du chrétien, en vertu des mérites infinis du Christ et de la Communion des Saints; car, unie au Christ, son Chef, l'Eglise a un pouvoir d'intercession universelle.

Il est incontestable aussi que le pouvoir d'intercession de l'Eglise peut obtenir de Dieu une condonation, partielle ou totale, de la peine due au péché pardonné. Cela équivaut à affirmer que l'Eglise peut obtenir de Dieu une rémission, que l'on peut appeler « indulgence », partielle ou totale, des peines en faveur de ses fils repentants.

Quant à établir une équation exacte entre l'intercession de l'Eglise et la rémission, par Dieu, de la peine due au péché, cela est non seulement sans fondement théologique, mais a été cause d'innombrables et graves abus, qui ont causé à l'Eglise des maux irréparables. Il faut donc que cela soit positivement supprimé.

En effet, rien dans la *tradition* primitive et universelle de l'Eglise, ne prouve que les Indulgences étaient connues et pratiquées, comme elles l'ont été ensuite par le Moyen-Age occidental. En particulier, pendant les onze siècles, au moins, qu'a duré l'union de l'Eglise d'Orient et de l'Eglise d'Occident, il n'y a aucune trace des Indulgences au sens usuel moderne du mot. Aujourd'hui encore, l'Eglise orthodoxe, fidèle à la tradition primitive, ignore les indulgences, telles que l'Occident les entend.

Le *raisonnement théologique* qui cherche à justifier l'introduction tardive des Indulgences en Occident constitue, à notre avis, un ensemble de déductions où chaque conclusion dépasse un peu ses prémisses.

En réalité, les Indulgences sont liées historiquement à l'ancienne discipline pénitentielle de l'Eglise. Pour chaque faute grave extérieure, les Eglises prévoyaient une pénitence publique plus ou moins longue, plus ou moins pénible. Parfois, une mitigation de cette sanction canonique était accordée, soit à la recommandation d'un pieux personnage, soit à la faveur d'actes extérieurs, comme un pèlerinage ou autre. Naturellement, à l'accomplissement de ces sanctions canoniques, correspond

une diminution de la peine par laquelle Dieu veut, dans sa bonté et sa justice, châtier le péché, soit ici-bas, soit au-delà. Mais en imposant ces sanctions ou en les mitigeant, ou en en dispensant, l'Eglise primitive n'entendait nullement interférer dans les jugements de Dieu, pour l'amener à supprimer toute peine ou à la réduire d'une manière déterminée ...[1]

Au Moyen-Age, les Indulgences ont connu d'innombrables abus qui ont été de graves scandales pour la chrétienté.

Mais même de nos jours, il nous semble que la pratique des Indulgences favorise trop souvent ...[2] une sorte de pieuse comptabilité, avec l'oubli de ce qui est l'essentiel, à savoir le sacré et l'effort personnel de pénitence.

Conclusion: C'est pourquoi, nous voudrions que l'Eglise, si elle tient à ne pas supprimer les Indulgences purement et simplement, par un acte positif de sa part, nous voudrions qu'elle réajuste sa pratique des Indulgences pour la rendre acceptable. *Pour celà il faudrait*[3]

1) en supprimant toute comptabilité de jours, d'années ou de siècles: ce point le schéma corrigé l'a déjà réalisé;

2) en supprimant, dans la notion d'indulgence partielle, tout rapport d'équation mathématique entre mérite du pénitent et apport satisfactoire de l'Eglise; car, l'Eglise ne multiplie pas par un coefficient déterminé le mérite des fidèles;

3) en supprimant, même dans l'indulgence plénière, toute idée d'assurance automatique d'acquittement total;

4) en développant une théologie où l'accent serait mis sur la satisfaction personnelle des fidèles, valorisée et élevée par les mérites du Christ.

Ainsi l'on fait comprendre aux fidèles que l'Eglise ajoute, de fait, à la valeur intrinsèque de leurs prières et de leurs bonnes œuvres, la valeur infinie des mérites du Christ et de son Corps, qui est l'Eglise; et cela, du fait même que, appartenant à l'Eglise comme ses membres, ils participent à la vie divine qui anime tout le Corps.

Ce faisant, l'Eglise Catholique évite des difficultés doctrinales avec les Réformés, des difficultés au moins disciplinaires avec les Orthodoxes, et des difficultés pastorales avec les Catholiques eux-mêmes. Ainsi aussi, la prière des fidèles n'est plus isolée, mais unie au Christ et à l'Eglise.

Voilà en quoi consiste l'« Indulgence ». Leurs peines, imposées ou volontaires, les fidèles les porteront avec le Christ, qui leur donne une valeur infinie de rédemption. Quant à la peine temporaire que méritent leurs péchés, l'Eglise ne la frappe pas des sanctions canoniques. Les fidèles accepteront le châtiment de *la*[4] main paternelle, en toute sou-

mission et confiance, et feront spontanément pénitence par amour pour leur Père. Ils prieront aussi pour leurs défunts, sans chercher à savoir exactement, ni la peine dont ceux-ci souffrent, ni la mesure exacte, pleine ou partielle, de l'aide qu'ils peuvent leur apporter. Dans cette lumière, on comprendra mieux la valeur d'une bénédiction donnée par un Evêque ou un Prêtre, la valeur d'un pèlerinage, le port d'un objet pieux, la participation à un office recommandé par l'Eglise, etc. ... Ce sont ces vérités incontestables qui peuvent, seules, créer dans l'âme un sens vraiment chrétien du péché et de la satisfaction.

Donc, résumant tout en un mot, nous dirons de faire intervenir le pouvoir propitiatoire de l'Eglise en raison des mérites infinis du Christ, au lieu d'entrer dans des détails de comptabilité où les erreurs et les abus ont libre jeu. Le Christ est, et doit rester, la pierre angulaire, l'alpha et l'oméga de toute notre sainte Religion où tout doit se ramener à Lui. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Quand on a supprimé, dans la discipline de l'Eglise, l'usage des sanctions canoniques publiques, on aurait dû, normalement, supprimer aussi la concession des Indulgences, qui avaient précisément pour but de tempérer ou d'enlever des sanctions canoniques. En les maintenant, on a fait un passage, indû et trop précis, du régistre humain et canonique au régistre divin. [2] chez les fidèles, le fétichisme, la superstition, le sens de la capitalisation religieuse. [3] deest. [4] sa.

Exc.mus P. D. Casimirus Morcillo, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio 439, n. 7 [*cf. pag. 214-216*]. *Placet* an *non placet?*

Moderator: Rogantur Patres ut suo loco stent pro votationibus. Nunc transitus fit ad aliam votationem.

Exc.mus P. D. Gulielmus Kempf, ep. Limburgensis, *subsecretarius Concilii*: Sequitur suffragatio n. 440. Videatis par. 8-9 in pag. 13 [*cf. pag. 216-218*]. Venerabiles Patres, *placet* textus an *non placet*?

2

Beat.mus P. D. PAULUS PETRUS card. MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Brevitatis studio et ne tempus inutiliter multis repetitionibus teratur, observationes Conferentiae Maronitarum et meas observationes secretariae post Consilium hoc tradam scripto.

Textus scripto traditus:

I

Les Archevêques et Evêques maronites, présents à Rome pour la quatrième session du Concile Vatican II, réunis sous la présidence de Sa Béatitude Eminentissime le Cardinal Paul Pierre Meouchi, donnent, à la question des Indulgences, la réponse suivante:

1) La pratique des indulgences, inconnue dans l'ancienne tradition de l'Orient, a passé dans les usages de l'Eglise maronite, par l'intermédiaire des Missionnaires latins. Le clergé et les fidèles n'ont montré aucune répugnance à son égard, bien au contraire, ils l'ont accueillie avec esprit de foi, comme ils accueillent toute faveur du Saint Père.

2) Actuellement on ne peut dire qu'elle garde la même estime: les fidèles les plus instruits se posent des questions à son sujet; elle continue toutefois à nourrir la piété d'un certain nombre d'âmes, plus portées aux pratiques de dévotion. L'attention et le zèle des pasteurs sont à présent sollicités par des besoins plus élémentaires à la fois et plus fondamentaux.

3) Cette pratique ayant pénétré dans nos usages au nom de l'Eglise Romaine, nous continuerons à suivre l'accommodement que l'Eglise Romaine voudra bien y porter et qui semble éminemment souhaitable. Notre vœu est que cette pratique soit simplifiée — le moins de nomenclature possible — et que soit nettement mis en relief son rapport à une véritable conversion du cœur et à une vie de charité autant que possible parfaite.

[*Subscripserunt etiam*] Fr. Ayoub, arch. mar. Alep.; A. Abed, arch. mar. Tripoli; Abdallah Nujaim, ep. mar. Baalbek; A. Khoraiche, ep. mar. Saida; E. Farah, ep. mar. Cipro; M. Doumith, ep. mar. Sarba; Fr. Zayek, aux. mar. São Sebastião do Rio de Janeiro; P. Sfair, ep. tit. mar. Nisibi; I. Khoury, arch. mar. Tyr.

II

Animadversiones beat.mi patriarchae Meouchi.

Quamquam fasciculus qui intitulatur *Positio de Sacrarum Indulgentiarum recognitione* in genere placet, in quantum earum fundamentum theologicum reconsiderat et earum numerum minuit, liceat tamen aliquas particulares observationes de his quae in eo dicuntur facere.

Pars prima: 1) Pag. 14: citatio epist. S. Pauli ad Colossenses, cap. I, v. 24, videtur complenda esse, ut in textu Pauli iacet: « ... pro Corpore Eius quod est Ecclesia ».

2) Eadem pagina: citatio epist. ad Galatas, cap. 6, v. 1, videtur non esse ad rem. Paulus, enim, ad caritatem fraternam hortatur, quin ad indulgentias directe vel indirecte alludat.

3) Pag. 19: auctoritas Ioannis, cap. 20, v. 23, qui verba Christi resuscitati refert, videtur esse distinguenda ab illa Matthaei, cap. 16, v. 19, et cap. 18, v. 18, qui promissiones tantum Domini profert.

4) Argumentum « a fortiori » quo theologia indulgentiarum quaerit fulciri, non in littera horum textuum fundari videtur.

5) « Absolutiones » de quibus in pag. 22, n. 5, et quorum vestigia adhuc inveniuntur apud aliqua Regularium Instituta, et etiam in rituali romano exsequiarum et in sacramentalibus, non sunt nisi formulae deprecativae, nec cum indulgentiis relationem habere videntur.

6) Pag. 26: cum loquatur de indulgentia ut est « remissio poenae temporalis », ratio etiam, et potius, habeatur poenitentiae sacramentalis, quia poenitentia sacramentalis remittit, per prius, poenas temporales.

7) Pag. 29, lin. 1: « Haurire » videntur indulgentiae in thesauro Christi, ex eius meritis ditato, etsi soli praelati ea legitime dispensare possunt.

8) Pag. 31: addendum esset quod praeter characterem baptismalem, requiritur, ad lucrandas indulgentias, vinculum communionis cum Sancta Matre Ecclesia catholica, quia christiani non-catholici aut indulgentias directe negant, aut purgatorium ipsum non admittunt: nisi aliter videat Mater Ecclesia. Et desiderandum esset ut hoc clarius declararetur.

Pars secunda: 1) *Cap. I*: pag. 39, ad secundum: sententia quae sic habetur: « tantam adhuc remissionem coram Deo poenae temporalis, quantam ipse eadem prece vel pio opere iam acquirit », mutetur in sequenti: « tantumdem, vel totidem adhuc remissionem coram Deo poenae temporalis quam ipse... etc. ».

2) *Cap. II*: pag. 40:

I - Detur: *a*) definitio indulgentiarum (ut invenitur in can. 911); *b*) detur etiam divisio in plenariam et partialem.

II - Quodsi definiatur indulgentia « partialis » (vide cap. I, ad 2um), idem fiat pro « plenaria ».

III - Denique, addatur ad 1 par. « excepto articulo mortis ».

3) *Cap. III*: pag. 41: addatur ad calcem 1 par.: « et exercitia cultus vel devotionis »: nam, e. g. visitatio Sanctissimi Sacramenti, lectio Sacrae Scripturae, Oratio quadraginta Horarum, processiones et peregrinationes non sunt proprie loquendo opera apostolatus, misericordiae vel caritatis.

— Ad 2 par.: si mutetur Rosarium mariale in indulgentiam personalem, et recte quidem, dicatur « Recitatio » Rosarii marialis.

— Ad 3 par.: quantum ad numerum « circa decem » indulgentiarum piis Associationibus concessarum, mensura videtur excessiva, praesertim si continuetur concessio quotidiana vel menstrua pro quibusdam precibus (e. g. O Bone et dulcissime Iesu, Angelus Domini, etc.).

Praeterea, verbum « adimplementum » non invenitur in lexicis, bene tamen « adimpletio », tamquam verbum ecclesiasticum, et melius « executio » operis.

— Ad 5 par.: innuatur enumerationem propositam esse explicativam, non limitativam, ne excludantur « tridua, novendiales, octavariae » et mensiles devotiones usu receptae.

4) *Cap. IV*:

I - *a*) Ad 1 par.: pro « devote defert », forte melius dicatur « secumfert »; *b*) addatur (vide infra in par. 4): *vel domi reverenter servat*; *c*) videtur, ad mentem cap. I, par. 2, requirenda aliqua « prex vel pium opus ».

II - Ad 4 par.: cur « parva » statua, cum in domibus vel plateis etiam « magnae » inveniri possint. Et quid de « icone vel imagine seu effigie » sacra, quae etiam indulgentiarum obiectum esse possunt.

Pars tertia: 1) Ad quaestiones pag. 58:

— ad primam: placet nova norma pro indulgentia partiali.

— ad secundam: vide observationes supra latas pro cap. I.

2) Ad quaestiones pag. 65:

— ad primam: strictior norma placet, sed ita ut excipiatur « articulum mortis ».

— ad secundam: vel una tantum sibi indulgentia lucranda in die, vel, modo strictiore, statuendae sunt dies aliquae ad indulgentias per annum lucrandas. Ultra hoc, pro defunctis tantum lucrari possunt indulgentiae.

— ad tertiam: sufficeret confessio semel in mense, etsi non intendatur expresse indulgentia lucranda.

— ad quartam: placet.

— ad quintam: vide observationes supra latas pro cap. II.

3) Ad quaestiones pag. 71:

— ad primam: recognoscantur et valde reducantur eorum numeri.

— ad secundam: vide observationes supra latas, pro cap. III.

4) Ad quaestiones pag. 81:

— ad primam: omnes indulgentiae sint « personales » aut « locales », sublatis « realibus » forse.

— ad secundam: benedicendi facultas tribuatur omnibus sacerdotibus, quin exinde dentur indulgentiae (vide pag. 29, par. 5, lin. 1).

— ad tertiam: « unico signo Crucis », praeterquam in casu publico seu solemnis benedictionis.

— ad quartam: vide observationes supra latas, pro cap. IV.

5) Ad quaestiones pag. 91:

— ad primam: placet.

— ad secundam: placet.

— ad tertiam: vide observationes supra latas, pro cap. V.

Conclusiones: 1) Regula « semel in die » valeat pro indulgentiis « personalibus ».

2) Sed « locales » indulgentiae possint esse « toties quoties », i. e semel in die, sine praeiudicio alius « personalis » indulgentiae.

3) Possuntne omnes partiales indulgentiae acquiri toties quoties, an semel tantum in die (e. g. litaniae), aut semel in mense? (de hac quaestione nihil clarius in textu).

4) Si indulgentiae « magni faciendae sunt ab omnibus » (vide can. 911) efficaciter curandum est ne vilescant nimia copia et facultate eas acquirendi.

Hae conclusiones et observationes quae praecedunt valent, si Ecclesia ad traditionem quae viget de indulgentiis dispensandis sistere cupit secundum textum quem nobis proposuit.

Alias conclusiones praesentare desidero quibus exprimitur mens mea.

1) Quaestio de « indulgentiis », cum historiam abusibus sat confertam, ut ex textu ipso proposito facile videtur, cumque illa historia in memoriam dolorosa reducat, ne agitetur.

2) Illa quaestio, vero, Oecumenismo adiutricem operam dare non potest, sed e contrario, cum fratres non-catholici indulgentias, maxima cum diffidentia, consi-

derent, et eas, aliqui eorum maliciose aestiment tamquam pecuniam qua christianus uti possit vel immediate — in hac vita (cash and carry) — vel mediate, quando limites huius mundi pertransierit, ad salutem faciendam — traveler Chèques, à encaisser outre-tombe.

3) Nonnulli theologi catholici asserunt indulgentias fundamento dubio fulciri.

4) Ad sacrificio Christi supremo valorem supremum dandum, ne nimius instemus in indulgentiis, ne tollatur sensus et momentum Sacrificii Crucis.

5) Ne his « qui foris sunt » risui indulgeamus, videatur si supprimi possint et altaria privilegiata et illa quae gallice nominantur « trentain grégorien » et les « bâtons des pénitenciers ».

6) Moneantur episcopi omnes et sacerdotes ut, magna cum sollertia, educationem christianam, in hoc puncto, faciant et fidelium conscientiam magis adultam efforment, quia sensus indulgentiarum multos effugit.

7) Ideoque in hoc quod sequitur standum esset:

Supprimantur pars secunda et pars tertia textus propositi, ubi loquitur de denominationibus indulgentiarum: nec sint plenariae, nec partiales, nec personales, nec locales, nec reales, etc.

Tantum hoc dicatur: operae bonae, cum fervore religioso et spirituali et cum sinceritate factae, scilicet operae caritativae, sociales vel devotionales, indulgentiis ditentur quam maximis, i. e. beneficiis spiritualibus ad sanctitatem personalem pertinentibus, vel ad salutem animarum in purgatorio adhuc detentarum.

Secretarius generalis: Audiatis, Patres, exitum suffragationis super integro schemate *de apostolatu laicorum*:

Praesentes et suffragantes		2.208
Dixerunt	*placet*	2.201
	non placet	2
	placet iuxta modum	2
et vota nulla		3

Ergo in congregatione generali schema probatum est et proponetur Summo Pontifici pro sessione publica. [*Plausus*].

Patres venerabiles, proponitur suffragatio 441, super totum integrum caput *de activitate missionali Ecclesiae*. Lego tantum principium et finem, a pag. 5 [*cf. pag. 207*]: « Ad gentes divinitus missa ut sit "universale salutis sacramentum", Ecclesia ex intimis propriae catholicitatis exigentiis, mandato sui Fundatoris oboediens, Evangelium ad omnes homines afferre contendit ».

Et reliqua, usque ad pag. 15, in his verbis: « ... crescit et superaedificatur super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu ».

Patres venerabiles, hoc caput *placet, non placet, placet iuxta modum*? Triplex formula nunc.

Qui modos apponunt, tradant modos assignatoribus locorum. Si possibile est, tradant schedam seorsim a modis, non schedam involutam cum foliis modorum ita ut quasi abscondatur scheda. Est res technica: scheda, et modi seorsim. Gratias.

3

BEAT.MUS P. D. STEPHANUS I CARD. SIDAROUSS
Patriarcha Alexandrinus Coptorum

...[1] Fatendum est, in Aegypto ubi catholici sunt parva minoritas in medio quinque mille millia coptorum fratrum seiunctorum necnon multorum protestantium, argumentum Indulgentiarum esse magnum obstaculum *unionis*,[2] ideo hoc denuo agitandum, opportunum non esse iudicavimus.

Attamen, fideles nostri catholici doctrina Indulgentiarum credunt et ita coronas Rosarii aut alia pietatis obiecta benedicenda afferunt et indulgentias pro animabus Purgatorii lucrare cupiunt.

Ideo, nobis visum est schema nobis propositum cum omnibus articulis ibi sapienter expositis accipiendum esse; quod unanimiter Synodus Patriarchalis approbavit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Synodus Patriarchalis Ecclesiae Coptae Catholicae rite convocata in Collegio Leoniano, sub mea praesidentia, congregata fuit.

Hic adfuerunt RR. ac. EE.DD. Isaac Ghattas, archiepiscopus Thebes et Louxor; Boulos Noussier, archiepiscopus Miniae; Youhanna Nouêr, episcopus Assiout et Youhanna Kabès, episcopus tit. Cleopatriae, aux. Patr.

Ordo diei praefixus erat ad examinandam quaestionem de Sacrarum Indulgentiarum recognitione, secundum schema Synodo propositum. [2] conversionibus.

Secretarius generalis: Quidam Patres, praesides conferentiarum episcopalium, petunt utrum habenda sit adunatio crastina, i. e. die 11 novembris, prout statutum fuerat. Sed, uti patet, expositio de indulgentiis translata est ad hanc aulam; quapropter automatice cadit illa adunatio. Quapropter crastina non erit, hora quinta, adunatio praescripta; iam fit nunc in aula. Gratias.

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, ep. tit. Prienensis, aux. Parisiensis, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio 442, cuius textus inveniatur in pag. 19: cap. II, nn. 10-12 [*cf. pag. 221-225*]. Hic textus *placet* vel *non placet*?

4

EM.MUS P. D. EMMANUEL CARD. GONÇALVES CEREJEIRA
Patriarcha Lisbonensis

Ego Emmanuel card. Gonçalves Cerejeira, patr. Lisbonensis, in nomine Conferentiae Episcopalis Metropolitanae Lusitaniae: schema de Indulgentiis recognoscendis *placet* in genere quia in ipso eminet desiderium renovationis, purificationis et reductionis indulgentiarum; fundamentatio novae disciplinae magis accommodatae indoli et psychologiae temporis hodierni; valorizatio actionis personalis ad indulgentias adquirendas.

Hae notae in melius forsan possent evolvi.

A - *Observationes generales.*

1. In I Parte, cap. V, n. 26, pag. 26 putamus clarificandam esse doctrinam de remissione peccati venialis. Textus, prout stat, videtur dicere quod etiam culpa venialis non remittitur nisi per absolutionem sacramentalem, quod non est verum. Etenim communis sententia de integritate confessionis sacramentalis respicit tantum culpas mortales; circa veniales communiter creditur eas esse remissas per qualescumque pias operas.

Et ideo assertio: « ... remissio enim culpae fit per absolutionem sacramentalem » est aequivoca.

2. Iuxta doctrinam in Parte I, cap. I, nn. 4, 5 et 6 expositam optatur ut in ipso schemate, ergo in Parte II, in prooemio vel in aliquo capite speciali, dicatur: *a*) christifideles sibimetipsis applicare possunt omnes indulgentias; *b*) christifideles applicare possunt indulgentias aliis christifidelibus tam vivis quam defunctis.

B - *Responsiones ad quaesita.*

Partis III, cap. I, pag. 58: ad 1: placet; ad 2: attendatur observationibus supra allatis.

Partis III, cap. II, pag. 65: ad 1: placet norma *una tantum die*; ad 2: statuatur ut christifideles possint *sibi* acquirere aliam indulgentiam plenariam (in textu videtur deficere verbum *aliam,* sine quo inutile est). Et statuendum est quod christifideles possint acquirere *quotidie* aliam indulgentiam plenariam in suffragium animarum purgatorii.

Et ratio: quia si haec facultas est tantum semel in mense non favet devotioni et beneficio animarum defunctorum; ad 3: *non placet.* Optandae sunt conditiones sequentes:

a) sufficiat una communio ad acquirendas quotidianas indulgentias plenarias intra limites hebdomadae praecedentis vel sequentis, prout usque nunc.

Et ratio est quia multi christifideles non possunt ad sacram communionem quotidie accedere, variis ex impedimentis: infirmitatis causa, distantia habitationis, etc. Si manet exigentia communionis pro quacumque indulgentia plenaria, hi christifideles magnis beneficiis spiritualibus privantur;

b) inter conditiones pro indulgentiis plenariis acquirendis non enumeretur *expressa* oratio ad mentem Summi Pontificis. Sufficiat ut christifidelis habitualiter intentiones Summi Pontificis in precibus suis includat. Et hanc habitualem intentionem instanter commendetur.

Et ratio est quia, ex una parte efficacius est hanc habitualem intentionem commendare, quam determinatam precem exigere, quae materialiter adimpleri potest. Ex alia parte, cum hanc determinatam conditionem faciliter obliviscatur, christifideles saepe saepius beneficio indulgentiarum privantur.

Partis III, cap. III, pag. 71: ad 1: placet; ad 2: in commentario ad *indulgentias Rosarii* (pag. 68) non placet dicere quod ceterae coronae possunt *exaequare* indulgentias Rosarii Marialis. Haec possibilitas quae in commentario adnititur destruit principium in ipso textu assertum, nempe quod *Rosarium Mariale prae ceteris coronis principem locum teneat.* Si ceterae coronae *exaequantur* Rosario, quomodo Rosarium principem locum tenet?

Partis III, cap. IV, pag. 81: ad 1: *placet iuxta modum* et modus est ut haec indulgentia plenaria lucrari possit *semel in mense.* Si lucratur tantum semel in anno, in oblivione vertitur et non fovet devotionem; ad 2: *placet iuxta modum* et modus est ut benedictiones rerum et locorum pro cultu publico (e. g., imaginum in oratoriis exponendarum et ipsorum locorum) semper reservatae sint Ordinario; ad 3 et 4: placet.

Partis III, cap. V, pag. 91: *omnia placet* ...[1]

In textu scripto tradito: [1] Hoc autem tantum animadvertendum videtur, ad dubia vitanda: in n. 2 pag. 40 oratio ad mentem Summi Pontificis, requisita ad indulgentiam plenariam lucrandam, clare deberet esse determinata.

5

Em.mus P. D. NORMANNUS card. GILROY
Archiepiscopus Sydneyensis

Conferentia episcopalis Australiana ...[1] recognitionem sacrarum indulgentiarum discussit et mentem quoad varia quaesita ita expressit:

Caput I: *De indulgentia partiali*

Ad 1: Nova norma de indulgentia partiali placuit omnibus 25 votantibus ...[2]

Caput II: *De indulgentia plenaria*

Ad 1: Norma « una indulgentia plenaria in die » placuit 16 ex 25 votantibus. Uni placuit norma strictior; aliis placuit norma largior, praesertim in suffragium fidelium defunctorum.

Ad 2: Quod, firma norma « una tantum indulgentia plenaria in die », ulterius statuatur christifidelem semel (vel bis) tantum in mense indulgentiam sibi acquirere posse, aliis vero diebus tantum in suffragium animarum defunctorum, placuit 5 ex 25 votantibus, non placuit 20.

Ad 3: Norma de novis condicionibus ad indulgentiam plenariam acquirendam placuit 24 ex 25 votantibus.

Ad 4: Norma de indulgentia partiali acquirenda ab eo qui ob defectum in condicionibus indulgentiam plenariam assequi nequit placuit omnibus 25 votantibus.

Ad 5: *a*) Aliqui episcopi censent indulgentiam plenariam in articulo mortis eximi debere e norma generali de « una tantum indulgentia plenaria in die ».

b) Aliqui episcopi opinantur preces ad mentem Summi Pontificis determinandas esse.

Caput III: *De indulgentiis personalibus*

Ad 1: Norma de recognitione indulgentiarum piis associationibus concessarum placuit 24 ex 25 votantibus ...[3]

Caput V: *De indulgentiis localibus*

Ad 1: Quod norma unius indulgentiae plenariae in die applicetur etiam indulgentiis plenariis « toties quoties », placuit 17 ex 25 votantibus.

Ad 2: Quod statuitur circa altare privilegiatum et circa amplissimum

suffragium Ecclesiae in Missae Sacrificio pro fidelibus defunctis placuit omnibus 25 votantibus.

Ad 3: Plures episcopi censent indulgentiam plenariam « toties quoties » die 2 novembris pro fidelibus defunctis acquirendam eximi debere e norma generali de indulgentiis « toties quoties ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] diebus 18 et 19 octobris 1965. [2] Ad 2: Nihil animadvertendum. [3] Ad 2: Nihil animadvertendum. Caput IV - *De Indulgentiis realibus*. Ad 1: Norma, qua obiecta pietatis rite benedicta iisdem gaudeant indulgentiis, scilicet indulgentia partiali quotidie et indulgentia plenaria semel in anno, lucrandis a christifideli qui habitualiter unum vel plura pietatis obiecta devote defert, placuit omnibus 25 votantibus. Ad 2: Norma qua omnibus sacerdotibus extenditur facultas benedicendi obiecta pietatis placuit omnibus 25 votantibus. Ad 3: Norma de formula benedicendi obiecta pietatis placuit 24 ex 25 votantibus. Ad 4: Episcopi praesumunt elenchum obiectorum pietatis in nn. 2 et 4 huius capitis non esse taxativum.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, Modi possunt exhiberi etiam crastina, sed non ultra.

Exc.mus P. D. Casimirus Morcillo, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio n. 443, nn. 13-14, pag. 22 [*cf. pag. 225-227*]. Venerabiles Patres, *placet* an *non placet*?

Exc.mus P. D. Ioannes Krol, *subsecretarius Concilii*: Proponitur etiam textus proximae suffragationis, alterae vero: suffragatio 444, quod inveniatur in pag. 24, nn. 15-18, sub titulo « De communitate christiana efformanda » [*cf. pag. 227-233*]. Quaeritur, Patres: *placet* an *non placet*?

Secretarius generalis:

Patres venerabiles, fient adhuc duae suffragationes. Interea, antequam subsequens proponatur suffragatio, audiatis *exitus suffragationis 437*, quae est prima circa schema *de activitate missionali Ecclesiae*:

Patres praesentes votantes	2.207
Dixerunt *placet*	2.183
non placet	21
placet iuxta modum	2
Suffragium nullum	1

Suffragatio 438:

Praesentes votantes	2.135
Dixerunt *placet*	2.012

non placet	117
placet iuxta modum	2
Suffragia nulla	4

Suffragatio 439:

Praesentes votantes	2.114
Dixerunt *placet*	2.106
non placet	5
Suffragia nulla	3

Proponitur, Patres, suffragatio 445, quae est super integrum cap. II. Videatis pag. 19. Lego tantummodo principium et finem [*cf. pag. 221-233*].

« *De ipso opere missionali.* Ecclesia a Christo missa ad caritatem Dei omnibus hominibus et gentibus manifestandam et communicandam opus missionale adhuc ingens sibi faciendum intelligit » et reliqua, usque ad pag. 30, in his verbis: « Cum enim vita contemplativa ad plenitudinem praesentiae Ecclesiae pertineat, oportet apud novellas Ecclesias ubique instauretur ».

Hic textus cap. II, qui pro toto lectus habendus est, *placet*ne vobis Patribus, *non placet,* an *placet iuxta modum?* Triplex formula. Modi, uti dixi, possunt exhiberi etiam crastina, sed non ultra crastinam.

6

EM.MUS P. D. LAURENTIUS CARD. SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

Venerabiles Patres,

Nomine em.mi D. card. Praesidis Conferentiae Episcopalis Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, relationem eiusdem Conferentiae circa responsa ad quaesita de Sacrarum Indulgentiarum recognitione liceat mihi exponere ...[1]

I. *Circa Proposita de Indulgentiis partialibus in Capite Primo Partis Tertiae Positionis.*

A. Ad primam quaestionem, nempe utrum placeat norma in *Positione* proposita:

1) Ex centum et sexdecim Patribus respondentibus, centum et sex dixerunt *placet;*

2) decem Patribus norma non placuit ...[2]

II. *Circa normas propositas de Indulgentiis Plenariis in Secundo Capite Partis Tertiae Positionis.*

A. Ad primam quaestionem, nempe utrum et quomodo placeat indulgentias plenarias restringi:

1) Centum et sex Patribus placuit restrictio ex quibus nonaginta et sex pro « semel in die » et decem pro norma strictiori optaverunt. Quatuor Patribus restrictio non placuit.

B. Ad secundam quaestionem, nempe utrum placeat restrictio indulgentiae plenariae ita fieri ut christifidelis pro seipso solummodo semel vel bis in mense indulgentiam plenariam lucrari possit, aliis autem diebus pro defunctis:

1) Sexaginta et sex Patres dixerunt *placet;* triginta et duo Patres dixerunt *non placet;* decem Patribus haec norma placuit iuxta modum.

2) E sexaginta sex Patribus quibus norma placuit, viginti quinque pro « semel in mense », viginti quattuor pro « bis in mense » optaverunt.

C. Ad tertiam quaestionem, nempe de conditionibus ad indulgentiam plenariam lucrandam dixerunt *placet* nonaginta quattuor Patres; *non placet* sex; *placet iuxta modum* quindecim ...[3]

III. *Circa proposita in Capite Tertio Positionis de Indulgentiis Personalibus.*

A. Ad primum quaesitum, nempe de recognoscendis indulgentiis quae piis associationibus conceduntur: Norma proposita Patribus centum et uno placuit; undecim non placuit; octo placuit iuxta modum.

B. Ad secundum quaesitum, nempe de animadversionibus circa reliquas normas huius capitis: Undecim Patres aliquas submiserunt observationes de quibus postea agetur cum verba facio de *modis.*

IV. *Circa proposita in Capite Quarto Positionis de Indulgentiis Realibus.*

A. Ad primum quaesitum, nempe de reductione indulgentiarum realium ad aequalitatem: Norma proposita in capite Patribus centum et quinque placuit; quattuor non placuit; duobus placuit iuxta modum.

B. Ad secundum quaesitum, nempe de extensione ad omnes sacerdotes facultatis benedicendi obiecta pietatis unico signo crucis cum verbis « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen »: Norma prout in capite exposita Patribus centum et octo placuit; duobus non placuit; tribus iuxta modum placuit.

C. Ad tertium quaesitum, nempe de formula pro benedictione obiectorum pietatis recognoscenda: Norma proposita in capite Patribus centum et novem placuit; duobus non placuit; tribus iuxta modum placuit.

D. Ad quartum quaesitum, praeter ea quae in modis dicta sunt nihil amplius esse dicendum Patribus videtur.

V. *Circa proposita in Capite Quinto de indulgentiis localibus.*

A. Ad primum quaesitum, nempe de extensione normae circa restrictionem indulgentiae plenariae quae eadem die lucrari potest etiam ad indulgentias sic dictas « toties quoties »: Affirmative responderunt nonaginta tres Patres; negative viginti duo et affirmative iuxta modum sex.

B. Ad secundum quaesitum, nempe de norma circa altare privilegiatum dixerunt *placet* Patres centum et unus; *non placet* tredecim; *placet iuxta modum* quattuor ...[4]

VI. *Circa Modos a Patribus propositos.* Octoginta et quattuor Patres proposuerunt quinquaginta quattuor modos ab invicem diversos. Ex his triginta sex modi ab invicem diversi propositi sunt a triginta sex Patribus; decem modi ab invicem diversi propositi sunt a viginti Patribus; quinque modi ab invicem diversi propositi sunt a quindecim Patribus; duo modi ab invicem diversi propositi sunt ab octo Patribus et unus modus propositus est a quinque Patribus.

Fere omnes modi vel magis explicitam determinationem ipsis normis propositis afferunt vel exceptiones ab eisdem minimas proponunt vel normas ipsas aliquantulum extendunt. Relationem de omnibus modis particularibus competenti commissioni in scriptis tradam.

VII. *Conclusio.* In genere ipsae normae *ut tales* quae in *Positione* exponuntur, Conferentiae Episcopali nostrae placuerunt nam fere omnes Episcopi ad quaesita specifica sic responderunt.

Permulti autem Episcopi Conferentiae nostrae, ex quibus viginti octo etiam in scriptis, sua sponte, absque ullo quaesito specifico et suis suffragiis de normis propositis affirmativis non obstantibus, aperte et inhaesitanter dixerunt sibi persuasum esse tractationem de indulgentiis, etiam circa meram disciplinam, hoc tempore, non esse opportunam. *Rationes in scriptis secretariatui submittam.*[5]

Haec pro relatione Conferentiae Episcopalis Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis omni qua par est obsequio offerens, gratias Vobis, Patribus Venerabilibus, libenter ago.

In textu scripto tradito: [1] In adunatione die 25 mensis octobris habita, *Positio De Sacrarum Indulgentiarum recognitione* coram membris Conferentiae Episcopalis

nostrae exposita et breviter discussa est. Postea Summaria partis alterius et partis tertiae eiusdem *Positionis,* a commissione quinque episcoporum nostrorum confecta, omnibus Patribus Conferentiae nostrae Romae tunc degentibus in scriptis sunt distributa unacum quaesitis quae ad calcem uniuscuiusque capitis eiusdem *Positionis* inveniuntur.

Quaesita ad litteram relata sunt absque ulla recommendatione vel additamento. Suffragia seu responsa in scriptis de his quaesitis, post septem dies collecta, Commissio quinque episcoporum de gremio Conferentiae Episcopalis scrutata est.

[2] B. Ad alteram quaestionem, nemo ex Patribus qui suffragati sunt quidquid aliud de norma proposita animadvertit.

[3] Ad quintam quaestionem: nemo ex Patribus aliud quid animadverti debere censuit.

[4] Ad tertium quaesitum nihil esse addendum Patribus videtur.

[5] Inter rationes pro hac persuasione, quae propositae sunt, tres quae sequuntur praeeminent:

1. His diebus nec doctrina nec disciplina de Sacris Indulgentiis pro christifidelibus ponit problema, saltem magni momenti.

2. Quamquam *Positio* aliquas proponit mutationes quae *in seipsis* optatae et optabiles esse videantur, ipsae tamen certo certius ansam praebebunt excitandi quaestiones profundiores et theologicas quarum solutiones, maturae et his temporibus accommodatae, minime praestantur. Exinde multo melius his Patribus videtur exspectare usque dum doctrina cohaerens, in qua disciplina nititur, profundius et clarius redintegretur, potiusquam, occasione disciplinae recognitionis, inconvenienter provocare discussionem de universa doctrina circa Sacras Indulgentias.

3. Cum quaesita, in his postremis diebus sessionis IV et ultimae Concilii Oecumenici, Conferentiis Episcopalibus prima vice oblata sint, « ... attenta implicatione et insimul subtilitate quaestionum, quae ad indulgentias sese referunt, problematumque cum ipsis connexorum... » (ut ait em.mus card. Cicognani in litteris diei 28 iunii huius anni — quae in pag. 7 *Positionis* inveniuntur), aptius et multo melius praelaudatis Patribus videtur, totam rem, Conferentiis Episcopalibus commissam, ita relinquere ut, Concilio Oecumenico iam celebrato, post maturiorem deliberationem, eaedem Conferentiae Episcopales, tempore a Summo Pontifice determinato, suas proferant sententias.

Secretarius generalis: En, Patres, exitum suffragationis 440:

Patres praesentes votantes	2.128
Dixerunt *placet*	2.083
non placet	11
placet iuxta modum	27
Suffragia nulla	7

Videatis, Patres! Rogamus vos ut *placet iuxta modum* velitis apponere quando hoc annunciatur. In hac suffragatione erat tantum *placet* et *non placet.* Ceterum ad habendam maiorem claritatem unusquisque potest conferre pag. 89 fasciculi ubi singulae suffragationes enumerantur cum formula adhibenda. Gratias!

Nunc proponitur subsequens suffragatio, quae est ultima hoc mane.

Exc.mus P. D. VILLELMUS KEMPF, *subsecretarius Concilii*: Incipit cap. III *de activitate missionali Ecclesiae* nn. 19-20 [*cf. pag. 234-238*]. Patres venerabiles, textus *placet* an *non placet*?

Secretarius generalis: Dum votum exprimitis, Patres venerabiles, lego exitum suffragationis 441, quae est super integro cap. I *de activitate missionali*:

Patres praesentes votantes	2.142
Dixerunt *placet*	1.858
non placet	7
placet iuxta modum	272
Suffragia nulla	5

Moderator: Proxima congregatio erit cras, hora 9,30.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CLVIII
11 novembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLVIII

11 novembris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian moderabitur congregationem hodiernam, quae est 158.

Venerabiles Patres, piissime obiit exc.mus D. Michaël Blecharczyk, ep. tit. de Jos, aux. Episcopi Tarnoviensis. Oremus pro eo.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te, Domine* ... [et prosequitur, alternatim cum Patribus].

Oremus. Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum Michaëlem ...

Secretarius generalis: Patres venerabiles, vobis distribuitur — video esse iam in distributione — fasciculus, qui continet decreta et declarationes approbata et promulgata in sessione publica diei 28 mensis octobris huius anni. Uno volumine comprehendimus omnia decreta et declarationes.

Sed attendatis, Patres: nostra secretaria laborat nunc et laborabit etiam post Concilium ut editio, ut ita dicam, typica edatur omnium constitutionum, decretorum et declarationum huius Sacrosancti Concilii [*plausus*]. Iam fere dimidia pars, nempe omnia documenta approbata in praecedentibus periodis, composita sunt typis. Nunc exspectamus haec alia documenta ita ut unicum volumen possit edi et dari tamquam mnemosynon, spero gratissimum, Patribus conciliaribus [*plausus*].

Attamen, uti potestis iam percipere, hoc volumen promptum erit tantummodo post exactum Concilium, nam ultima sessio publica habebitur die 8 mensis decembris. Post illum diem, nos properabimus ut haec editio quam primum possit dari omnibus Patribus. Interea, habeatis hanc collectionem partialem documentorum quae promulgata sunt in ultima sessione.

Quoad terminum « sessionis », aliquid dicam mox.

Interea lego exitus suffragationum heri peractarum, qui nondum lecti sunt:

Suffragatio 442:

Inter Patres praesentes et votantes	2.161
Dixerunt *placet*	2.154
non placet	7

In suffragatione 443:

Patres praesentes votantes	2.175
Dixerunt *placet*	2.165
non placet	9
Suffragium nullum	1

Suffragatio 444:

Patres praesentes et votantes	2.182
Dixerunt *placet*	2.138
non placet	37
placet iuxta modum	5
Suffragia nulla	2

Suffragatio 445, quae est super integrum cap. II:

Inter Patres praesentes votantes	2.116
Dixerunt *placet*	1.982
non placet	13
placet iuxta modum	118
Suffragia nulla	3

In suffragatione 446, quae fuit ultima heri:

Patres praesentes votantes	2.166
Dixerunt *placet*	2.160
non placet	4
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla fuerunt	1

Nunc, Patres, lego vobis textum suffragationis 447. Schedae mox dabuntur, si datae iam non sint. Videatis in textu pag. 35, nn. 21-22 [*cf. pag. 238-241*].

Patres venerabiles, *placet* an *non placet* textus modo perlectus?

Patres venerabiles, dum scheda aufertur et nova pro subsequenti suffragatione traditur, haec vobis communicare volo.

Nostrum Concilium, quod ad finem iam vertit, ab historicis recoletur et indicabitur pro laboribus factis, pro decretis prolatis, pro constitutionibus emanatis in bonum Ecclesiae. Ut scitis ex historia Concilii Tridentini et Concilii Vaticani I, documenta Concilii et Acta Concilii se referunt ad congregationes et ad sessiones, in quibus haec documenta data sunt. Quapropter bene est iam nunc determinare, quaenam et quot fuerint congregationes nostri Concilii — usque adhuc saltem — et quaenam et quot sessiones huius Concilii.

Quaenam fuerunt *congregationes* et quot? Iam bene scimus, nam omni die communicatur Patribus.

Sed non item perspicuum est, quaenam sint sessiones et quot fuerint *sessiones,* et quot futurae sint.

Confusio ex eo exorta est, Patres venerabiles, quod nomen « sessionis » datum fuerit « periodis » Concilii, et ratio haec fuit: nostra secretaria proposuit terminum « periodi », sed insurrexerunt Latinistae, dixeruntque hoc verbum non esse in latinitate; et nos cedere debuimus. Unde usurpatum est verbum « Sessio », quod significat etiam aliquam seriem adunationum, congregationum, sessionum. Quapropter terminus « Sessio » attributus periodis poterat etiam approbari.

Attamen contradicebat aliquatenus *Ordini* nostri Concilii, in quo terminus « Sessio » habet specificum et iuridicum sensum, qui servandus est pro historia. Nam hae quatuor « Periodi » vel « Sessiones » in historia Concilii quasi disparebunt. Unum est temporis spatium in quo Concilium celebratum est: ab anno 1962, die 11 octobris, ad diem — si Deus faveat — 8 decembris huius anni. Hoc est tempus Concilii. In intervallis Patres fuerunt saltem plurimi in propriis dioecesibus, sed labor Concilii fuit fervens apud commissiones, sive studiis, sive directivis. Quapropter hoc totum spatium « conciliare » dicendum est. Non fuissent certissime data tot documenta, nisi adlaboravissent, hoc tempore, hae commissiones et haec organa studii et directionis.

Ergo, redeamus ad punctum! Quot erunt sessiones quae vere proprieque dicantur in hoc Concilio?

Sessiones publicae seu simpliciter « sessiones », sunt congregationes Patrum in quibus actus conciliares publice cum Summo Pontifice fiunt: sive Concilium inchoatur, sive Concilium clauditur, sive Patres professionem fidei emittunt coram Concilio et coram Ecclesia, sive praesertim cum documenta iam studio supposita in congregationibus generalibus decernendo promulgantur.

Quapropter sessiones quae hucusque habitae sunt septem numerantur:

Prima sessio habita est die 11 octobris anno 1962. Fuit inauguratio Concilii facta a Summo Pontifice Ioanne XXIII sanctae memoriae.

Haec periodus nullam habuit, in clausura, sessionem publicam, quia, uti meministis, die 7 decembris habita est 36 congregatio generalis, et, post congregationem generalem, Summus Pontifex, ob cuius valetudinem omnes nos trepidavimus, venit huc et stetit nobiscum et nobis protulit verba paterna adhortationis pro labore qui nos manebat tempore intervallo, nempe post primam periodum. Die 8 decembris fuit quidem adunatio Patrum, sed pro Cappella Papali, ergo non fuit actus conciliaris. Die 9, quae fuit dominica, habita est canonizatio; non fuit actus conciliaris quamvis fuerit optima conclusio huius periodi.

Secunda sessio habita est die 29 septembris anno 1963. Celebrata est cum novo Summo Pontifice Paulo VI et in ea professionem fidei emisit Summus Pontifex et novi Patres Concilii.

Sessio tertia habita est die 4 decembris anno 1963 et promulgata sunt: constitutio *de sacra Liturgia* et decretum *de instrumentis communicationis socialis.*

Sessio quarta celebrata est die 14 septembris anno 1964 et facta professio fidei novorum Patrum. Ergo non est sessio quia Missa sollemniter celebrata est cum concelebratione, sed quia hic actus conciliaris positus fuit publice.

Sessio quinta: die 21 novembris anno 1964. Promulgata fuerunt: constitutio dogmatica *de Ecclesia* et decreta *de Ecclesiis Orientalibus* et *de Oecumenismo.*

Sessio sexta habita est die 14 septembris anni 1965. Habita est inauguratio quartae Periodi et praesertim professio fidei novorum Patrum.

Sessio septima fuit celebrata recenter, die 28 octobris anno 1965, et promulgata fuerunt decreta *de pastorali episcoporum munere, de accommodata renovatione vitae religiosae, de institutione sacerdotali* necnon declarationes *de educatione christiana* et *de habitudine Ecclesiae ad religiones non-christianas.*

Aliae quae subsequentur sessiones — si Deus favebit — erunt: *octava,* die 18 novembris anno 1965; *sessio nona,* die 7 decembris anno 1965; *sessio decima,* die 8 decembris 1965.

Ergo in toto sunt decem sessiones.

Et nunc, Patres, propono suffragationem, quae est super integrum cap. III. Videatis pag. 32 [*cf. pag. 234-241*].

Patres venerabiles, hoc cap. III schematis *de activitate missionali Ecclesiae,* quod per partes lectum est, totum habendum est lectum, inte-

grum habendum est lectum, *placet*ne vobis, *non placet, placet iuxta modum?* Triplex formula. Qui modos apponunt, possunt modos etiam crastina exhibere. Respondeatis!

Moderator: Em.mus card. Stephanus Wyszyński loquetur nunc circa *Positionem de Sacrarum Indulgentiarum recognitione.*

1

EM.MUS P. D. STEPHANUS CARD. WYSZYŃSKI
Archiepiscopus Gnesnensis et Varsaviensis

Loquor nomine Conferentiarum episcoporum Poloniae.[1]

1. Indulgentiarum recognitio — in spiritu Concilii Vaticani II — ab omnibus in Ecclesia maxime desideratur. Unde differri non debet. Licet indulgentiae in magna aestimatione sint, perpauci tamen de hac materia sufficientem scientiam habent. Recognitio Indulgentiarum concordare debet cum ceteris documentis Concilii Vaticani II, quod christifideles ad consciam participationem in vita religiosa invitat.

2. Positio de Sacrarum Indulgentiarum recognitione nobis placet iuxta modum.

In specie:

Desideratur adhuc maior earum reductio ad formam simpliciorem. Praeterea maior earum numerus debet applicari in suffragium Defunctorum.

Quoad caput I schematis.

1. Placet nobis nova norma pro indulgentia partiali.

2. Ad formulam quod attinet, nulla adest obiectio.

Quoad caput II schematis.

1. Placet norma: una tantum indulgentia plenaria in die. Strictior seu magis severa norma non placet, quia Ecclesiae est thesauro infinitarum satisfactionum generose uti.

2. Firma norma « una tantum indulgentia plenaria in die », statuendum est christifideles posse bis in mense sibi acquirere indulgentiam plenariam, ceteris vero diebus in suffragium Defunctorum.

3. Placet iuxta modum. Dicatur sufficit confessio omni secunda hebdomada, ne necessaria sit confessio quotidiana pro eo, qui vult acquirere indulgentiam plenariam quotidie ...[2].

Quoad caput III.

1. Placet norma, iuxta quam Indulgentiae piis Associationibus concessae recognoscantur. Attamen debent ad simpliciorem formam reduci ...[3]

Quoad caput IV ...[4].

Quoad caput V.

1. Placet iuxta modum. Addantur verba: Indulgentiis « toties quoties » aequiparantur Indulgentiae die tituli ecclesiae, vel die ipsa festi vel in sollemnitate externa, lucrandae ...[5]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] 4. Placet. 5. Nihil aliud notandum est. [3] 2. Nihil aliud notandum est. [4] 1-4 Placet. [5] 2. Placet. 3. Nihil aliud animadvertendum.

Moderator: Proponitur novus textus, ulterior textus ad suffragationem.

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO, arch. Matritensis-Complutensis, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio 449. Videatis pag. 39, ad latus dextrum [*cf. pag. 241-245, nn. 23-26*]. *Placet* an *non placet,* venerabiles Patres?

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, ep. tit. Prienensis, aux. Parisiensis, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio 450: n. 27 [*cf. pag. 245-246*]. Hic textus, Fratres venerabiles, *placet* vel *non placet?*

Secretarius generalis: Patres venerabiles, Summus Pontifex die 12 novembris, id est crastina, coram se admittet episcopatus nationum quae sequuntur (sunt episcopatus Africae linguae anglicae): Sierra Leone, Etiopia, Gambia, Ghana, Isola Maurizio, Isole Seychelles, Kenya, Liberia, Nigeria, Malawi, Somalia, Sudan, Uganda, Tanzania, Respublica Sud-Africana, Beciuania, Swaziland, Basutoland, Africa Sud-Ovest, Rhodesia, Zambia.

Ergo audientia erit crastina, feria VI, hora, 19, scilicet septima post meridiem.

Nunc, Patres, propono vobis suffragationem 451, quae est super integrum cap. IV schematis *de activitate missionali Ecclesiae* [*cf. pag. 241-246*]. Hoc cap. IV, quod pro toto lectum habeatis, Patres venerabiles, *placet* vobis, *non placet, placet iuxta modum?* Triplex formula nunc. Respondeatis.

2

Em.mus P. D. BERNARDUS card. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles fratres, brevissime loquar nomine conferentiae episcoporum Neerlandiae.[1]

Adest quaedam discrepantia — ut ita dicam, fundamentalis — inter praxim indulgentiarum huc usque in Ecclesia vigentem et theologiam hodiernam de indulgentiis a theologis elaboratam.

Etsi haec « Positio de SS. Indulgentiarum recognitione » relate ad abusus et malam intelligentiam Indulgentiarum iam est manifesta progressio et perpolitio, ex altera parte discrepantia inter praxim et theologiam hodiernam non tollitur.

Primo: reatus poenae de quo in doctrina de indulgentiis agitur, consideratur in nostra « Positione » adhuc ad instar alicuius poenae mere vindicativae et positivae quae per indulgentias sive totaliter sive partialiter indulgetur.

Consequenter in « Positione » indulgentiae connectuntur cum actu quodam Ecclesiae in sensu stricto iuridico, quo reatus poenae ab auctoritate competente ecclesiastica absolvitur. Ex his sequitur quod taxatio quantitativa quae adhuc in praxi indulgentiarum vigebat, in hac nova materiae ordinatione — non obstante ingenua nova norma in hac Propositione introducta — nimis premitur, dum econtra secundum hodiernas de indulgentiis conceptiones processus ulterioris purificationis hominis iusti potius processus *qualitativus* consideratur.

Ideo conferentia Episcopalis neerlandica optaret ut Positio iterum recognoscatur secundum conceptiones quas theologia hodierna de indulgentiis exhibet.

Cetera v. g. de coniunctione huius materiae cum tractatu qui nuper nobis de Paenitentia propositus est, in scriptis tradam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

Animadversiones additae:

Praxim, theologiamque Indulgentiarum sub respectu ecclesiologico et oecumenico non minimi esse ponderis in Ecclesia, nemo est qui non videt. Agitur enim de evangelica affirmatione continuae poenitentiae etiam fidelis iam iustificati, agitur de adiutorio totius Communionis Sanctae in hac praxi poenitentiali, agitur de solidarietate omnium bonorum in bono.

Porro, quamvis « positio de S. Indulgentiarum recognitione » relate ad abu-

sus et malam intelligentiam Indulgentiarum iam sit manifesta progressio aut saltem perpolitio, fundamentaliter tamen remanet sub signo alicuius theologiae « quantificantis » phaenomena essentialiter qualitativa. Causa huius in duobus elementis, intrinsece inter se connexis, haberi videtur. Nam, Documentum ex una parte intimationem ecclesiasticam Indulgentiarum connectitur cum actu stricto sensu iurisdictionis, et ex altera parte, considerat reatum poenae post remissionem peccatorum derelictum in iustificato ad instar alicuius poenae mere vindicativae et positivae, in quo casu constat reatum illum ab auctoritate competente posse absolvere sive totaliter sive partialiter.

Ex Traditione vero constat, quod reatus poenae sensu theologico nihil aliud esse, quam condicio interna et externa relicta in homine per peccata perpetrata, etiam his peccatis dimissis. Remissis peccatis remanet proinde necessitas purgationis continuae, ita ut ultimatim fidelis reapse Deum amet « cum toto corde, cum tota anima et cum omnibus suis viribus ». Haec tamen condicio perfecta est condicio eschatologica hominis qui sive post poenitentiam in hac vita, sive post Purgatorium habet « cor purum », quo Deum videre possit: « beati puri corde, quia ipsi Deum videbunt ».

Cum in hac continua et intrinseca purgatione poenitentiali fidelis semper iuvetur a gratia Christi et totius eius Corporis, Ecclesiae tamen auctoritas potest, determinatis in adiunctis, hanc deprecationem propitiatoriam Christi cum suo Corpore solemniter et modo speciali quasi *dirigere* in fideles determinatos. Haec quidem interventio officialis auctoritatis Ecclesiae, quamvis non sit actus strictae iurisdictionis, commune adiutorium omnis Ecclesiae pro fideli poenitenti solemniter quasi « mobilizat », ea lege ut iustificatus poenitens maiore intentione propriam purgationem intrinsecam perficere possit, aut maiore intentione oret, operibus praesertim caritativis suppeditantibus, ut gratia Dei fidelibus in Purgatorio adhuc poenitentibus ditiore modo detur. Cum, sicut ipsum adiutorium Communionis Sanctae, hic processus purgationis sit phaenomenon qualitativum, et cum ex altera parte tam mensura misericordiae divinae quam intensitas liberalitatis humanae sese purgantis sint mysteria inscrutabilia, omnis taxatio quantitativa Indulgentiarum (etiam ingeniosa illa « nova norma » huius documenti) videtur extranea ab authentica intelligentia theologica Indulgentiarum. Mihi videtur quod potius sermo fieri deberet de minori et maiori solemnitate in intimatione ecclesiastica Indulgentiarum, qua quidem gradatione solemnitatis manifestatur quod auctoritas Ecclesiastica vult, intensius vel non, interponere deprecationem universalem propitiatoriam totius *sanctae* Ecclesiae, quae enim ut sancta a Domino semper exauditur.

In hoc sensu hoc Documentum locum suum specialem peropportune haberetur in ipso illo documento de (ieiunio et) poenitentia, cuius enim unum aspectum, specialem quidem, maiorem in lucem ponit. Documentum « de indulgentiis » reapse posset dare veritatem liberantem, si, demisso omni conatu alicuius taxationis quantitativae, solemniter affirmaret fidelem poenitentem in sua praxi poenitentiali numquam esse solum, sed circumdatum a Communione Sancta, et insuper si diceret quod auctoritas ecclesiastica in intimandis Indulgentiis fidelem iustificatum poenitentem auctoritative certiorem facit de adiutorio speciali totius caelestis et terrestris Ecclesiae, propitiatorie deprecantis Christo et Maria praeeuntibus. Ceterum derelinquatur misericordiae gratiae Dei, qui semper transcendit nos et abundanter prior dilexit nos. Hac lege praxis renovata Indulgentiarum posset renovare

sensum communitatis religiosae, necnon praestare antidotum efficax contra cultum communionis humanae mere terrestris et mere profanae, dum ex altera parte (si conceptio iuristica et quantitativa retineatur) verendum est quod Indulgentiae de die in diem non amplius vivum munus habeantur in vita christifidelium.

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum, *subsecretarius Concilii*: Proponitur vobis suffragatio 452. Videatis, Patres, pag. 45, n. 28-29 [*cf. pag. 247-249*]. *Placet* an *non placet?*

Exc.mus. P. D. VILLELMUS KEMPF, ep. Limburgensis, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio 453. Videatis pag. 47, nn. 30 et 31 [*cf. pag. 249-250*]. Patres venerabiles, textus modo lectus *placet* an *non placet?*

3

EM.MUS P. D. BENIAMINUS CARD. DE ARRIBA Y CASTRO
Archiepiscopus Tarraconensis

Conferentia episcopalis hispana admodum opportunam, immo urgentem sacrarum Indulgentiarum recognitionem existimat, atque aequum ad summa delineamenta censet incoeptum ad hanc recognitionem a Sacra Paenitentiaria Apostolica propositum.

Ut citius tamen evadat haec proponit. *Legam tantum quaedam, cetera tradam secretariae generali* [1].

1. Caput novum addi oporteret de auctoritate quae indulgentias concedere valet, ubi, praeter plenam et universam potestatem Romani Pontificis, facultates episcoporum definiantur, tum ad modum vel numerum, cum ad condiciones quibus episcopi poterunt indulgentias concedere.

2. In prooemio *a*) optimum esset affirmare omnes indulgentias plenarias semper pro defunctis applicari posse ... [2].

3. In cap. II de Indulgentiis plenariis

a) Praemitti deberet simplex et clara illustratio vis indulgentiae plenariae, ut in cap. I quid sit Indulgentia partialis exponitur.

b) Plene adsentimus rationi n. 1, ut tantum una Indulgentia plenaria lucrari possit singulo quoque die, praeter « articulum mortis », ut postea indicabimus. Censemus tamen cogitandum esse, ut Benedictiones Papales, quas episcopi in magnis festivitatibus Paschae etc. ... [3] (*Legam tantum quaedam ut dixi* [4]).

c) Nostra fert opinio ut Indulgentiae « pro seipso » convertendae duae plenariae esse possint per mensem, praeter « articulum mortis », de quo postea referemus.

d) Quoad condiciones necessarias ut Indulgentiae lucrentur, placet illae tres stabilitae (denuo praeter « articulum mortis »). Sed iudicamus non postulandam esse confessionem hebdomadalem, sed, ad modum disciplinae vigentis, sufficere posse confessionem frequentem, aut si pressius dicendum sit, bis confiteri peccata per mensem, ut quaelibet Indulgentia eo mense lucretur.

e) Pluries innuimus nostram sententiam ut disciplina quae paratur in omnibus fere unam exceptionem haberet pro casu « articuli mortis ». Si quis fidelis Indulgentiam plenariam mane lucratus sit, et vespere morbo corripiatur donec in periculum mortis constituatur, oportet posse novam Indulgentiam plenariam lucrari eo ipso die quin obsit lex generalis ...[5].

4. In cap. III de Indulgentiis personalibus

a) In n. 1, adnumerari expediret ut opera digna poenitentiae, ad « opera quae ad apostolatum pertinent », opera poenitentiae et omnia opera pia.

b) In n. 3, ubi de Indulgentiis quibus consociationes ditari poterunt agitur, corrigatur « circa decem » et scribatur potius « decem per annum ».

c) In n. 4, cum quaeritur de recognitione Indulgentiarum concessarum, addatur: « recognoscatur pariter Enchiridion Indulgentiarum ...[6].

d) In n. 5, cum sermo est de praedicatione quae ditari potest Indulgentia plenaria, post « sacrarum Missionum » inseratur « necnon illarum concionum, quae specialem commendationem ob ipsarum momentum ab Ordinario loci obtinuerint ». Sunt enim multae praedicationes, ut curricula christianitatis (« Cursillos de Cristiandad »), novendiales Spiritus Sancti, aut defunctorum, etc. quae admodum praestantes esse possunt, et possibilitas esset oporteret Indulgentiis ditandi.

5. In cap. V, n. 4 dicitur donatas fore Indulgentia plenaria diei festivitatis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli res a Romano Pontifice vel ab episcopo benedictas et in enumeratione recensetur « parva statua », potius dicendum « statua » simpliciter, quid enim refert ut Indulgentia donetur statua sitne parva an magna?

Hoc censet Conferentia Episcopalis Hispana. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] *b*) Adhortatio praeterea addenda videtur, ut fideles a nimia cura Indulgentias numerandi averteret, et eos potius maioris momenti esse persuaderet animi purificationem et dispositionem coram Deo, quae Indulgentiis exiguntur, atque earumdem fructus esse possunt. [3] concedere valent, praeter fructum Indulgentiae plenariae, etiam prosunt ad actionem

communitariam ecclesialem magnis diebus festi, ut Paschae etc. Et innuimus an haec esse possit solutio ut lex generalis unius Indulgentiae singulo quoque die proponatur; hoc uno dempto sed communiter rato ut lucrari possit, aequis ut patet condicionibus, Indulgentia plenaria ex Benedictionibus Papalibus. [4] deest. [5] Si christifidelis mense ineunte sibi duas Indulgentias plenarias tribueret, et in discrimen mortis deveniret eodem mense exeunte, illi esse potestatem oportet ut « pro seipso » in illo periculo constituto novam Indulgentiam consequatur. Et quamvis in tali angustia versetur, ut nequeat adhibere condiciones omni Indulgentiae plenariae necessarias, videlicet confessionem et communionem, non tamen privare debemus illo commodo Indulgentiae plenariae. Itaque existimamus omnes communes praescriptiones hanc exceptionem in universum habere debere « articulum mortis » sive lucretur Indulgentia ex Benedictione Apostolica, sive per Crucifixum Benedictum, sive qualibet alia forma. [6] ita ut paucae omnino sed vere selectae maneant preces et pia opera Indulgentiis ditata. Curetur ne in posterum concessiones iterum nimis multiplicentur.

4

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. URBANI
Patriarcha Venetiarum

Venerabiles Patres,

Loquor nomine episcoporum Conferentiae Italicae.

Quaestiones positae de Sacrarum Indulgentiarum recognitione Conferentiae Episcopali Italicae in genere placent.

Attamen Conferentia uno consilio petit ut breviter et clare in prooemio documenti recolatur doctrina catholica de Indulgentiis et speciali modo exponatur Indulgentiam fidelibus defunctis posse per modum suffragii applicari.

Quoad cap. I schematis: in n. 2 optatur maior claritas in *ipsa* [1] formula.

Quoad cap. II: ad n. 1 Conferentia petit ut unam indulgentiam plenariam, quae in die acquiritur, quis lucrari possit aut pro se aut pro defunctis.

Ad nn. 2, 3 et 4 eiusdem cap. II, conditiones quod spectat, *quaeritur* [2] ut expresse dicatur necessariam esse separationem affectivam a peccato etiam levi (seu veniali); et declaretur ad indulgentiam plenariam lucrandam sufficere sacramentalem Confessionem intra quindecim dierum spatium peractam.

Quoad cap. III ...[3] ut in n. 1 addantur haec verba: « etiam opera poenitentialia et opera pietatis ».

Quoad cap. IV: Praesules desiderant ut clare dicatur indulgentiam plenariam in articulo mortis aliam esse posse ac illa, quae iam in die est acquisita.

Quoad cap. V: fere omnes episcopi expostulant ut servetur indulgentia plenaria toties quoties in die Portiunculae et in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, clarius definiendo opera et preces, quae adimpleri debeant ad unamquamque indulgentiam lucrandam. Id autem petunt, prae oculis habentes has, quae sequuntur, rationes:

1) diffusionem nempe huiusmodi consuetudinis in nostram gentem ...[4];

2) fructus spirituales in populo christiano;

3) et numerum in dies augentem defunctorum, qui orationibus familiarium suorum carent.

Quoad Indulgentiam Altari privilegiato adnexam, non una est episcoporum sententia.

Alia quaedam [5] particularia postulata a quibusdam *episcopis* [6], scripto secretariae generali *tradam* [7]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] quaerunt. [3] petunt. [4] christianam. [5] deest. [6] Patribus. [7] trado.

Animadversiones additae:

Quoad cap. I: quidam Praesul proponit ut in n. 2 aptius dicatur « acquisivit », quam « acquirit ».

Quoad cap. II: Episcoporum pars petit ut eodem die acquiri possint duae indulgentiae plenariae, quarum una pro se et altera pro fidelibus defunctis.

Alii unica tantum Communione hebdomadali plures acquiri posse indulgentias; nonnulli denique expostulant ut indulgentia partialis acquiri possit etiam si conditiones praescriptae vel non omnes adimpleantur vel intra definitum tempus non perficiantur.

Quoad cap. III: Alii vero exoptant ut n. 2, in quo agitur de Rosario mariali, inseratur, ut iacet, capiti IV schematis.

Quoad cap. IV: Quidam etiam quaerunt ut facultas concedendi indulgentias tribuatur iis tantum sacerdotibus, qui facultate audiendi confessiones polleant.

Quoad cap. V: Quoad Indulgentiam Altari privilegiato adnexam, alii namque petunt ut indulgentia illa servetur; alii vero ut eadem supprimatur. Nonnulli e contra proponunt ut sacerdoti, pro determinato defuncto sacrum litanti, concedatur facultas ei applicandi semper indulgentiam plenariam.

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio 454. Pag. 47, nn. 32-34 [*cf. pag. 250-251*]. *Placet,* Patres venerabiles, an *non placet?*

5

Em.mus P. D. FRANCISCUS card. KÖNIG
Archiepiscopus Vindobonensis

Patres venerabiles, sum praeses Conferentiae episcoporum Austriae, et eorum nomine loquar. In iis autem quae nunc proponere licet ea quoque adumbrare velim quae Episcopi Germaniae et Austriae circa Positionem discutiebantur.

In genere dicendum est plura quae in Positione exponuntur, statuuntur, laude digna esse. Quae placent sunt in primis haec:

1) *Doctrina de indulgentiis ex integro recognoscatur.*

Talis recognitio hodie propter duplicem rationem urget.

Ex una parte fideles rudiores non raro in periculo sunt ut res indulgentiarum cum superstitione misceant, sive quod in opere humano exclusive insistunt sive quod religionem ad modum alicuius rei materialis tractant. Ex altera parte fideles culti, pronti sunt, praxim indulgentiarum simpliciter negligendi, quia praxis hucusque vigens, propter diversas obiectiones eis suspecta apparet.

2) Placet *quod in recognoscendis indulgentiis ad formam simpliciorem rigorose tendatur.* Nam varietas indulgentiarum nimis magna sicut hodie existit in existimatione earundem apud fideles aliquo modo minuit.

3) Placet *quod conspectus doctrinae theologicae praemittatur antequam normae novae practicae statuuntur.* Nam dubia apud fideles et sacerdotes non solum in praxi hucusque vigente oriuntur, sed etiam ex difficultatibus theologicis quoad doctrinam indulgentiarum derivantur.

Non placet vero *documentum in quantum nondum undequaque maturum esse videtur,* quod sequentibus rationibus ostenditur.

1) *Methodus adhibita deficere videtur, propter has rationes*:

a) res interdum nimis simplificantur et progressus scientiae theologicae temporis recentioris vix respicitur.

b) Etsi res tractanda terminis iuridicis exprimenda est, sed tamen non omnia categoriis iuridicis exclusive exprimi possit.

c) Sacra Scriptura interdum non recte adhibetur v. g. ubi de satisfactione temporali agitur, citantur loci qui revera de metanoia i. e. de conversione hominis ad Deum agunt. Aliud exemplum textus *Io.* 20, 23 tanquam, « argumentum a fortiori » sicuti legitur ad remissionem poenae extenditur, etsi Ioannes in loco citato, proprie *de remissione culpae* loquitur. Sed Concilium Tridentinum docet remissionem culpae non necessario et certo includere remissionem totius poenae temporalis.

d) Quaestiones inter theologos disputatae interdum ita exhibentur ac essent ab omnibus acceptae et non controversae.

2) Minus placet quod doctrina theologica deficiens appareat et quidem quoad obiectum et quoad naturam cooperationis Ecclesiae.

Relate ad obiectum vix attenditur ad transitum inde a saeculo XIII factum scil. a visibili poena canonica ab Ecclesia iniuncta ad invisibilem poenam temporalem coram Deo contractam.

Natura poenae temporalis invisibiliter coram Deo contractae non sufficienter perspicitur.

Quoad naturam cooperationis Ecclesiae in indulgentiis lucrandis illa alternativa « aut iurisdictio aut intercessio » sicuti legitur in Positione, arbitrarie poni videtur, quia agitur de sententiis disputatis.

Dispositio lucrantis indulgentiam non satis respicitur.

Satisfactio in favorem alterius nimis individualistice describitur.

Haec in genere; quae *in specie,* in scriptis secretario generali trado: i. e. in primis ea quae respiciunt quaesita in pag. 65.

His dictis, concludo: ob rationes historicas necnon oecumenicas documentum de indulgentiis adhuc perficiendum est. Commissioni addantur theologi dogmatici ita ut doctrina vere catholica, catholicis et noncatholicis authentice et fructuose proponatur. Dixi.

Animadversiones scripto traditae:

Episcopi Austriae et Germaniae circa Positionem de sacrarum indulgentiarum recognitione haec animadvertenda vel proponenda esse censent:

A - In genere dicenda:

I. *Plura, quae in Positione dicuntur et statuenda proponuntur, laudes merentur.* Imprimis placent haec:

1. *quod res indulgentiarum ex integro recognitioni subiciatur;* nam talis recognitio hodie urget propter duplicem rationem: multi fideles simpliciores indulgentias quidem lucrari solent, sed interdum cum periculo cuiusdam superstitionis subrepentis, cum periculo religionis quadamtenus ad modum alicuius rei materialis tractatae, cum periculo denique sanctitatis magis ex opere humano quaesitae; e contra cultiores fideles periclitantur, ne praxim indulgentiarum simpliciter negligant in vita sua, cum praxis hucusque vigens eis suspecta et vix fide digna appareat;

2. *quod in recognoscendis indulgentiis rigorose ad formam simpliciorem totius materiae tenditur;* nam varietas nimis ampla indulgentiarum actu existentium seriam aestimationem earundem apud fideles aliquomodo minuit;

3. *quod novis normis practicis praemittitur conspectus doctrinae theologicae;* nam dubia in sacerdotibus fidelibusque circa indulgentiam existentia non solum a praxi hucusque vigenti, sed etiam ex difficultatibus theologicis doctrinae indulgentiarum derivantur. Sane hic conspectus in sua forma praesenti graves difficultates creat, ut infra notabitur.

II. *Documentum propositum nondum plene maturatum esse videtur.*

1. *Methodus adhibita deficere videtur, imprimis ex his causis*:

a) res aliquoties nimis simplificari et progressus scientiae theologicae ultimorum decenniorum vix attingi videntur;

b) res fere exclusive terminis iuridicis exhibetur (nota: quae in indulgentiis habentur, certe etiam habent aspectum quemdam iuridicum, sed categoriis iuridicis integre exprimi nequeunt);

c) modus adhibendi S. Scripturam parum accuratus est, quod patet imprimis ex his 2 exemplis: 1) Ad probandam doctrinam, hominem posse etiam in hoc mundo poenae debitae temporali satisfacere operibus poenitentialibus, citantur loci, qui de metanoia, i. e. de conversione hominis ad Deum agunt, vide partem I, cap. I, n. 3 (pag. 13). - 2) In parte I, cap. III, n. 2 (pag. 19) textus *Io.* 20, 23 proprie de remissione culpae loquens, per « argumentum a fortiori » ad remissionem poenae extenditur, quod non caret difficultate: nam ex altera parte constat ex Tridentino (cf. pars I, cap. I, n. 2, pag. 13) remissionem culpae non necessario et semper includere remissionem totius poenae temporalis. Si potestas data *Io.* 20, 23 « a fortiori » respicit possibilitatem remittendi poenas temporales, cur haec potestas non potest exerceri, immo exercetur in sacramento ipso poenitentiae, de quo certe hic textus *Io.* 20, 23 agit (DENZ. 1703)?

d) in prima parte Positionis (quae continet expositionem theologicam) videtur non sufficienter attendi ad principium semper sancte observatum et etiam in Concilio Vaticano II presse admissum, scilicet ne auctoritative dirimantur quaestiones inter theologos catholicos licite disputatae; nam saepius res inter theologos controversae in Positione ita exhibentur, ut supponi videatur agi de rebus certis et communiter agnitis, dum e contra sententiae, quae cum Positione fortasse minus congruunt, fere ut a doctrina catholica aberrantes innuuntur (cf. v. g. pag. 30, alinea 3ª).

2. *Doctrina theologica, quae in Positione proponitur et in qua tota recognitio indulgentiarum fundatur, nimis unilateralis et deficiens esse videtur*:

a) *Relate ad obiectum indulgentiae*:

aa) transitus inde a Medio Aevo factus a remissione (visibilis) poenae canonicae ab Ecclesia iniunctae ad remissionem (invisibilis) poenae temporalis coram Deo contractae parum attenditur;

bb) natura poenae temporalis invisibiliter coram Deo contractae non sufficienter perspicitur; imprimis character eius personalis intimaque eius relatio ad caritatem Deo debitam in umbra manet; consequenter difficultates ponendi mensuram in indulgentiis non satis perpenduntur.

b) *Relate ad naturam cooperationis Ecclesiae in indulgentiis lucrandis*:

aa) conceptus « thesauri Ecclesiae » nimis materialiter et quantitative sumi videtur;

bb) alternativa « aut iurisdictio — aut intercessio » arbitrarie poni videtur (et praecise in hoc puncto sententiis hucusque libere inter theologos disputatis praeiudicium afferri videtur);

cc) dispositio lucrantis indulgentiam non satis respicitur, ita ut indulgentiis efficacitas quaedam adscribi videatur, quae esset infallibilior quam efficacitas ipsorum sacramentorum;

dd) satisfactio in favorem alterius facta nimis individualistice describitur.

3. *Consequenter ad has deficientias theoreticas normae practicae propositae in quibusdam adhuc non satisfaciunt.*

B - In specie respondenda ad singula quaesita:

I. *Ad caput I*: *De indulgentia partiali* (pag. 39; pag. 47-58):

Ad quaesitum 1: Placetne nova norma pro indulgentia partiali?

Placet conatus relinquendi mensuras hucusque usitatas. Tamen nova norma mensurae vix accipi potest, propter rationes et theologicas et psychologicas-pastorales. Quoad illas vide quae supra (sub A II 2) dicta sunt et infra (sub C) dicentur; quoad has considerandum est: Homo nostri temporis in indulgentiis contra quamlibet mensuram suspicionem habebit. Nam quaerit, quid sibi velit mensura numerica in re tam personali, qualis est relatio intima inter Deum et hominem (quae amoris relatio est et quae etiam pervadit opus plenae sanationis hominis peccato sauciati, quia certo is, qui perfectionem omnimodam caritatis obtinuit, etiam in eo ipso removit totum poenae debitum). Et nota: quoad novam mensuram partialis indulgentiae fidelis hodiernus statim opponeret: si parvulum opus indulgentiae bis repeterem (quod facile fieri potest), eandem « mensuram » deletionis poenae temporalis obtinerem, etiamsi hoc opus non ditaretur indulgentia aliqua, ac per opus semel factum et ditatum indulgentia. Tales oblocutiones a limine evitandae sunt.

Quaerenda ergo esset aliqua formula, quae ab omni mensura concreta abstinet, licet formula differentiam satisfactionis humanae (praestitae in opere, cui indulgentia adnexa est) aliquomodo exprimat, cum haec differentia fundet ex natura sua etiam differentiam in effectu in ipsis indulgentiis lucrandis. Sufficeret ergo, si diceretur: « In indulgentiis (in genere) Ecclesia, provocans ad thesaurum suum, i. e. ad merita Christi et ad merita Beatae Mariae Virginis et Sanctorum in Christo, concedit poenitenti validum suum auxilium (vel: interventum) ad debitum poenae temporalis extinguendum coram Deo "secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem" (Denz. 1529) ».

Nota: Haec formula liberum relinquit, utrum hoc auxilium consistat in absolutione, an solutione, an intercessione auctoritative deprecata Ecclesiae, ut Sponsae Christi de sua exauditione certae. Insuper evitatur terminus « indulgentia partialis »; quod ex condicto quidem fit, quia *a*) terminus « partialis » facilius conceptionem materialem indulgentiae inducit; *b*) numquam dici potest, an fortasse indulgentia partialis in casu concreto, i. e. pro hoc individuo, secundum statum eius coram Deo soli Deo notum, ad remissionem omnium poenarum auxilium afferat. Abhinc ergo respectivae preces vel pia opera tantum hoc unico verbo « indulgentia » designanda essent, vel, si distinctio inter indulgentiam partialem et plenariam aliquomodo retinenda esse censetur, fortasse, si placuerit, hac expressione: « indulgentia minor ».

Ad quaesitum 2: Vide immediate supra!

II. *Ad cap. II*: *De indulgentiis plenariis* (pag. 40; pag. 59-66):

Ad quaesitum 1: An placeat norma « una tantum indulgentia plenaria in die »?

Respondetur: Placet, sed praesuppositis iis, quae infra ad quaesitum 5 notantur.

Ad quaesitum 2: An, firma norma « una tantum indulgentia plenaria in die », ulterius statuendum sit christifidelem semel (vel bis) tantum in mense, die ab ipso eligenda, quoad fieri potest inter dies festos primae classis, indulgentiam plenariam sibi acquirere posse, aliis vero diebus tantum in suffragium animarum defunctorum?

Respondetur: Melius esse videtur hanc differentiam non introducere sed in omni casu ipsi fideli relinquere, cui velit indulgentiam acquirere, sibi an animabus defunctorum.

Ad quaesitum 3: An placeant normae circa condiciones...?

Respondetur: Placet quod indulgentia in omni casu ad S. Communionem ligatur. Nam receptio S. Eucharistiae est maxima sacramentalis actuatio vitae christianae, fervoris caritatis et vitae in Ecclesia. Aliter respondetur quoad S. Confessionem: Haec tantum in casu peccati gravis nondum sacramentaliter remissi urgeatur, secus non; sed in hoc altero casu urgeatur actus contritionis seu caritatis in Deum perfectae.

Ad quaesitum 4: An placeat norma: acquirit indulgentiam partialem, qui ob defectum in conditionibus indulgentiam plenariam assequi nequit?

Respondetur: Melius abstineatur ab explicita hac norma nimis casuistica.

Ad quaesitum 5: An aliquid aliud notandum sit?

Desideratur determinatio, quid sit indulgentia plenaria. Hic defectus Positionis fortasse non casu accidebat. Nam difficile est determinare essentiam theologicam indulgentiae plenariae. In antiqua praxi poenitentiali facilius erat: remissio omnium poenarum ab Ecclesia iniunctarum. Non nimis difficilis res forte adhuc esset, si in casu poenarum temporalium ageretur tantum de poenis post mortem luendis (in purgatorio), licet hic iterum habeatur quaestio de diverso modo, quo Ecclesia auctoritative intervenire potest pro vivis et pro defunctis, quae differentia etiam sustineri et debet et potest, si hic interventus concipitur tamquam intercessio auctoritative deprecativa.

Si tamen sub indulgentia plenaria comprehendi debeant etiam temporales poenae hac in terra luendae, tunc difficile dictu est, quid sit remissio *omnium* poenarum. Quo problemate perpenso quaeritur: estne adhuc conveniens distinguere inter indulgentias plenarias et partiales? Si autem censetur retinendam esse distinctionem hanc, forte dici potest: « Indulgentia plenaria est illud auxilium validum (vel: ille interventus validus) ab Ecclesia poenitenti collatum (vel: in favorem poenitentis factus) in ordine ad debitum poenae temporalis exstinguendum, quo Ecclesia, quantum sui est, ad *plenam* huius debiti extinctionem sancte et explicite adlaborat ».

Nota: Ita duplex species indulgentiarum retineretur, quarum differentia tamen minus ex partiali plenave remissione actuali poenarum temporalium (quam solus Deus certo noscit), sed potius ex precibus vel operibus atque condicionibus praerequisitis sumeretur. Indulgentia, quae secundum formulam hic propositam explicite ad plenam extinctionem poenarum temporalium dirigitur quaeque ex hac causa convenientissime dependens manet ab impletione condicionum (imprimis confessio sacramentalis vel respective actus contritionis perfectae et receptio S. Communionis), fortasse, si placuerit, vocari poterit « Indulgentia maior ».

III. *Ad capita III, IV et V*:

Cum maxima ex parte normae in capite III-V positae dependeant ab iis, quae antea dicenda et statuenda sunt cum omnium satisfactione, interim ad haec capita

nihil dicendum esse videtur. Iam vero iam nunc adhuc maior parcitas et discretio adhibendae esse videntur, quam eae, quas iam laudabiliter Propositio prosequi conatur.

Cogitari posset insuper de aliqua liturgia poenitentiali creanda, qua sensus et vis indulgentiae fidelibus melius et vividius intimatur et cuius participatio haberi posset una ex conditionibus pro indulgentiis lucrandis requisitis. In tali casu Consilium ad exsequendam Constitutionem de S. Liturgia consulendum esse videtur.

C - Animadversiones particulares circa doctrinam in Positione propositam.

Nota: Quae sequuntur, a Conferentiis Episcoporum Austriae et Germaniae proponuntur tamquam criteria praecipua quaedam pro recognitione doctrinae de indulgentia, quin insistatur in unoquoque elemento particulari proposito.

I. *De obiecto indulgentiae.*

1. In exponenda theologia et historia indulgentiae parum attenditur ad *transitum* in re indulgentiarum inde a saeculo XIII factum a plano signi et rei visibilis ad planum rei significatae et invisibilis. In initio indulgentia erat remissio vel diminutio poenae, quae in actione poenitentiali-sacramentali ab Ecclesia peccatori iniuncta erat, v. g. exclusio a communitate eucharistica, relegatio in diversos gradus poenitentiae, impositio certarum poenarum canonicarum « taxative » statutarum et inter se commutabilium, usquedum episcopus poenitentem manuum impositione iterum in communitatem eucharisticam reciperet.

Nota: Hae poenae canonicae naturam suam non amittunt, si post absolutionem sacramentalem luuntur. Manent in campo Ecclesiae visibilis et hinc « signi ». Non sunt ipsae poenae temporales, quae ex ipso peccato profluunt nec cum his identificari possunt, si et quatenus hae poenae canonicae voluntarie suscipiuntur ad deletionem temporalis ex peccato profluentis.

Haec poena visibilis voluntarie suscepta pro signo quasi-sacramentali haberi potest poenae temporalis invisibilis coram Deo contractae, sicut recuperata pax cum Ecclesia « res et sacramentum », i. e. signum et pignus recuperatae pacis cum Deo est.

E contra inde a Medio Aevo Ecclesia indulgentias concedendo immediate in provinciam rei significatae, scilicet in planum invisibile poenae temporalis coram Deo contractae, influit.

2. Hic transitus sequelas habet ad *dispensationem indulgentiarum,* imprimis relate ad *mensuram earum*:

a) Cum relate ad indulgentiam primaevam (remissio poenae ab Ecclesia in plano visibili iniunctae) mensura remissionis praecise determinari possit, talis « mensurae » indicatio in plano rei invisibilis vix possibile esse videtur. Ecclesia quidem declarare potest se seipsam plus minusve interponere velle pro hoc vel illo poenitente; sed indicare mensuram praecisam poenae coram Deo remissae difficile vel impossibile est. Si hoc in sacramento poenitentiae impossibile est, quomodo extra id fieri posse censetur?

b) Quae difficultas eo magis patet, quo accuratius intelligitur quid sit « poena temporalis ». Saepius sub notione poenae temporalis mere poenae purgatorii post mortem luendae concipiuntur. Re tamen vera poena temporalis non solum poenam post mortem luendam respicit, sed iam hic in terra habetur, scilicet in

sequelis ex peccato fluentibus, v. g. in aucta inclinatione ad peccatum difficilius superanda, i. e. in pugna contra peccatum ex lapsu magis ardua effecta. Qua re bene perpensa iam non est facile indicare mensuram secundum quam remissio poenae temporalis mensuretur.

c) Difficultas adhuc crescit, si consideratur intimus nexus, qui viget inter remissionem poenae temporalis et caritatem Deo debitam. Nemo negabit ardentem caritatem illam, qua homo *plene* ad Deum convertitur, tollere non solum culpam et poenam aeternam, sed etiam debitum poenae temporalis.

Nota: Si quis forte obiciat, per caritatem deleri quidem reatum culpae, sed remanere reatum poenae, qui secundum Concilium Tridentinum a reatu culpae bene distingui debet, respondemus: Distinctio inter reatum culpae et reatum poenae cautissime accipienda est. Evidens quidem est ex doctrina Ecclesiae, hanc distinctionem esse legitimam. Sed in rerum natura hi duo reatus inter se arctissime coniunguntur. Quod iam inde patet, quod ardens caritas saltem in illo casu, in quo fuerit undequaque plena et perfecta, etiam tollit reatum poenae temporalis. Hinc dicere licet reatum poenae et reatum culpae non mero extrinseco decreto Dei inter se dependere aut ab invicem separari, sed ex interna amborum natura inter se coniungi.

Ex altera parte extinctio debiti poenae non fieri potest nisi aucta et adepta illa caritate perfecta, ad quam (etsi non in quovis statu iustificationis iam haberi debeat sub gravi peccato) homo tendere sub peccato debet. Hinc collaboratio Ecclesiae ad extinctionem debiti poenae consistere debet in acquisitione et oblatione illius gratiae divinae, quae requiritur ad hanc caritatem acquirendam et actuandam.

Nota: Praecise quia remissio poenae temporalis ita intime cum augmento caritatis coniuncta est et caritas ipsa non actuatur nisi exercitio operum etiam externorum (secundum naturam spiritualem-corporalem hominis), propterea Ecclesia ad acquirendas indulgentias opera pia imponit. (Eadem quoque ratio habetur — licet forte non exclusive — in satisfactione, quae in sacramento Poenitentiae iniungitur et in poenitentia canonica, quae olim imponebatur).

Haec si ita sunt, haec sequi videntur: Mensura debiti poenae correspondet defectui caritatis. Si autem talis defectus caritatis « quantitative » determinari nequit, nec illa poena « quantitative » mensurari potest. Si res ita est aut ita saltem concipi potest, quin offendatur ad ullum dogma Ecclesiae, quomodo mensura debiti poenae ita « impersonaliter » et quantitative concipi potest, sicut id a Positione fieri videtur?

II. *De natura cooperationis Ecclesiae in indulgentiis lucrandis.*

1. *Conceptus « thesauri Ecclesiae »* quam Ecclesia « possidet » (ita legitur in pag. 17 Positionis) facile inducit ad conceptionem sat materialem vel fere commercialem eorum, quae in indulgentiis lucrandis accidunt. Nullatenus oblivioni dari licet, quod « satisfactio humana » ex una parte, « thesaurus Ecclesiae » ex altera parte sunt expressiones humanae iuridicae vel imagines de processu quodam personali; sunt ergo tantum analogice accipiendae.

Satisfactio minime est quaedam res materialis, sed actio personalis ad superandam offensionem commissam cum omnibus eiusdem sequelis internis et externis, quae nondum superatae sunt mera fundamentali cordis conversione ad Deum, licet haec ad iustificationem primam sufficiat; thesaurus est ipse Deus qui et quatenus

interpositionem Ecclesiae et nisum hominis accipit eisque respondet intuitu meritorum Christi et (dependenter ab Eo) Sanctorum. Et iste igitur « thesaurus » non solum in deletione poenae adhibetur, ut explicite monet v. g. cl. P. Galtier.

2. Arbitraria esse videtur *alternativa* in Positione supposita: *aut iurisdictio* (*a*) « per modum absolutionis »; *b*) « per modum solutionis »), *aut intercessio* (« ad modum suffragii »). Unde etiam ex rationibus intrinsecis videtur esse illicitum, sententiam intercessionis iam a limite excludere. Etenim reapse datur ex una parte etiam talis actio Ecclesiae salutem hominis respiciens et causans, quae non est presse iurisdictio, ex altera parte suffragium Ecclesiae longe plus est quam intercessio cuiusvis hominis; est nempe interpositio Ecclesiae indefectibiliter sanctae in favorem poenitentis.

In Positione res nimis individualistice exhiberi videtur: ac si per indulgentiam *satisfactio* a singulo quodam peracta applicaretur cuidam alii singulo. Quin dubitetur tale quid possibile esse et accidere, tamen notandum est tale non accidere in indulgentiis, quia indulgentia essentialiter consistit in eo, quod Ecclesia se interponit pro membris vel filiis suis. Satisfactio Ecclesiae non est mere summa satisfactionum singulorum; potius Ecclesia est novum subiectum actionis salvificae pro membris. Huius Ecclesiae oratio fit in ordine ad remissionem poenae temporalis. Hic effectus indubie saluti aeternae poenitentis inservit. Spectato hoc fine orationis et propter sanctitatem et dignitatem orantis, scilicet Ecclesiae, sponsae Christi, oratio illa natura sua quoad exauditionem certa est infallibilis esse dicenda est. Hinc de se nihil obstat, quominus concipi possit *ad modum efficacitatis ex opere operato*. Nam etsi non dici potest sacramentum, tamen de se infallibiliter confert ad finem, quem prosequitur indulgentia, scilicet plenam caritatem, quae tollit reatum etiam poenae. Talis effectus, licet de se infallibilis, extrinsecum limitem habet (sicut accidit etiam in sacramentis) *in libera dispositione et cooperatione hominis.*

Si ergo indulgentia consideratur ut *auctoritativa oratio Ecclesiae* sponsae Christi pro illo auxilio divino ad debitum poenae exstinguendum, haec commoda habentur: *a*) servatur obiectivum « opus operatum » indulgentiae, quod theologi generatim admittunt (licet melius vocaretur « opus operantis Ecclesiae »); (notandum est, v. g. in sacramento unctionis infirmorum clare elucere orationem Ecclesiae formalem et opus operatum sese nullatenus mutuo excludere); *b*) evitatur conceptio impersonalis et exclusive iuridica et quasi mechanica indulgentiae, quae conceptio homini hodierno vix credibilis apparet; *c*) respicitur evolutio historica indulgentiae necnon ratio habetur conceptionis Constitutionis *Lumen gentium,* secundum quam Ecclesia peccatorum conversioni « caritate, exemplo, precibus adlaborat » (n. 11).

Notentur insuper haec: Ad evitandas difficultates superius expositas non iuvat distinctio inter « absolutionem » et « solutionem ». Non enim intelligitur, quae sit realis differentia utriusque sententiae. Nam omnes theologi admittunt hanc « solutionem » ex « thesauro Ecclesiae » non esse expensionem *partis* huius thesauri, sed « provocationem » Ecclesiae ad unum et totum hunc « thesaurum », scilicet unam satisfactionem Christi et Sanctorum. Si vero urgetur talis realis differentia, prout fit in Positione, illa « solutio » vix concipi potest aliter ac gratia actualis, quae necessaria est ad personalem extinctionem debiti poenae quaeque obtinetur per auctoritativam intercessionem Ecclesiae pro peccatore intercedentis.

3. Si *indulgentiae efficientia* non ita concipitur, ut supra proponitur, indulgentiae aliqua vis et efficacitas magis infallibilis adscribitur quam sacramentis, quod

admitti nequit. Sacramenta, non obstante eorum indole « operis operati », effectum suum definitivum non obtinent, nisi « secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem » (DENZ. 1529). Positio vero supponit indulgentiae collationem a parte Ecclesiae quasi automatice tollere debitum poenae (ex parte aut totum), quin intercedere debeat recipientis « cooperatio » ad ipsum hunc effectum obtinendum.

Nota: Ne dicatur id provenire ex speciali natura poenae temporalis eiusque deletionis in oppositione ad gratiam sacramenti. Nam et ipsa sacramenta tendunt ex natura sua ad poenas temporales tollendas (cf. DENZ. 1638; 1672; 1689, 1712, 1715; 1696), licet non semper totam poenam tollere possint. Hinc reapse sacramenta relate ad affectum, ad quem natura sua etiam ordinantur, minus efficacia essent quam indulgentia, si ista, dummodo ab Ecclesia concedatur, independenter a mensura cooperationis in recipiente effectum consequeretur. Sacramentum poenitentiae v. g. ex una parte tenderet ex natura sua etiam in remissionem poenae temporalis, ex altera parte quoad mensuram et certitudinem effectus invalidior et quoad condiciones severior esset quam indulgentia, quod candide fatetur v. g. cl. P. Galtier.

Haec tamen admitti omnino non possunt.

D - *Conclusiones.*

1. Indulgentiarum recognitio in forma praesenti, qua exhibetur in Positione, ne promulgetur; nam obstant difficultates supra (sub lit. A II) expositae et insuper etiam gravia incommoda pro recentibus relationibus oecumenicis timenda essent. Materia enim indulgentiarum, olim occasio proxima scissionis Ecclesiae Occidentalis, cautissime tractari debet, ne fratres nostri seiuncti iterum offendantur, sed ut iidem in ea auxilium nobis a misericordia Domini praestitum agnoscere valeant.

2. Commissio pro recognitione indulgentiarum constituta valde augeatur, ita ut contineat imprimis peritos theologiae dogmaticae, ex variis sententiis et scholis (et etiam ex diversis nationibus) provenientes. Haec nova Commissio studia sua statim incipiat et strenue adlaboret ad eliminandos defectus a nobis indicatos necnon diligenter consideret annotationes doctrinales supra (sub lit. C) expositas.

3. Praeparetur schema documenti Pontificii edendi de sacrarum indulgentiarum recognitione, quod contineat non solum novas normas practicas, sed etiam partem expositivam, in qua doctrina catholica de indulgentiis, licet breviter, sed apte explicetur atque commendetur fidelibus; secus timendum est, ne aliquomodo offendantur fideles ex nova ordinatione. In qua expositione manifestum fiat, quomodo intima essentia Traditionis indulgentiarum servetur ac simul, per novas normas statuendas, genuina evolutio ex spiritu Concilii Vaticani II habeatur. In condendis vero illis normis practicis accurata ratio habeatur responsionum, quae a Conferentiis Episcoporum ad singula quaesita Positionis (v. g. supra sub lit. B) factae sunt.

Moderator: Proponitur textus conciliaris ad suffragationem.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, videatis pag. 45 [*cf. pag. 247-251*]. Haec est suffragatio 455, et est super integro cap. V.

Hoc caput, Fratres venerabiles, *placet*ne vobis, *non placet, placet iuxta modum?* Triplex formula.

6

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DÖPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Loquor uti praeses commissarius episcoporum Germaniae.

Venerabiles Patres,

In omnibus assentio eis, quae modo ab em.mo card. König dicta sunt, quia simul Episcopi Austriae et Germaniae iudicium de schemate proposito sibi formaverunt et nunc exprimunt. Antequam finem mei interventus aliquas propositiones concretas protulero, problemata quoad theologicam doctrinam de indulgentiis breviter attingere liceat, quia ita fundamentum pro normis opportunis ponitur. Loquar *de obiecto indulgentiae* et *de natura cooperationis Ecclesiae in indulgentiis lucrandis.*

1) *De obiecto.* Uti dictum est in exponenda doctrina et historia Indulgentiae debite attendendum est ad *transitum* in re indulgentiarum inde a saeculo XIII factum a plano signi et rei visibilis ad planum rei significatae et invisibilis.

In initio Indulgentia erat remissio et deminutio poenae, quae in actione poenitentiali-sacramentali ab Ecclesia peccatori iniuncta erat: v. g. impositio certarum poenarum canonicarum « taxative » statutarum et inter se commutabilium, usquedum episcopus poenitentem, manuum impositione, iterum in Communitatem eucharisticam reciperet. Haec poena visibilis voluntarie suscepta pro signo quasi-sacramentali haberi potest poenae temporalis invisibilis coram Deo contractae, sicut in reatu culpae recuperata pax cum Ecclesia, « res et sacramentum » i. e. signum et titulus recuperatae pacis cum Deo est. E contra inde a Medio Aevo Ecclesia indulgentias concedendo, immediate in provinciam rei significatae, scilicet in planum invisibile poenae temporalis coram Deo contractae, influit. Hic transitus sequelas habet ad *dispensationem indulgentiarum,* in primis relate ad *mensuram earum;* cum relate ad indulgentiam primaevam mensura remissionis praecise determinari possit, talis « mensurae » indicatio, in plano rei invisibilis, vix possibile esse videtur. Ecclesia quidem declarare potest se ipsam plus minusve interponere velle pro hoc vel illo poenitente; sed indicare mensuram praecisam poenae coram Deo remissae difficile vel impossibile est. Si hoc in Sacramento poenitentiae impossibile est, quomodo extra id fieri posse censetur?

Quae difficultas eo magis patet, quod accuratius intelligitur quid sit

« poena temporalis ». Saepius sub notione poenae temporalis mere poenae purgatorii post mortem luendae concipiuntur.

Re tamen vera poena temporalis non solum poenam post mortem luendam respicit, sed iam hic in terra habetur, scil. in sequelis a peccato fluentibus, v. g. in aucta inclinatione ad peccatum difficilius superanda. Qua re bene perpensa iam non est facile indicare mensuram secundum quam remissio poenae temporalis mensuretur. Difficultas crescit, si consideratur intimus nexus, qui viget inter remissionem poenae temporalis et caritatem Deo debitam. Nemo negabit ardentem caritatem illam, qua homo plene ad Deum convertitur, tollere non solum culpam et poenam aeternam, sed etiam debitum poenae temporalis.

Ex altera parte extinctio debiti poenae non fieri potest nisi aucta et adepta illa caritate perfecta, ad quam homo tendere sub peccato debet. Hinc collaboratio Ecclesiae ad extinctionem debiti poenae consistere debet in acquisitione et oblatione illius gratiae divinae actualis, quae requiritur ad hanc caritatem acquirendam et actuandam. Praecise quia remissio poenae temporalis ita intime cum augmento caritatis coniuncta est et caritas ipsa non actuatur nisi exercitio operum etiam externorum, propterea Ecclesia ad acquirendas indulgentias opera pia imponit et opera pia seria imponere debet. Haec si ita sunt, haec sequi videntur: mensura debiti poenae correspondet defectui caritatis. Si autem talis defectus caritatis, « quantitative » determinari nequit, nec illa poena « quantitative » mensurari potest.

2) *De natura cooperationis Ecclesiae in indulgentiis lucrandis. Conceptus « thesauri Ecclesiae »*, quam Ecclesia « possidet » (ut dicitur in Positione) facile inducit ad conceptionem sat materialem vel fere commercialem eorum, quae in indulgentiis lucrandis accidunt. Nullatenus oblivioni dari debet quod « thesaurus Ecclesiae » est expressio humana, iuridica vel imago de processu quodam personali; est ergo analogice accipienda. « Thesaurus » est ipse Deus, qui et quatenus interpositionem Ecclesiae et nisum hominis accipit eisque respondet intuitu meritorum Christi et (dependenter ab Eo) Sanctorum. Arbitraria esse videtur *alternativa* in Positione supposita: *aut iurisdictio aut intercessio.* Ex his rationibus intrinsecis videtur esse illicitum, sententiam intercessionis iam a limite excludere. Etenim reapse datur ex una parte etiam talis actio Ecclesiae salutem hominis respiciens et causans, quae non est presse iurisdictio, ex altera parte suffragium Ecclesiae longe plus est, quam intercessio cuiusvis hominis; est nempe interpositio Ecclesiae indefectibiliter sanctae in favorem poenitentis. In Positione res nimis individualistice exhiberi videtur: ac si per indulgentiam *satisfactio* a singulo quodam peracta applicaretur cuidam alii singulo. Quin dubitetur tale quid

possibile esse et accidere, tamen notandum est tale non accidere in indulgentiis, quia indulgentia essentialiter consistit in eo, quod Ecclesia ipse se interponit pro membris vel filiis suis. Huius Ecclesiae oratio fit in ordine ad remissionem poenae temporalis. Hic effectus indubie saluti aeternae poenitentis inservit. Spectato hoc fine orationis et propter sanctitatem et dignitatem Ecclesiae, sponsae Christi, oratio illa natura sua quoad exauditionem certa et infallibilis esse dicenda est. Hinc de se nihil obstat, quominus concipi possit *efficax ex opere operato.* Nam etsi non dici potest sacramentum, tamen de se infallibiliter confert ad finem, quem prosequitur indulgentia, scilicet plenam caritatem, quae tollit reatum etiam poenae.

Talis effectus, etsi ex se infallibilis, extrinsecum limitem habet *in libera dispositione et cooperatione hominis.* Si ergo indulgentia consideratur ut *auctoritativa oratio Ecclesiae* sponsae Christi pro illo auxilio divino ad debitum poenae extinguendum, haec commoda habentur:

a) servatur obiectivum « opus operatum » indulgentiae, quod theologi generatim admittunt;

b) evitatur conceptio impersonalis et exclusive iuridica et quasi mechanica indulgentiae;

c) respicitur evolutio historica indulgentiae necnon ratio habetur conceptionis Constitutionis *Lumen Gentium,* secundum quam Ecclesia peccatorum conversioni « caritate, exemplo, precibus adlaborat ». Notentur insuper haec. Ad evitandas difficultates superius expositas, non iuvat distinctio inter « absolutionem » et « solutionem ». Non enim intelligitur quae sit realis differentia utriusque sententiae. Nam omnes theologi admittunt hanc « solutionem » ex « thesauro Ecclesiae » non esse expensionem partis huius thesauri, sed « provocationem » Ecclesiae ad totum hunc « thesaurum », scil. unam satisfactionem Christi et Sanctorum. Si vero urgetur talis realis differentia, prout fit in Positione, illa « solutio » vix concipi potest aliter ac gratia actualis, quae necessaria est ad personalem extinctionem debiti poenae quaeque obtinetur per auctoritativam intercessionem Ecclesiae pro peccatore intercedentis.

Concludendo: sequentes propositiones concretas propono:

1) indulgentiarum recognitio in forma praesenti, quae exhibetur in Positione ne, quaerimus, promulgetur! Nam obstant difficultates supra expositae; et insuper etiam gravia incommoda pro recentibus relationibus oecumenicis timenda essent.

2) Commissio pro recognitione indulgentiarum constituta notabiliter augeatur, ita ut contineat imprimis peritos theologiae dogmaticae, ex variis sententiis et scholis provenientes. Haec nova Commissio studia

sua certe statim continuet et strenue adlaboret ad eliminandos defectus indicatos necnon consideret adnotationes doctrinales expositas.

3) Praeparetur in documento pontificio ut iam dixit card. Urbani, ante normas practicas, etiam pars expositiva, in qua doctrina catholica de indulgentiis, licet breviter, sed apte explicetur atque commendetur fidelibus; secus timendum est, ne aliquomodo offendantur fideles ex nova ordinatione. In qua expositione observetur, quomodo servetur intima essentia traditionis de indulgentiis doctrinalis ac simul genuina evolutio ex spiritu Concilii Vaticani II instituatur. Dixi. Gratias.

Animadversiones scripto traditae [cf. pag. 324-331].

Moderator: Audiatis, Patres venerabiles, textum conciliarem ad suffragationem.

Secretarius generalis: lego imprimis exitus suffragationum.

Suffragatio 447:

Patres praesentes votantes	2.209
Dixerunt *placet*	2.196
non placet	12
placet iuxta modum	1

Suffragatio 448, quae est super integro cap. III:

Praesentes votantes	2.209
Dixerunt *placet*	2.066
non placet	10
placet iuxta modum	131
Vota nulla	2

Suffragatio 449:

Praesentes votantes Patres	2.165
Dixerunt *placet*	2.138
non placet	18
placet iuxta modum	6
Suffragia nulla	3

Suffragatio 450:

Patres praesentes votantes		2.151
Dixerunt	*placet*	2.117
	non placet	4
	placet iuxta modum	26
Suffragia nulla		4

Nunc, Patres, proceditur ad ultimam suffragationem huius schematis, quae est 456: integrum cap. VI proponitur suffragandum per triplicem formulam *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Ergo hoc caput, quod integrum suffragationi proponitur inde ab initio, suffragandum est per triplicem formulam: *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Incipit lectio huius capitis.

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, *subsecretarius Concilii*: Videatis pag. 50, nn. 35-39 [*cf. pag. 252-257*].

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, *subsecretarius Concilii*: nn. 40-42 [*cf. pag. 257-260*].

Patres venerabiles, hoc integrum caput *placet, non placet* vel *placet iuxta modum?*

Moderator: Venerabiles Patres, proxima congregatio generalis: crastina die, hora nona cum dimidio. Post relationem, erit suffragatio circa schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum.*

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CLIX

12 novembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLIX

12 novembris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Sacrosancti Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 159 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

In hac congregatione, Patres venerabiles, fiet relatio schematis *de ministerio et vita presbyterorum.* Deinde procedetur ad suffragationes cum triplici formula. Modi qui forte apponantur, exhibendi sunt intra crastinam, ut commissio alacriter laborare possit. Tempus enim urget.

En, Patres, exitus suffragationum qui heri lecti non sunt:

Suffragatio 451, quae est super integro cap. IV *de activitate missionali Ecclesiae*:

Praesentes votantes	2.138
Dixerunt *placet*	1.816
non placet	11
placet iuxta modum	309
Suffragia nulla	2

Suffragatio 452:

Praesentes suffragantes	2.131
Dixerunt *placet*	2.064
non placet	53
placet iuxta modum	7
Suffragia nulla	7

Suffragatio 453:

Praesentes votantes Patres	2.125
Dixerunt *placet*	2.105
non placet	16
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	3

Suffragatio 454:

Patres praesentes votantes	2.142
Dixerunt *placet*	2.101
non placet	37
placet iuxta modum	2
Suffragia nulla	2

Suffragatio 455: est super integro cap. V:

Praesentes votantes Patres	2.153
Dixerunt *placet*	1.428
non placet	9
placet iuxta modum	712
Suffragia nulla	4

Suffragatio 456, quae est super integro cap. VI et ultimo:

Patres praesentes votantes	2.171
Dixerunt *placet*	2.006
non placet	6
placet iuxta modum	158
Suffragium nullum	1

Ergo modi examinabuntur et expensio modorum iterum subicietur suffragationi huius amplissimi coetus.

Patres venerabiles, in hac congregatione distribuitur pars secunda schematis constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Quare pars secunda et non prima? Quia pars secunda prior praeparata est, ut iam monui in alia congregatione generali; sed crastina praesto erit etiam pars prima, a qua, ut par est, incipiet suffragatio. Ergo crastina habebitis volumen continens partem primam cum elencho suffragationum, quae, post aptam relationem, incipient feria secunda proxima. Sed non omnes suffragationes eodem die fiunt, cum sint 31. Fient tribus diebus. Ergo modos velitis praeparare iuxta ordinem suffragationum, sed optabile est ut modi non ultra feriam quartam exhibeantur, non solum optabile est, sed sunt praesentandi illo die ob rationem quam iam exposui quoad aliud schema quod hodie suffragationi subicitur.

Crastina, nostra secretaria vobis dabit, Patres venerabiles, in editione peculiari pro Patribus conciliaribus, Adhortationem apostolicam « Postrema Sessio », quae est veluti vademecum pro fine Concilii. In illa adhortatione praescribitur ut episcopi in propria dioecesi supplicationes

instituant et celebrationes ea ipsa hora qua Concilium die 8 decembris clauditur. Profecto statuit Summus Pontifex ut haec hora sit 11 ante meridiem; 11 mane...; 11 mane.

Sanctissimus Dominus indulsit quoque ut em.mi ac rev.mi DD. PP. cardinales, expleta conclusione Concilii die 8 decembris, possint Romam relinquere et ad suas sedes reverti, quin peculiarem licentiam, uti solet, petant a Summo Pontifice. Hoc certe valet etiam pro ceteris Patribus, absoluta conclusione Sacri Concilii.

Attendatis, Patres venerabiles! A nostra secretaria generali, quae est centrum omnium petitionum, forsan etiam querelarum quandoque, expostulatum est: utrum conferentiae quae indictae sunt in Domo cui nomen « Domus Mariae » pro currenti mense novembri habeant indolem officialem (est pessimum verbum latinum, attamen clarissimum est) vel ab hac nostra eadem secretaria sint auctorizatae (aliud pessimum verbum, sed clarissimum!).

Ad utrumque, Patres venerabiles, respondeo: *negative.*

Moderator: Faveat exc.mus P. D. Franciscus Marty, arch. Remensis, legere relationem circa schema *de ministerio et vita presbyterorum.*

SCHEMA DECRETI DE MINISTERIO ET VITA PRESBYTERORUM

TEXTUS EMENDATUS ET RELATIONES *

1 – Exc.mi P. D. FRANCISCI MARTY *Archiepiscopi Remensis*

RELATIO GENERALIS [5]

Venerabiles Patres,

Commissionis conciliaris « De disciplina cleri et populi christiani » mandatum habens, gratias Vobis ago quam maximas quod animadversionibus tam scripto quam verbo prolatis auxilio nobis fuistis eximio

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali 156, die 9 novembris 1965.

[5] ut schema huius Decreti ad perfectiorem maturioremque formam redigeremus. Emendationibus enim a Vobis diserte propositis correctum hoc schema cum sit, distinctius quam antea eiusdem interna manifestatur unitas atque maiorem in lucem profertur notio eius princeps, quae uti fons est ex quo omnia dicta profluunt. Aliunde textus ita emendatus, uti aestimamus, votis satisfacit Patrum, quorum animadversiones generalem schematis ordinationem respiciunt.

* * *

Notio schematis princeps, quacum omnia cohaerent, haec est: Presbyteri, utpote in Ordinis Sacramento unctione Spiritus Sancti consecrati et Christo sacerdoti configurati, Christi Capitis in Ecclesia sunt ministri, ad Populo Dei inserviendum deputati; et ideo in ministerio quod exercent personam agunt ipsius Christi, qui per ipsos ...[1] missionem quam a Patre recepit indesinenter adimplet. Eucharistia inde apparet uti centrum et fons totius ministerii Presbyterorum. Hoc autem ministerium aptius determinetur oportet, et quidem ipsa qua nititur apostolica missione. Quod ministerium apostolicum si omni sub respectu consideratur, attenta doctrina Novi Testamenti, praesertim Epistolarum Sancti Pauli, apte componuntur ambo modi intelligendi Presbyterorum sacerdotium qui in Aula expositi sunt. Verus enim apostolatus et vera Patris adoratio coniunctissime, immo et indissolubiliter, inter se uniuntur, ita ut uterque Presbyterorum hic aspectus vitae disiungi non valeat. Ipse quidem Sanctus Paulus declarat se annuntiando Evangelium, Deo adorationem reddere, scilicet se confitendo Domino in gentibus, nomini Domini cantare (cf. *Rom.* 15, 9).

Non pauci Patres rogarunt ut disertius significaretur intima coniunctio qua Presbyterorum ministerium et propria ad quam vocantur eorum sanctitas inter se uniuntur. Eorum petitis respondent mutationes quae tum in ordinatione tum in ipsa materia secundae partis schematis (quae sub Capite III nunc habetur) inductae sunt. In specie, dum quae ad Presbyterorum sanctitatem et Evangelio fidelitatem requisita pertinent in anteriore textu praesertim exposita sunt ut cum consiliis
[6] evangelicis connexa, nunc, in schemate emendato, aptiore modo ordinantur et proponuntur ut cum ipso sacerdotali ministerio cohaerentia. Praeterea, melioris ordinationis schematis ratione, quae de Presbyterorum studio et scientia pastorali declarantur, ad secundam translata sunt schematis partem, quae de Presbyterorum vita tractat, et in noviter ordinato schemate sub Capite III habetur.

* * * [6]

Omnium quae prolatae sunt animadversionum rationem habentes, emendatum composuimus textum. Modus dicendi, uti aestimamus, maiore claritate simul ac robore gaudet, declarationes magis sunt distinctae atque dicendorum ordinatio logica magis conspicue apparet.

Tria habentur in emendato schemate capita. Quorum prius, cui titulus « Presbyteratus in missione Ecclesiae », illa exponit quae communia sunt principia Presbyterorum ministerio atque vitae: ipsam imprimis naturam Presbyteratus delineat, et deinde de Presbyterorum in mundo conditionibus tractat. Ad naturam Presbyteratus quod attinet, consideratur Presbyterorum ministerium, cuius praecipui aspectus definiuntur: Presbyteri cooperatores sunt Ordinis Episcoporum, in exercendo servitio apostolico quod adimplere debent in aedificationem Mystici Corporis Christi in Spiritu (n. 2). Hoc autem ministerium, cui totos se devovere debent, exercent Presbyteri in mundo, inter homines versantes (n. 3).

Post haec exposita principia fundamentalia, sequuntur, sub Capite II et III, duae partes schematis, de ministerio et de vita Presbyterorum quae agunt.

Prima pars, sub Capite II, tractat de Presbyterorum ministerio. Hoc suum ministerium adimplent Presbyteri tria munera sibi commissa exercendo, sed eadem dum adimplent solliciti sint oportet etiam illarum ovium quae nondum sunt de Christi ovili (nn. 4, 5, 6). Triplex autem hoc ministerium quod in Populi Dei servitium exsequuntur, Presbyteri exercent coniuncti cum Episcopo, vinculo uniti communionis cum Presbyterio, atque dum continuo cum laicis conversantur (nn. 7, 8, 9). Tandem apta illam Presbyterorum distributio requiritur quam postulant Ecclesiae necessitudines (n. 10); quae necessitudines, in dies quidem crescentes, eosdem etiam incitant ut vocationes sacerdotales peculiari curae habeant (n. 11).

Altera pars (quae nunc sub Capite III venit) Presbyterorum respicit vitam, attentis ministerii natura necessitatibusque consideratam. Sicut christiani omnes, Presbyteri ad sanctitatem excolendam vocantur. Ministri autem Christi Capitis cum sint atque sese ostendere debeant, sanctitatem vitae propria sibi ratione persequentur, triplex scilicet ministerium suum exercendo (nn. 12, 13). Centrum quidem et radix eorum vitae sanctitatis, quo unitas vitae Presbyteri in Spiritu verificatur, est [7]
ipse Christus, qui ut voluntatem faciat Patris in mundo per ministros suos operatur (n. 14). Ipso etiam hoc Presbyterorum ministerio deter-

[7] minatur modus ipsis proprius vivendi in humilitate, in oboedientia atque in voluntaria paupertate (nn. 15, 17). Ad quaestionem tractandam, in n. 16, de coelibatu amplexando et ut dono aestimando, Commissio munitiore cura observationibus studuit Patrum, quas prae oculis habens textum redegit quo extollitur multimoda coelibatus cum exigentiis sacerdotii et ministerii convenientia. Tandem denique, media considerantur quibus Presbyteri egent ut cum Christo coniuncti opus ministrorum perficere valeant. Subsidia quaedam indicantur, quibus eorum vitae spiritualis incrementum fovetur (n. 18). Necessaria etiam sunt subsidia studium et scientia pastoralis, quam igitur apte et sine intermissione perficere debent Presbyteri (n. 19). Subsidia demum ordinis materialis non sine momento cum sint, quaedam tractantur quaestiones illa respicientia, uti sunt aequa Presbyterorum remuneratio atque, ut huic apte provideatur, massae bonorum communes constituendae et providentia socialis ordinanda (nn. 20, 21).

Venerabiles Patres,

Mundum huius quoque temporis diligit Deus. Etiam pro hoc mundo hodierni temporis Christus mortuus est et resurrexit. Hominum itaque communitatem in hoc mundo exsistentem Ecclesia curae committit suorum Presbyterorum, ut eandem et ipsi diligant. Prae oculis habentes dilectionem qua Christus diligit mundum, et conscii se in hoc opere amoris esse Christi ministros, Presbyteri animi acquirent robur ad tantum opus explendum requisitum, sed et gaudia experientur apostolis propria. Nulla umquam difficultas eos impediet quominus in ministerio persolvendo Christi perseverent, si sua faciunt verba Apostoli: « Caritas Christi urget nos » (*2 Cor.* 5, 14).

In oratione: [1] Ordini episcopali coniunctos.

2 – SCHEMA DECRETI [9]
DE MINISTERIO ET VITA PRESBYTERORUM *

PROOEMIUM

Textus prior

[*Prooemium*]. Presbyteratus Ordinis in Ecclesia excellentiam tam pastoralem quam spiritualem iam pluries haec Sacrosancta Synodus in memoriam omnium revocavit. Presbyteri enim, sacra Ordinatione atque missione, quam ab Episcopis recipiunt, promoventur ad inserviendum Christo Magistro, Sacerdoti et Regi, cuius participant ministerium, quo Ecclesia in populum Dei, Corpus Christi et templum spirituale, hic in terris, indesinenter aedificatur. Cum tamen, ex indole sua, huic Ordini in Ecclesiae Christi renovatione partes maximi momenti et in dies quidem difficiliores assignentur, perutile visum est fusius et profundius de presbyteratu tractare. Quapropter, ut Presbyterorum ministerium efficacius sustineatur utque eorundem vita aptius ordinetur, Sacrosancta haec Synodus quae sequuntur statuit:

Textus emendatus

1. [*Prooemium*] (A). Presbyter*orum* Ordinis in Ecclesia excellentiam iam pluries haec Sacrosancta Synodus in memoriam omnium revocavit [1] (B). Cum tamen huic Ordini in Ecclesiae Christi renovatione partes maximi momenti et in dies quidem difficiliores assignentur, perutile visum est fusius et profundius de *Presbyteris, speciatim dioecesanis,* tractare; *quae autem dicuntur, congrua congruis referendo, applicantur Presbyteris religiosis quoque, qui curae animarum inserviunt* (C). Presbyteri enim, sacra Ordinatione atque missione, quam ab Episcopis recipiunt, promoventur ad inserviendum Christo Magistro, Sacerdoti et Regi, cuius participant ministerium, quo Ecclesia in Populum Dei, Corpus Christi et templum spirituale, hic in terris, indesinenter aedificatur (D). Quapropter, ut *in adiunctis pastoralibus et humanis persaepe tam funditus mutatis eorum* ministerium efficacius sustineatur *a*tque eorun*dem vitae melius provideatur* (E), Sacrosancta haec Synodus quae sequuntur *declarat ac decernit* (F).

---

* Notanda: *Verba, initio numerorum litteris inclinatis inter uncos* [ ] *posita, in redactione definitiva tollentur. In schemate habentur duo textus*: textus prior (*redactus mense maio 1965*) *et* textus emendatus (*seu apparatus mense octobri 1965, post disceptationem schematis in Aula, iuxta animadversiones a Patribus Conciliaribus oretenus factas vel scripto transmissas*).

Emendationes introductae a Commissione litteris inclinatis *seu* italicis *significantur.*

Litterae (A), (B), *etc. spectant ad litteras correspondentes in Relatione de singulis numeris, ubi innotescunt rationes cur textus ab antiquo recedat, iuxta Patrum animadversiones.*

[10] NOTAE

[1] Conc. Vat. II, Const. dogm. *Sacrosanctum Concilium,* de Sacra Liturgia, 4 dec. 1963: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 97 ss.; Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 5 ss.; Decr. *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, 28 oct. 1965; Decr. *Optatam totius,* de institutione sacerdotali, 28 oct. 1965.

[11] CAPUT I

PRESBYTERATUS IN MISSIONE ECCLESIAE

Textus prior

1. [*De natura et condicione presbyteratus*]. Christus Dominus, ad populum Dei pascendum semperque augendum, in Ecclesia sua ministros instituit sacra potestate pollentes qui, virtutem perennis sui sacerdotii exercendo propriamque suam actionem salvificam manifestam reddendo, fratribus suis inservirent. Missis ergo Apostolis sicut Ipse missus erat a Patre (cf. *Io.* 20, 21), per ipsos Apostolos, eorum successores, videlicet Episcopos, consecrationis missionisque suae participes effecit. Rursus Episcopi munus ministerii sui, subordinato tamen gradu, Presbyteris legitime tradiderunt, ut sint, ad rite explendam missionem apostolicam sibi a Christo concreditam, providi cooperatores Ordinis episcopalis. Presbyteri ergo, « quamvis pontificatus apicem non habeant, et in exercenda sua missione ab Episcopis pendeant, cum eis tamen sacerdotali honore coniuncti sunt, et vi Sacramenti Ordinis, ad imaginem Christi, summi atque aeterni Sacerdotis (cf. *Hebr.* 5, 1-10; 7, 24; 9, 11-28), ad Evangelium praedicandum fidelesque pascendos et ad divinum cultum celebrandum consecrantur, ut veri sacerdotes Novi Testamenti ».

Officium ergo non tantum episcopatus, ve-

Textus emendatus

2. (Olim pars n. 1). [*Natura presbyteratus*]. (A) *Dominus Iesus, « quem Pater sanctificavit et misit in mundum »* (*Io.* 10, 36), *unctionis qua unctus est totum Corpus suum mysticum particeps reddit*: *in eo enim omnes fideles sanctum et regale sacerdotium efficiuntur, spirituales offerunt hostias Deo per Iesum Christum, et virtutem annuntiant Eius, qui de tenebris eos vocavit in admirabile lumen suum* (cf. *1 Pt.* 2, 5 et 9). *Nullum ergo datur membrum quod in missione totius Corporis partem non habeat, sed unumquodque sanctificare debet Iesum in corde suo* (cf. *1 Pt.* 3, 15), *et spiritu prophetiae testimonium de Iesu reddere* (cf. *Apoc.* 19, 10) (B).

Idem vero Dominus, inter fideles, ut in unum coalescerent corpus, in quo « non omnia membra eundem actum habent » (*Rom.* 12, 4), *quosdam* instituit ministros, qui, *in societate fidelium,* sacra potestate pollentes, *sacerdotali officio publice pro hominibus fungerentur* (C). *Itaque,* missis Apostolis sicut Ipse missus erat a Patre (cf. *Io.* 20, 21),[1] *Christus,* per ipsos Apostolos, consecrationis missionisque suae participes effecit eorum successores, Episcopos; [2] *qui* Episcopi munus ministerii sui, sub-

Textus prior

rum etiam presbyteratus in Ordine suo, participat auctoritatem qua Christus Ipse Corpus suum extruit, sanctificat et regit, ideoque ad sacerdotium commune fidelium ordinatur, quo omnes sacrificium integrae suae vitae, cum sacrificio unici Mediatoris coniunctum, Deo spiritualiter offerunt, sed ad illud, quantumvis sublime, reduci non potest. Sacerdotium enim Presbyteri non tantum in initiationis christianae sacramentis fundatur, sed etiam peculiari initiatione sacramentali indiget, qua Presbyter speciali modo Christo sacerdoti configuratur, ita ut, missionis episcopalis particeps factus, in persona Christi Capitis, Magistri, Pontificis et Rectoris, agere valeat. Huiusmodi ministerium Presbyterorum, sicut tota actio salvifica qua missio universalis Ecclesiae hic in terris perficitur, a Sacrificio Christi, quod in Eucharistia per manus eorum celebratur, quasi ab inexhausto fonte, suam vim et virtutem iugiter haurit, atque eo tendit ut, in Novi et Aeterni Testamenti sacrificii sollemniis « tota redempta civitas, hoc est congregatio societasque sanctorum universale sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem Magnum qui etiam se ipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus ».

Textus emendatus [11]

ordinato *quidem* gradu, Presbyteris legitime tradiderunt,[3] ut *in Ordine presbyteratus constituti,* ad rite explendam missionem apostolicam sibi a Christo concreditam, Ordinis episcopalis essent cooperatores.[4]

Etiam officium presbyteratus in Ordine suo
participat auctoritatem qua Christus Ipse Cor-
pus suum exstruit, sanctificat et regit. *Quare*
sacerdotium Presbyter*orum* in initiationis chri- [12]
stianae Sacramentis *quidem* fundat*um,* peculiari
tamen illo Sacramento *confertur,* quo Presby-
teri, *unctione Spiritus Sancti* (D), speciali cha-
ractere donantur et sic Christo Sacerdoti con-
figurantur, ita ut in persona Christi Capitis age-
re valeant.[5]

Munus quidem Apostolorum cum pro sua parte participent, Presbyteris gratia datur a Deo ut sint ministri Christi Iesu in gentibus, sacerdotio Evangelii fungentes, ut fiat oblatio gentium accepta, sanctificata in Spiritu Sancto (cf. *Rom.* 15, 16 gr.). *Per Evangelii enim apostolicum nuntium convocatur et congregatur Populus Dei, ita ut omnes ad hunc Populum pertinentes sanctificati cum sint Spiritu Sancto, seipsos offerre possint « hostiam viventem, sanctam, Deo placentem »* (*Rom.* 12, 1). *Presbyteri quidem sacrificium spirituale fidelium coniungere valent cum sacrificio Christi, unici Mediatoris, quod per manus suas in Eucharistia incruente et sacramentaliter celebratur donec Ipse Dominus veniat* (cf. *1 Cor.* 11, 26) (E). *Ministratio igitur eorum, quae ab evangelico nuntio incipit,* e Sacrificio Christi suam vim et virtutem haurit, atque eo tendit ut « tota redempta civitas, hoc est congregatio societasque sanctorum, universale sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem Magnum, qui etiam se ipsum obtulit in Passione pro nobis, ut tanti Capitis corpus essemus ».[6]

[12] *Textus prior*

Textus emendatus

Finis igitur quem ministerio atque vita persequuntur Presbyteri est gloria Dei Patris in Christo procuranda. Quae gloria in eo est quod homines conscie et libere atque grato animo Dei opus in Christo perfectum recipiunt. Presbyteri itaque, sive orationi et adorationi vacent, sive verbum praedicent, sive Sacramenta administrent, sive alia pro hominibus exerceant ministeria, ad Dei gloriam augendam simul ac ad hominum vitam promovendam, conferunt (F).

[13] Presbyteri vero, ex hominibus assumpti et pro hominibus constituti in iis quae sunt ad Deum (cf. *Hebr.* 5, 1), cum ceteris hominibus in terris conversantur. Imitentur oportet Dominum Iesum, quem Pater sanctificavit et misit in mundum (cf. *Io.* 10, 36): Verbum enim Dei, caro factum, habitavit in nobis, sicut «Emmanuel» celebratur, id est nobiscum Deus (cf. *Io.* 1, 14; *Mt.* 1, 23) voluitque per omnia fratribus similari, absque tamen peccato (cf. *Hebr.* 2, 17; 4, 15). Ipsum iam imitati sunt Apostoli, et testatur Paulus, Doctor gentium, omnia omnibus se factum esse ut omnes faceret salvos (cf. *1 Cor.* 9, 19-23 vg.). Hoc exemplum sequentes, etiam Presbyteri debent cum hominibus conversari, in quorum utilitatem et servitium missi sunt. Vocatione quidem sua quodammodo in sinu populi Dei segregantur, non ut separentur ab eo nec etiam a quovis homine, sed ut totaliter consecrentur operi ad quod assumpti sunt (cf. *Act.* 13, 2): ita et Apostoli reliquerunt omnia ut sequi possent Christum (cf. *Mt.* 19, 27; *Lc.* 5, 11) piscatoresque fieri hominum (cf. *Mt.* 1, 17). Ministri enim Christi esse non possent nisi alius vitae quam terrenae testes essent et dispensatores, sed neque hominibus inservire valerent si eorum vitae condicionique extranei remanerent. Quare tenentur Presbyteri, sicut omnes Christi disci-

3. (Olim pars n. 1). [*Presbyterorum in mundo condicio*]. *Presbyteri, ex hominibus assumpti* et pro hominibus constituti in iis quae sunt ad Deum (cf. *Hebr.* 5, 1), cum ceteris hominibus, *tamquam cum fratribus* conversantur (A). *Sic et* Domin*us* Ies*us, Filius Dei, homo ad homines a Patre missus* (B), habitavit in nobis et voluit per omnia fratribus assimilari, absque tamen peccato (cf. *Hebr.* 2, 17; 4, 15). Ipsum iam imitati sunt *sancti* Apostoli, et testatur *beatus* Paulus, Doctor gentium, « *segregatus in Evangelium Dei* » (*Rom.* 1, 1) (C), omnia omnibus se factum esse ut omnes faceret salvos (cf. *1 Cor.* 9, 19-23 vg.). Presbyteri Novi Testamenti, vocatione quidem *et ordinatione sua,* quodam modo in sinu populi Dei segregantur, non *tamen* ut separentur, *sive* ab eo, *sive* a quovis homine, sed ut totaliter consecrentur operi ad quod *Dominus* eos assu*mit* (cf. *Act.* 13, 2) (D). Ministri Christi esse non possent nisi alius vitae quam terrenae testes essent et dispensatores, sed neque hominibus inservire valerent si ab eorum vita condicionibusque *alieni* (E) remanerent.[7] *Ipsum eorum ministerium exigit* ne huic saeculo sese conforment (cf. *Rom.* 12, 2); *simul tamen requirit ut in hoc saeculo cum omnibus hominibus vivant,* et sicut boni pastores oves suas cognosc*ant, easque etiam quae non sunt ex hoc ovili adducere quaerant, ut et*

Textus prior

puli, titulo tamen peculiari, ne se conforment huic saeculo (cf. *Rom.* 12, 2): nam, si sal evanuerit, ad nihilum valet ultra (cf. *Mt.* 5, 13); sed simul tenentur, sicut boni pastores, oves suas cognoscere, persentientes mentem hominum eorumque vitam non solum individualem et familiarem, sed etiam oeconomicam, culturalem et socialem. Ita enim solummodo possunt apto modo eis loqui eosque adiuvare ut Evangelio totam suam imbuant vitam.

Textus emendatus [13]

ipsae vocem Christi audiant et fiat unum ovile et unus Pastor (cf. *Io.* 10, 14-16) (F). *Quod ut consequi valeant multum conferunt* virtutes quae *in humano consortio* magni aestimantur, ut *sunt* cordis bonitas, sinceritas, robur animi et constantia, assidua iustitiae cura, urbanitas aliaeque, quas Apostolus Paulus commendat, dicens: « Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate » (*Phil.* 4, 8) [8] (G).

NOTAE [14]

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 18: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 14-15.

[2] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 33-36.

[3] Cf. ibid.

[4] Cf. *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri », Praefatio. Haec verba iam inveniuntur in *Sacramentario Veronensi* (ed. L. C. Möhlberg, Romae 1956, p. 122); item in *Missali Francorum* (ed. L. C. Möhlberg, Romae 1957, p. 9); item in *Libro Sacramentorum Romanae Ecclesiae* (ed. L. C. Möhlberg, Romae 1960, p. 25); item in *Pontificali Romano-Germanico* (ed. Vogel-Elze, Città del Vaticano 1963, vol. I, p. 34).

[5] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 10: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 14-15.

[6] S. Augustinus, *De civitate* Dei, 10, 6: *PL* 41, 284.

[7] « Huiusmodi vero religiosae ac moralis perfectionis studium magis magisque excitatur externis etiam condicionibus, quibus Ecclesia vitam agit; nequit enim ea immobilis manere atque incuriosa vicissitudinis humanarum rerum, quae circa sunt et multiplicem vim habent ad eius agendi rationem, eique modum et condiciones imponunt. Pro comperto sane est, Ecclesiam ab humana consortione non seiungi, sed in ea versari, ideoque ipsius filios ab eadem moveri ac duci, eiusque cultum civilem imbibere, legibus obtemperare, mores induere. Haec vero Ecclesiae consuetudo cum humana societate continenter difficiles parit quaestiones, quae nunc potissimum praegraves sunt... (...) Gentium Apostolus ita suae aetatis christianos hortabatur: *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras? . .. aut quae pars fideli cum infideli?* (*2 Cor.* 6, 14-15). Hanc ob causam qui in praesenti educatores praeceptoresque in Ecclesia agunt, eos necesse est catholicam iuventutem commonefacere praestantissimae condicionis suae, atque officii, quod inde nascitur, vivendi in hoc mundo,

[14] non autem ad huius mundi sensum, convenienter ad hanc precationem, a Christo Iesu pro discipulis suis factam: *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo*: *de mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo* (*Io.* 17, 15-16). Quam precationem asciscit sibi Ecclesia.

Nihilominus tamen huiuscemodi discrimen non idem significat atque disiunctionem; neque neglegentiam declarat, neque metum neque contemptionem. Etenim cum Ecclesia se ab hominum genere discernit, adeo huic non obsistit, ut potius cum eo coniungatur » (PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 [1964], p. 627 et 638).

[8] Cf. S. POLYCARPUS, *Epist. ad Philippenses,* VI, 1: « Et presbyteri sint ad commiserationem proni, misericordes erga cunctos, aberrantia reducentes, visitantes infirmos omnes, non neglegentes viduam aut pupillum aut pauperem; sed solliciti semper de bono coram Deo et hominibus, abstinentes ab omni ira, acceptione personarum, iudicio iniusto, longe recedentes ab omni avaritia, non cito credentes adversus aliquem, non severi nimium in iudicio, scientes nos omnes debitores esse peccati » (ed. F. X. Funk, *Patres Apostolici,* I, p. 303).

[15]

CAPUT II

PRESBYTERORUM MINISTERIUM

I – PRESBYTERORUM MUNERA

Textus prior

2. [*Presbyteri, verbi Dei ministri*]. Populus Dei primum constituitur verbo Dei vivi, quod ex ore sacerdotum omnino fas est requirere (cf. *Mal.* 2, 7; *1 Tim.* 4, 15-16; *2 Tim.* 4, 5; *Tit.* 1, 9). Verbo enim salutari suscitatur fides, qua congregatio fidelium coalescit et Christo incorporari incipimus, secundum illud Apostoli: « fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi » (*Rom.* 10, 17). Cum ergo praedicatio Evangelii sit praecipuum Episcoporum munus, primum quoque munus Presbyterorum est, una cum Episcopis eisque moderantibus, praeconium salutis omnibus annuntiare, generali mandato Domini respondentes: « Euntes in mundum universum

Textus emendatus

4. (Olim n. 2). [*Presbyteri, verbi Dei ministri*]. Populus Dei primum *coadunatur* (A) verbo Dei vivi,[1] quod ex ore sacerdotum omnino fas est requirere (cf. *Mal.* 2, 7; *1 Tim.* 4, 15-16; *2 Tim.* 4, 5; *Tit.* 1, 9). *Cum enim nemo salvari possit, qui prius non crediderit* (cf. *Mc.* 16, 16), *Presbyteri, utpote Episcoporum cooperatores, primum habent officium Evangelium Dei omnibus evangelizandi* (cf. *2 Cor.* 11, 7; *2 Tim.* 4, 5) [2] (B), *ut, mandatum exsequentes Domini*: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15),[3] *populum Dei constituant et augeant.* Verbo enim salutari *in corde non fidelium* suscitatur *et in corde fidelium alitur fides* (C),

Textus prior

praedicate Evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15). Omnibus ergo debitores sunt Presbyteri, ut cum eis communicent fidem, gratiam et plenitudinem, quas in Domino habent. Sive igitur mysterium Christi annuntiant, sive catechesim christianam tradunt vel Ecclesiae doctrinam explanant, sive sui temporis quaestiones sub luce Christi tractare student, eorum est semper utiliter docere omnesque ad conversionem et ad vitae christianae perfectionem instanter invitare.

Hoc ministerium verbi multiformiter exercetur. Peculiariter tamen requiritur vel exigitur ab ipso ministerio Sacramentorum, praesertim pro illis qui parum intellegere videntur quae frequentant. Requiritur praecipue in Missarum celebratione, in qua annuntiatio mortis Domini donec veniat (cf. *1 Cor.* 11, 26) et responsum populi audientis uniuntur inseparabiliter cum ipsa oblatione Christi Novum Testamentum disponentis in Sanguine suo, cui fideles, et votis et Sacramenti perceptione, communicant.

Textus emendatus [15]

qua congregatio fidelium *incipit et crescit* (D), secundum illud Apostoli: « Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi » (*Rom.* 10, 17). Omnibus ergo debitores sunt Presbyteri, ut cum eis communicent *veritatem Evangelii* (cf. *Gal.* 2, 5) qua in Domino *gaudent* (E). Sive igitur, *conversationem inter gentes habentes bonam, ad Deum glorificandum eas adducunt* (cf. *1 Pt.* 2, 12), *sive, aperte praedicantes,* mysterium Christi *non credentibus* annuntiant (F), sive catechesim christianam tradunt vel Ecclesiae doctrinam explanant, sive sui temporis quaestiones sub luce Christi tractare student, eorum semper est *non sapientiam suam, sed Dei verbum docere* (G) omnesque ad conversionem et ad vitae christianae perfectionem instanter invitare.[4] *Sacerdotalis vero praedicatio, in hodiernis mundi adiunctis haud raro perdifficilis, ut auditorum mentes aptius moveat, verbum Dei non modo generali et abstracto tantum exponere debet, sed concretis applicando vitae circumstantiis veritatem Evangelii perennem* (H). [16]

Ita ministerium verbi multiformiter *exercetur, secundum diversas audientium necessitates et praedicantium charismata* (I). *In regionibus vel coetibus non christianis, saluti hominum subveniri oportet prius Evangelio quam Sacramento;* [5] *in ipsa autem communitate christianorum,* praesertim pro illis qui parum intellegere *vel credere* videntur *quod* frequentant, *verbi praedicatio requiritur ad ipsum ministerium Sacramentorum, quippe quae sint Sacramenta fidei, quae de verbo nascitur et nutritur* [6] (J). *Eximium vero locum tenet Liturgia Verbi* in Missarum celebratione (K), in qua annuntiatio mortis *et resurrectionis* Domini *ac* responsum populi audientis inseparabiliter uniuntur cum oblatione ipsa *qua Christus No-*

[16] *Textus prior*

3. [*Presbyteri Sacramentorum et Eucharistiae ministri*]. Etsi solus Deus Sanctus et Sanctificator sit, non dedignatur tamen homines quasi socios et adiutores assumere ut operi suo sanctificationis humiliter inserviant. Ad hoc ergo specialiter Presbyteri a Deo, ministrante Episcopo, consecrantur et mittuntur, ut sint ministri Christi, qui in Liturgia sacerdotale munus suum iugiter exercet, ad sanctificationem fidelium, quam peculiari modo procurant fidei sacramenta quae Presbyteri conficiunt et in quae virtus salutifera a Divinitate Christi per Eius Humanitatem derivatur. In sacramentis autem conficiendis, ut iam primaevae Ecclesiae temporibus testatus est beatus Ignatius Martyr, Presbyteri ab auctoritate
[17] Episcopi diversis rationibus pendent, eumque in singulis localibus fidelium congregationibus quodammodo praesentem reddunt.

Omnia tamen ecclesiastica ministeria, immo et cetera sacramenta, cum Sacra Eucharistia cohaerent et ad eam ordinantur. Communicando enim Corpori et Sanguini Christi, credentes qui per sacrum baptisma in populum Dei seu congregationem fidelium signantur, plene fiunt Corpus Christi mysticum aedificanturque in templum spirituale sanctum. In Sanctissima Eucharistia totum bonum spirituale Ecclesiae continetur, ipse scilicet Christus, Pascha nostrum panisque vivus vitam praestans hominibus per Carnem suam Spiritu Sancto vivificatam et vivificantem. Est ergo Eucharistica Synaxis centrum et fons vitae congregationis fidelium cui Presbyter praeest. Edoceant igitur Presbyteri fideles vitam suam

Textus emendatus

vum Foedus confirmavit in Sanguine suo (L), cui *oblationi* fideles, et votis et Sacramenti perceptione, communicant.[7]

5. (Olim n. 3). [*Presbyteri Sacramentorum et Eucharistiae ministri*]. Deus *qui solus* Sanctus et Sanctificator *est voluit* quasi socios et adiutores *sibi* assumere homines *qui* operi sanctificationis humiliter inserviant. *Hinc* Presbyteri a Deo, ministrante Episcopo, consecrantur, *ut in Sacramentis celebrandis tamquam ministri agant Christi,* qui suum sacerdotale munus iugiter *pro nobis* in Liturgia exercet[8] (A). In Sacramentis conficiendis, ut iam primaevae Ecclesiae temporibus testatus est beatus Ignatius Martyr,[9] Presbyteri diversis rationibus ab Episco*po* pendent, *et sic eum* in singulis fidelium congregationibus quodammodo praesentem reddunt.[10]

Omnia *autem* ecclesiastica ministeria, *non solum cetera sacramenta, sed etiam opera apostolatus,* cum Sacra Eucharistia cohaerent et ad eam ordinantur[11] (B). In Sanctissima *enim* Eucharistia totum bonum spirituale Ecclesiae continetur,[12] ipse scilicet Christus, Pascha nostrum (C) panisque vivus per Carnem suam Spiritu Sancto vivificatam et vivificantem vitam praestans hominibus, *qui ita invitantur et adducuntur ad seipsos, suos labores cunctasque res creatas cum Ipso offerendos* (D). *Quapropter Eucharistia ut fons et culmen totius evangelizationis apparet, dum catechumeni ad participationem Eucharistiae paulatim introducuntur* (E) *et fideles, iam sacro baptismate et confirmatione signati, plenius per receptionem*

Textus prior

cum Sacrificio Capitis ipsorum coniungere et Deo offerre; instituant eos peccata sua corde poenitenti clavibus Ecclesiae submittere, ita ut, magis magisque in dies ad Dominum conversi, cum Ipso super omnia dilecto intimius uniantur eique fidelius serviant; erudiant fideles ut possint psalmis et hymnis et canticis spiritualibus in cordibus suis cantare Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo et Patri (cf. *Eph.* 5, 19-20). Fidelibus ostendant Presbyteri in ipsis liturgicis ritibus medullam sincerae orationis inveniri, et eos, qui magis in virtute profecerint, alliciant ad praxim orationis mentalis necnon consiliorum evangelicorum, modo cuique congruo exercendorum. Nec praetermittant ipsi Presbyteri actiones sacras orando perficere, Officiumque Divinum, quod ut homines ecclesiastici persolvere debent, sicut veram Dei laudem dicere, memores se obligatione teneri orandi et poenitentiam agendi non tantum pro seipsis, sed etiam pro animabus sibi concreditis.

Domus orationis in qua Sanctissima Eucharistia celebratur et servatur, fidelesque congregantur, quae praesentiam Dei hominibus manifestare debet, sit nitida, orationi et sacris sollemnibus apta. Curent Presbyteri scientias et maxime artes liturgicas recte colere, ut, suo ministerio liturgico, a christianis communita-

Textus emendatus [17]

Eucharistiae Corpori Christi inseruntur (F) atque in templum spirituale sanctum aedificantur.

Est ergo Eucharistica Synaxis centrum congregationis fidelium cui Presbyter praeest. Edocent igitur Presbyteri fideles vitam suam cum Sacrificio Capitis ipsorum coniungere et Deo offerre; instituunt eos peccata sua corde poenitenti clavibus Ecclesiae submittere, ita ut magis magisque in dies ad Dominum convertantur, *memores verborum Eius*: « *Poenitentiam agite, appropinquavit enim Regnum caelorum* » (*Mt.* 4, 17) (G). *Ipsos pariter edocent Sacrae Liturgiae celebrationes ita participare, ut sinceram orationem in eis quoque attingant; eos ad spiritum orationis semper perfectiorem, per totam vitam exercendum, pro uniuscuiusque gratiis et necessitatibus, manuducunt, et profectiores* ad consilia Evange*lii,* modo cuique congruo exercen*da,* alliciunt (H). Erudiunt *proinde* fideles ut possint hymnis et canticis spiritualibus in cordibus suis cantare Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo et Patri (cf. [18]
Eph. 5, 19-20).

Laudes et gratiarum actiones quas adhibent in Eucharistiae celebratione ipsi Presbyteri ad diversas horas diei dilatant in Divino persolvendo Officio, quod nomine Ecclesiae pro toto populo sibi concredito, immo pro universo mundo, recitant (I).

Domus orationis in qua Sanctissima Eucharistia celebratur et servatur, fidelesque congregantur, *et in qua* praesentia Dei hominibus manifesta*tur*, nitida, orationi et sacris sollemnibus apta *esse debet* [13] (J). *In ea Pastores et fideles, permanenti praesentia Christi in Sacramento invitantur ut grato animo respondeant dono*

[18]

Textus prior

tibus sibi commissis perfectius in dies laudetur Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

4. [*Presbyteri, populi Dei rectores*]. Munus Christi Pastoris et Capitis pro sua parte auctoritatis exercentes, Presbyteri, ducentibus Episcopis, familiam Dei, ut fraternitatem in unum animatam, colligunt, et per Christum in Spiritu ad Deum Patrem adducunt. Ad hoc autem ministerium exercendum requiritur potestas, quae quidem ad aedificationem datur (cf. *2 Cor.* 10, 8; 13, 10). Etsi enim expediat actionem pastoralem etiam per modum dialogi exercere, Presbyteri tamen non iuxta placita hominum (cf. *Gal.* 1, 10), sed iuxta exigentias doctrinae et vitae christianae docere et agere debent, monente Apostolo: « insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina » (*2 Tim.* 4, 2).

Textus emendatus

Ipsius, qui per Humanitatem suam continuo vitam divinam in membra Corporis sui infundit [14] (K). Curent Presbyteri scientia*m* et maxime arte*m* liturgicam recte colere, ut, suo ministerio liturgico, a christianis communitatibus sibi commissis perfectius in dies laudetur Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

6. (Olim n. 4). [*Presbyteri, populi Dei rectores*]. Munus Christi Capitis et Pastoris pro sua parte auctoritatis exercentes, Presbyteri, ducentibus Episcopis, familiam Dei, ut fraternitatem in unum animatam, colligunt, et per Christum in Spiritu ad Deum Patrem adducunt.[15] Ad hoc autem ministerium exercendum, *sicut ad cetera munera Presbyteri* (A), *confertur* potestas, quae quidem ad aedificationem datur (cf. *2 Cor.* 10, 8; 13, 10). *In aedificanda autem Ecclesia, Presbyteri cum omnibus eximia humanitate ad exemplar Domini conversari debent. Neque* iuxta placita hominum (cf. *Gal.* 1, 10), sed iuxta exigentias doctrinae et vitae christianae *erga eos* agere debent, *eos docentes et ut filios etiam carissimos* (cf. *1 Cor.* 4, 14) *monentes, secundum verba Apostoli*: « Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina » (*2 Tim.* 4, 2) [16] (B).

[19]

Presbyteri ergo, ut fidei educatores, singulos fideles ad suam ipsorum personalitatem secundum evangelicam fidem excolendam, ad sinceram operosamque caritatem et ad libertatem, qua Christus nos liberavit (cf. *Gal.* 4, 31; 5, 1; 5, 13), adducere debent. Parum proderit caeremonias, etsi pulchras, vel consociationes, etsi numerosas, curare, si de educandis hominibus usque ad maturitatem christianam insufficiens studium habeatur. Tale vero studium ad hoc tendat oportet, ut non

Quapropter sacerdotum est, qua in fide educatorum (C), *curare sive per se sive per alios,* ut singuli fideles ad suam *propriam vocationem* secundum Evangel*ium excolendam,* ad sinceram operosamque caritatem, et ad libertatem, qua Christus nos liberavit (cf. *Gal.* 4, 3; 5, 1 et 13), *in Spiritu Sancto adducantur* (D). Parum proder*unt* caeremoni*ae,* etsi pulchr*ae,* vel consociationes, etsi *florentes, si non ordinantur ad educandos homines* ad maturitatem christianam *consequendam* [17] (E). *Quam ut pro-*

Textus prior

sibi solum vivant christiani, sed, secundum exigentias novae legis caritatis, unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administret (cf. *1 Pt.* 4, 10 ss.), et ita omnes officia sua in communitate hominum christiane absolvant. Quibus adsunt Presbyteri in id nitentes, ut in ipsis eventibus magnis vel parvis, quid res exigat, quae sit Dei voluntas, una cum fidelibus laicis perspiciant, eosque in perfectionem christianam perseveranter instituant. Quamvis vero omnibus debitores sint, tamen commendatos imprimis sibi habeant pauperes et debiliores, cum quibus Dominus ipse sese sociatum ostendit (cf. *Mt.* 25, 34-45; *Mc.* 2, 16-17), et quorum evangelizatio signum messianici operis datur (cf. *Lc.* 4, 18). Sed et iuniorum peculiaris urget cura, in quibus futurum tempus iam adesse videtur, et insuper coniugum ac parentum, qui ut in amicales coetus coeant optandum est, ad sese mutuo adiuvandos ut christiane in vita saepe ardua facilius pleniusque agant. Maxime tandem solliciti sint aegrotantium et morientium.

Presbyteri ad genuinam communitatem christianam efformandam fideles adducant. Fovere ergo satagant in fidelibus hunc spiritum communitatis, et in ipsa communitate spiritum vere catholicum et missionarium infundant. Impossibile tamen esset genuinam communitatem aedificare, quae Sanctissimae Eucharistiae celebrationem radicem cardinemque non habeat. Quae celebratio, ut sincera et plena sit, tam ad varia caritatis opera omnimodamque subministrationem ad invicem quam ad missionalem actionem necnon ad varias christiani testimonii formas, ducere debet. Insuper, erga animas ad Christum adducendas, caritate sua, oratione, exemplo, poenitentiaeque operibus,

Textus emendatus [19]

moveant, eis auxilio erunt Presbyteri ut in ipsis eventibus magnis vel parvis, quid res exigant, quae sit Dei voluntas perspic*ere valeant* (F). *Edoceantur etiam christiani* (G) ut non sibi solum vivant, sed, secundum exigentias novae legis caritatis, unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administret (cf. *1 Pt.* 4, 10 ss.) et ita omnes officia sua in communitate hominum christiane absolvant.

Quamvis vero omnibus debitores sint, *Presbyteri* tamen *peculiari modo* commendatos sibi habent pauperes et *tenuiores* cum quibus Dominus Ipse sese sociatum ostendit (cf. *Mt.* 25, 34-45), et quorum evangelizatio signum messianici operis datur (cf. *Lc.* 4, 18). Peculia*ri etiam diligentia* prosequentur iunior*es, in quibus* futurum tempus iam adesse videtur, et insuper coniug*es* ac parent*es,* qui ut in amicales coetus coeant optandum est, ad sese mutuo adiuvandos ut christiane in vita saepe ardua facilius pleniusque agant. Maxime tandem solliciti sint aegrotantium et morientum, *eos visitantes et in Domino confortantes.*[18]

Munus vero Pastoris non ad fidelium singillatim curam habendam coarctatur, sed ad genuinam communitatem christianam efformandam *proprie extenditur* (H). *Spiritus autem communitatis debite ut colatur, non tantum ecclesiam localem sed et universam Ecclesiam amplecti debet. Communitas autem localis non suorum dumtaxat fidelium curam fovere, sed etiam zelo missionali imbuta viam ad* [20] *Christum omnibus hominibus parare debet. Specialiter tamen sibi commendatos habet catechumenos et neophytos, qui gradatim ad vitam christianam cognoscendam et ducendam educandi sunt* (I).

Nulla tamen *communitas christiana aedifi-*

[20]

Textus prior

veram maternitatem exercet ecclesialis communitas.

Ipsa simul instrumentum efficax constituit quo excitantur, aluntur roboranturque debiliores ad pugnam spiritualem pro Christo, quo denique nondum credentes ad Christum alliciuntur, et fines Ecclesiae extenduntur.

Presbyteri denique, in extruenda christianorum communitate numquam obliviscantur se non ministros esse alicuius ideologiae vel factionis humanae, sed Evangelii, neque nomine suo agere, sed ut missos ab Episcopo, quocum coniuncti profitentur se Eucharisticam Synaxim celebrare.

Textus emendatus

catur nisi radicem cardinemque *habeat* in Sanctissimae Eucharistiae celebrati*one,*[19] *a qua ergo omnis educatio ad spiritum communitatis incipienda est* (J). Quae *enim* celebratio ut sincera et plena sit tam ad varia caritatis opera *mutuumque adiutorium* (K) ad invicem quam ad missionalem actionem, necnon ad varias christiani testimonii formas, ducere debet.

Praeterea caritate, oratione, exemplo et poenitentiae operibus, ecclesialis communitas veram erga animas ad Christum adducendas maternitatem exercet (L). Ipsa *enim* instrumentum efficax constituit quo nondum credent*ibus via ad Christum eiusque Ecclesiam indicatur vel sternitur,* quo etiam fideles *spiritualiter* (M) debiliores excitantur, aluntur et ad pugnam spiritualem roborantur.[20]

In exstruenda *vero* christianorum communitate, Presbyteri numquam alicui ideologiae vel facti*oni* humanae *inserviunt,* sed, *ut* Evangelii *Praecones et Ecclesiae Pastores, ad Corporis Christi spirituale incrementum consequendum operam impendunt* (N).

II – Presbyterorum habitudo ad alios

6. [*De habitudine inter Episcopos et Presbyterium*]. Presbyteri omnes unum idemque Christi sacerdotium et ministerium per Episcopos et sub eorum auctoritate ita participant, ut ipsa unitas missionis requirat omnimodam eorum unitatem cum Episcoporum Ordine; cuius cooperatores facti sunt. In memoriam igitur revocantes donum Spiritus Sancti, quod Presbyteris in ordinatione datum est, Episcopi illos habeant ut veros adiutores et consiliarios
[21] in ministerio et munere docendi, sanctificandi et regendi populum Dei. Quod enixe, iam ab

7. (Olim n. 6). [*Habitudo inter Episcopos et Presbyterium*]. Presbyteri omnes, *una cum Episcopis,* unum idemque sacerdotium et ministerium Christi ita participant, ut ipsa unitas *consecrationis* missionis*que* requirat *hierarchicam* eorum *communionem* cum Ordine Episcoporum (A), cum quibus coniuncti, *aliquando etiam in liturgica concelebratione* (B), profitentur se Eucharisticam Synaxim celebrare.[21] *Episcopi* igitur, in memoriam revocantes donum Spiritus Sancti quod Presbyteris in *sacra* Ordinatione *tradiderunt* (C), illos habeant ut veros

Textus prior

antiquis Ecclesiae temporibus, liturgica documenta proclamant, dum sollemniter postulant a Deo, super Presbyterum ordinandum, infusionem « spiritus gratiae et consilii, ut adiuvet ac gubernet populum in corde puro », quemadmodum in eremo Moysis spiritus in mentes septuaginta virorum prudentium propagatus est (cf. *Num.* 11, 16-25), « quibus ille adiutoribus usus in populo innumeras multitudines facile gubernavit ». Propter hanc ergo in sacerdotio Christi participationem Episcopi Presbyteros suos ut amicos considerent, eorumque bonum spirituale, immo et materiale, ipsis pro viribus cordi sit. Ipsi enim, eadem mysteria celebrantes, idem bonum certamen fidei certantes (cf. *1 Tim.* 6, 12), pretiosam constituunt spiritualem coronam Episcoporum. Ut vero id ad effectum deducatur, habeatur, aptiore quam nunc viget modo, forma ac normis iure determinandis, coetus sacerdotum, Presbyterium repraesentantium, qui Episcopum in regimine dioeceseos efficaciter adiuvare possit.

Presbyteri autem, ante oculos habentes plenitudinem sacramenti Ordinis qua Episcopi gaudent, in ipsis revereantur auctoritatem Christi supremi Pastoris. Suo igitur Episcopo sincera caritate et oboedientia adhaereant, nec tantum quae praecipiuntur, sed etiam quae commendantur, generoso animo adimpleant. Quae sacerdotalis oboedientia speciali ratione fundatur in ipsa participatione ministerii episcopalis, quae Presbyteris per sacramentum Ordinis et missionem canonicam confertur.

Unio Presbyterorum cum Episcopis eo magis nostris diebus requiritur quod aetate hac nostra, diversis ex causis, incepta apostolica

Textus emendatus [21]

adiutores et consiliarios in ministerio et munere docendi, sanctificandi et *pascendi plebem* Dei.[22] Quod enixe, iam ab antiquis Ecclesiae temporibus, liturgica documenta proclamant, dum sollemniter postulant a Deo super Presbyterum ordinandum, infusionem « spiritus gratiae et consilii, ut adiuvet ac gubernet populum in corde puro »,[23] quemadmodum in eremo Moysis spiritus in mentes septuaginta virorum prudentium propagatus est (cf. *Num.* 11, 16-25), « quibus ille adiutoribus usus in populo innumeras multitudines facile gubernavit ».[24] Propter hanc ergo in *eodem* sacerdotio *atque ministerio communionem,* Episcopi ut amicos *suos* habeant *Presbyteros,*[25] *eorumque* bonum, *tam* spirituale *quam* materiale ipsis pro viribus cordi sit (D). *Eos libenter audiant, immo consultent et cum eis colloquantur de iis quae ad necessitates operis pastoralis et ad bonum dioeceseos spectant* (E). Ut vero id ad effectum deducatur, habeatur, aptiore quam nunc viget modo,[26] forma ac normis iure determinandis, coetus *seu senatus* [27] (F) sacerdotum, Presbyterium repraesentantium, qui Episcopum in regimine dioeceseos, efficaciter adiuvare possit (G).

Presbyteri autem, ante oculos habentes plenitudinem Sacramenti Ordinis qua Episcopi gaudent, in ipsis revereantur auctoritatem Christi supremi Pastoris. Suo igitur Episcopo sincera caritate et oboedientia adhaereant.[28] Quae sacerdotalis oboedientia, *cooperationis spiritu perfusa*, speciali ratione fundatur in ipsa participatione ministerii episcopalis, quae Presbyteris per Sacramentum Ordinis et missionem canonicam confertur.[29]

Unio Presbyterorum cum Episcopis eo magis nostris diebus requiritur quod aetate hac nostra, diversis ex causis, incepta apostolica non

[21] *Textus prior*

non tantum multiplices formas induere, verum
[22] etiam saepe limites unius paroeciae vel dioecesis praetergredi necesse est. Nullus ergo Presbyter seorsum ac veluti singillatim suam missionem satis adimplere valet, sed tantum viribus unitis cum aliis Presbyteris sub ductu eorum, qui Ecclesiae praesunt.

7. [*Fraterna coniunctio et cooperatio inter Presbyteros*]. Presbyteri, per Ordinationem in Ordine presbyteratus constituti, specialiter in unaquaque dioecesi sub Episcopo proprio unum Presbyterium efformant. Cum aliis ergo membris huiusce Presbyterii specialibus ministerii et fraternitatis nexibus coniunguntur; quod iam ab antiquis temporibus in liturgia significatur, cum Presbyteri adstantes super novum electum, simul cum Episcopo ordinante, manus imponere invitantur. Singuli ergo Presbyteri cum confratribus suis uniantur vinculo caritatis, orationis et omnimodae cooperationis, atque ita fidelibus dent exemplum illius unitatis qua Christus voluit suos in unum esse consummatos, ut cognoscat mundus Filium missum esse a Patre (cf. *Io.* 17, 23), illa nempe missione quae nunc per sacerdotes specialiter continuatur.

Quapropter magni momenti est ut omnes Presbyteri, sive dioecesani sive religiosi, sese invicem adiuvent, ut semper cooperatores sint veritatis (cf. *3 Io.* 8). Quae cooperatio inter omnes Presbyteros vigeat oportet, sive ministerium exercent in paroecia sive illud implent in ceteris inceptis, uti in operibus laicorum apostolatus, in scholis, in institutis pervestigationis scientificae, in officinis, in operibus caritatis aliisque id genus. Qui sunt provectioris aetatis, iuniores vere ut fratres suscipiant eosque in primis oneribus ministerii adiuvent,

Textus emendatus

tantum multiplices formas induere, verum etiam limites unius paroeciae vel dioecese*os* praetergredi necesse est. Nullus ergo Presbyter seorsum ac veluti singillatim suam missionem satis adimplere valet, sed tantum viribus unitis cum aliis Presbyteris, sub ductu eorum, qui Ecclesiae praesunt (H).

8. (Olim n. 7). [*Fraterna coniunctio et cooperatio inter Presbyteros*]. Presbyteri, per Ordinationem in Ordine presbyteratus constituti, specialiter in dioecesi *cuius servitio* sub Episcopo proprio *addicuntur* unum Presbyterium efformant. *Ex diversis enim officiis quibus, sub Episcopo duce et moderatore, mancipantur, unum efficitur sacerdotale pro hominibus ministerium. Ad idem enim opus ut cooperentur mittuntur omnes Presbyteri, sive ministerium paroeciale vel supraparoeciale exerceant, sive scientiae investigandae aut tradendae operam conferant, sive etiam manibus laborent, ipsorum operariorum sortem probante Auctoritate participantes, sive tandem alia opera apostolica adimpleant. Ad unum omnes quidem conspirant, ad aedificationem nempe Corporis Christi, quae, nostris praesertim temporibus, multiplicia officia necnon novas accommodationes requirit* (A). Quapropter magni momenti est ut omnes Presbyteri, sive dioecesani sive religiosi, sese invicem adiuvent, ut semper sint cooperatores veritatis (cf. *3 Io.* 8). Cum *ceteris ergo* membris huius Presbyterii, *unusquisque* specialibus *apostolicae caritatis,* ministerii et fraternitatis nexibus coniung*itur*: quod iam ab antiquis temporibus liturgice significatur, cum Presbyteri adstantes super novum electum, simul cum Episcopo ordinante, manus imponere invitentur. Singuli ergo Presbyteri cum confratribus suis uniuntur vinculo caritatis, ora-

Textus prior

itemque mentem eorum, etsi a propria diversam, intellegere satagant atque incepta eorum cum benevolentia prosequantur. Iuvenes pariter revereantur aetatem atque experientiam seniorum cumque illis de omnibus rebus curam animarum spectantibus consilia conferant et libenter collaborent.

Spiritu fraterno ducti, Presbyteri hospitalitatem ne obliviscantur (cf. *Hebr.* 13, 1-2), colant beneficentiam et communionem bonorum (cf. *Hebr.* 13, 16), praesertim solliciti eorum qui sunt aegroti, afflicti, laboribus nimis onerati, solitarii, e patria exsules, necnon eorum qui persecutionem patiuntur (cf. *Mt.* 5, 10). Etiam ad relaxandum animum libenter conveniant, memores verborum quibus ipse Dominus Apostolos defatigatos misericorditer invitabat: « Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum » (*Mc.* 6, 31). Insuper, ut Presbyteri in vita spirituali et intellectuali colenda mutuum iuvamen inveniant, ut aptius in ministerio cooperari valeant utque a periculis solitudinis forte orientibus eripiantur, necesse est aliquam vitam communem inter sacerdotes foveri, quae tamen plures formas, iuxta diversas necessitates personales vel pastorales, induere potest, nempe cohabitationem, ubi possibilis est, vel communem mensam, vel saltem frequentes ac periodicos conventus. Magni quoque habendae sunt et diligenter promovendae associationes quae, per

Textus emendatus [22]

tionis et omnimodae cooperationis, atque ita *manifestatur* illa unit*as* qua Christus voluit suos in unum esse consummatos, ut cognoscat mundus Filium missum esse a Patre (cf. *Io.* 17, 23).

Quam ob rem, qui sunt provectioris aetatis iuniores vere ut fratres suscipiant eosque in primis *inceptis et* oneribus (B) ministerii adiuvent, itemque mentem eorum, etsi a propria diversam, intellegere satagant atque incepta eorum cum benevolentia prosequantur. Iuvenes pariter revereantur aetatem atque experientiam seniorum cumque illis de rebus curam animarum spectantibus consilia conferant et libenter collaborent. [23]

Spiritu fraterno ducti, Presbyteri hospitalitatem ne obliviscantur (cf. *Hebr.* 13, 1-2), colant beneficentiam et communionem bonorum (cf. *Hebr.* 13, 16), praesertim solliciti eorum qui sunt aegroti, afflicti, laboribus nimis onerati, solitarii, e patria exsules, necnon eorum qui persecutionem patiuntur (cf. *Mt.* 5, 10). Etiam ad relaxandum animum libenter conveniant, memores verborum quibus ipse Dominus Apostolos defatigatos misericorditer invitabat: « Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum » (*Mc.* 6, 31). Insuper, ut Presbyteri in vita spirituali et intellectuali colenda mutuum iuvamen inveniant, ut aptius in ministerio cooperari valeant utque a periculis solitudinis forte orientibus eripiantur, aliqua vita communis *vel aliquod vitae consortium inter eos foveatur* (C), *quod* tamen plures formas, iuxta diversas necessitates personales vel pastorales, induere potest, nempe cohabitationem, ubi possibilis est, vel communem mensam, vel saltem frequentes ac periodicos conventus. Magni quoque habendae sunt et diligenter promovendae associationes quae, per

[23]

Textus prior

aptam et convenienter approbatam ordinationem vitae et per iuvamen fraternum, sanctitatem sacerdotum in exercitio ministerii fovent, et sic toti Ordini Presbyterorum servire intendunt.

Demum, ratione eiusdem fraternitatis et communionis in sacerdotio, se sciant Presbyteri obligatos erga eos quoque, qui in quibus-
[24] dam defecerint, eosdem igitur misericordia atque magna caritate semper prosequantur.

8. [*Presbyterorum cum laicis conversatio*]. Novi Testamenti sacerdotes, licet sacramenti Ordinis ratione praestantissimum ac necessarium in populo et pro populo Dei munus exerceant, tamen simul cum omnibus christifidelibus sunt discipuli Domini, Dei vocantis gratia Eius Regni participes facti (cf. *1 Thess.* 2, 12; *Col.* 1, 13). Presbyteri ergo semper memores sint se cum christifidelibus esse fratres inter fratres (cf. *Mt.* 23, 8), « caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes » (*Rom.* 12, 10), utpote membra unius eiusdemque Christi Corporis, cuius aedificatio omnibus demandata est (cf. *Eph.* 4, 7-16).

Presbyteros igitur sic oportet praeesse, ut non quae sua sunt quaerentes, sed quae Iesu Christi (cf. *Phil.* 2, 21), cum fidelibus laicis operam coniungant et in medio eorum se gerant ad exemplum Magistri, qui inter homines « non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis » (*Mt.* 20, 28). In conversatione cum fidelibus, Presbyteri, semper memores propriae condicionis sacerdotalis, atque « forma facti gregis ex animo » (*1 Pt.* 5, 3), sectentur « iustitiam,

Textus emendatus

aptam et convenienter approbatam vitae ordinationem et per iuvamen fraternum, sanctitatem sacerdotum in exercitio ministerii fovent, et sic toti Ordini Presbyterorum servire intendunt (D).

Demum, ratione eiusdem fraternitatis et communionis in sacerdotio, se sciant Presbyteri obligatos erga eos *qui difficultatibus in fide aliisve virtutibus laborant; eis fraternum praebeant auxilium, etiam tempestive et discrete eos monendo* (E). *Illos* autem qui in quibusdam defecerunt misericordia atque magna caritate semper prosequantur.

9. (Olim n. 8). [*Presbyterorum cum laicis conversatio*]. Novi Testamenti sacerdotes, licet Sacramenti Ordinis ratione praestantissimum ac necessarium in populo et pro populo Dei munus *patris et magistri* (A) exerceant, tamen simul cum omnibus Christifidelibus sunt discipuli Domini, Dei vocantis gratia Eius Regni participes facti (cf. *1 Thess.* 2, 12; *Col.* 1, 13). *Cum omnibus enim in fonte baptismi regeneratis* Presbyteri *sunt* fratres inter fratres (cf. *Mt.* 23, 8),[30] utpote membra unius eiusdemque Christi Corporis, cuius aedificatio omnibus demandata est (cf. *Eph.* 4, 7-16)[31] (B).

Presbyteros igitur sic oportet praeesse, ut non quae sua sunt quaerentes, sed quae Iesu Christi (cf. *Phil.* 2, 21), cum fidelibus laicis operam coniungant et in medio eorum se gerant ad exemplum Magistri, qui inter homines « non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis » (*Mt.* 20, 28)[32] (C). Presbyteri sincere laicorum dignitatem atque *propriam* (D), quam in missione Ecclesiae habent partem, agnoscant et promoveant. Iustam etiam libertatem, quae omni-

Textus prior

fidem, spem, caritatem et pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro » (*2 Tim.* 2, 22), sed etiam illas virtutes ne neglegant quibus, ad imitationem Christi Domini, qui est « perfectus Deus, perfectus Homo », omnes ornati sint oportet, quaeque in humano etiam consortio magni aestimantur, videlicet cordis bonitas, sinceritas, robur animi et constantia, assidua iustitiae cura, urbanitas aliaeque, quas Sanctus Paulus commendat dicens: « Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate » (*Phil.* 4, 8).

Ius quod fideles habent recipiendi a clero spiritualia bona ad suam salutem necessaria, iidem obtinere non possent si, petentibus illis panem verbi Dei et Corporis Christi, Presbyter non esset qui frangeret eis (cf. *Thren.* 4, 4). Sed praeter hanc sollicitudinem in verbo Dei annuntiando, in sacramentis ministrandis et in Romani Pontificis atque Episcoporum normis tradendis, Presbyteri sincere laicorum dignitatem atque peculiarem, quam in missione Ecclesiae habent partem, agnoscant et promoveant. Iustam etiam libertatem quae omnibus in civitate terrestri competit sedulo in honore habeant. Libenter igitur Presbyteri audiant laicos, eorum desideria fraterne considerent, eorumque experientiam in diversis campis activitatis humanae agnoscant, ut simul cum ipsis signa temporum (cf. *Mt.* 16, 4) recognoscere queant. Probantes spiritus si ex Deo sint (cf. *1 Io.* 4, 1) charismata laicorum magni aestiment. Inter illa vero dona Dei quae in fidelibus abundanter inveniuntur, peculiari cura dignae sunt gratiae, quibus non pauci ad altiorem vitam spiritualem attrahuntur.

Textus emendatus [24]

bus in civitate terrestri competit, sedulo in honore habeant. Libenter audiant laicos, eorum desideria fraterne consider*antes*, eorumque experientiam in diversis campis humanae *actionis* agnosc*entes,* ut simul cum ipsis signa temporum recognoscere queant. Probantes spiritus si ex Deo sint (cf. *1 Io.* 4, 1), *diversa* charismata *quae in Ecclesia Dei inveniuntur* magni aestiment *atque cum fiducia laicis in servitium Ecclesiae officia committant eis agendi libertatem et spatium relinquentes, immo eos ut etiam opera sua sponte aggrediantur* [25] *opportune invitantes* [33] (E). Inter alia vero dona Dei quae in fidelibus abundanter inveniuntur, peculiari cura digna sunt, quibus non pauci ad altiorem vitam spiritualem attrahuntur.

Meminerint demum Presbyteri se in medio laicorum positos esse ut *omnes* ad caritatis unitatem ducant « caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes » (*Rom.* 12, 10). Sciant igitur *Presbyteri* diversas mentes ita componere, ut nemo eorum extraneum in fidelium communitate se sentiat; boni communis, cuius nomine Episcopi curam habent, sint defensores, atque simul veritatis strenui assertores, ne fideles omni vento doctrinae circumferantur (cf. *Eph.* 4, 14).

[25] *Textus prior*

Exemplum Boni Pastoris secuti, Presbyteri solliciti sint illorum qui a praxi sacramentorum, immo forsan a fide defecerunt, et etiam illorum qui Christum Salvatorem suum non agnoscunt; simul ne obliviscantur fratres seiunctos, memores desiderii et orationis dominicae: « Ut omnes unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti » (*Io.* 17, 21).

Meminerint demum Presbyteri se in medio laicorum positos esse ut illos ad caritatis unitatem ducant; sciant igitur diversas mentes ita componere, ut nemo eorum extraneum in fidelium communitate se sentiat; boni communis,
[26] cuius nomine Episcopi curam habent, sint defensores, atque simul veritatis strenui assertores, ne fideles omni vento doctrinae circumferantur (cf. *Eph.* 4, 14).

Textus emendatus

Exemplum Boni Pastoris *sequentes,* Presbyteri illorum solliciti sint, qui a praxi sacramentorum, immo a fide forsan defecerunt. *Item ad praescripta de oecumenismo attendentes,*[34] ne obliviscantur fratres *qui plena nobiscum ecclesiastica communione non fruuntur. Commendatos sibi tandem habeant illos omnes* qui Christum Salvatorem suum non agnoscunt (F).

III – Presbyterorum distributio et vocationes sacerdotales

9. [*Apta Presbyterorum distributio*]. Donum spirituale, quod Presbyteri in ordinatione acceperunt, illos non ad limitatam et coarctatam tantum missionem praeparat, sed ad amplissimam et universalem missionem salutis « usque ad ultimum terrae » (*Act.* 1, 8), ita ut quodlibet sacerdotale ministerium participet ipsam universalem amplitudinem missionis a Christo Apostolis concreditae. Sacerdotium enim Christi, de cuius plenitudine Presbyteri participes facti sunt, ad omnes populos et ad omnia tempora necessario dirigitur, neque ullis limitibus sanguinis, nationis vel aetatis coarctatur, ut iam in figura Melchisedech arcano modo praefiguratur (cf. *Hebr.* 7, 3). Recolant igitur Presbyteri omnium ecclesiarum sollicitudinem sibi cordi esse debere. Quapropter Presbyteri illarum dioecesium, quae

10. (Olim n. 9). [*Apta Presbyterorum distributio*]. Donum spirituale, quod Presbyteri in ordinatione acceperunt, illos non ad limitatam *quandam* et coarctatam missionem praeparat, sed ad amplissimam et universalem missionem salutis « usque ad ultimum terrae » (A) (*Act.* 1, 8), *nam* quodlibet sacerdotale ministerium participat ipsam universalem amplitudinem missionis a Christo Apostolis concreditae. Sacerdotium enim Christi, de cuius plenitudine Presbyteri participes facti sunt, ad omnes populos et ad omnia tempora necessario dirigitur, neque ullis limitibus sanguinis, nationis vel aetatis coarctatur, ut iam in figura Melchisedech arcano modo praefiguratur (cf. *Hebr.* 7, 3). *Meminerint* igitur Presbyteri (B) omnium ecclesiarum sollicitudinem sibi cordi esse debere. Quapropter Presbyteri illarum dioecesium, quae

Textus prior

maiore vocationum copia ditantur, libenter se paratos praebeant, permittente vel exhortante proprio Ordinario, ad suum ministerium in regionibus, missionibus vel operibus cleri penuria laborantibus exercendum. Normae praeterea de incardinatione et excardinatione ita recognoscantur ut, firmo manente pervetere hoc instituto, hodiernis pastoralibus necessitatibus melius respondeant, et, ubi ratio apostolatus postulaverit, faciliora reddantur non solum apta Presbyterorum distributio, sed etiam peculiaria opera pastoralia pro diversis coetibus socialibus, quae in aliqua regione, vel natione aut in quacumque terrarum orbis parte perficienda sunt; ad hoc ergo quaedam seminaria internationalia, peculiares dioeceses vel praelaturae personales et alia huiusmodi utiliter constitui possunt, quibus, modis pro singulis inceptis statuendis et salvis semper iuribus Ordinariorum locorum, Presbyteri addici vel incardinari queant in bonum commune totius Ecclesiae.

Ad novam tamen regionem, praesertim si illius linguam et mores nondum bene cognoverint, in quantum fieri potest, Presbyteri ne mittantur singuli, sed, ad exemplum Christi discipulorum (cf. *Lc.* 10, 1), saltem bini vel terni, ut ita mutuo sibi sint adiutorio. Pariter expedit sollicitam curam adhibere de eorum vita spirituali, necnon de eorum valetudine mentis et corporis; et, quatenus id fieri possit, loca et condiciones laboris pro ipsis praeparentur iuxta uniuscuiusque adiuncta personalia. Magnopere expedit simul ut, qui ad novam nationem pergunt, apte cognoscere curent non solum linguam illius loci, sed etiam peculiares characteres psychologicos et sociales illius populi cui servire volunt, ita ut exemplum sequantur Pauli Apostoli, qui de

Textus emendatus [26]

maiore vocationum copia ditantur, libenter se paratos praebeant, permittente vel exhortante proprio Ordinario, ad suum ministerium in regionibus, missionibus vel operibus cleri penuria laborantibus exercendum. Normae praeterea de incardinatione et excardinatione ita recognoscantur ut, pervetere hoc instituto firmo manente, *ipsum tamen* hodiernis pastoralibus necessitatibus melius respondeat, et, ubi ratio apostolatus postulaverit, faciliora reddantur non solum apta Presbyterorum distributio, sed etiam peculiaria opera pastoralia pro diversis coetibus socialibus, quae in aliqua regione, vel natione aut in quacumque terrarum orbis parte perficienda sunt; ad hoc ergo quaedam seminaria internationalia, peculiares dioeceses vel praelaturae personales et alia huiusmodi utiliter constitui possunt, quibus, modis pro singulis in- [27] ceptis statuendis et salvis semper iuribus Ordinariorum locorum, Presbyteri addici vel incardinari queant in bonum commune totius Ecclesiae.

Ad novam tamen regionem, praesertim si illius linguam et mores nondum bene cognoverint, in quantum fieri potest, Presbyteri ne mittantur singuli, sed, ad exemplum Christi discipulorum (cf. *Lc.* 10, 1), saltem bini vel terni, *ut ita mutuo sibi sint adiutorio.* Pariter expedit sollicitam curam adhibere de eorum vita spirituali, necnon de eorum valetudine mentis et corporis; et, quatenus id fieri possit, loca et condiciones laboris pro ipsis praeparentur iuxta uniuscuiusque adiuncta personalia. Magnopere expedit simul ut, qui novam nationem *petunt,* apte cognoscere curent non solum linguam illius loci, sed etiam peculiarem *indolem* psychologicam et socialem illius populi cui *in humilitate* servire volunt *quam perfectissime cum eodem communicantes* (C), ita

[27]

Textus prior

se ipso dicere potuit: « Nam, cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer... » (*1 Cor.* 9, 19-20).

10. [*Presbyterorum cura de vocationibus sacerdotalibus*]. Pastor et Episcopus animarum nostrarum (cf. *1 Pt.* 2, 25), ita suam Ecclesiam constituit, ut populus quem elegit semper et usque in finem saeculi suos habere debeat sacerdotes, ne umquam christiani sint « sicut oves non habentes pastorem » (*Mt.* 9, 36). Quam voluntatem Christi agnoscentes, Apostoli, suggerente Spiritu Sancto, suum esse officium ducunt ministros eligendi « qui idonei erunt et alios docere » (*2 Tim.* 2, 2). Quod officium sane pertinet ad ipsam naturam missionis sacerdotalis, quae ducit ad sollicitudi-
[28] nem totius Ecclesiae, et ad procurandum ne in populo Dei hic in terris operarii umquam desint. Quoniam tamen « rectori navis et navigio deferendis... causa communis exsistit », ideo universus populus christianus sciat necesse est suum esse officium diversimode cooperandi, ut semper Ecclesia illos habeat sacerdotes, qui necessarii sint ad missionem suam divinam explendam. Primum igitur Presbyteris summopere cordi sit sacerdotii excellentiam et necessitatem fidelibus ante oculos ponere, omnes ut sociam navent operam commonere, ac quos, sive iuvenes sive adultiores, prudenter ad tantum ministerium idoneos iudicaverint, nullis parcentes curis atque incommodis adiuvare ut aliquando, plena eorum libertate externa et interna servata, ab Episcopis vocari possint. Ad hunc finem prosequendum, maximae utilitatis est diligens ac prudens directio spiritualis. Pa-

Textus emendatus

ut exemplum sequantur Pauli Apostoli, qui de se ipso dicere potuit: « Nam, cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer... » (*1 Cor.* 9, 19-20).

11. (Olim n. 10). [*Presbyterorum cura de vocationibus sacerdotalibus*]. Pastor et Episcopus animarum nostrarum (cf. *1 Pt.* 2, 25), ita suam Ecclesiam constituit, ut Populus quem elegit *et acquisivit sanguine suo* (cf. *Act.* 20, 28) (A) semper et usque in finem saeculi suos habere debe*ret* sacerdotes, ne umquam christiani *essent* sicut oves non habentes pastorem (cf. *Mt.* 9, 36). Quam voluntatem Christi agnoscentes, Apostoli, suggerente Spiritu Sancto, suum esse officium du*xerunt* ministros eligendi « qui idonei erunt et alios docere » (*2 Tim.* 2, 2). Quod officium sane pertinet ad ipsam naturam missionis sacerdotalis, *a qua oritur sollicitudo totius Ecclesiae* (B), ne in Populo Dei hic in terris operarii umquam desint. Quoniam tamen « rectori navis et navigio deferendis... causa communis exsistit »,[35] ideo universus Populus christianus *edoceatur* suum esse officium diversimode cooperandi, *praesertim per instantem orationem* (C), ut semper Ecclesia illos habeat sacerdotes, qui necessarii sint ad missionem suam divinam explendam. Primum igitur Presbyteris summopere cordi sit *verbi ministerio proprioque vitae testimonio* (D) sacerdotii excellentiam et necessitatem fidelibus ante oculos ponere, ac quos, sive iuvenes sive adultiores, prudenter ad tantum ministerium idoneos iudicaverint, nullis parcen*do* curis atque incommodis adiuvare ut *se rite praeparent ac proinde* (E) aliquando, plena eorum libertate externa et interna servata, ab Episcopis vocari

Textus prior

rentes et magistri, atque omnes ad quos spectat quocumque modo institutio puerorum ac iuvenum, eos sic erudiant, ut voluntatem Christi cognoscentes et necessitates Ecclesiae considerantes, parati sint generose Domino vocanti respondere: « Ecce ego, mitte me » (*Is.* 6, 8). Haec tamen vox Domini vocantis nequaquam ita exspectanda est, ut modo quodam extraordinario ad aures futuri Presbyteri habitualiter perveniat, sed potius per illa signa quibus cotidie voluntas Dei prudentibus christianis innotescit; quae signa attente a Presbyteris consideranda sunt.

In praedicationibus ergo, in catechesi, in scriptis periodicis, aperte declarentur necessitates Ecclesiae tam localis quam universalis, sensus et praestantia ministerii sacerdotalis in vivida luce ponantur, in quo cum tribulationibus tanta gaudia componuntur, et in quo praesertim, ut docent Patres, potest dari Christo maximum testimonium amoris.

Textus emendatus [28]

possint. Ad hunc finem prosequendum, maximae utilitatis est diligens ac prudens directio spiritualis. Parentes et magistri, atque omnes ad quos spectat quocumque modo institutio puerorum ac iuvenum, eos sic erudiant, ut *sollicitudinem Domini pro grege suo* cognoscentes et necessitates Ecclesiae considerantes, parati sint generose Domino vocanti respondere *cum propheta*: «Ecce ego, mitte me » (*Is.* 6, 8). Haec tamen vox Domini vocantis nequaquam ita exspectanda est, *ac si* modo quodam extraordinario ad aures futuri Presbyteri perveniat. *Ipsa enim* potius *ex signis intellegenda et diiudicanda est,* quibus cotidie voluntas Dei prudentibus christianis innotescit; quae signa attente a Presbyteris consideranda sunt.[36]

Ipsis ergo valde commendantur Opera vocationum, sive dioecesana sive nationalia[37] (F). In praedicationibus, in catechesi, in scriptis periodicis, *diserte* declarentur *oportet* necessitates Ecclesiae tam localis quam universalis, sensus et praestantia ministerii sacerdotalis in vivida luce ponantur, *quippe* in quo *cum tantis* [29]
oneribus (G) tanta gaudia componantur, et in quo praesertim, ut docent Patres, potest dari Christo maximum testimonium amoris.[38]

NOTAE

[1] Cf. *1 Pt.* 1, 23; *Act.* 6, 7; 12, 24. « Praedicaverunt (Apostoli) Verbum veritatis et genuerunt ecclesias » (S. AUGUSTINUS, *In Ps.*, 44, 23: *PL* 36, 508).

[2] De Presbyteris, utpote qui sint Episcoporum cooperatores, valent quoque illa, quae de Episcopis dicuntur. Cf. *Statuta Ecclesiae Antiqua,* c. 3: ed. Ch. Munier, Paris 1960, p. 79; *Decretum Gratiani,* C. 6, D, 88: ed Friedberg, I, 307; Conc. Tridentinum, Decr. *De reform.*, Sess. V, c. 2, n. 9: *Conc. Oec. Decreta,* ed. Herder, Romae 1963, p. 645; Sess. XXIV, c. 4 (p. 739); CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 25: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 29-31.

[3] Cf. *Constitutiones Apostolorum,* II, 26, 7: « (Presbyteri) sint doctores scientiae divinae, cum et ipse Dominus nos mandaverit dicens: Euntes docete etc. » (ed. F. X. Funk, *Didascalia et Constitutiones Apostolorum,* I, Paderborn 1905,

[29] p. 105). - *Sacramentarium Leonianum* et cetera sacramentaria usque ad *Pontificale Romanum,* Praefatio in Ordinatione Presbyteri: « Hac providentia, Domine, apostolis filii tui doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis praedicatoribus (vel: praedicationibus) impleverunt ». - *Liber Ordinum Liturgiae Mozarabicae,* Praefatio ad ordinandum Presbyterum: « Doctor plebium et rector subiectorum, teneat ordinate catholicam fidem, et cunctis annuntiet veram salutem » (ed. M. Férotin, Paris 1904, col. 55).

[4] Cf. Ritum Ordinationis Presbyteri in Ecclesia Alexandrina Iacobitarum: « ... Congrega populum tuum ad verbum doctrinae, quemadmodum nutrix quae fovet filios suos » (H. DENZINGER, *Ritus Orientalium,* Tom. II. Würzburg 1863, p. 14).

[5] Cf. *Mt.* 28, 19; *Mc.* 16, 16; TERTULLIANUS, *De baptismo,* 14; S. ATHANASIUS, *Oratio 40 contra Arianos,* 42 (*PG* 26, 237); S. HIERONYMUS, *In Mat.,* 28, 19 (*PL* 26, 218 BC): « Primum docent omnes gentes, deinde doctas intingunt aqua. Non enim potest fieri ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem »; S. THOMAS AQ., *In Iam Decretalem*: « Salvator noster discipulos ad praedicandum mittens, tria eis iniunxit. Primo quidem ut docerent fidem; secundo, ut credentes imbuerent sacramentis ».

[6] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Sacrosanctum Concilium,* de Sacra Liturgia, 4 dec. 1963, n. 35, 2: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 109.

[7] Cf. ibid., nn. 33, 35, 48, 52 (pp. 108-109, 113, 114).

[8] Cf. ibid., n. 7 (pp. 100-101).

[9] S. IGNATIUS M., *Smyrn.,* 8, 1-2: ed. Funk, p. 282, 6-15; *Constitutiones Apostolorum,* VIII, 12, 3 (ed. F. X. Funk, p. 496); VIII, 29, 2 (p. 532).

[10] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 33-36.

[11] « Eucharistia vero est quasi consummatio spiritualis vitae, et omnium sacramentorum finis » (S. THOMAS, *Summa Theol.,* III, q. 73, a. 3 c); cf. *Summa Theol.* III, q. 65, a. 3.

[30] [12] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 66, a. 3, ad 1; q. 79, a. 1, c, et ad 1.

[13] Cf. S. HIERONYMUS, *Epist.,* 114, 2: « ... sacrosque calices, et sancta velamina, et cetera quae ad cultum dominicae pertinent passionis ... ex consortio corporis et sanguinis Domini eadem qua corpus eius et sanguis maiestate veneranda » (*PL* 22, 934). Vid. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Sacrosanctum Concilium,* de Sacra Liturgia, 4 dec. 1963, nn. 122-127: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 130-132.

[14] « Insuper visitationem sanctissimi Sacramenti in nobilissimo loco et quam honorificentissime in ecclesiis secundum leges liturgicas adservandi interdiu facere ne omittant, utpote quae erga Christum Dominum, in eodem praesentem, sit et grati animi argumentum et amoris pignus et debitae adorationis officium » (PAULUS VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei,* 3 sept. 1965: *L'Osservatore Romano,* 12 settembre 1965, p. 2).

[15] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 28: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 33-36.

[16] Cf. *Didascalia,* II, 34, 2-3; II, 46, 6; II, 47, 1; *Constitutiones Apostolorum,* II, 47, 1 (ed. F. X. Funk, *Didascalia et Constitutiones,* I, p. 116, 142 et 143).

[17] Cf. S. HIERONYMUS, *Epist.,* 58, 7: « Quae utilitas est parietes fulgere gemmis, et Christum in paupere mori? » (*PL* 22, 584).

[18] Aliae categoriae nominari possunt, v. g. migrantes, nomades, etc. De quibus

agitur in Decreto *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, 28 oct. 1965. [30]

[19] Cf. *Didascalia,* II, 59, 1-3: « Docens autem iube et hortare populum in ecclesia frequentare et penitus numquam deesse, sed convenire semper et ecclesiam non angustare, cum se subtrahunt, et minus membrum facere corpus Christi... Nolite ergo vosmetipsos, cum sitis membra Christi, spargere ab ecclesia, cum non coadunamini; Christum enim caput habentes secundum promissionem ipsius praesentem et communicantem vobis, nolite ipsi vos neglegere nec alienare salvatorem a membris suis nec scindere nec spargere corpus eius... » (ed. F. X. Funk, I, p. 170); PAULUS VI, Allocutio iis qui ex italico clero interfuerunt Coetui XIII per hebdomadam habito Urbiveti v. « di aggiornamento pastorale », 6 sept. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 750 ss.

[20] De hac maternitate spirituali locuti sunt Sancti Patres: cf. pro antiquioribus K. Delahaye, *Erneuerung der Seelsorgsformen aus der Sicht der Frühen Patristik,* Freiburg i. Br., 1958.

[21] Cf. Sic dictam *Constitutionem Ecclesiasticam Apostolorum,* XVIII: Presbyteri sunt sýmmystai et synepímachoi Episcoporum (ed. Th. Schermann, *Die allgemeine Kirchenordnung,* I, Paderborn 1914, p. 26; A. HARNACK, T. u. U., II, 4, p. 13, n. 18 et 19); PSEUDO-HIERONYMUS, *De Septem Ordinibus Ecclesiae*: « ... in benedictione cum episcopis consortes mysteriorum sunt » (ed. A. W. Kalff, Würzburg 1937, p. 45); S. ISIDORUS HISPALENSIS, *De Ecclesiasticis Officiis,* v. VII: « Praesunt enim Ecclesiae Christi et in confectione Corporis et Sanguinis consortes cum episcopis sunt, similiter et in doctrina populorum et in officio praedicandi »: *PL* 83, 787.

[22] Cf. *Didascalia,* II, 28, 4 (ed. F. X. Funk, p. 108); *Constitutiones Apostolorum,* II, 28, 4; II, 34, 3 (ibid., p. 109 et 117).

[23] *Const. Apost.,* VIII, 16, 4 (ed. Funk, I, p. 522, 13); cf. *Epitome Const. Apost.,* VI (ibid., II, p. 80, 3-4); *Testamentum Domini*: « ... da ei Spiritum gratiae, consilii, et magnanimitatis, spiritum presbyteratus... ad coadiuvandum et gubernandum populum tuum in opere, in metu, in corde puro » (trad. I. E. Rahmani, Moguntiae 1899, p. 69). Item in *Trad. Apost.* (ed. B. Botte, *La Tradition Apostolique,* Münster i. W. 1963, p. 20).

[24] *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri », Praefatio; quae verba iam habentur in *Sacramentario Leoniano, Sacramentario Gelasiano* et *Sacramentario* [31] *Gregoriano.* Similia inveniuntur in Liturgiis Orientalibus: cf. *Trad. Apost.*: « ... respice super servum tuum istum et impartire spiritum gratiae et consilii, presbyteris ut adiuvet et gubernet plebem tuam in corde mundo sicuti respexisti super populum electionis tuae et praecepisti Moysi ut elegeret presbyteros quos replesti de spiritu tuo quod tu donasti famulo tuo » (ex antiqua versione latina Veronensi ed. B. Botte, *La Tradition Apostolique de S. Hippolyte. Essai de reconstruction,* Münster i. W. 1963, p. 20); *Const. Apost.,* VIII, 16, 4 (ed. Funk, I, p. 522, 16-17); *Epit. Const. Apost.* 6 (ed. Funk, II, p. 20, 5-7); *Testamentum Domini* (trad. I. E. Rahmani, Moguntiae 1899, p. 69); *Euchologium Serapionis,* XXVII (ed. Funk, *Didascalia et Constitutiones,* II, p. 190, linn. 1-7); *Ritus Ordinationis in ritu Maronitarum* (trad. H. Denzinger, *Ritus Orientalium,* II, Würzburg 1863, p. 161). Inter Patres citari possunt: THEODORUS MOPSUESTENUS, *In 1 Tim.* 3, 8 (ed. Swete, II, pp. 119-121); THEODORETUS, *Quaestiones in Numeros,* XVIII (*PG* 80, 372 b).

[31] [25] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 18: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 21-22.

[26] In iure condito iam habetur Capitulum Cathedrale, tamquam Episcopi « senatus et consilium » (*C.I.C.,* c. 391), vel, eo deficiente, Coetus consultorum dioecesanorum (cf. *C.I.C.,* cc. 423-428). In votis tamen est talia instituta ita recognoscere, ut hodiernis adiunctis atque necessitatibus melius provideatur. Uti patet, huiusmodi Coetus Presbyterorum differt a Consilio pastorali de quo in Decreto *Christus Dominus* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, 28 oct. 1965, n. 27, cui pertinent etiam laici, et cuius est tantummodo pervestigare quae ad pastoralia opera spectant. De Presbyteris ut consiliariis Episcoporum videri possunt *Didascalia,* II, 28, 4 (ed. Funk, I, p. 108); it. *Const. Apost.,* II, 28, 4 (ed. Funk, I, p. 109); S. IGNATIUS M., *Magn.,* 6, 1 (ed. Funk, p. 234, 10-16); *Trall.* 3, 1 (ed. Funk, p. 244, 10-12; ORIGENES, *Adv. Celsum,* 3, 30: Presbyteri sunt consiliarii seu boúleytai (*PG* 11, 957 d - 960 a).

[27] S. IGNATIUS M., *Magn.,* 6, 1: « Hortor ut in concordia Dei omnia peragere studeatis, episcopo praesidente loco Dei presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Iesu Christi, qui ante saecula apud Patrem erat et in fine apparuit » (ed. Funk, p. 234, 10-13); S. IGNATIUS M., *Trall.,* 3, 1: « Cuncti similiter revereantur diaconos ut Iesum Christum, sicut et episcopum, qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum: sine his ecclesia non vocatur » (ibid., p. 244, 10-12); S. IGNATIUS M., *Magn.,* VI, 1; *Philad.,* VIII, 1; S. HIERONYMUS, *In Isaiam,* II, 3 (*PL* 24, 61 A): « Et nos habemus in Ecclesia senatum nostrum, coetum presbyterorum ».

[28] Cf. PAULUS VI, *Allocutio* ad Urbis curiones et quadragenarii temporis oratores in Aede Sixtina habita, die 1 martii 1965: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 326.

[29] Cf. *Const. Apost.,* VIII, 47, 39: « Presbyteri... absque sententia episcopi nihil peragant; ipse enim est, cui commissus est populus Domini et a quo de animabus eorum ratio poscetur » (ed. Funk, p. 577).

[30] « Opus est deinde, ut ea de re quod hominum pastores, patres et magistri esse cupimus, idcirco eorum fratres agamus » (PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 [1964], p. 647).

[31] Cf. *Const. Apost.,* VIII, 1, 20: « Quin etiam neque episcopus in diaconos vel presbyteros se extollat, neque presbyteri in plebem; ex utrisque enim coetus compositio exstat » (ed. F. X. Funk, I, p. 467).

[32] Cf. Y. CONGAR, *La Hiérarchie comme service selon le Nouveau Testament*
[32] *et les documents de la Tradition,* in *L'Episcopat et l'Eglise universelle,* Paris 1962, pp. 67-132; de idea « praeesse-prodesse », pp. 101-105.

[33] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 37: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 42-43.

[34] Cf. CONC. VAT. II, Decretum *Unitatis redintegratio,* de oecumenismo, 21 nov. 1964: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 90 ss.

[35] *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri ».

[36] « La voce di Dio che chiama si esprime in due modi diversi, meravigliosi e convergenti: uno interiore, quello della grazia, quello dello Spirito Santo, quello ineffabile del fascino interiore che la "voce silenziosa" e potente del Signore esercita nelle insondabili profondità dell'anima umana; e uno esteriore, umano, sensibile, sociale, giuridico, concreto, quello del ministro qualificato della Parola

di Dio, quello dell'Apostolo, quello della Gerarchia, strumento indispensabile, istituito e voluto da Cristo, come veicolo incaricato di tradurre in linguaggio sperimentabile il messaggio del Verbo e del precetto divino. Così insegna con San Paolo la dottrina cattolica: *Quomodo audient sine praedicante... Fides ex auditu* (*Rom.* 10, 14 et 17) » (PAULUS VI, *Exhortatio,* habita die 5 maii 1965: *L'Osservatore Romano,* 6-5-65, pag. 1). [32]

[37] Cf. CONC. VAT. II, Decretum *Optatam totius,* de institutione sacerdotali, 28 oct. 1965, n. 2.

[38] Hoc docent Patres, dum explicant verba Christi Petro: « Amas me? ... Pasce oves meas » (*Io.* 21, 17): sic S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *De sacerdotio,* II, 1-2 (*PG* 47-48, 633); S. GREGORIUS MAGNUS, *Reg. Past. Liber,* P. I, c. 5: *PL* 77, 19 a.

CAPUT III [33]

PRESBYTERORUM VITA

I – PRESBYTERORUM AD PERFECTIONEM VOCATIO

Textus prior

11. [*Peculiaris exigentia sanctitatis in vita sacerdotali*]. Omnibus fidelibus dictum est: « Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48), atque ideo omnes ad sanctitatem vocantur. Quoniam vero Presbyteri ratione Ordinis sacramentalis arctiore modo cum Christo Sacerdote coniunguntur, qui est « sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus » (*Hebr.* 7, 26), ad sanctitatem assequendam peculiari titulo adstringuntur. Quapropter iam in Vetere Testamento de sacerdotibus legis Deus praeceperat: « Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus qui sanctifico eos » (*Lev.* 21, 8).

Presbyter pro populo Dei se sanctificandi officio tenetur, neque ita sese externis sui muneris devoveat inceptis, ut propriam sanctimoniam neglegat, memor verborum Sancti Pauli: « Castigo corpus meum, et in servitutem re-

Textus emendatus

12. (Olim n. 11). [*Presbyterorum ad sanctitatem vocatio*] (A). *Sacramento Ordinis Presbyteri Christo Sacerdoti configurantur, ut ministri Capitis, ad totum Eius Corpus quod est Ecclesia exstruendum et aedificandum, tamquam Ordinis episcopalis cooperatores. Iam quidem in baptismi consecratione, sicut omnes Christi fideles, signum et donum acceperunt tantae vocationis et gratiae ut perfectionem prosequi possint et debeant, iuxta verbum Domini*: « Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48). *Ad illam vero perfectionem acquirendam peculiari ratione ordinantur sacerdotes, quippè qui, in Ordinis receptione Deo consecrati, Christi Aeterni Sacerdotis viva instrumenta efficiantur, ut mirabilem eius operam, quae superna efficacitate universum hominum convictum redintegravit, per tempora consequi valeant.*[1] *Cum ergo omnis sacer-*

[33] *Textus prior*

digo: ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar » (*1 Cor.* 9, 27). Quinimmo per ipsas cotidianas sacras actiones, quas exercet, sicut et per integrum suum ministerium, ipse ad vitae perfectionem ordinatur. Praeterea, quamquam « servi inutiles sumus » (*Lc.* 17, 10) et quamquam gratia Dei etiam per indignos ministros opus salutis explere potest, tamen, sicut praeclare omnibus semper innotuit ex doctrina Domini nostri (cf. *Io.* 15, 4 ss.), Sanctorum Patrum, constanti abundantique Magisterio Summorum Pontificum atque vita Sanctorum iugiter roboratur, per illos ordinaria
[34] lege praeoptat Deus sua mirabilia ostendere, qui, dociliores impulsui et ductui Spiritus Sancti facti, ob suam intimam cum Christo unionem et vitae sanctimoniam, cum Apostolo dicere possunt: « Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20).

Quapropter haec Sacrosancta Synodus, ad suos fines pastorales renovationis internae, diffusionis in universo mundo, necnon colloquii cum mundo hodierno attingendos, vehementer hortatur omnes Presbyteros ut ad illam semper maiorem sanctitatem tendant, qua possint esse in dies validiora instrumenta in servitium totius populi Dei.

Textus emendatus

dos, suo modo, ipsius Christi personam gerat, particulari quoque gratia ditatur ut, inserviendo plebi commissae et universo Populo Dei, Eius perfectionem aptius prosequi possit, cuius partes sustinet, utque humanae infirmitati carnis medeatur sanctitas Illius, qui nobis factus est Pontifex « sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus » (*Hebr.* 7, 26) (B). *Ceterum* iam in Vetere Testamento de sacerdotibus Deus praeceperat: « Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus qui sanctifico eos » (*Lev.* 21, 8).

Christus, quem Pater sanctificavit seu consecravit et misit in mundum (cf. *Io.* 10, 36), « *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* » (*Tit.* 2, 14) (C), *et sic intravit in gloriam suam* (cf. *Lc.* 24, 26); *simili modo Presbyteri, unctione Spiritus Sancti consecrati et a Christo missi, totaliter servitio hominum se devovent, et sic in sanctitate qua in Christo ditati sunt, ad perfectum virum* (cf. *Eph.* 4, 13) *progredi valent.*

Itaque, ministerium Spiritus et iustitiae (cf. *2 Cor.* 3, 8-9) *exercentes, dummodo sint dociles Spiritui Christi qui eos vivificat et ducit, in vita spiritus firmantur.* Per ipsas enim cotidianas sacras actiones, sicut et per integrum suum ministerium, *quod cum Episcopo et Presbyteris communicantes exercent,* ips*i* ad vitae perfectionem ordina*n*tur (D). *Ipsa autem sanctitas Presbyterorum ad proprium ministerium fructuose complendum plurimum confert: quamvis enim* gratia Dei etiam per indignos ministros opus salutis explere possit tamen per illos ordinaria lege praeoptat Deus sua mirabilia ostendere, qui, dociliores impulsui et ductui Spiritus Sancti facti, ob suam intimam cum Chri-

Textus prior

12. [*Triplicis muneris sacerdotalis exercitium sanctitatem requirit simul ac fovet*]. Ipsum exercitium munerum, quae Presbyteris committuntur, requirit et pariter stimulat sanctitatem vitae, ideoque potens est Presbyteros efformare ad sanctitatem sacerdotum propriam. Cum a Presbyteris veritates fidei sint docendae, in seipsos prius recipere satagant id quod aliis est tradendum, iuxta verba Pauli Apostoli ad Timotheum: « Haec meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinae: insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt » (*1 Tim.* 4, 15-16). Nihil enim aptius et validius efficit, ut, gratia divina adspirante, vox in auditorum mentes et corda penetret, quam ipsa dicentis vita. Sic et Magister Christus severissimis verbis increpavit illos, qui dicunt et non faciunt (cf. *Mt.* 23, 3).

Cum in ministerio sacramentorum ac praesertim in Sacrificio Missae Presbyteri Christi personam specialiter gerant, qui semetipsum ad sanctificandos homines victimam dedit, merito ipsi recordentur verba Episcopi ordinantis: « Imitamini quod tractatis, quatenus mortis Dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscen-

Textus emendatus [34]

sto unionem et vitae sanctimoniam, cum Apostolo dicere possunt: « Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20).

Quapropter haec Sacrosancta Synodus, ad suos fines pastorales renovationis internae *Ecclesiae*, diffusionis *Evangelii* in universo mundo, necnon colloquii cum mundo hodierno attingendos, vehementer hortatur omnes *Sacerdotes* ut ad illam semper maiorem sanctitatem *nitantur*, qua *evadant* in dies *aptiora* instrumenta in servitium totius Populi Dei (E).

13. (Olim n. 12). [*Triplicis muneris sacerdotalis exercitium sanctitatem requirit simul ac fovet*] (A). *Sanctitatem propria ratione consequentur Presbyteri triplex suum munus sincere et indefesse in Spiritu Christi exercentes.*

Verbi Dei ministri cum sint, cotidie legunt et audiunt Dei verbum quod alios docere debent; quod si simul in seipsos recipere satagant, [35] *perfectiores in dies fient Domini discipuli,* iuxta verba Pauli Apostoli ad Timotheum: « Haec meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinae: insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt » (*1 Tim.* 4, 15-16). *Quaerentes enim quomodo aptius contemplata aliis tradere possint,*[2] *profundius sapient « investigabiles divitias Christi »* (*Eph.* 3, 8) *et multiformem sapientiam Dei* (cf. *Eph.* 3, 9-10). *Prae oculis habentes Dominum esse qui corda aperit* (cf. *Act.* 16, 14) *et sublimitatem non ex ipsis sed e Dei virtute provenire* (cf. *2 Cor.* 4, 7), *in ipso actu verbi tradendi intimius cum Christo Magistro coniungentur Eiusque Spiritu ducentur* (B). *Ita communicantes cum Christo, Dei participant caritatem, cuius mysterium, a saeculis absconditum* (cf. *Eph.* 3, 9), *in Christo revelatum est.*

[35]

Textus prior

tiis omnibus procuretis ». In Mysterio Sanctae Missae, in qua munus suum praecipuum sacerdotes exercent, cuius igitur celebratio cotidiana, etiam non praesente populo, enixe eis commendatur, et in sacramentorum administratione, cum Dei mirabilia per suas transeunt manus, necnon in Officio Divino recitando, vividum spiritum fidei et laudis excitent. Simul a Deo, sine quo nihil possunt facere (cf. *Io.* 15, 5), impetrent efficacitatem et incrementum operis in quo laborant.

Textus emendatus

Ut Sacramentorum *ministri,* praesertim in Sacrificio Missae, Presbyteri personam specialiter gerunt Christi, qui seipsum ad sanctificandos homines victimam dedit; *ideoque invitantur ut* quod tract*ant* imit*entur*, quatenus mortis Dominicae mysterium celebrantes, membra *sua* a vitiis et concupiscentiis mortificare procur*ent.*[3] In mysterio *Sacrificii Eucharistici* (C), in quo munus suum praecipuum sacerdotes *adimplent, opus nostrae redemptionis continuo exercetur*[4] (D), *et ideo eius* celebratio cotidiana, etiam non praesente populo, enixe commendatur.[5] *Ita, dum Presbyteri cum actu Christi Sacerdotis se coniungunt, cotidie se totos Deo offerunt, et, dum Corpore Christi nutriuntur, ex corde participant Eius caritatem qui se panem eucharisticum dat fidelibus* (E). *Similiter* in Sacrament*is* administr*andis cum intentione et caritate Christi uniuntur.* In Officio Divino recitando, *vocem praebent Ecclesiae, quae in oratione, nomine totius generis humani, perseverat, una cum Christo, qui est « semper vivens ad interpellandum pro nobis »* (*Hebr.* 7, 25) (F).

[36]

Textus prior

Demum, populum Dei regentes ac pascentes exemplum Boni Pastoris imitentur, qui « cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur » (*Io.* 10, 4); quapropter rectam intentionem peculiaremque ascesim pastoralem ita colant, ut, magno animo ad semper ulterius progrediendum, ad opus pastorale perfectius complendum et, ubi opus sit, ad novas vias pastorales pro temporum locorumque adiunctis ingrediendas parati sint; spes igitur eorum firma consistat pro fidelibus suis (cf. *2 Cor.* 1, 7), ut possint consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua et ipsos Deus exhortatur (cf. *2 Cor.* 1, 4), memores verborum Domini:

Textus emendatus

Populum Dei regentes et pascentes, *caritate* Boni Pastoris *incitantur ut animam suam dent pro ovibus suis* (cf. *Io.* 10, 11); *educatores cum sint fidei, et ipsi habentes « fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi »* (*Hebr.* 10, 19), *ad Deum accedunt « cum vero corde in plenitudine fidei »* (*Hebr.* 10, 22); spe*m erigunt* fir*mam* pro fidelibus suis (cf. *2 Cor.* 1, 7), ut possint consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua et ipsos Deus exhortatur (cf. *2 Cor.* 1, 4); *communitatis rectores* ascesim pastor*is animarum propriam* (G) colunt, *propriis commodis renuntiantes, non quod sibi utile est quaerentes sed quod multis, ut salvi fiant* (cf. *1 Cor.* 10, 33) (H), semper ulterius

Textus prior

« Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum » (*Lc.* 12, 32).

13. [*De unitate et harmonia vitae Presbyterorum*]. Hodierno in mundo, multitudo officiorum quae obire debent homines, diversitas problematum quibus ipsi anguntur, varietas quam maxima oblectamentorum quibus alliciuntur, progressus scientifici quorum quasi captivi fiunt, efficiunt ut cum exterioris vitae ratione interior vita haud facile componi valeat. Presbyteri et ipsi his omnibus permoti, periculo exponuntur, ne eorundem vita spiritualis in discrimen vocetur. Quod ut vitent, visionem rerum semper habeant supernaturalem, et meminerint semper officium suum talis esse naturae ut, si agnoscant quod agant, integra eorum vita ducat ad maiorem semper unionem cum Christo, quocum ut in opere Redemptionis cooperentur vocati sunt. Presbyteri ergo, ad exemplum Christi Domini, qui voluntatem Patris semper adimplevit (cf. *Io.* 4, 34; 6, 38; *Hebr.* 10, 9) et vitam suam pro ovibus dedit (cf. *Io.* 10, 11), suae vitae unitatem quaerant in agnitione voluntatis Eius (cf. *Col.* 1, 9) et in dono sui ipsius pro grege sibi commisso (cf. *1 Io.* 3, 16); sic igitur, Boni Pastoris partes agendo, quaerant in ipso caritatis pastoralis exercitio et vinculum perfectionis sacerdotalis et simul principium quod in unitatem redigit ipsorum vitam et actionem. Haec autem pastoralis caritas profluit a Sacramento Altaris, quod ideo tamquam centrum et radicem totius suae vitae Presbyteri habeant oportet, ita ut quod in sacrificali ara agitur, sacerdotalis animus in se referre studeat. Hoc autem obtineri nequit,

Textus emendatus [36]

progredientes ad opus pastorale perfectius complendum et, ubi opus sit, ad novas vias pastorales ingrediendas parati, *sub ductu Spiritus amoris, qui ubi vult spirat* (cf. *Io.* 3, 8) (I).

14. (Olim n. 13). [*Unitas et harmonia vitae Presbyterorum*] (A). Hodierno in mundo, *cum tot sint* officia quae obire debent homines *cumque tanta sit* diversitas problematum quibus anguntur, *quaeque saepius ipsis celeriter solvenda sunt, in discrimine haud raro versantur qui sese in diversa dispergant.* Presbyteri *autem, permultis obligationibus sui muneris implicati et distracti, non sine anxietate quaerere possunt quomodo* cum exterioris *actionis* ratione interior*em* vit*am suam ad unitatem componere valeant. Quam vitae unitatem, nec mere externa operum ministerii ordinatio, nec sola pietatis exercitiorum praxis efficere potest* (B). *Eam vero exstruere valent Presbyteri exemplum in ministerio adimplendo sequentes Christi Domini, cuius cibus erat voluntatem facere Illius qui Eum misit ut opus suum perficeret* (cf. *Io.* 4, 34).

Re quidem vera Christus, ut eandem voluntatem Patris in mundo per Ecclesiam indesinen- [37]
ter faciat, per ministros suos operatur, et ideo semper principium et fons remanet eorum vitae unitatis. Presbyteri ergo suae vitae unitatem *consequentur sese Christo coniungentes* in agnitione voluntatis *Patris* et in dono sui ipsius pro grege sibi commisso (cf. *1 Io.* 3, 16) (C). Sic Boni Pastoris partes agendo, in ipso caritatis pastoralis exercitio *invenient* vinculum perfectionis sacerdotalis *ad* unitatem eorum vitam et actionem redigens. Haec *quidem* pastoralis caritas[6] *maxime* profluit a Sacrificio Eucharistico (D), quod ideo centrum et radix totius vitae Presbyteri exstat, ita ut quod in sacrificali ara agitur, sacerdotalis animus in se referre stu-

[37]

Textus prior

neque operatio ministri Christi actionem ipsius Domini in mundo continuare quodammodo potest, nisi ipse Presbyter in fide semper crescat et in caritate magis magisque radicetur (cf. *Eph.* 3, 17), in mysterium Christi semper intimius penetret oratione, adoratione et gratiarum actione, sicque cum Domino suo, et per Eum cum Patre, in Spiritu Sancto, uniatur, ut in tribulatione, possit consolatione repleri et superabundare gaudio (cf. *2 Cor.* 7, 4).

Textus emendatus

deat. Hoc autem obtineri nequit, nisi *ipsi sacerdotes* in mysterium Christi oratione semper intimius penetrent (E).

Ut unitatem vitae suae etiam concrete verificare valeant, omnia incepta sua considerent probantes quae sit voluntas Dei (cf. *Rom.* 12, 2), *quae nempe sit inceptorum cum normis evangelicae missionis Ecclesiae conformitas. Fidelitas enim erga Christum a fidelitate erga Ecclesiam suam seiungi nequit. Pastoralis ergo caritas postulat ut Presbyteri, ne in vacuum currant* (cf. *Gal.* 2, 2), *in vinculo communionis cum Episcopis et cum aliis in sacerdotio fratribus semper laborent* (F). *Hac ratione agentes, Presbyteri propriae vitae unitatem invenient in ipsa missionis Ecclesiae unitate,* sicque cum Domino suo, et per Eum cum Patre, in Spiritu Sancto, uni*entur,* ut poss*int* consolatione repleri et superabundare gaudio (cf. *2 Cor.* 7, 4).

II – PECULIARES EXIGENTIAE SPIRITUALES IN VITA PRESBYTERORUM

14 [*De consiliis evangelicis in vita Presbyteri*]. (...) Denique, per praxim castitatis et evangelicae paupertatis magis magisque liberi effecti, instanter invitantur ad sentiendum in se quod [38] et in Christo Iesu, qui « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens... factus oboediens usque ad mortem » (*Phil.* 2, 7-9). Itaque, ad sese Christo oboedienti conformandos, propriae voluntati generose abrenuntient in assidua oboedientia, iuxta uniuscuiusque condicionem et officium, prout iam supra dictum est, et in gaudio ac spe considerent magnum momentum in Ecclesiae aedificationem huius oboedientiae quam imitantur: nam oboediendo Patri Salvator noster inoboedientiam Adami devicit

15. (Olim pars n. 4). [*Humilitas et oboedientia*] (A). *Inter virtutes quae ministerio Presbyterorum maxime requiruntur, nominanda est illa dispositio animi qua parati sunt semper non suam voluntatem quaerere, sed voluntatem Eius qui misit eos* (cf. *Io.* 4, 34; 5, 30; 6, 38). *Divinum enim opus ad quod implendum a Spiritu Sancto assumpti sunt* (cf. *Act.* 13, 2), *omnes humanas vires humanamque sapientiam transcendit; nam « infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia »* (*1 Cor.* 1, 27). *Propriae igitur infirmitatis conscius, verus Christi minister in humilitate laborat, probans quid sit beneplacitum Deo* (cf. *Eph.* 5, 10), *atque veluti alligatus Spiritu* (cf. *Act.* 20, 22), *ab Il-*

Textus prior

redemitque, dicente Apostolo: « Per inoboedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius oboeditionem, iusti constituentur multi » (*Rom.* 5, 19).

Textus emendatus

lius voluntate in omnibus ducitur, qui omnes [38] *homines vult salvos fieri; quam voluntatem in cotidianis rerum adiunctis detegere et exsequi potest, humiliter inserviendo omnibus qui ei, in munere sibi commisso et in multiplicibus vitae suae eventibus, a Deo concrediti sunt.*

Ministerium autem sacerdotale, cum sit ministerium ipsius Ecclesiae, nonnisi in unitate totius corporis adimpleri potest. Caritas ergo pastoralis Presbyteros urget ut voluntatem propriam per oboedientiam servitio Dei ac fratrum dedicent, in spiritu fidei accipientes et exsequentes quae a Summo Pontifice et a proprio Episcopo necnon ab aliis superioribus, praecipiuntur vel commendantur; libentissime impendentes et superimpendentes seipsos (cf. *2 Cor.* 12, 15) *in quocumque munere etiam humiliori et pauperiori quod ipsis concreditur. Hac enim ratione necessariam unitatem servant et firmant cum fratribus suis in ministerio, maxime autem cum eis quos Dominus rectores visibiles Ecclesiae suae constituit, et ad aedificationem operantur Corporis Christi, quod « per omnem iuncturam subministrationis » crescit* (cf. *Eph.* 4, 11-16). *Haec oboedientia, quae ad maturiorem libertatem filiorum Dei adducit, natura sua exigit ut, caritate moti, Presbyteri, in suo munere adimplendo, vias novas ad maius Ecclesiae bonum prudenter exquirant, incepta sua fidenter proponant, et necessitudines gregis sibi commissi instanter exponant, parati tamen ad illorum se subiiciendos iudi-* [39] *cio, qui princeps in Ecclesia Dei regenda munus exercent* (B).

Hac humilitate et oboedientia responsabili et voluntaria Presbyteri sese Christo *conformant, sentientes* in se quod et in Christo Iesu, qui « semetipsum exinanivit formam servi accipiens... factus oboediens usque ad mortem »

[39]

Textus prior

14. [*De consiliis evangelicis in vita Presbyteri*]. Ecclesiae sanctitas « proprio quodam modo apparet in praxi consiliorum, quae evangelica appellari consueverunt », et quae Christus discipulis suis observanda proponit, unicuique secundum propriam vocationem et statum. Cum vero sacerdos peculiari ratione ad sanctitatem vocetur, peculiari quoque in honore huiusmodi consilia habeat oportet.

Perfecta propter Regnum caelorum continentia, quam Ecclesia semper magni fecit (cf. *1 Cor.* 7, 1-39), signum est et stimulus caritatis atque peculiaris fons spiritualis foecunditatis in mundo. Etsi non exigatur a sacerdotio suapte natura, uti apparet ex praxi Ecclesiarum Orientalium, ubi sunt optime meriti Presbyteri coniugati, multimodam tamen convenientiam cum sacerdotio habet.

Christi enim discipulis commendatur ut in virginitate vel coelibatu, propter Regnum caelorum servato, facilius indiviso corde (cf. *Mt.* 19, 11; *1 Cor.* 7, 32-33) soli Deo Eiusque Regno se dedicent. Convenit ergo ut sacerdotes tali perfecta continentia totalem significent personae sua donationem, cordis nempe et corporis, soli Christo, respondentes apostolicae eius vocationi: « Relictis omnibus secuti sunt
[40] eum » (*Lc.* 5, 2); convenit etiam ut, consilium Pauli Apostoli in mentem fidelium revocantes, viam subditis vivendo denuntient, exemplum Domini Eiusque Matris sequentes; ita ut Dei familiam liberius ministrent, paternitatem

Textus emendatus

(*Phil.* 2, 7-9), *et hac oboedientia* inoboedientiam Adami devicit redemitque, *testante* Apostolo: « Per inoboedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius oboeditionem, iusti constituentur multi » (*Rom.* 5, 19).

16. (Olim pars n. 14). [*Coelibatus amplexandus et ut donum aestimandus*]. Perfecta propter Regnum caelorum continentia (cf. *Mt.* 19, 12) (A) *ab Ecclesia pro vita sacerdotali semper permagni habebatur* (B). Est *enim* signum *simul* et stimulus caritatis *pastoralis* atque peculiaris fons spiritualis foecunditatis in mundo.[7] *Non exigitur quidem* a sacerdotio suapte natura, uti apparet ex praxi *Ecclesiae primaevae et ex traditione* Ecclesiarum Orientalium, ubi *praeter illos qui cum omnibus Episcopis ex dono gratiae coelibatum* eligunt servandum (C), sunt *etiam* optime meriti Presbyteri coniugati: *hos Sancta Synodus peramanter hortatur ut, in sancto matrimonio viventes, omnibus fidelibus dent exemplum amoris, fidelitatis et castitatis coniugalis, necnon christianae educationis filiorum, et ut, in sacerdotali vocatione perseverantes, plene et generose vitam suam impendant gregi sibi commisso* (D).

Coelibatus vero multimodam convenientiam cum sacerdotio habet. Missio enim sacerdotis integra dedicatur servitio novae humanitatis, quam Christus, victor mortis, per Spiritum suum in mundo suscitat, quaeque originem suam « non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo » (*Io.* 1, 13) habet. Presbyteri ergo per coelibatum missionem Christi, qui in Ecclesia genus humanum arcano connubio sibi coniunxit (E), coram mundo aperte testificantur *atque testi-*

Textus prior

in Christo plenius acquirant et expeditiores fiant ad servitium Regni Dei. Missio enim sacerdotis integra dedicatur servitio novae humanitatis, quam Christus, victor mortis, per Spiritum suum in mundo suscitat, quaeque originem suam « non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo » (*Io.* 1, 13) habet. Presbyteri ergo per coelibatum missionem Christi, qui in Ecclesia genus humanum arcano connubio sibi coniunxit, coram mundo aperte testificantur, sicque signum vivum efficiuntur illius mundi futuri, per gratiam et fidem iam praesentis, in quo filii resurrectionis neque nubent neque ducent uxores (cf. *Lc.* 20, 36). Quapropter per coelibatum aptiores fiunt muneri sibi commisso despondendi fideles uni viro illosque exhibendi virginem castam Christo (cf. *2 Cor.* 11, 2).

His omnibus rationibus, coelibatus, qui prius sacerdotibus commendabatur, postea gradatim in Ecclesia Occidentali lege impositus est: vigentem itaque legem coelibatus Sacrosancta haec Synodus iterum comprobat. Omnes ergo Presbyteri, qui sacrum coelibatum gratia Dei confisi accipiunt, toto corde eidem inhaereant, atque in hoc statu recte et fortiter perseverent. Quae quidem perfecta continentia, quam libera voluntate Presbyteri amplectuntur, in mundo huius temporis fere impossibilis a non paucis consideratur. Quae autem « impossibilia sunt apud homines possibilia sunt apud Deum » (*Lc.* 18, 27); ideoque donum illud, a Patre datum (cf. *Mt.* 9, 2), a Presbyteris perseveranter postulandum est et in humilitate custodiendum, adhibitis congruis subsidiis, quae a traditione Ecclesiae necnon a scientia psychologica commendantur. Inter illa vero reponi debent: cordis cogitationumque custodia, vitae disci-

Textus emendatus [40]

monium sociale reddunt (F) *muneris sibi commissi, fideles scilicet* despondendi uni viro illosque exhibendi virginem castam Christo (cf. *2 Cor.* 11, 2); signum *insuper* vivum efficiuntur illius mundi futuri, per fidem et *caritatem* iam praesentis, in quo filii resurrectionis neque nubent neque ducent uxores (cf. *Lc.* 20, 35-36) (G). *Sed et rationes pastorales coelibatum a Deo impetrandum et amplexandum valde suadent.* In virginitate *enim* vel coelibatu propter Regnum caelorum servato Presbyteri facilius *Christo Domino indiviso corde adhaerent* (cf. *1 Cor.* 7, 32 ss.), totalem personae suae donationem, cordis nempe et corporis, *expressius verificant,* liberius *in Christo et per Ipsum* soli Deo sese dedicant Eiusque Regno *ac operi regenerationis supernae ministrant et sic* paternitatem in Christo plenius *assumunt*[8] (H).

His rationibus in Mysterio Christi Eiusque Missione fundatis, coelibatus, qui prius sacerdotibus commendabatur, postea in Ecclesia Occidentali *ab omnibus ad Ordinem sacrum promovendis postulabatur. Quam legislationem* Sacrosancta haec Synodus iterum comprobat *et confirmat, confidens in Spiritu donum coelibatus, sacerdotio Novi Testamenti tam congruum, liberaliter a Patre dari, dummodo qui sacerdotium Christi per Sacramentum Ordinis participant, immo et universa Ecclesia, humiliter et enixe illud expetant* (I). Omnes ergo Presbyteri, qui sacrum coelibatum gratia Dei confisi *libera voluntate secundum exemplum Christi* acceperunt, *illi magno animo et* toto corde inhaereant, atque in hoc statu *fideliter et* fortiter perseverent, *agnoscentes praeclarum illud donum, quod a Patre sibi datum est quodque a Domino tam aperte extollitur* (cf. *Mt.* 19, 12), [41] *necnon prae oculis habentes magna mysteria,*

[41] *Textus prior*

plina, passionum moderatio, christiana mortificatio, ardens vita spiritualis, devotio erga Sanctissimam Eucharistiam et Beatam Virginem Mariam, ac denique illa omnia quae casti hominis interno affectuum aequilibrio favent, cuiusmodi sunt fiducia in spirituali consiliario posita, paternus affectus erga fideles donec formetur Christus in ipsis (cf. *Gal.* 4, 19), conversatio cum confratribus. Quae omnia multum adiuvare possunt Presbyteros ad optimam hominis formam assequendam, qua cum Christo mortificato quidem carne, vivificato autem spiritu (cf. *1 Pt.* 3, 18), consociamur et conformamur.

17. [*De recto usu bonorum*]. Sacerdotes, quippe quorum Dominus sit « pars et hereditas » (*Num.* 18, 20), bonis temporalibus *uti debent* tantummodo eos in fines, ad quos iuxta Christi Domini doctrinam Ecclesiaeque ordinationem eadem destinari licet.

Bona ecclesiastica proprie dicta, secundum rei naturam, ad normam legum ecclesiasticarum sacerdotes moderentur atque destinent semper eos in fines, ad quos prosequendos Ecclesiae licet bona temporalia possidere, videlicet ad cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri sustentationem procurandam, necnon ad opera sacri apostolatus vel caritatis, praesertim erga egenos, exercenda.

Textus emendatus

quae in eo significantur atque verificantur. Quo magis autem perfecta continentia in mundo huius temporis a non paucis *hominibus* impossibilis *reputatur, eo humilius et perseverantius Presbyteri gratiam fidelitatis, numquam petentibus denegatam, una cum Ecclesia expostulabunt, cuncta subsidia supernaturalia et naturalia insimul adhibentes, quae omnibus praesto sunt* (J). *Rogat itaque haec Sacrosancta Synodus non solum sacerdotes, sed et omnes fideles, ut eis hoc pretiosum donum coelibatus sacerdotalis cordi sit, petantque omnes a Deo, ut Ipse illud donum Ecclesiae suae semper abundanter largiatur* (K).

17. (Olim n. 17 et pars n. 14). [*Habitudo ad mundum bonaque terrestria, et voluntaria paupertas*] (A). *Amicabili et fraterna conversatione inter se et cum ceteris hominibus, discere valent Presbyteri valores humanos colere et bona creata tamquam Dei dona aestimare. Versantes in mundo sciant tamen semper se secundum verbum Domini Magistri nostri non esse de mundo* (cf. *Io.* 17, 14-16). *Utentes ergo mundo tamquam non utentes* (cf. *1 Cor.* 7, 31), *pervenient ad illam libertatem, qua liberati ab omni cura inordinata dociles fiunt ad vocem divinam in vita cotidiana audiendam. Ex hac libertate et docilitate excrescit discretio spiritualis qua recta habitudo ad mundum bonaque terrestria invenitur. Quae habitudo ideo pro Presbyteris magni est momenti, quia missio Ecclesiae in medio mundo adimpletur et quia bona creata profectui personali hominis prorsus sunt necessaria. Grati ergo sint pro omnibus, quae eis Pater caelestis ad vitam recte peragendam largitur. Discernant tamen oportet in lumine fidei omnia, quae eis occurrant, ut ad rectum usum bonorum Dei voluntati respondentem ducan-*

Textus prior

Bona autem quae occasione exercitii alicuius ecclesiastici officii sibi comparant, salvo iure particulari, Presbyteri, non secus ac Episcopi, adhibeant imprimis ad suam honestam sustentationem et ad officiorum proprii status adimpletionem; quae vero supersint, in bonum Ecclesiae vel in opera caritatis destinare velint. Itaque officium ecclesiasticum ne quaestui habeant neve redditus ab eo provenientes in propriae rei familiaris amplificationem impendant. Quare sacerdotes, nequaquam divitiis cor apponentes (cf. *Ps.* 62, 11 Vg 61), omnem cupiditatem semper vitent et ab omni specie mercaturae sedulo abstineant.

14. [*De consiliis evangelicis in vita Presbyteri*]. (.....).

Presbyteri paupertatem quoque magni faciant, qua Christo intimius conformantur et ad sacrum ministerium promptiores fiunt. Christus enim propter nos « egenus factus est, cum esset dives » (*2 Cor.* 8, 9). Apostoli autem

Textus emendatus [41]

tur et quae missioni suae sunt obnoxia respuant (B).

Sacerdotes *enim,* quippe quorum Dominus sit « pars et hereditas » (*Num.* 18, 20), bonis temporalibus uti debent tantummodo eos in fines, ad quos iuxta Christi Domini doctrinam Ecclesiaeque ordinationem eadem destinari licet. [42]

Bona ecclesiastica proprie dicta, secundum rei naturam, ad normam legum ecclesiasticarum, sacerdotes, *adiuvantibus quatenus fieri possit peritis laicis* (C) moderentur, atque *eadem* destinent semper eos in fines ad quos prosequendos Ecclesiae licet bona temporalia possidere, videlicet ad cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri sustentationem procurandam, necnon ad opera sacri apostolatus vel caritatis, praesertim erga egenos, exercenda [9] (D). Bona autem quae occasione exercitii alicuius ecclesiastici officii sibi comparant, salvo iure particulari,[10] Presbyteri, non secus ac Episcopi, adhibeant imprimis ad suam honestam sustentationem et ad officiorum proprii status adimpletionem; quae vero supersint, in bonum Ecclesiae vel in opera caritatis destinare velint. Itaque officium ecclesiasticum ne quaestui habeant neve redditus ab eo provenientes in propriae rei familiaris amplificationem impendant [11] (E). Quare sacerdotes, nequaquam divitiis cor apponentes (cf. *Ps.* 62, 11 Vg 61), omnem cupiditatem semper vitent et ab omni specie mercaturae sedulo abstineant.

Immo *ad* pauperta*tem* voluntari*am amplexandam invitantur,* qua Christo *manifestius* (F) confor*mentur,* et ad sacrum ministerium promptiores fi*ant.* Christus enim propter nos egenus factus est, cum esset dives, *ut illius inopia divites essemus* (cf. *2 Cor.* 8, 9) (G). Apostoli autem *exemplo suo testificati sunt gratuitum*

[42]

Textus prior

testimonium gratuiti doni Dei reddiderunt, scientes, eadem cum apostolica libertate, et necessaria habere et penuriam pati (cf. *Phil.* 4, 12). Sciant etiam Presbyteri exercitium « vitae apostolicae » per proventuum communionem instar bonorum communionis quae [43] apud primaevos discipulos in usu fuit (cf. *Act.* 2, 42-47), non esse perfectionem solis religiosis reservatam, sed per eam vivendi formam se optime ad praxim reducere posse spiritum paupertatis qui a Christo extollitur. Prae ceteris fidelibus ministri Christi animo ab immodico amore rerum temporalium soluto eluceant atque ab omni specie vanitatis fugiant. Habitationem suam ita disponant, ut sit omnibus pervia utque omnes, tam tenuiores quam locupletiores, in ea libere facileque se habeant.

Textus emendatus

Dei donum gratis dandum esse (cf. *Act.* 8, 18-25), *scientes et abundare et penuriam pati* (cf. *Phil.* 4, 12) (H). *Sed et aliqualis rerum communis usus, ad* instar bonorum communionis quae *in historia primaevae Ecclesiae extollitur* (cf. *Act.* 2, 42-47) (I), *caritati pastorali optime viam sternit* (J); et per eam vivendi formam *Presbyteri laudabiliter* (K) ad praxim reducere possunt spiritum paupertatis qui a Christo *commendatur.*

Spiritu ergo Domini ducti, qui Salvatorem unxit et evangelizare pauperibus misit (cf. *Lc.* 4, 18), *Presbyteri, necnon et Episcopi, omnia illa vitent quae pauperes quolibet modo avertere possent,* prae ceteris *ergo Christi discipulis omnem speciem vanitatis in suis rebus seponentes* (L). Habitationem suam ita disponant, ut *haec nemini impervia appareat et ut nemo umquam, etiam humilior, eam frequentare vereatur* (M).

III – Subsidia pro Presbyterorum vita

15. [*Subsidia ad vitam interiorem fovendam*]. Ante omnia Presbyteri contendant ad arctiorem cum Christo unionem oratione, quae e fide viva procedit sub inspiratione Spiritus Sancti, et qua magis magisque intellegere valent omnia opera proprii ministerii a se, tamquam Christi instrumentis, esse perficienda « in spiritu humilitatis ». Ita etiam, necessitatem iugiter persentiant propriae ad Deum per Christum intercessionis, immo et mortificationis, pro animabus sibi concreditis (cf. *2 Cor.* 4, 12); et, si afflictiones vel forte persecutiones sustinendas habeant, crucem peramanter agnoscant, eamque in spe luminis Paschatis tollentes, sequantur Dominum (cf. *Mt.* 10, 38; 16, 24;

18. (Olim n. 15). [*Subsidia vitae spiritualis fovendae*] (A). Unionem cum Christo *ut in omnibus vitae adiunctis fovere valeant,* Presbyteri, *praeter quam exercitio conscio ministerii sui, gaudent mediis communibus et particularibus, novis et veteribus,* quae Spiritus Sanct*us in Populo Dei suscitare numquam destitit et quae* Ecclesia *ad suorum membrorum sanctificationem* commend*at, immo aliquando et* iubet.[12] *Prae omnibus spiritualibus subsidiis illi eminent actus, quibus Christifideles ex duplici mensa Sacrae Scripturae et Eucharistiae Verbo Dei nutriuntur;* [13] *quanti momenti sit eorum assidua frequentatio pro sanctificatione Presbyterorum propria neminem latet* (B).

Textus prior

Mc. 8, 34; *Lc.* 9, 23) in gaudio (cf. *Act.* 5, 41), ut adimpleantur in se quae desunt passionum Christi (cf. *Col.* 1, 24). Memores quoque sint omnem missionem apostolicam vivificari a Spiritu Sancto, quem ideo instanter invocare ne omittant.

Sed etiam alia subsidia ad vitam interiorem fovendam, qualia sunt lectio divina, qua per consolationem scripturarum spem habere possint (cf. *Rom.* 15, 4), exercitium orationis mentalis, conscientiae discussio, recessus spiritualis aliaque huiusmodi, quae quidem ab Ecclesia commendantur vel iubentur, Presbyteri ne parvi faciant. Horum enim subsidiorum momentum longa experientia sanctorumque Presbyterorum exemplo demonstratur. Magni tandem faciant cultum Sanctissimae Eucharistiae, et devotionem erga Beatam Virginem: ipsa enim est Mater Summi et Aeterni Sacerdotis, ideoque et Regina Apostolorum.

Plurima quidem sunt alia media ad vitam interiorem fovendam, quae Ecclesia, decursu temporum, approbatione sua sancivit; inter quae Presbyteri, iuxta inspirationem Spiritus Sancti et lumen gratiarum eius, illa libere eligere possunt, quae magis sibi congruere existiment, dummodo cum legibus et normis Ecclesiae conformia sint. Haec tamen in vita sacerdotis componi debent cum cultu publico Ecclesiae, utpote qui natura sua iisdem longe antecellat.

Textus emendatus [43]

Christo *Salvatori et Pastori* intime uni*untur sacramentalis gratiae ministri per fructuosam sacramentorum receptionem, speciatim in frequenti Poenitentiae sacramentali actu* (C), *quippe qui, cotidiana* conscientiae discussio*ne praeparatus* (D), *necessariam cordis conversionem ad Patris misericordiarum amorem tantopere foveat. Sub lumine* fide*i* lectio*ne* divina *enutritae, possunt Dei voluntatis signa et Eius gratiae impulsus in variis vitae eventibus sedulo inquirere, et ita missioni suae in* Spiritu [44] Sancto *assumptae docibiliores in dies fieri. Talis docilitatis mirum exemplum in* Bea*ta Maria* Virgin*e semper inveniunt, quae, a Spiritu Sancto ducta, seipsam mysterio hominum Redemptionis totam devovit* [14] (E).

Ad eorum ministerium cum fidelitate adimplendum, recessum spiritualem libenter habeant (F). *Multimodis, speciatim per probatam* oration*em* mental*em et varias precum formas, quas* libere eligunt, *Presbyteri quaerunt et a* Deo enixe rogant *illum verae adorationis spiritum, quo ipsi, simul cum plebe sibi commissa, intime se cum Christo Novi Testamenti Mediatore uniant, et ita tamquam filii adoptionis clamare possint*: « *Abba, Pater* » (*Rom.* 8, 15) (G).

5. [*Studium ad praecipua officia status sacerdotalis pertinet*]. Presbyteri ab Episcopo in sacro ritu Ordinationis admonentur ut « sint maturi in scientia » et sit doctrina eorum « spiritualis medicina populo Dei », ita ut suo ministerio pastorali thesauros verbi divini luculenter explanare valeant, verbis ad mentem

19. (Olim n. 5). [*Studium et scientia pastoralis*]. Presbyteri ab Episcopo in sacro ritu Ordinationis admonentur ut « sint maturi in scientia » et sit doctrina eorum « spiritualis medicina populo Dei » [15] (A). Scientia *autem* ministri sacri sacra esse debet, *quia* e sacro fonte desumpta et ad sacrum finem directa.

[44]

Textus prior

audientium convenienter accommodatis. Quapropter Presbyteri profunda divinae revelationis atque solida scientiae theologicae cognitione polleant, ut magis in dies cognoscant Iesum Christum, cuius vita et doctrina revelatio sunt Veritatis (cf. *Io.* 18, 37; 14, 6).

Scientia vero ministri sacri sacra esse debet, nempe, e sacro fonte desumpta et ad sacrum finem directa. Praeprimis igitur haurienda est ex lectione et meditatione Sacrae Scripturae, iuxta illud Sancti Hieronymi: « Divinas Scripturas saepius lege: immo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur ... Sermo Pre-
[45] sbyteri Scripturarum lectione conditus sit». Nutriatur quoque haec scientia studio Patrum diversorumque Traditionis documentorum, sed etiam, ad aptas responsiones reddendas quaestionibus ab hominibus huius aetatis agitatis, Presbyteri bene noscant oportet Magisterii ac praecipue Romanorum Pontificum documenta, atque consulant optimos et probatos scientiae theologicae et exegeticae scriptores. Haec studia, quae etiam ipsorum vitam spiritualem alere debent, per totam vitam protrahant: studium enim ad praecipua officia status sacerdotalis pertinet. Acquirere tandem curent opportunam cognitionem scientiarum humanarum, earum praesertim quae ad proprium ministerium efficacius exercendum peculiari modo pertineant.

Quo facilius Presbyteri, plurimis quidem occupationibus implicati, in studia incumbant et methodos evangelizationis et apostolatus efficacius addiscant, omni cura ipsis opportuna subsidia comparentur, cuiusmodi sunt creatio studiorum moderatoris necnon institutio, iuxta cuiusque territorii condiciones, cursuum, vel congressuum, vel centrorum, ut aiunt, pastoralium, ad pervestigandum theorice et practice de re catechetica, homiletica, liturgica, asceti-

Textus emendatus

Praeprimis itaque hauritur ex lectione et meditatione Sacrae Scripturae [16] (B), sed et studio *Sanctorum Patrum et Doctorum aliorumque* Traditionis *monumentorum* fructuose nutritur (C).

Cum *vero* nostris temporibus *cultura humana et etiam scientiae sacrae novo gressu progrediantur, incitantur Presbyteri ut scientiam suam de divinis et humanis apte et sine intermissione perficiant, atque ita ad colloquium cum coaetaneis opportunius ineundum se praeparent* (D).

Quo facilius Presbyteri in studia incumbant et methodos evangelizationis et apostolatus efficacius addiscant, omni cura ipsis opportuna subsidia comparentur, cuiusmodi sunt institutio, iuxta cuiusque territorii condiciones, cursuum vel congressuum, *erectio* centrorum pastoral*ibus studiis destinatorum,* constitutio bibliothecarum *et apta per personas idoneas* studiorum moderat*io* (E). Considerent *insuper* Episcopi singuli aut inter se uniti modum op-

Textus prior

ca, sociologica aliisque id genus. Iis aliisque aptis subsidiis vigilanti cura adiuventur sacerdotes iuniores, neoparochi et illi qui ad aliam nationem vel dioecesim transferantur aut alii operi pastorali in dioecesi addicantur. Pariter utilissima erit constitutio bibliothecarum, etiam itinerantium, quarum libris atque ephemeridibus facile utentes, possint Presbyteri scientiam sacram et condiciones populorum ac regionum, ubi ministerium suum pastorale exercent, plenius accuratiusque cognoscere.

Cum hisce temporibus humanae disciplinae cito progrediantur et evolvantur, convenit ut Christi ministri pari gressu scientias sacras colant atque methodum actionis pastoralis novis adiunctis accommodent. Considerent ergo Episcopi singuli aut inter se uniti modum oppor- [46] tuniorem efficiendi ut omnes sui Presbyteri, statis temporibus, maxime autem paucos post annos ab eorum ordinatione, frequentare possint cursum, quo ipsis praebeatur occasio cum ad pleniorem methodorum pastoralium et scientiae theologicae cognitionem acquirendam, tum ad vitam spiritualem roborandam et ad mutuo communicandas experientias apostolicas in commodum fratrum qui eandem missionem et responsabilitatem participant.

Textus emendatus [45]

portuniorem efficiendi ut omnes sui Presbyteri, statis temporibus, maxime autem paucos post annos ab eorum ordinatione [17] (F), frequentare possint cursum, quo ipsis praebeatur occasio cum ad pleniorem methodorum pastoralium et scientiae theologicae cognitionem acquirendam, tum ad vitam spiritualem roborandam et ad mutuo experientias apostolicas *cum* fratr*ibus* communicandas (G). His aliisque aptis subsidiis *peculiari* cura iuventur *etiam* neoparochi et illi qui novo pastorali operi addicuntur, vel qui in aliam dioecesim vel nationem *mittuntur*.

Textus prior

16. [*Aequa remuneratio Presbyteris providenda*]. Servitio Dei dediti in implendo officio sibi commisso, digni sunt Presbyteri qui aequam recipiant mercedem, quia « dignus est operarius mercede sua » (*Lc.* 10, 7; cf. *Mt.* 10, 10; *1 Cor.* 9, 7; *1 Tim.* 5, 18), atque « Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere » (*1 Cor.* 9, 14). Quapropter Episcopi curent, sive singuli pro sua quisque dioecesi, sive aptius plures simul pro

Textus emendatus

20. (Olim n. 16). [*Aequa remuneratio Presbyteris providenda*]. Servitio Dei dediti in implendo officio sibi commisso, digni sunt Presbyteri qui aequam recipiant mercedem, quia « dignus est operarius mercede sua » (*Lc.* 10, 7; cf. *Mt.* 10, 10; *1 Cor.* 9, 7; *1 Tim.* 5, 18), atque « Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere » (*1 Cor.* 9, 14). Quapropter, *quatenus aequae Presbyterorum remunerationi non aliunde provisum fuerit, ipsi fideles, quippe in quorum bonum*

[46] *Textus prior*

communi territorio, ut normae instituantur, quibus debite consulatur honestae sustentationi eorum, qui in populi Dei servitium aliquo munere funguntur vel functi sunt, ita quidem ut, ratione habita locorum temporumque condicionum, remuneratio ab unoquoque percipienda fundamentaliter eadem sit pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus, eorum condicioni sit congrua et eis praeterea tribuat facultatem per se ipsos indigentibus aliqua ratione subveniendi; quod ministerium erga pauperes, iam a primis suis exordiis, magno semper in honore Ecclesia habuit (cf. *Act.* 6, 1-6).

Textus emendatus

Presbyteri operam impendant, vera obligatione tenentur curandi ut eisdem necessaria ad vitam honeste et digne ducendam (A) *subsidia procurari valeant* (B). Episcopi *autem de hac eorum obligatione fideles monere tenentur et* curare debent, sive singuli pro sua quisque dioecesi, sive aptius plures simul pro communi territorio, ut normae instituantur, quibus debite consulatur honestae sustentationi eorum qui in Populi Dei servitium aliquo munere funguntur vel functi sunt, ita quidem ut, ratione habita locorum temporumque condicionum, remuneratio ab unoquoque percipienda fundamentaliter eadem sit pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus, eorum condicioni sit congrua et eis praeterea tribuat facultatem per se ipsos indigentibus aliqua ratione subveniendi, quod ministerium erga pauperes, iam a primis suis exordiis, magno semper in honore Ecclesia habuit (C).

[47] Officio vero, quod sacri ministri adimplent, praecipuum momentum tribuere oportet. Quare reformato systemate sic dicto beneficiali, vi cuius quandoque primario erant loco beneficia, quibus officia subordinabantur, atque hodie adhuc haud raro officia cum beneficiis nimis arcte coniunguntur, princeps in iure locus tribuatur ipsis officiis ecclesiasticis, quae quidem deinceps ut munera quaelibet stabiliter collata in finem spiritualem exercenda intelligi debent.

Officio vero, quod sacri ministri adimplent, praecipuum momentum tribuere oportet. Quare *systema sic dictum beneficiale relinquatur aut saltem ita reformetur ut pars beneficialis, seu ius ad redditus ex dote officio adnexos, habeatur tamquam secundaria, et princeps in iure tribuatur locus ipsi officio ecclesiastico, quod quidem deinceps intellegi debet quodlibet munus stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum* (D).

18. [*Praevidentia socialis in favorem Presbyterorum*]. Prae oculis semper habeatur exemplum credentium in primaeva ecclesia hierosolymitana, in qua « erant illis omnia communia » (*Act.* 4, 32) et « dividebatur autem singulis prout cuique opus erat » (*Act.* 4, 35). Itaque, in votis est ut, quantum fieri potest,

21. (Olim n. 18). [*Massae bonorum communes constituendae atque praevidentia socialis in favorem Presbyterorum ordinanda*]. Prae oculis semper habeatur exemplum credentium in primaeva Ecclesia hierosolymitana, in qua « erant illis omnia communia » (*Act.* 4, 32), « dividebatur autem singulis prout cuique opus

Textus prior

in singulis dioecesibus vel regionibus constituatur massa bonorum communis, qua valeant Episcopi obligationi suis Presbyteris subveniendi satisfacere aliisque suae dioecesis necessitatibus occurrere, quaque etiam valeant dioeceses divitiores adiuvare pauperiores, ut illarum abundantia harum inopiam suppleat (cf. *2 Cor.* 8, 14). Massa haec communis imprimis constituatur oportet ex bonis a fidelium oblationibus provenientibus, sed ex aliis quoque fontibus, iure determinandis, derivantibus.

In nationibus praeterea ubi praevidentia socialis in favorem cleri nondum apte ordinata est, curent Conferentiae Episcopales ut condatur aliquod institutum aut associatio quae, sub vigilantia Hierarchiae, satis provideat tum congruenti praecaventiae et assistentiae sanitariae, quam vocant, tum sufficienti sustentationi Presbyterorum qui infirmitate, invaliditate aut senectute laborant. Sacerdotes vero huic instituto opem ferant, moti spiritu solidarietatis erga fratres suos, communicantes tribulationibus eorum (cf. *Phil.* 4, 14), simul considerantes se ita, sine anxietate de sorte futura, alacriore sensu evangelico paupertatem colere atque animarum saluti penitus se tradere posse. Satagant autem ii, ad quos spectat, ut eadem diversarum nationum instituta inter se colligantur, ut firmius robur consequantur latiusque propagentur.

Textus emendatus [47]

erat » (*Act.* 4, 35) (A). *Summopere itaque congruit ut, in regionibus saltem in quibus cleri sustentatio penitus aut magna ex parte a fidelium oblationibus pendet, bona in hunc finem oblata colligat institutio quaedam dioecesana, quam administrat Episcopus, adiuvantibus sacerdotibus delegatis et, ubi utilitas id suadeat, etiam laicis in re oeconomica peritis* (B). In votis *quoque* est ut *praeterea,* quantum fieri possit, in singulis dioecesibus vel regionibus constituatur massa bonorum communis, qua valeant Episcopi *aliis obligationibus erga personas Ecclesiae deservientes satisfacere variisque* dioecesis necessitatibus occurrere, quaque etiam valeant dioeceses divitiores adiuvare pauperiores, ut illarum abundantia harum inopiam suppleat (cf. *2 Cor.* 8, 14). *Quae etiam* massa communis imprimis constituatur oportet ex bonis a fidelium oblationibus, sed ex aliis quoque fontibus, iure determinandis, *provenientibus.*

In nationibus praeterea ubi praevidentia socialis in favorem cleri nondum apte ordinata est, curent Conferentiae Episcopales ut, *attentis semper legibus ecclesiasticis et civilibus,* [48] *habeantur sive instituta dioecesana, etiam inter se foederata, sive instituta pro variis dioecesibus simul constituta sive associatio pro toto territorio condita* (C), *quibus,* sub vigilantia Hierarchiae, satis providea*tur* tum congruenti praecaventiae et adsistentiae sanitariae, quam vocant, tum *debitae* (D) sustentationi Presbyterorum qui infirmitate, invaliditate aut senectute laborant. Sacerdotes vero instituto *erecto* opem ferant, moti spiritu solidarietatis erga fratres suos, communicantes tribulationibus eorum (cf. *Phil.* 4, 14), simul considerantes se ita, sine anxietate de sorte futura, alacriore sensu evangelico paupertatem colere atque animarum saluti penitus se tradere posse (E). Sa-

[48] *Textus prior* | *Textus emendatus*

tagant autem ii, ad quos spectat, ut eadem diversarum nationum instituta inter se colligantur, ut firmius robur consequantur latiusque propagentur (F).

NOTAE

[1] Cf. inter alia:

S. Pius X, Exhortatio ad clerum *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *S. Pii X Acta,* vol. IV (1908), p. 237 ss.

Pius XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 5 ss.

Pius XII, Adhort. Ap. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 657 ss.

Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 545 ss.

[2] Cf. S. Thomas, *Summa Theol.,* II-II, q. 188, a. 7.

[3] Cf. *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri ».

[4] Cf. *Missale Romanum,* Oratio super oblata dominicae IX post Pentecosten.

[5] « Quaelibet enim Missa, etsi a sacerdote privatim celebratur, privata tamen non est, sed actus Christi et Ecclesiae; quae quidem Ecclesia in sacrificio, quod offert, seipsam tamquam universale sacrificium discit offerre et unicam et infinitam redemptricem sacrificii Crucis virtutem universo mundo ad salutem applicat. Unaquaeque enim Missa quae celebratur, non pro aliquorum tantum sed pro totius etiam mundi salute offertur (...) Paterne igitur et enixe commendamus sacerdotibus, qui potissimum gaudium Nostrum et corona Nostra sunt in Domino, ut ... quotidie digne et devote Missam celebrent » (Paulus VI, Litt. Encycl. *Mysterium Fidei,* 3 sept. 1965: *L'Osservatore Romano,* 12-9-1965, p. 2).

[49] [6] « Officium amoris pascere dominicum gregem » (S. Augustinus, *Tract. in Io.,* 123, 5: *PL* 35, 1967).

[7] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 42: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 47-49.

[8] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), pp. 24-28; Pius XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 mart. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 169-172.

[9] *Conc. Antioch.,* can. 25: Mansi 2, 1328; *Decretum Gratiani,* c. 23, C. 12, q. 1.

[10] Hoc intelligitur praesertim de iuribus et consuetudinibus in Ecclesiis Orientalibus vigentibus.

[11] *Conc. Paris.,* a. 829, can. 15: M.G.H., Sect. III, *Concilia,* t. 2, pars 6, 622; *Conc. Trid.,* Sess. XXV, *de reform.,* cap. 1.

[12] Cf. *C.I.C.,* can. 125 ss.

[13] Cf. Conc. Vat. II, Decretum *Perfectae caritatis,* de accommodata renovatione vitae religiosae, 28 oct. 1965, n. 6; Schema Const. « De Divina Revelatione »,

n. 21; textus Sanctorum Patrum apud Y. M.-J. Congar, *Les deux formes du Pain de vie,* in « Sacerdoce et Laïcat », Paris 1962, pp. 148 ss. [49]

[14] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21 nov. 1964, n. 65: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 64-65.

[15] *Pont. Rom.,* « De Ordinatione Presbyteri ».

[16] Cf. Conc. Vat. II, Schema Constitutionis « De Divina Revelatione », n. 25.

[17] Hic cursus idem non est ac cursus ille pastoralis, statim post ordinationem perficiendus, de quo in Decreto *Optatam totius, de institutione sacerdotali,* 28 oct. 1965, n. 22.

CONCLUSIO ET EXHORTATIO [50]

Textus prior

19. [*Exhortatio*]. Sacrosancta haec Synodus omnes denique Presbyteros hortatur, ut suae missioni in dies fideliores sint, ac numquam, licet quandoque ipsorum labor sterilis videri possit, animo deprimantur. Meminerint se in opere exercendo numquam solos esse, sed inniti omnipotenti Dei virtute, et sacerdotes, immo et fideles totius mundi sibi socios habere. Cooperantur enim omnes Presbyteri in exsequendum Dei salutare Propositum, mysterium scilicet Christi seu sacramentum absconditum a saeculis in Deo (cf. *Eph.* 3, 9), quod nonnisi paulatim ad effectum deducitur, diversis conspirantibus ministeriis in aedificationem Corporis Christi, donec compleatur mensura aetatis Eiusdem. Quae omnia, cum abscondita sint cum Christo in Deo (cf. *Col.* 3, 3), fide maxime percipi possunt. Fide enim necesse est ambulare duces populi Dei, exemplum sequentes fidelis Abrahae, qui fide oboedivit et exiit nesciens quo iret (cf. *Hebr.* 11, 8). Revera mysteriorum Dei dispensator assimilari valet homini in agro seminanti, de quo Dominus dixit: « Et dormiat, et exsurgat nocte et die, et semen germinet, et increscat dum nescit ille » (*Mc.* 4, 27). Ceterum Dominus Iesus, qui dixit: « Confidite, ego vici mundum » (*Io.* 16, 33), his verbis Ecclesiae suae non

Textus emendatus

22. (Olim n. 19). *Sacrosancta haec Synodus difficultates, quas in hodiernae vitae adiunctis patiuntur Presbyteri, non ignorat. Scit enim quantum condiciones oeconomicae et sociales, immo et hominum mores, transformantur, quantumque ordo valorum in aestimatione hominum immutatur; Ecclesiae ministri inde, immo et nonnumquam Christifideles, in hoc mundo quasi alienos ab ipso se sentiunt, anxie quaerentes quibusnam idoneis mediis et verbis cum eodem communicare valeant. Nova enim quae fidei obstant impedimenta, apparens peracti laboris sterilitas necnon acerba quam experiuntur solitudo, eos in periculum adducere possunt ne animo deprimantur.*

Mundum autem, qualis hodie dilectioni et ministerio Pastorum Ecclesiae concreditur, sic Deus dilexit, ut Filium suum Unigenitum pro ipso daret (cf. *Io.* 3, 16). *Ex hoc enim mundo, multis quidem peccatis detento, sed non parvis etiam facultatibus praedito, Ecclesia lapides vivos* (cf. *1 Pt.* 2, 5) *assumit, qui coaedificantur in habitaculum Dei in Spiritu* (cf. *Eph.* 2, 22). *Idem Spiritus Sanctus, dum Ecclesiam impellit ut ad mundum huius temporis adeundum novas vias aperiat, congruas quoque ministerii sacerdotalis accommodationes suggerit ac fovet* (A).

[50]

Textus prior

promisit perfectam in hoc saeculo victoriam. Gaudet vero Sacrosancta Synodus quod terra Evangelii semine inseminata nunc multis in locis fructificat sub ductu Spiritus Domini, qui replet orbem terrarum, quique in multorum cordibus sacerdotum atque fidelium spiritum vere missionarium excitavit, et iam [51] fructus uberes multiplicavit. De quibus omnibus Sacrosancta Synodus universi orbis Presbyteris, cooperatoribus Ordinis episcopalis, peramanter grates agit. « Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis: Ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Iesu in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen » (*Eph.* 3, 20-21).

Textus emendatus

Meminerint *Presbyteri* se in opere exercendo numquam solos esse, sed inniti omnipotenti Dei virtute, et *fratres in sacerdotio* (B), immo et fideles totius mundi sibi socios habere. Cooperantur enim omnes Presbyteri in exsequendo Dei salutari proposito, mysterio scilicet Christi seu sacramento abscondito a saeculis in Deo (cf. *Eph.* 3, 9), quod nonnisi paulatim ad effectum deducitur, diversis conspirantibus ministeriis in aedificationem Corporis Christi, donec compleatur mensura aetatis Eiusdem. Quae omnia, cum abscondita sint cum Christo in Deo (cf. *Col.* 3, 3), fide maxime percipi possunt. Fide enim necesse est ambulare duces Populi Dei, exemplum sequentes fidelis Abrahae, qui fide « oboedivit *in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem*: et exiit, nesciens quo iret » (*Hebr.* 11, 8). Revera mysteriorum Dei dispensator assimilari valet homini in agro seminanti, de quo Dominus dixit: « Et dormiat, et exsurgat nocte et die, et semen germinet, et increscat dum nescit ille » (*Mc.* 4, 27). Ceterum Dominus Iesus, qui dixit: « Confidite, ego vici mundum » (*Io.* 16, 33), his verbis Ecclesiae suae non promisit perfectam in hoc saeculo victoriam. Gaudet vero Sacrosancta Synodus quod terra Evangelii semine inseminata nunc multis in locis fructificat sub ductu Spiritus Domini, qui replet orbem terrarum, quique in multorum cordibus sacerdotum atque fidelium spiritum vere missionarium excitavit. De quibus omnibus Sacrosancta Synodus universis orbis Presbyteris peramanter grates agit: « Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis: Ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Iesu in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen » (*Eph.* 3, 20-21).

3 – RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS [53]

De numero 1 (prooemio)

(A) Uti fit aliis in schematibus, numerus 1 prooemio correspondet, ex quo sequitur ut qui prius erat n. 1 nunc fiat n. 2, etc.

(B) Praeter Constitutiones dogmaticas *Lumen gentium* et *Sacrosanctum Concilium,* citantur etiam in nota Decreta *Christus Dominus* et *Optatam totius.*

(C) Adduntur haec verba, ad mentem quattuor Patrum (A/411, A/176, cf. etiam A/25 *), ad expresse indicandum hoc Decretum, etsi praesertim et quidem totum dirigatur ad Presbyteros saeculares, applicari quoque posse, congrua congruis referendo, Presbyteris religiosis curam animarum habentibus.

(D) Servantur hae lineae, non obstantibus A/47 et A/410, quia expedire videtur ut iam in ipso prooemio brevis mentio fiat de Presbyterorum missione deque tribus muneribus per quae talis missio adimpletur. Profecto sub luce huius missionis agendum est cum de ministerio tum de vita Presbyterorum.

(E) Verba litteris inclinatis scripta adduntur, iuxta A/412, ut idea accommodationis ad necessitates pastorales huius temporis, quae quidem est idea centralis totius Concilii Oecumenici, magis in luce ponatur. Commissio tamen non recepit animadversionem A/365, ubi postulabatur ut in prooemio diceretur normas aptiores et magis determinatas de ministerio et vita Presbyterorum statuendas esse a Conferentiis Episcopalibus. Etenim doctrina theologica quae in schemate continetur est doctrina satis apta et determinata, atque valida cum pro Ecclesia universa tum pro singulis eius partibus. Quoad normas vero generales ordinis iuridici, disciplinaris et pastoralis, earum ulteriores determinationes et concretae applicationes pertinent, pro casuum diversitate, ad Sanctam Sedem, vel ad Commissionem Codici Iuris Canonici recognoscendo, vel ad Directoria generalia, de quibus in Decreto *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, n. 44, vel ad diversos Ritus

---

* A/1, etc. significant animadversiones seu emendationes a Patribus oretenus factas vel scripto transmissas, perdurante disceptatione schematis in Aula, circa textum traditum mense maio 1965, quae collectae sunt in fasciculo, Commissionis Patribus tradito, cui titulus « Animadversiones in schema decreti *De ministerio et vita Presbyterorum* oretenus vel in scriptis factae ».

[54] qui in Ecclesia adsunt, vel ad Conferentias Episcopales, vel demum ad singulos Ordinarios.

(F) Iuxta A/48, vitatur verbum *statuit,* quippe quod nimis iuridice sonet.

De numero 2

(A) Textus praecedentis numeri 1 in duos numeros dividitur: alter (nunc n. 2) agit de natura Presbyteratus, alter vero (nunc n. 3) de condicione Presbyterorum in mundo. Sic satisfit desiderio haud paucorum Patrum (A/50, A/366 et A/413).

(B) Iuxta postulata in A/366, et ad mentem A/12, A/13 et A/37, in hac paragrapho recipitur, ad modum introductionis, id quod in textu tradito mense novembri 1964 dicebatur circa missionem totius Ecclesiae et sacerdotium commune fidelium.

(C) Sic fit transitus a sacerdotio communi fidelium ad sacerdotium ministeriale seu hierarchicum.

(D) Restituitur, iuxta postulata A/67 et A/68 et ad mentem multorum Patrum (cf. A/4 et A/17), textus prior *unctione Spiritus*, ut expresse affirmentur partes quas habet Spiritus Sanctus in consecratione Presbyterorum ad eorum missionem.

(E) Munus sacerdotale Novi Testamenti deducitur ex missione apostolica collata a Christo, unico et aeterno Sacerdote. Hoc modo satisfit desiderio multorum Patrum (cf. A/267, A/268, A/49, A/51, A/5, A/22, etc.), in meliore luce ponendo valorem proprie sacerdotalem apostolatus Presbyterorum, quia multi Presbyteri, considerantes provectum apostolatus laicorum, quaerunt quid proprium habeat apostolatus Presbyterorum.

(F) Adduntur haec verba, ad mentem duorum Patrum (A/138, A/39), quo clarius pateat veram missionem sacerdotalem ad homines et veram Patris adorationem arcte et indissolubiliter inter se coniungi, ita ut hi duo aspectus ministerii et vitae Presbyterorum ab invicem disiungi nequeant.

De numero 3

(A) Verba litteris inclinatis scripta adduntur iuxta propositionem unius Patris (A/421).

(B) Haec adduntur, iuxta A/75, ad roborandam ideam assimilationis ad exemplum Christi Domini.

(C) Haec quoque adduntur iuxta A/75.

(D) Attentis animadversionibus A/75, A/76, A/370 et A/421, hic textus clarius ordinatur et completur, paucis expunctis vel emendatis. [54]

(E) Dicitur *alieni* loco *extranei,* iuxta A/78.

(F) Verba litteris inclinatis scripta adduntur, attenta animadversione A/373, quia Presbyterorum pastoralis responsabilitas sese extendit
ad omnes homines, quorum cura eisdem commissa est, licet eorum iuris- [55]
dictio solos baptizatos respiciat. Exinde hierarchica munera, de quibus in Capite II, Art. I, indolem missionariam essentialiter prae se ferunt.

(G) In hunc locum transferuntur quae de virtutibus humanis continebantur in pag. 26, linn. 10-19 textus prioris, nonnullis factis emendationibus, iuxta animadversionem unius Patris (A/461).

De numero 4

Hoc in numero incipit expositio munerum Presbyterorum. Primum sermo fit, ut in textu priori, de munere praedicationis, deinde vero de munere sanctificandi. Etenim, etsi sanctificatio sit finis totius navitatis Presbyterorum, in ordine tamen exsecutionis primum venit praedicatio. Sic etiam servatur ordo adhibitus in Constitutione dogmatica *Lumen gentium* (nn. 25, 26 et 27) in exponendis muneribus Episcoporum.

(A) Aptius dicitur *coadunatur* loco *constituitur,* quia verbum Dei congregat Populum Dei, qui sic formari incipit, cui tamen sacramentum baptismi confert plenam Christo incorporationem.

(B) Redactio paululum mutatur, attentis animadversionibus A/83, A/84, A/423 et A/424, ubi petitur maior claritas in ministerio verbi enuntiando; explicita autem mentio dependentiae ab Episcopo servatur in textu, contra A/423, quia videtur necessaria. Servatur etiam, non obstantibus animadversionibus duorum Patrum (A/88), citatio loci classici de praecipuo Episcoporum munere praedicandi, quia Presbyteri sunt Episcoporum cooperatores, et ideo hoc est etiam primum munus pro ipsis.

(C) Plures Patres (cf. A/3, A/81, A/85, A/374) desiderabant ut clarius ostenderetur aspectus missionarius in praedicatione verbi Dei.

(D) Claritatis causa pauca emendantur ad mentem duorum Patrum (A/86, A/87), ne videatur fidei tribui duos effectus simultaneos ac diversos.

(E) Dicitur simpliciori forma *veritatem Evangelii,* loco *fidem, gratiam et plenitudinem,* iuxta A/90, A/91, A/375 et A/425, quae animadversiones existimant textum priorem esse confusum.

[55] (F) Quaedam verba adduntur, quo plenius describatur apostolatus Presbyterorum erga non credentes (A/95, A/376), utque de facto aliquid amplius dicatur de diversis formis quibus ministerium verbi exercetur (A/92).

(G) Sic aptius explanatur, ad mentem A/426, sensus prioris sententiae *utiliter docere*.

(H) Haec addita sunt a Commissione, quo magis in concreto ostendatur optata forma praedicandi verbum Dei in hodiernis hominum adiunctis, ad mentem perplurium Patrum (cf. A/3, etc.).

(I) Additio fit, iuxta A/377, ad breviter recensendas duas praecipuas causas, quae modum ministerii verbi determinant.

[56] (J) Clarius exprimitur nexus inter ministerium verbi et sacramenta, quod maximi momenti est in hodierna cura pastorali. Non agitur tantum de intelligentia, sed etiam de fide; neque solummodo de christianis haud plene edoctis, sed de omnibus hominibus, cum omnes ad sacramenta vocentur. Ita recipiuntur propositiones A/95, A/97 et A/377.

(K) Emendantur verba, iuxta A/427, ne bis adhibeatur verbum *requiritur*.

(L) Sic recipitur propositio A/96, ut textus clarior sit.

De numero 5

(A) Pauca mutantur, ad maiorem praecisionem theologicam textui praebendam, iuxta A/428, A/102, A/101 et A/114.

(B) Additur referentia ad opera apostolatus (A/379 et A/104), quia Eucharistia non solum est finis omnium sacramentorum, sed est quoque fons et culmen totius operis Ecclesiae.

(C) Haec sumuntur e pag. 16, linn. 4-8 prioris textus.

(D) Quaedam adduntur ex animadversione A/378, ad ostendendam habitudinem Eucharistiae ad vitam cotidianam fidelium et ad conversionem universae creationis ad Deum.

(E) Ita ostenditur, iuxta A/378 et A/379, opus Ecclesiae, cuius fons est Eucharistia, semper secumferre vocationem ad novos christianos Corpori Christi Mystico lucrandos.

(F) Verba emendantur, claritatis causa, ad mentem unius Patris (A/431).

(G) Haec adduntur, iuxta postulata nonnullorum Patrum (A/110, etc.), ut amplius agatur de poenitentia.

(H) Ideae prioris textus melius explanantur, attenta animadversione A/113, ne intellegi possint ac si liturgia sit solummodo aliquid exter-

num, vel ac si oratio mentalis non possit pertinere ad liturgiam. Distinctio quidem non est facienda inter orationem « mentalem » et orationem « vocalem seu liturgicam », sed inter orationem liturgicam, quae esse debet mentalis simul ac vocalis, et orationem privatam, sive mentalem sive vocalem. [56]

(I) Sic ostenditur nexus Divini Officii cum ipsa celebratione eucharistica; praeterea magis extollitur excellentia Divini Officii, si dicatur id a Presbyteris recitari nomine Ecclesiae.

(J) Servatur textus, non obstante A/119, nam quae hic dicuntur sunt quoque ministeria Presbyterorum. Ecclesiae enim atque res cultui et sacramentis dicatae pertinent ad visibilitatem Ecclesiae, et signum dant mundo praesentiae Dei. Praeterea cura gerenda de domo in qua Sanctissima Eucharistia asservatur manifestatio est et simul exigentia fidei et amoris Dei illorum Presbyterorum quibus ipsa domus commissa est.

(K) Haec adduntur ad satisfaciendum petitioni perplurium Patrum [57]
(A/19, A/320, etc.), ne videatur cultum Eucharisticum coarctari ad Sacrificium Eucharisticum.

De numero 6

(A) Ne intellegatur potestatem tantum requiri ad exercitium huius muneris (A/438).

(B) Textus prior clarius exaratur, iuxta animadversionem unius Patris (A/123), addita quoque explicita referentia circa paternitatem spiritualem quam Presbyteri erga fideles exercent, uti ab aliis Patribus expostulatum est (A/12, A/207).

(C) Claritatis causa dicitur *in fide educatores,* loco *fidei educatores,* ad mentem unius Patris (A/125).

(D) In luce ponuntur et diversitas vocationum in Ecclesia et primariae partes quas Spiritus Sanctus habet in vocationibus suscitandis et ad felicem exitum ducendis. Sic recipitur animadversio A/382.

(E) Adduntur verba, iuxta A/141, ne textus ita intellegi possit, ac si inter caeremonias consociationesque et educationem ad maturitatem christianam vigere debeat oppositio.

(F) Lineae 3-8 paginae 18 prioris textus huc transferuntur, quo melius appareat in quo consistere possit christiana maturitas de qua agitur. Ita recipiuntur animadversiones A/129 et A/130.

(G) Emendatio stylistica, iuxta A/440.

(H) Paragraphus sic incipit ut nova sententia — educatio scilicet ad communitatem efformandam — melius in luce ponatur.

[57] (I) Ideae prioris textus aptiore ratione explanantur, ut clare appareat spiritum catholicitatis esse partem fundamentalem educationis ad communitatem christianam efformandam (A/138) utque explicita mentio fiat de spiritu missionario, qui imbuere debet non tantum vitam personalem singulorum fidelium, verum etiam vitam ipsius communitatis christianae (A/122). Hic invenitur conceptus sic dictarum « paroeciarum missionalium », sed consulto vitatur in textu vox « paroecia », ne expressio « communitates christianae », quae saepe adhibetur in schemate nostro, videatur coarctari ad solas paroecias.

(J) Idea exprimitur modo magis positivo, ad mentem unius Patris (A/139).

(K) Haec mutatio fit claritatis causa (A/140).

(L) Fit mutatio stylistica (A/142).

(M) Additur verbum *spiritualiter,* iuxta A/146, ut fideles debiliores, de quibus nunc agitur, distinguantur a fidelibus tenuioribus, prius commemoratis.

(N) Emendatur textus, iuxta A/149, A/151, A/445. Sic melius exprimitur fundamentum dogmaticum.

[58] *De numero 7*

(A) Iuxta A/178, introducitur sententia de hierarchica communione, et textus clarius exaratur.

(B) Haec adduntur, iuxta A/386, ad commemorandum concelebrationem eucharisticam esse signum et culmen unitatis Presbyterii cum Episcopo.

(C) Aptius dicitur *tradiderunt,* loco *dederunt* (A/178).

(D) Quaedam verba emendata sunt et alia addita iuxta A/82, A/180 et A/184.

(E) Simplicitatis causa, quaedam expunguntur, ad mentem unius Patris (A/454).

(F) Attenta animadversione A/186, restituitur in textu verbum *senatus,* quod in eodem sensu ac in schemate adhibetur a Sanctis Patribus (cf. notam 27 Capitis II), atque etiam invenitur in CIC — cf. can. 391, § 1 — relate ad Capitulum Cathedrale, cuius reformatio expostulatur in schemate.

(G) Duo Patres petierunt ut finis et munus huiusmodi coetus vel senatus Presbyterorum ulterius determinentur (A/185), sed Commissio censet has determinationes particulares remittendas esse Commissioni Codici Iuris Canonici recognoscendo.

(H) Petierunt nonnulli Patres (e. g. A/188) ut magis explanetur quod hic dicitur de oboedientia. Cum tamen de virtute oboedientiae fusius sermo fiat in n. 15, hoc non videtur necessarium. [58]

De numero 8

(A) Quae in priore textu dicebantur de multiplicibus officiis atque formis ministerii Presbyterorum melius nunc ordinantur, ad mentem duorum Patrum (A/194 et A/455). Praeterea aptius ostenditur unionem communitariam presbyteralem requiri ab ipsa unitate ministerii, iuxta A/192.

(B) Attenta animadversione A/200 additur verbum *inceptis*, ad significandum tale adiutorium limitari non posse ad difficultates solvendas.

(C) Haec verba addita sunt ad mentem unius Patris (A/202), ne sensus verborum *vita communis* identificari possit cum conceptu vitae communis canonicae, religiosorum propriae.

(D) Petitur in animadversione A/203 ut de istis associationibus pressius agatur, tam sub aspectu theologico quam canonico, et innuitur ut associationes ponantur sub directione Episcopi in unaquaque dioecesi, vel Conferentiarum Episcopalium in unaquaque natione, cui accedit etiam animadversio A/391. Commissio tamen censuit rationem theologicam fundamentalem istarum associationum sufficienter dari in textu, salvis manentibus peculiaribus uniuscuiusque associationis characteribus. Quod attinet vero ad ordinationem canonicam, tales associationes non [59] videntur iuridice submitti debere Episcopis vel Conferentiis Episcopalibus, quia pertinent ad ambitum vitae personalis Presbyterorum et ad exercitium legitimae eorum libertatis. Praeterea hoc congruere non videtur: *a*) iuridice, quia in exercitio potestatis episcopalis relate ad Presbyteros confusio oriretur inter forum internum et forum externum; *b*) practice, quia multi Presbyteri moraliter cogerentur ad nomen dandum illi associationi ab Episcopo directae, putantes se ita obsequium praestare proprio Ordinario, etc.; immo, magna divisio oriretur inter sacerdotes dioecesanos, prout pertinerent vel non pertinerent ad illam associationem quam Episcopus regit.

(E) Haec addita sunt quoad correptionem fraternam ad mentem unius Patris (A/205), ut tempestive adiuventur ii qui forte in periculo versantur.

[59] *De numero 9*

(A) Extollitur paternitas spiritualis Presbyterorum, in sensu quidem qui invenitur in Novo Testamento, quo melius intellegatur id quod postea dicitur de fraternitate Presbyterorum cum laicis. Sic etiam satisfit animadversionibus A/12 et A/207, de quibus in relatione circa n. 6.

(B) Claritatis causa, pauca emendantur; citatio *Rom.* 12, 10 transfertur in penultimam paragraphum, ubi aptum locum habet.

(C) Id quod erat essentiale in paragrapho quae hanc citationem in textu priori sequebatur, nunc invenitur in fine n. 3 textus emendati.

(D) Dicitur *propriam,* loco *peculiarem,* iuxta A/463.

(E) Haec adduntur, iuxta Const. dogm. *Lumen gentium,* n. 37, attenta animadversione A/215.

(F) Sententiae prioris textus servantur, sed ordo mutatur, ut prius agatur de fratribus plenam ecclesiasticam communionem nobiscum non habentibus, deinde vero de non christianis, iuxta animadversiones A/214 et A/392.

De numero 10

(A) Quaerit unus Pater (A/218) ut in mentem Presbyterorum revocetur se proprio ministerio in sua dioecesi efficaciter conferre ad bonum totius Mystici Corporis. Hoc verum est quidem, sed hac de re satis agitur in aliis numeris schematis.

(B) In animadversione A/220 petitur ut adiungatur hoc loco: « *sicuti unicuique Episcopo, cuius sacerdotii Presbyteri facti sunt participes* ». Aptius tamen dicitur Presbyteros participare sacerdotium ipsius Christi atque missionem Episcopi; sed de amplitudine missionis concreditae Apostolorum Successoribus iam agitur in lineis 11-13.

(C) Haec adduntur ad mentem duorum Patrum (A/221 et A/222), quo melius adhuc ostendantur internae dispositiones Presbyterorum qui ad novam nationem mittuntur.

[60] *De numero 11*

(A) Addita sunt iuxta petitionem unius Patris (A/224).

(B) Pauca emendantur, ratione stylistica (A/225).

(C) Mentio fit de medio praecipuo ad obtinendas vocationes sacerdotales (A/228, A/393).

(D) Ut explicite ostendatur, iuxta animadversionem A/230, exem-

plar vitae sacerdotalis maximas partes habere in excitandis sacerdotalibus vocationibus, supposita quidem gratia Dei vocantis. [60]

(E) Haec adduntur claritatis causa (A/226).

(F) Partim recipitur A/394, et in nota fit remissio ad Decretum *Optatam totius,* de institutione sacerdotali, ubi tota quaestio fusius pertractatur.

(G) Dicitur *oneribus,* quia verbum *tribulationibus* minus aptum videbatur (A/227).

De numero 12

(A) Plures Patres postulaverunt ut vita spiritualis Presbyterorum atque peculiaris exigentia sanctitatis magis in cohaerentia interna cum Presbyteri missione et ministeriis consideretur atque ex eis evolvatur (cf. A/11, A/12, A/31, A/231, A/232, A/245, A/247, A/261). His desideriis satisfacere conantur emendationes introductae in hoc numero et in sequentibus numeris (nn. 13-17).

(B) Iuxta expostulata in A/395, A/232 et A/234, hic textus, paucis mutatis, desumitur e redactione a Commissione apparata mense novembri 1964 (cf. pag. 31, linn. 1-22 fasciculi Patribus traditi mense maio 1965). Hic quidem textus aptius sanctitatem sacerdotalem in ipsa natura sacerdotii ministerialis fundat, id est in sacramento et in missione acceptis.

(C) Haec quoque desumuntur e textu supra recensito, iuxta A/395.

(D) Clarius in textu extollitur sanctitas obiectiva, nempe gratiae quae per sacramentum Presbyteris conferuntur, ut sua munera sancte exerceant (cf. A/231, A/232, A/239). Pariter e textu priori expunguntur quaedam quae hanc sanctitatem obiectivam ministerii Presbyterorum minus clare describebant, iuxta animadversionem plurium Patrum (cf. A/238).

(E) Servatur haec paragraphus, non obstante animadversione A/242, quia revera optata renovatio Ecclesiae eiusque missionis in mundo multum pendet a sanctitate sacerdotum.

De numero 13

(A) In recognitione huius numeri satisfit praesertim petitioni A/245 et A/247, ubi desideratur ut profundius exponatur quomodo exercitium triplicis muneris Presbyterorum eorum vitam spiritualem et sanctificationem foveat. [61]

[61] (B) Haec adduntur ad mentem Patrum qui postulaverunt ut aliquid diceretur de intimo colloquio cum Deo in oratione, quae pars est ministerii aliis tradendi verbum Dei (cf. A/248 et A/250).

(C) Parva emendatio, ab uno Patre proposita (A/252).

(D) Praecipua ratio theologica affertur ad firmandam commendationem cotidianae celebrationis Sacrificii Eucharistici, ut quidam Patres postulaverunt (A/256, A/396), et in nota remittitur ad Litt. Encycl. *Mysterium Fidei*.

(E) Haec addita sunt, iuxta A/251, ut ostendatur amor Christi Sacerdotis, qui excelse in Eucharistia manifestatur.

(F) Sententiae prioris textus aptius exponuntur, iuxta A/258.

(G) Claritatis causa recipitur emendatio A/261.

(H) Ut idea ascesis pastoris animarum propriae aliquo modo determinetur, iuxta A/474.

(I) Textus prior ad simpliciorem formam redigitur, ad mentem trium Patrum (A/29, A/262, A/263).

De numero 14

(A) In praecedentibus numeris 12 et 13 in luce ponitur intima cohaerentia et necessaria habitudo inter Presbyterorum sanctitatem et eorum ministerium; quapropter hoc in numero fundamentum unitatis vitae Presbyterorum perpenditur in caritate pastorali, ex unione cum Christo Salvatore et Pastore profluenti (cf. A/11, A/12, A/231, A/232, A/237).

(B) Hodiernae difficultates et falsa remedia clarius praesentantur, iuxta animadversiones A/264, A/265 et A/266. Vitatur praeterea oppositio inter vitam interiorem et exteriorem, ad mentem unius Patris (A/231).

(C) Haec verba quod substantiam sumuntur e textu priori, ad ostendendum fontem unitatis vitae esse Christum, haud vero caritatem pastoralem in seipsa, quippe quae sit tantum consequentia unionis cum Christo in ministerio rite adimplendo (A/397).

(D) Recipitur emendatio ab uno Patre proposita (A/271).

(E) Quaedam expunguntur, ad textum simpliciorem reddendum, iuxta A/29 et A/272.

(F) Postquam actum est de fonte unitatis (per Sacramentum), nunc praebetur norma obiectiva. In particulari iudicium sub lumine fidei (A/267), in communione cum Hierarchia Ecclesiae. Proceditur a Sacramento ad structuras, uti fit in Capitulis I et II schematis.

De numero 15 [62]

(A) E praecedenti n. 14 fiunt tres numeri distincti, uti petierunt non pauci Patres (cf. A/31, A/273, A/275 et A/466), ut vitetur « typificatio » numerica et formalis consiliorum evangelicorum quae datur in statu religioso. Praeterea textus potius loquitur de virtutibus evangelicis, exercitatis iuxta peculiares exigentias vitae et ministerii Presbyterorum, quam de « consiliis evangelicis », quae de facto semper referuntur ad vitam religiosam. Oboedientiae iungitur humilitas, ad mentem A/233, A/231 et A/482.

(B) Plures Patres expostulant ut oboedientia appareat tamquam exigentia ipsius ministerii pastoralis, vel caritatis pastoralis (A/11, A/274, A/275); alii Patres explicitius dicunt oboedientiam requiri ab ipsa natura ministerii sacerdotalis, quod est opus totius Ecclesiae, et ideo requirit unitatem actionis (A/316, A/317): quae omnia in textu emendato exprimuntur.

De numero 16

Cursus idearum, quae in textu huius numeri inveniuntur sequens est:

1. Introductio in quaestionem: coelibatus magnum sane donum non quidem a sacerdotio qua tali exigitur, sed ei est valde congruum.

2. Rationes *theologicae* convenientiae coelibatus cum sacerdotio: coelibatus missionem sacerdotalem optime exprimit et manifestat.

3. Rationes *pastorales* convenientiae coelibatus cum sacerdotio: coelibatus Presbyterum valde adiuvat ad munus suum bene implendum.

4. Respondetur ad quaestionem, cur in Ecclesia Occidentali coelibatus, quamvis sit donum gratiae, ab omnibus sacerdotibus postuletur et haec legislatio a Concilio iterum comprobetur et firmetur.

5. Exhortatio ad Presbyteros ad coelibatum fideliter servandum et ut magnum donum aestimandum.

6. Coelibatus est pretiosum donum, quod Ecclesiae a Deo datum est; omnes proinde fideles debent Deum enixe rogare, ut hoc donum Ecclesiae abundanter largiatur.

(A) Paragraphus prima prioris textus, propter novam compositionem huius numeri omittitur.

(B) Citatio ex *1 Cor.* 7, 1-21 *hoc loco* non quadrat.

(C) Iuxta animadversiones A/281 et A/282, quia in Ecclesiis Orientalibus exsistit etiam sacerdotium coelibatarium; ubi exsistit sacerdotium sine coelibatu matrimonium praecedit ordinationi sacerdotali.

[62] (D) Haec addita sunt ad mentem unius Patris, cuius animadversio huic Commissioni Conciliari transmissa et commendata est a Secretaria Status, de mandato ipsius Summi Pontificis.

(E) Unus Pater proponit ut dicatur « qui in Ecclesia, *qua Sponsa et per eam,* genus humanum... ». Emendatio tamen non admittitur, quia rectae ideae theologicae in textu iam provisum est.

[63] (F) Assumitur notio testimonii socialis ex A/399, propter nexum theologicum cum antecedentibus.

(G) Accipitur A/399, iuxta quam rationes theologicae convenientiae coelibatus cum sacerdotio primo loco ponendae sunt; textus vero ex ipso textu priori desumitur (pag. 36, lin. 15 ss.), quia videtur politior et clarior; attamen ob ordinem meliorem logicum aliquantulum contractus est (secundum A/477).

(H) Assumitur textus in A/285 et A/476 propositus, qui priorem textum schematis (pag. 35, lin. 40 usque ad pag. 36, lin. 8) in meliorem ordinem componit.

(I) Cf. partem introductoriam relationis huius numeri, n. 4.

(J) 1. Forma textus assumitur ex animadversionibus A/293 et A/479.

2. Omittitur citatio ex *Lc.* 18, 27, quia ibi non de continentibus, sed de possidentibus eorumque salute periclitante sermo est.

3. De singulis subsidiis coelibatus custodiendi, de quibus in priori textu et quibus adhuc multa addi possent, magna ex parte iam in aliis numeris schematis, praesertim in n. 18, sermo est, ut animadvertit A/403.

(K) Opportunum videtur ut haec ultima sententia addatur, quia coelibatus est donum pretiosum toti Ecclesiae datum.

De numero 17

(A) Non pauci Patres petierunt ut uniantur ea quae dicebantur de paupertate in n. 14 textus prioris cum iis quae in n. 17 ipsius textus (*De recto usu bonorum*) continebantur (A/31 et A/483). Praeterea quae in n. 17 dicta sunt videbantur nimis unilateraliter dicta, et plures petunt ut aliquid dicatur in genere de habitudine Presbyteri ad mundum bonaque terrestria (A/31, A/466). Sic factus est hic novus numerus, qui haec omnia exprimere intendit.

(B) Prima paragraphus mutuatur ab A/468; deinde veniunt quae antea in n. 17 dicebantur, paucis tamen mutatis.

(C) Plures Patres petunt (cf. A/406) quod collaboratio laicorum obligatoria reddatur; quod tamen apparet difficile in multis circumstantiis. Iidem ponunt « Presbyteri » loco « Sacerdotes »; attamen haec ultima vox conservatur, quia quae dicuntur valent etiam de Episcopis. [63]

(D) Iuxta unum Patrem (A/351), quae hic dicuntur non sunt sufficienter clara: non apparet utrum agatur de vera obligatione necne. Textus tamen conservatur, quia sufficienter explicitus; agitur enim de bonis ecclesiasticis proprie dictis, et quidem *secundum rei naturam*.

(E) Unus Pater vellet (A/358) ut haec verba mitigarentur, cum sacerdotes officia quoque habeant erga illos quibuscum in societate vivunt necnon erga propriam familiam. Textus tamen conservatur, quia haec officia erga familiam et alios includuntur in honesta sustentatione [64] et adimpletione officiorum proprii status, de quibus agitur antea. Hic sermo fit tantum de bonis quae supersunt.

(F) Dicitur *manifestius* loco *intimius,* ad mentem unius Patris (A/484).

(G) Servatur textus *2 Cor.* 8, 9, contra animadversionem unius Patris (A/303), qui proponit *Mt.* 8, 20. Primus tamen textus videtur aptior, cum exprimat intentionem fundamentalem voluntatis Domini, et non nudum factum paupertatis.

(H) Redactio fit clarior, ut postulat unus Pater (A/304).

(I) Item, iuxta animadversiones A/307 et A/310.

(J) Textus emendatur et exaratur modo magis positivo, ad mentem plurium Patrum (A/305, A/311, A/485).

(K) Scribitur « laudabiliter » loco « optime » iuxta A/312.

(L) Parvae mutationes stylisticae, iuxta A/313 ne videatur heic agi tantum de vanitate interiori (A/314).

(M) Idem fit, iuxta A/315. Proponit unus Pater (A/309) ut in ritu diaconatus emittatur promissio paupertatis. Quod tamen Commissioni non placuit, cum talia potius pertineant ad C.I.C.

De numero 18

Plures Patres rogarunt ut fusius ageretur de Spiritu Sancto, praesertim in hoc numero, quatenus Ipse est principium vitae spiritualis (cf. A/4). Alii postulaverunt ut melius ostenderetur unitas vitae spiritualis Presbyterorum, praesertim quod attinet ad praesentationem subsidiorum, quae non debent simpliciter enumerari, ac si de pondere aliquo ferendo agatur, sed ostendi ut media utilissima ad sanctitatem acqui-

[64] rendam. Emendationes ergo in hunc numerum factae his omnibus petitionibus satisfacere intendunt.

(A) Dicitur *vita spiritualis* loco *vita interioris,* attentis animadversionibus A/486 et A/487.

(B) Textus exaratur iuxta animadversiones A/320, A/336 et A/337. Hic agitur etiam de actibus pietatis personalis, quod tamen nullo modo significat Sanctissimam Eucharistiam vel Sacram Scripturam considerari tamquam mera subsidia ad vitam spiritualem fovendam, sicut neque cultus publicus et pietas personalis inter se opponuntur, quippe quae invicem compleantur et exigantur.

(C) Recensetur frequens confessio sacramentalis, iuxta petitionem plurium Patrum (cf. animadversiones A/323 et A/325), salva tamen legitima libertate cuiusque Presbyteri sibi seligendi confessarium vel conscientiae moderatorem quem maluerit, sine ulla coactione morali.

(D) Additur *cotidiana* conscientiae discussio, attenta peculiari utilitate huius praxis.

[65] (E) Textus emendatur ad mentem unius Patris (A/336).

(F) Utilitas recessuum spiritualium magis extollitur, sed non determinatur in concreto qua frequentia recessus fieri debeat (non obstante animadversione A/324), etenim tales determinationes remittuntur Commissioni Codici Iuris Canonici recognoscendo, vel normis forte statuendis, pro locorum adiunctis, a Commissionibus Episcopalibus vel a singulis Episcopis.

(G) Textus exaratur ad mentem Patrum qui petierant ut aptius ageretur de oratione mentali (A/326) et de spiritu sacerdotali adorationis (cf. A/12, A/39 et A/327).

De numero 19

(A) Quaedam expuncta sunt, ad vitandam repetitionem sententiarum, quae iam inveniuntur in numero 4 schematis emendati.

(B) Textus aliquantulum perstringitur, quo clarior fiat expositio, iuxta animadversionem A/29. Fit simul in nota citatio Constitutionis Dogmaticae « De Divina Revelatione ».

(C) Additur explicita referentia ad Doctores, ne videatur praetermitti unus e duobus locis theologicis semper in Ecclesia agnitis.

(D) Haec adduntur quo melius notetur necessitas studiorum ad hodiernas circumstantias ministerii pastoralis plenius intellegendas (cf. animadversiones A/152, A/160, A/163 et A/447).

(E) Ad mentem unius Patris, textus perstringitur et melius ordinatur (A/171). [65]

(F) In nota fit mentio Decreti *Optatam totius,* de institutione sacerdotali, ut clare pateat heic non agi de illo cursu pastorali statim post ordinationem peragendo.

(G) Recipitur emendatio claritatis causa ab uno Patre proposita (A/173).

De numero 20

(A) Notat unus Pater (A/346) remunerationem cleri talem esse debere, quae permittat honestam vitam ducere « neque in luxu neque in miseria » et necessaria ad hoc esse quae pro « homine condicionis socialis mediae » requiruntur. Satisfit huic voto, eo quod in textu addito affirmatur obligatio fidelium procurandi Presbyteris quae necessaria sunt *ad vitam honeste et digne ducendam.*

(B) Iuxta votum a quinque Patribus expressum (A/343 et A/344), affirmatur in textu ipsos fideles obligari, ut dignae cleri sustentationi provideatur, saltem in illis regionibus in quibus cleri sustentatio a fidelium oblationibus pendet. Post hanc affirmationem additur Episcopi esse de hac obligatione monere fideles, et sic transitus fit ad quaestionem de Episcopi obligatione in hac materia.

(C) Rogant nonnulli Patres (A/405) ut hoc loco addatur sequens [66]
textus: « *Cum autem normae universales de congrua sustentatione Presbyterorum dioecesanorum vix institui possint, propter varias circumstantias quae in universis regionibus vigent, cura de aptis provisionibus in hac materia determinandis Conferentiis Episcopalibus, praesertim nationalibus, committatur* ». Haec additio minime necessaria videtur. In textu quaestio non est de normis universalibus quae regere deberent hanc materiam, sed e contra affirmatur normas condendas esse ab Episcopis, sive singulis pro sua dioecesi, sive aptius a pluribus simul pro communi territorio; apta videtur haec norma, cum saepius in diversis regionibus eiusdem nationis circumstantiae sint ita diversae ut communis pro universa natione ordinatio haberi nequeat; si similes sint circumstantiae in universa natione, eaedem normae stabiliri poterunt pro natione, applicando regulam in textu statutam.

(D) Clarior redditur textus, iuxta petita in animadversione A/405. Attamen non admittitur eorundem Patrum definitio officii ecclesiastici, scilicet « *munus stabiliter collatum ad modum ministerii exercendi ad inserviendum populo Dei* ». Ratio est quia intentum textus est ut deinceps officium proprie et semper intellegatur munus quod in actuali CIC

[66] officium lato sensu tantum intellegitur, scilicet « *quodlibet munus quod in spiritualem finem legitime exercetur* », dummodo stabiliter conferatur. Hanc ob rationem verba CIC sunt adhibenda, ut clare appareat Decretum hoc mutationem in iure Codicis introducere.

Per hunc textum etiam satisfit voto unius Patris (A/348), qui rogat ut restituatur vox « suppresso », ut clarior fiat textus.

Rogant pariter 44 Patres (A/349) ut expungatur e definitione officii verbum *stabiliter*, ne oriatur quaestio difficilis definiendi hanc stabilitatem. Cui voto videtur non satisfieri posse, cum ipse Codex (can. 145, § 1) officium habuerit munus *stabiliter* constitutum et ex eo nulla difficultas orta sit.

De numero 21

(A) Rogant quidam Patres (A/407) ut hic addatur: « *Summopere optandum est ut antiqua ratio bona Ecclesiae administrandi denuo instauretur* ». Haec autem verba addi non posse videntur, quia ratio illa de qua quaestio est seu possessio bonorum in communi in Act. affirmatur de sola Ecclesia hierosolymitana, et non potest dici eam fuisse rationem agendi in universa Ecclesia antiqua.

(B) Recipitur correctio proposita in A/347 et A/353. Distinguendae sunt quidem ex una parte massa bonorum quae oblationibus fidelium factae sunt ad sustentationem cleri dioecesani et alia ex parte massa bonorum quae aliis necessitatibus personarum et rerum Ecclesiae providendis destinantur.

[67] (C) Recipitur animadversio A/354 ita ut instituta quibus providetur congruenti praecaventiae et adsistentiae Presbyterorum possint esse sive dioecesana sive interdioecesana sive etiam nationalia. Variae possibilitates enim concedi debent, iuxta varias regionum necessitates.

(D) Satisfit voto unius Patris (A/355), rogantis ut loco verbi « *sufficienti* sustentationi » ponatur verbum « *debitae* sustentationi ».

(E) Non admittitur additio quam proponit unus Pater (A/356) facienda post verba « se tradere posse », scilicet: « *spontanee etiam deficientibus aetate viribus, onera graviora ut deponantur postulabunt, aut saltem, hortante Episcopo, libenter liberationem accipient* ». Ratio est quia haec idea non est ad rem et iam habetur in Decreto *Christus Dominus,* de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, et ideo non est necessario iterum exprimenda.

(F) Non recipitur propositio aliquorum Patrum (A/408), qui rogant ut addantur verba: « *Presbyteri ne omittant servare leges iustitiae socialis erga auxiliares suos et illos qui quocumque modo Ecclesiae inser-*

viant ». Haec autem additio non est ad rem, quia in textu agitur de praevidentia sociali in favorem Presbyterorum; minime negatur gravis obligatio Presbyterorum curandi ut erga auxiliares officia iustitiae socialis servent, sed de hac re quaestio non est in textu. Cf. relationem de numero 17, sub littera (E). [67]

De numero 22

(A) Hae duae paragraphi adduntur iuxta petitionem nonnullorum Patrum (cf. A/3, A/21, A/466 et A/467), ut recapitulentur difficultates et anxietates quae nostra hac aetate sacerdotibus occurrunt in exercitio ministerii pastoralis.

(B) Parva mutatio fit ad mentem A/366 et A/493.

4 – SUFFRAGATIONES [69]

Prooemium et Caput I: *Presbyteratus in missione Ecclesiae*

Suffr. I, super Prooemio (n. 1) et integro Capite I (nn. 2-3), per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Caput II: *Presbyterorum ministerium*

Suffr. II, nn. 4-5, per *placet* vel *non placet.*
Suffr. III, n. 6, per *placet* vel *non placet.*
Suffr. IV, n. 7, per *placet* vel *non placet.*
Suffr. V, nn. 8-9, per *placet* vel *non placet.*
Suffr. VI, n. 10, per *placet* vel *non placet.*
Suffr. VII, n. 11, per *placet* vel *non placet.*
Suffr. VIII, super integro Capite II, per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Caput III: *Presbyterorum vita et Conclusio*

Suffr. IX, super integro Articulo I (nn. 12-14), per *placet, non placet, placet iuxta modum.*
Suffr. X, nn. 15-16, per *placet* vel *non placet.*
Suffr. XI, n. 17, per *placet* vel *non placet.*
Suffr. XII, super integro Articulo II, per *placet, non placet, placet iuxta modum.*
Suffr. XIII, nn. 18-19, per *placet* vel *non placet.*
Suffr. XIV, nn. 20-22 (Conclusio), per *placet* vel *non placet.*
Suffr. XV, super integro Articulo III et Conclusione, per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS MARTY
Archiepiscopus Remensis

RELATIO

[*cf. pag. 341-344*].

Moderator: Gratias plurimas agimus exc.mo relatori necnon et omnibus commissionis membris pro tanto labore feliciter ac celeriter peracto. Loquatur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum, *subsecretarius Concilii*: Proponitur vobis, Patres, prima suffragatio schematis decreti *de ministerio et vita presbyterorum*. Haec suffragatio prima est suffragatio unica, triplici formula: per *placet, non placet* et *placet iuxta modum*. Est suffragatio circa prooemium et primum caput. Textum suffragationis inveniatis in pag. 9. Suffragatio ista est suffragatio 457. Textus est [*cf. pag. 345-349, nn. 1-3*].

Quaeritur ad hanc suffragationem 457, circa prooemium et primum caput: *placet,* an *non placet,* an *placet iuxta modum?* Triplici formula.

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO, arch. Matritensis-Complutensis, *subsecretarius Concilii*: Nunc, venerabiles Patres, lego textum sequentis votationis, quae erit 458. Videatis pag. 15, ad latus dextrum [*cf. pag. 350-354, nn. 4-5*]. *Placet*ne vel *non placet,* venerabiles Patres?

Exc.mus P. D. VILLELMUS KEMPF, ep. Limburgensis, *subsecretarius Concilii*: Sequitur suffragatio 459. Videatis pag. 18, n. 6 [*cf. pag. 354-356*]. Venerabiles Patres, textus modo lectus *placet* an *non placet?*

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, ep. tit. Prienensis, aux. Parisiensis, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio 460. N. 7 [*cf. pag. 356-358*]. *Placet* vel *non placet?*

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, *subsecretarius Concilii*: Lego nunc textum proximae suffragationis, quae est suffragatio 461, qui inveniatur in pag. 22, nn. 8-9 [*cf. pag. 358-362*]. Quaeritur ad hanc 461 suffragationem: *placet* an *non placet?*

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio 462. Videatis pag. 26: paragraphus III, n. 10 [*cf. pag. 362-364*]. Venerabiles Patres: *placet* an *non placet?*

Exc.mus P. D. VILLELMUS KEMPF, *subsecretarius Concilii*: Sequitur suffragatio 463. Pag. 27, n. 11 [*cf. pag. 364-365*]. Haec suffragatio 463 — textus modo lectus — *placet* an *non placet?*

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis proponit suffragationem super integro cap. II.

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis Concilii*: Videatis pag. 15. Est suffragatio 464. Lego principium et finem [*cf. pag. 350-365*]. Patres venerabiles, hoc caput, quod pro integro lectum habendum est, *placet* vobis, *non placet*, *placet iuxta modum?*

Mox legetur altera suffragatio, et erit ultima.

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio 465. Pag. 33, nn. 12-14 [*cf. pag. 369-374*]. Venerabiles Patres: *placet, non placet* an *placet iuxta modum?*

Secretarius generalis: Patres venerabiles, dum schedulae et modi auferuntur, velitis audire exitus suffragationum.

Suffragatio 457, quae est super prooemio et integro cap. I *de ministerio et vita presbyterorum* (facta est, ut meministis, triplici formula):

Inter Patres	2.154
Dixerunt *placet*	1.772
non placet	16
placet iuxta modum	361
Suffragia nulla	5

Suffragatio 458:

Patres praesentes votantes	2.118
Dixerunt *placet*	2.073
non placet	20
placet iuxta modum	22
Suffragia nulla	3

Suffragatio 459:

Patres praesentes votantes	2.118
Dixerunt *placet*	2.095
non placet	16
placet iuxta modum	6
Suffragium nullum	1

Suffragatio 460:

Patres praesentes votantes		2.114
Dixerunt	*placet*	2.073
	non placet	35
	placet iuxta modum	6

Alii exitus crastina communicabuntur.

Moderator: Proxima congregatio generalis: crastina, hora nona cum dimidio.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CLX
13 novembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLX

13 novembris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Patres venerabiles, congregationem 160 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis-Frisingensis.

In hac congregatione, prosequentur suffragationes quoad schema *de ministerio et vita presbyterorum.*

Exactis suffragationibus, congregatio solvetur ita ut Patres qui iam proposuerunt petere Florentiam possint hoc facere cum aliqua commoditate.

In hac congregatione, distribuetur Patribus imprimis pars prima schematis constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis;* et ideo textus est completus. In ultimis paginis, habetur elenchus suffragationum — videbitis, Patres —, sed, in pag. 60 — ut postea melius dicam suo tempore — habetur indicata aliqua suffragatio in conclusione per *placet* vel *non placet.* Haec suffragatio anticipatur ante ultimam suffragationem, quae erit itaque de conclusione et de integro capite, per triplicem formulam. Sed, cum tempus adsit, postea haec repetam quando vos potestis videre ipsum textum.

Distribuetur etiam textus schematis *de divina revelatione* de qua agetur in sessione publica diei 18 novembris huius anni. Et Sanctissimus Pontifex statuit esse deferendum in sessionem publicam — quae est octava, uti scitis — etiam schema *de apostolatu laicorum,* cuius textus dabitur vobis vel feria II vel feria III proximae hebdomadae.

Distribuetur etiam Patribus textus, Patribus reservatus, Adhortationis Apostolicae *Postrema Sessio,* quemadmodum dixi heri.

Lego, Patres, exitus suffragationum quae heri habitae sunt, qui exitus nondum fuerunt proclamati.

Suffragatio 461:

Inter praesentes votantes	2.120
Dixerunt *placet*	2.016
non placet	84

placet iuxta modum	17
Suffragia nulla	3

Suffragatio 462:

Praesentes votantes Patres	2.125
Dixerunt *placet*	2.107
non placet	16
placet iuxta modum	1
Suffragium nullum	1

Suffragatio 463:

Patres praesentes votantes	2.142
Dixerunt *placet*	2.131
non placet	8
placet iuxta modum	3

Suffragatio 464, quae est super integro Capite II:

Patres praesentes votantes	2.129
Dixerunt *placet*	1.548
non placet	9
placet iuxta modum	568
Suffragia nulla	4

Ergo schema habuit maioritatem requisitam, quoad has suffragationes; et nunc prosequemur cum aliis suffragationibus.

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio 466, quae est decima super schemate decreti *de ministerio et vita presbyterorum*. Lego nunc textum, quem invenietis in pag. 37. Nn. 15-16 [*cf. pag. 374-378*].

Ergo quaeritur ad hanc 466 suffragationem: *placet* an *non placet?*

Secretarius generalis: Patres venerabiles, lego exitum *suffragationis 465*:

Patres praesentes votantes	2.134
Dixerunt *placet*	2.037
non placet	2
placet iuxta modum	95

Communico vobis, Patres, *intimationem* quae est facta a regente ad interim Praefecturam Caeremoniarum Apostolicarum, super sessione publica proxima. Lego summatim [*cf. vol. IV, pars I, pag. 43*].

« Feria V, die 18 novembris anno 1965, in festo Dedicationis Basilicarum Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, hora nona, in Patriarchali Basilica Vaticana, Concilii Oecumenici Vaticani II publica solemnis sessio erit, Sanctissimo Domino Nostro Paulo PP. VI Missam cum nonnullis Patribus Conciliaribus concelebrante ».

Sed addo, Patres venerabiles, Summum Pontificem, ad ostendendam suam benevolentiam erga peritos, quorum non pauci cum summo amore erga Ecclesiam et alacriter laboraverunt, aliquando in abscondito, decrevisse ut, inter concelebrantes essent aliqui periti [*plausus*].

Ergo intimatio complenda est his verbis: « ... nonnullis Patribus Conciliaribus *et peritis* concelebrante ».

« Intimentur omnes et singuli em.mi ac rev.mi DD. cardinales qui, vestibus rubris, calceis rubris et galero usuali rubro induti, ad Patriarchalem Basilicam Vaticanam accedent, ubi in Sacello S. Sebastiani, depositis mantelletis et mozzetis, supra rochetum (et si sint ex Ordine Episcoporum etiam supra superpelliceum) assument amictum et sacra paramenta suo Ordini propria albi coloris cum mitra serico-damascena (Episcopi pluviale cum formali); deinde in Sacellum Sanctissimae Trinitatis convenient ibique adventum Summi Pontificis exspectabunt, accessuri cum Eo ad Aulam Conciliarem.

« Cappellani Caudatarii ... » etc.

« Rev.mi Patres Conciliares cum Summo Pontifice celebraturi in praedicto Sacello S. Sebastiani omnes vestes sacras pro Missae celebratione induent; postea una cum Cardinalibus, Sanctissimum Dominum processionali more ad Aulam Conciliarem comitabuntur.

« Exc.mi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates ad Patriarchalem Basilicam Vaticanam accedent, ubi, in atrio Basilicae, supra rochetum, amictum, pluviale album et mitram albam lineam assument; ceterique Conciliares Patres et Officiales Concilii vestes sibi proprias induent. Omnes dein continuo et ordinate ad Aulam Conciliarem pergent, propria subsellia adepturi.

« Officiales, Praelati Cappellae Papalis ... », etc.

« Fit initium publicae sessionis Concilii.

Post Decreta ab Archiepiscopo Secretario Generali Concilii, nomine Summi Pontificis lecta, ipse Exc.mus Secretarius requiret a Patribus de decretis lectis sententiam.

Deinde Summus Pontifex, una cum Patribus concelebrantibus ad

Altare Confessionis veniet, ubi, depositis formali et pluviali, casulam induet et fit initium concelebrationis.

Expleta Missa, Summus Pontifex, deposita casula, iterum induet pluviale, formale et mitram, duobus Cardinalibus Diaconis antiquioribus Ipsi se sociantibus, et ad sedem eminentem ascendet.

Postea perficitur Ritus publicae sessionis Concilii.

Intimentur itaque omnes et singuli ... », etc. « qui omnes praesto esse debent hora saltem octava cum dimidio. Et ex his, qui cappa induti interesse debent, eas, sine pellibus, supra consuetas vestes assument in Sacrario Basilicae Vaticanae.

De mandato Sanctissimi Domini Nostri Papae

SALVATORE CAPOFERRI
Praefecturam Caeremoniarum Apostolicarum
Regens ad interim »

Summatim legi. Ceterum, ante sessionem, vobis dabitur exemplar huius intimationis, uti suetum est.

Exc.mus P. D. VILLELMUS KEMPF, ep. Limburgensis, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio 467. Videatis pag. 41, n. 17 [*cf. pag. 378-380*]. Patres venerabiles, textus iste, modo lectus, *placet* an *non placet?* Suffragatio est 467.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, proponitur nunc suffragatio 468, quae est super integro art. II; itaque triplici formula utendum est. Lego initium et finem. Videatis pag. 37 [*cf. pag. 374-380*]. Patres venerabiles, hic articulus, qui pro toto lectus habendus est, *placet*ne vobis, *non placet, placet iuxta modum?*

Patres venerabiles, dum schedae auferuntur et antequam subsequens suffragatio legatur, do vobis notitiam: quod a feria II proxima, nempe a die 15 novembris, aperta manebit omnibus exhibitio imaginum luce expressarum, vulgo « photographiae », quae respiciunt nostrum Sacrum Concilium.

Omnes possunt hanc exhibitionem invisere, omnibus diebus, etiam festivis, ab hora octava cum dimidio ad horam decimam tertiam; et, in diebus non-festivis, etiam a decima sexta hora ad vicesimam. Exhibitio prostat in antiqua et artistica ecclesiola dicta heic Romae « San Lorenzino », quae est in via ubi invenitur nostra secretaria generalis, scil. via Pancrazio Pfeiffer, quae erat iam via Serristori, n. 10.

Quoad hanc exhibitionem, habetur etiam concursus photographicus,

ita ut praemio donentur omnes photographi qui imagines melius expresserint.

Omnes Patres, uti patet, humanissime invitantur.

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, ep. tit. Prienensis, aux. Parisiensis, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio 469. Pag. 43, nn. 18-19 [*cf. pag. 380-383*]. Haec est, Fratres venerabiles, suffragatio 469: *placet* vel *non placet?*

Secretarius generalis: Patres venerabiles, aliqui conqueruntur quod secretarius generalis multum loquatur. Credite mihi, Patres venerabiles, ego tacerem semper, quia silentium est res omnium difficilis et virtutem exigit, et in silentio quaeritur Deus. Attamen silentium non semper sufficit ad exprimendas res et oportet loqui. Eo vel magis quod secretarius generalis fere nunquam loquitur ex propria auctoritate. Auctoritas est solummodo in aliqua narratiuncula lepida, in aliis non!

Audiatis nunc! Uti videtis, suffragationes iam tempus implent congregationum generalium; et praevidetur etiam proxima hebdomada, cum schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* sit satis longum, multum tempus occurrere ad legendas suffragationes et, dum legitur textus, distribui et auferri facile possunt schedulae.

Quapropter, expositiones praesidum conferentiarum episcopalium circa indulgentias haud commode fieri possunt. Rogantur propterea iidem praesides ut velint has relationes scripto tradere, ut plurimi praesides fecerunt iam, hoc recordantes quod Sacra Paenitentiaria mandatum habuit a Summo Pontifice non disceptationem theologicam praeparare sed tantum disciplinam circa indulgentias ita disponere ut haec acceptabilior fieret. Et circa hoc invitatae sunt conferentiae episcopales ad exprimendas suas sententias. Ergo velint Praesides huic proposito fidem servare ut labor Sanctae Sedis deinde facilior evadat.

In hac aula etiam quaedam puncta doctrinae attacta sunt: haec certissime studio supponentur, quamvis circa aliqua puncta iam nunc reservationes faciendae sint.

Ergo velint Patres praesides hoc attendere et hoc proposito suas expositiones nostrae secretariae tradere.

Gratias plurimas patientibus Patribus!

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO, arch. Matritensis-Complutensis, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio 470. Videatis pag. 46. Nn. 20-21 et 22 [*cf. pag. 383-388*]. Venerabiles Patres, *placet* an *non placet?*

Secretarius generalis: Patres venerabiles, adhuc loquor! Summus Pontifex coram admittet feria II proxima, die 15 novembris, hora 7,30 post meridiem, episcopatus Australiae, Novae-Zelandae et Oceaniae ..., Australiae, Novae-Zelandae et Oceaniae.

Legitur ultima suffragatio, quae est super integrum art. III; itaque triplici formula suffragandum est. Numerus suffragationis est 471. Videatis pag. 43 [*cf. pag. 380-388*]. *Placet*ne, Patres venerabiles, hic tertius articulus qui totus habendus est lectus, *non placet, placet iuxta modum?* Respondeatis, quaeso.

Velitis exspectare, Patres, dum schedae et modi colliguntur.

Legitur exitus suffragationis 466, quae est prima hoc mane facta:

Patres praesentes votantes	2.091
Dixerunt *placet*	2.005
non placet	65
placet iuxta modum	17
Suffragia nulla	4

Quaeritur a quibusdam peritis utrum numismata iisdem dentur. Certissime, uti iam dixi. Sufficit exspectare aliquantisper.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit die feria II, hora nona cum dimidio.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CLXI
15 novembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLXI

15 novembris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 161 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Patres venerabiles, pie decessit exc.mus D. Ioannes Ludovicus Coudert, ep. tit. Rhodiapolitanus et administrator apostolicus vicariatus Vhitehorsensis. Oremus pro eo!

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te, Domine...* (et prosequitur, alternatim cum Patribus).

Oremus. Deus, qui inter... famulum tuum Ioannem Ludovicum...

Secretarius generalis: Patres venerabiles, quoad constitutionem dogmaticam *de divina revelatione,* quae in proxima sessione suffragationi Patrum subicietur, quaesitum est quaenam debeat esse qualificatio theologica doctrinae quae ibi exposita est. Sufficit ad hoc recolere declarationem quam dedit commissio de doctrina fidei et morum die 6 martii anni 1964, quae sic sonat: « Ratione habita moris conciliaris ac praesentis Concilii finis pastoralis... [*cf. vol. IV, pars I, pag. 49*].

Haec declaratio typis imprimetur et vobis crastina dabitur ad maiorem claritatem. Et iuxta hanc declarationem facienda est suffragatio in proxima sessione publica.

Audiatis nunc, Patres, exitus suffragationum ultimarum circa schema *de ministerio et vita presbyterorum.*

Suffragatio 467:

Patres praesentes votantes	2.097
Dixerunt *placet*	2.070
non placet	6
placet iuxta modum	18
Suffragia nulla	3

Suffragatio 468:

Patres praesentes votantes	2.076
Dixerunt *placet*	1.434
non placet	11
placet iuxta modum	630
Suffragium nullum	1

Suffragatio 469:

Patres praesentes votantes	2.075
Dixerunt *placet*	2.023
non placet	45
placet iuxta modum	5
Suffragia nulla	2

Suffragatio 470:

Patres praesentes votantes	2.073
Dixerunt *placet*	2.059
non placet	9
placet iuxta modum	4
Suffragium nullum	1

Suffragatio 471, quae est ultima: super integro art. III et conclusione:

Patres praesentes votantes	2.058
Dixerunt *placet*	1.510
non placet	4
placet iuxta modum	544

Ergo omnes suffragationes exitum positivum dederunt. Attamen modi examinabuntur a commissione et iterum subicientur suffragationi huius coetus.

SCHEMA CONSTITUTIONIS PASTORALIS DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS (A) [5]

TEXTUS RECOGNITUS ET RELATIONES *

PROOEMIUM (B)

1. [*De intima coniunctione Ecclesiae cum tota familia gentium*] (C). Gaudium et spes (D), luctus et angor hominum huius temporis, pauperum praesertim et quorumvis afflictorum, gaudium sunt (E) et spes, luctus et angor, etiam *Christi discipulorum* (F), nihilque *vere* (G) humanum invenitur, quod in corde eorum non resonet. *Ipsorum enim communitas* (H) ex hominibus coalescit (I), qui, in Christo coadunati, a Spiritu Sancto diriguntur in sua ad Regnum Patris peregrinatione et nuntium salutis omnibus proponendum acceperunt. Quapropter ipsa cum genere humano eiusque historia se *revera* (K) intime coniunctam experitur (L).

2. [*Ad quosnam Concilium sermonem dirigat*]. Ideo Concilium Vaticanum Secundum, mysterio Ecclesiae penitius investigato, *iam non ad* solos Ecclesiae filios omnesque Christi nomen invocantes, *sed ad universos* (A) homines incunctanter sermonem convertit, omnibus exponere cupiens quomodo *Ecclesiae* (B) praesentiam ac navitatem in mundo hodierno concipiat.

Mundum (C) *igitur prae oculis habet hominum seu universam familiam humanam* (D) *cum universitate rerum inter quas vivit* (E); *mundum, theatrum historiae generis humani* (F), *eiusque industria, cladibus ac victoriis signatum* (G); *mundum* (H), *quem christifideles credunt ex amore Creatoris conditum et conservatum* (I), *peccati quidem regno profunde turbatum* (K), *sed a Christo crucifixo et resurgente* (L), *fracta potestate Maligni* (M), *liberatum, ut ad consummationem propositi Dei de universali salute transformetur* (N).

3. [*De ministerio homini praebendo*]. Nostris autem diebus, genus humanum, de propriis inventis propriaque potentia admiratione

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali 160, die 13 novembris 1965.

N.B. Emendationes in textum introductae litteris *inclinatis* seu italicis significantur.

[5] commotum, saepe tamen anxias agitat quaestiones de hodierna mundi evolutione, de loco et munere hominis in orbe universo, de sui individualis et collectivi conaminis sensu, denique de ultimo rerum homi-
[6] numque fine. Quapropter, fidem *universi populi Dei* testificans et exponens (A), Concilium coniunctionem suam, observantiam ac dilectionem erga totam hominum familiam, *cui inseritur* (B), eloquentius demonstrare non valet quam instituendo cum ea de variis illis problematibus colloquium, lumen afferendo ex Evangelio (C) depromptum, atque humano generi salutares vires suppeditando, quas ipsa Ecclesia, Spiritu Sancto ducente, a Fundatore suo *accipit* (D). Hominis enim persona salvanda est humanaque societas instauranda. Homo igitur, et quidem unus ac totus, cum corpore et anima (E), corde et conscientia, mente et voluntate, totius nostrae explanationis cardo erit.

Ideo Episcopi, in communione cum Summo Pontifice (F), altissimam vocationem hominis profitentes et divinum quoddam semen in eo insertum asseverantes (G), generi humano sinceram cooperationem Ecclesiae *offerunt* ad instituendam *eam* omnium fraternitatem *quae huic vocationi respondeat* (H). Nulla moti ambitione terrestri, unum tantum intendunt: nempe, *Spiritus Paracliti* ductu (I), opus ipsius continuare Christi, qui in mundum venit ut testimonium perhiberet veritati, ut salvaret (K) non ut iudicaret (L), ut ministraret, non ut sibi ministraretur (M).

[7] RELATIO AD PROOEMIUM

N. B.: Brevitatis causa, « textum receptum » appellamus illum quem Patres in Aula ut basim ulterius emendationis acceperunt.

Ad n. 1.

(A) De appellatione toti schemati imponenda, agetur post examen totius contenti.

Unus Pater proponit ut dicatur « De Ecclesia huiusce nostrae aetatis », ob incompletam explicationem vocis « mundi » (5747), sed cf. n. 2, ad C.

(B) Unus Pater, cui plures alii adstipulantur, petit substantialem abbreviationem, ita ut ex toto Prooemio tantum retineatur una phrasis, vid. pag. 5, linn. 15-20; sed talis coarctatio essentialia Prooemii limitaret.

(C) Unus Pater dicit textum nimis sapere condescendentiam ex parte Ecclesiae (5478), sed cf. notam H.

(D) Unus Pater proponit aliud initium « Hominum huius temporis (5489); alius « Signum salutis ». [7]

Sed textus praeiacens est magis significativus.

(E) Unus Pater proponit « sint » (5414); sed ita inciperetur moralizando, et modus indicativus verum factum exprimere intendit.

(F) Vitandum videtur hic ut sermo fiat de « Populo Dei », propter universitatem eorum, quos alloquimur.

(G) Ita aliquis Pater (5634).

(H) Melius etiam hoc loco vitatur expressio « Ecclesiae » ne textus nimis insistere videatur in elemento hierarchico vel institutionali. Nec placet suggestio alicuius Patris, ut post Populum Dei addatur « Corpus Christi, templum Spiritus » (5292).

(I) Alicui Patri videtur superfluum, sed immerito (5489).

(K) Aliquis Pater desiderat, ut ontologicus aspectus prae gnoseologico ponatur (5489).

(L) Abbreviandi causa tollitur phrasis « Hodie ceterum... », quia enuntiat ideam quae postea pluries exprimitur.

Ad n. 2.

(A) Ita secundum suggestionem alicuius Patris cui displicet expressio quae invenitur in textu (5634).

(B) Ita unus Pater (5292); alius desiderat, minus feliciter, ut loco [8]
« Populi Dei » scribatur « Regni Dei » vel « Corporis Christi » (5288).

(C) Multis displicet incisum de « mundo ». Aliqui Patres integras novas formulas proponunt quibus conantur in uno textu comprehendere terminologiam biblicam (5288, 5489, 5583, 5551, 5414); nulla tamen plene satisfacit. Complures postulant ut omittantur verba « donec in fine ... salvetur » (5834, 5292, 5551, 5486, 5639, 5424, 5488); aliquibus dicta videntur esse incompleta (5606, 5747).

Explicationem desiderant regni « Maligni » (5488); non placet formula « quamvis peccatores sint » (5292); nec « hoc tempore » (5488); nec defectus visionis historiae (5292); desideratur additio eschatologica (5292), allusio ad Mysterium Verbi incarnati, Christi crucifixi et resurgentis (5287).

Hac de causa totum comma noviter redactum est, omittendo quaestionem terminologiae « de mundo » in Sacra Scriptura, quae, ut in notis addatur, suo loco in schemate respicienda est; adducendo dimensionem anthropologicam, cosmologicam, historicam « mundi » de quo sermo est; addendo interpretationem eam *christianam* quae schemati respondeat.

[8] (D) Aspectus anthropologicus (simul socialis).

(E) Aspectus cosmologicus.

(F) Aspectus historicus.

(G) Elementa proposita a variis Patribus (5606, 5478).

(H) Phrasis sequens additur, ut appareat conceptio « christiana » mundi.

(I) Ita iam dogma fundamentale creationis indicatur.

(K) Ita visio hamartologica clare retinetur.

(L) Additur « crucifixi et resurgentis », propter rationem oecumenicam et theologicam Orientalium.

(M) Ulterior descriptio Maligni hic non conveniret.

(N) Aspectus eschatologicus.

Ad n. 3.

(A) Ita melius apparet relatio Concilii loquentis ad totum Populum Dei, nec obscuratur unitas subiecti loquentis (5488).

(B) Ita melius apparet coniunctio Populi Dei cum mundo, et vitatur impressio distantiae et condescendentiae falsae (5488).

(C) Contra propositum unius Patris, substituendi « Evangelio » per « revelatione » (5488).

(D) Ita secundum suggestionem, non verba alicuius Patris (5489).

(E) Maneat textus de « corpore et anima », etiamsi expressio est forsan minus biblica; falsa enim non est; cf. Pars I, Cap. I (5287, cf. 5747). Praeterea homo dicitur « *unus* et totus ».

[9] (F) Aliquis proponit, ut loco « Episcopi » dicatur « Pastores » (5643) vel « Synodus Vaticana » (5488); alius ut allusio fiat ad Enc. « Pacem in terris » et « Ecclesiam Suam » (5583); sed hoc minus convenire videtur.

(G) Ita facilius legitur et intelligitur textus.

(H) Ita vitetur impressio quasi ageretur de fine tantum naturali et missio Ecclesiae confunderetur cum missione hominum qua civium.

(I) Mutatur modus loquendi de Spiritu Sancto, ne fiant repetitiones in stylo (5488).

(K) Aliquis Pater proponit additionem, sed inutilem (5292).

(L) Aliquis Pater, non obstante traditione Vulgatae, putavit dicendum esse « perderet » aut « condemnaret » (5643).

(M) Aliquis Pater additionem insuper suggerit de « Regno Dei » (5288), quae hic non esset ad rem.

EXPOSITIO INTRODUCTIVA [10]

De hominis condicione in mundo hodierno

4. [*De spe et angore*]. Ad tale *munus* exsequendum, omni tempore *Ecclesiae officium incumbit signa temporum perscrutandi et sub Evangelii luce interpretandi; ita ut, modo unicuique generationi accommodato, ad perennes hominum interrogationes de sensu vitae praesentis et futurae deque earum mutua relatione respondere possit* (A). Oportet *itaque* ut mundus in quo vivimus necnon *eius* exspectationes, appetitiones et indoles eius saepe dramaticae cognoscantur et intelligantur. Quaedam autem principaliores mundi *hodierni* notae sequenti modo deline*ari possunt* (B).

Hodie genus humanum in nova historiae suae aetate versatur in qua profundae et celeres mutationes ad universum orbem *gradatim* extenduntur. Ab homin*is* intelligentia et creativa industria excitatae, in ipsum hominem recidunt, in eius iudicia et desideria individualia et collectiva, in eius modum cogitandi et agendi tum circa res tum circa homines. Ita *iam* de vera sociali et culturali transformatione loqui *possumus, quae in vitam religiosam redundat* (C).

Ut in *quavis accretionis crisi* contingit, haec transformatio non leves secumfert difficultates. Ita, dum homo *potentiam* suam tam late extendit, *eam* tamen non semper ad suum servitium redigere valet. Proprii cordis intim*a* altius penetrans, saepe de seipso magis incertus apparet. Leges vitae socialis pedetentim clarius detegens, de directione ei imprimenda anceps haeret.

Numquam genus humanum tantis divitiis, facultatibus et potenti*a* oeconomic*a* abundavit, *et* tamen *adhuc* ingens pars incolarum orbis fame torquetur et innumeri litterarum ignorantia plane laborant. *Numquam homines tam acutum ut hodie sensum libertatis habuerunt, dum nova interea genera socialis et psychologicae servitutis exsurgunt* (D). *Dum* mundus suam unitatem necnon singulorum *ab invicem dependentiam in necessaria solidarietate* tam vivide persen*t*it, viribus *tamen* inter se pugnantibus *gravissime* in opposita distrahitur; *etenim dissensiones politicae, sociales, oeconomicae, « raciales » et ideologicae adhuc perseverant, nec per*iculum deest bell*i omnia* usque ad ima destru*entis* (E). *Dum idearum commercium augetur, verba ipsa quibus magni momenti conceptus exprimuntur sensus sat diversos in distinctis ideologiis induunt* (F). *Tandem sedulo perfectior quaeritur temporalis ordinatio, quin spirituale incrementum pariter progrediatur* (G).

[10] *Tot implexis condicionibus affecti,* plurimi coaevi nostri *impediuntur quominus valores perennes vere dignoscant et simul cum noviter inventis*
[11] *rite componant*; exinde, inter spem et angorem (H) agitati, de praesenti rerum cursu sese interrogantes, inquietudine premuntur. Qui rerum cursus homines ad respondendum provocat, immo *et* constringit.

5. [*De profunde mutatis condicionibus*]. Hodierna animorum commotio et in vitae *condicionibus immutatio* cum *ampliori* rerum transmutatione connectuntur, qua efficitur ut in mentibus efformandis scientiae mathematicae et naturales vel de ipso homine tractantes, in ordine, vero agendi technicae artes, ex illis scientiis profluentes, magis magisque praevaleant.

Haec mens scientifica rationem culturalem modosque cogitandi aliter quam antea fi*n*git. Technicae artes eo progrediuntur ut faciem terrae transforment et *iam spatium ultraterrestre* subigere conentur.

Super tempora quoque humanus intellectus dominium suum quodammodo dilatat: *in* praeterit*um* ope cognitionis historicae, *in* futur*um* arte prospectiva et planificatio*ne*.

Progredientes scientiae biologicae, psychologicae et sociales non solum homini ad meliorem sui cognitionem spem ferunt, sed ipsum *etiam adiuvant* ut, technic*is methodis adhibitis,* in vitam societat*um* directe *influxum* exerceat.

Insimul genus humanum *de proprio* demographico *incremento iam praevidendo et ordinando* magis magisque cogitat.

Nova denique et aptiora communicationis socialis instrumenta *ad eventus cognoscendos et* ad modos cogitandi et sentiendi quam citissime latissime*que* diffundendos conferunt, *plures* connexas repercussiones excitan*do*.

Ipsa historia tam rapido cursu acceleratur ut singuli vix eam prosequi valeant. Consortionis humanae sors *una* efficitur *et* non amplius inter varias *velut* historias *dispergitur*.

Ita genus humanum a notione magis statica ordinis rerum ad notionem magis dynamicam atque evolutivam transit, unde *quam* maxima nascitur problematum nova complexio, *quae ad novas analyses et syntheses provocat* (A).

6. [*Mutationes in ordine sociali*]. Eo ipso communitates locales traditionales, uti sunt familiae patriarchales, « clani », tribus, pagi, varii coetus et consortionis socialis necessitudines, pleniores in dies immutationes experiuntur.

Typus industrialis societatis paulatim diffunditur, quasdam nationes

ad oeconomicam opulentiam adducens, et notiones et condiciones vitae socialis a millenniis constitutas penitus *transformans* (A). [11]

Similiter vitae urbanae *cultus* ac studium *augentur* sive per urbium earumque incolarum augmentum, sive per motum quo vita urbana ad ruricolas dilatatur.

Socializatio indesinenter multiplicat et *urget* necessitudines hominis cum similibus suis, *quin tamen* congruentem personalizationem semper promoveat. [12]

Huiusmodi quidem evolutio clarius apparet in nationibus quae beneficiis progressus oeconomici et technici iam gaudent, sed populos quoque movet adhuc ad progressionem nitentes qui, pro suis regionibus, beneficia industrializationis et urbanizationis obtinere cupiunt. *Qui populi, praesertim antiquioribus traditionibus addicti, simul motum experiuntur ad maturius personalis libertatis exercitium* (B).

Nec tandem parvipendendum est homines permultos, variis de causis, ad migrandum induci (C).

7. [*Mutationes psychologicae, morales et religiosae*]. Mutatio *mentium et structurarum bona recepta frequenter* in controversiam vocat, maxime apud iuvenes *qui non semel impatientes, immo angore rebelles fiunt, dum saepe parentes suis muneribus impares evadunt* (A).

Instituta vero, leges atque modi cogitandi et sentiendi a maioribus tradita non semper statui rerum hodierno bene apta*ri* videntur; inde gravis perturbatio in modo et in ipsis normis agendi.

Ipsam denique vitam religiosam novae condiciones *afficiunt*. Ex una parte acrior diiudicandi facultas eam a superstitionibus adhuc vagantibus purificat atque magis personalem *et actuosam* adhaesionem fidei in dies exigit; *quo fit ut* non pauci ad vividiorem Dei sensum acced*a*nt. *E*x altera vero parte crebriores turbae ab usu religionis discedunt. Secus ac transactis temporibus, Deum *religionemve negare, aut ab iisdem abstrahere,* non (B) amplius *quid insolitum et individuale sunt*: *hodie enim non raro quasi exigentia progressus scientifici vel cuiusdam novi humanismi exhibentur* (C). Haec omnia in pluribus regionibus non tantum in philosophorum placitis exprim*untur,* sed latissime litteras, artes, scientiarum humanarum et historiae interpretationem *afficiunt* ita ut exinde multi perturbentur.

8. [*De inaequilibriis in mundo hodierno*] (A). Tam rapida rerum progressio inordinate saepe peracta, *immo et ipsa discrepantiarum in mundo vigentium acrior conscientia* (B), contradictiones et *ina*equilibria *gignit vel auget.*

[12] In *ipsa persona* frequentius *oritur in*aequilibrium inter *modernum* intellectum practicum et theoreticam cogitandi rationem, quae summam cognitionum suarum neque sibi subigere neque *in syntheses apte* ordinare valet. Oritur pariter inaequilibrium inter *sollicitudinem efficientiae* practicae et exigentiam *conscientiae moralis, necnon multoties inter* condiciones vitae *collectivae* et requisita cogitationis personalis.

In familia autem discrepantiae oriuntur, sive ex *prementibus* condicioni*bus* demographi*cis,* oeconomi*cis* et sociali*bus,* sive ex conflictu inter
[13] generationes *quae sibi subsequuntur,* sive ex no*vis* necessitudinibus sociali*bus* inter virum ac *mulierem.*

Oriuntur etiam discrepantiae inter stirpes et varii generis societatis ordines; inter nationes opulentas et minus valentes ac egentes; *denique,* inter instituta internationalia, ex pacis desiderio populorum exorta, et *cupiditatem collectivam* vel ambitionem propriae ideologiae disseminandae.

Inde mutuae diffidentiae et inimicitiae, conflictationes et aerumnae, quarum ipse homo simul causa est et victima.

9. [*De appetitionibus universalioribus generis humani*] (A). Interea crescit persuasio genus humanum non tantum imperium suum super res creatas *in dies magis* roborare posse ac debere; sed insuper eius esse ordinem politicum, socialem et oeconomicum statuere qui in dies melius homini inserviat et singul*os* ac coet*us adiuvet ad* dignitatem *sibi propriam* affirmand*am* et excolend*am.*

Hinc plurimi acerrime exigunt illa bona quibus, per *iniustitiam* vel *non aequam* distributionem, orbatos se esse, vivida conscientia iudicant. Nationes *in via progressus sicut vel recenter* (B) sui iuris factae, bona cultur*ae* hodiern*ae* non tantum in campo politico sed etiam oeconomico participare et libere partibus suis in mundo fungi cupiunt, dum t*amen* in dies augetur earund*em* distantia *necnon persaepe oeconomica dependentia* (C) ab aliis ditioribus nationibus, *citius* progredientibus. Populi fame pressi populos opulentiores interpellant. Mulieres sibi vindicant, ubi eam nondum sunt consecutae, aequalitatem iuri*s* et facti cum viris. Opifices *et ruricolae* non solum victui necessaria comparare, sed laborando dotes suae personae excolere, immo in ordinanda vita oeconomica, *sociali, politica et culturali* (D) suas partes agere volunt. Nunc primum in historia humana populi *iam persuasum sibi habent* culturae beneficia reapse ad cunctos extendi posse ac debere.

Sub omnibus autem istis exigentiis latet profundior et universalior appetitio: personae *enim* atque coetus plenam vitam liberam, homine dignam, sitiunt, omnia quae hodiernus mundus eis tam abundanter prae-

bere potest *proprio servitio subicientes. Nationes praeterea in dies fortius* [13] *enituntur ut universalem quamdam communitatem assequantur* (E).

Quae cum ita sint, mundus hodiernus simul potentem ac debilem se exhibet, capacem optima vel pessima patrandi, dum ipsi ad libertatem aut servitutem, ad progressum aut regressum, ad fraternitatem aut odium via prostat. *Praeterea, homo conscius fit ipsius esse vires* quas ipse suscitavit et quae eum opprimere aut ei servire possunt recte dirigere. *Unde seipsum interrogat.*

10. (Olim secunda pars n. 9) [*De profundioribus interrogationibus generis humani*] (A). *Revera inaequilibria quibus laborat mundus hodiernus cum inaequilibrio illo fundamentaliori connectuntur, quod in homi-* [14] *nis corde radicatur. In ipso enim homine plura elementa sibi invicem oppugnant. Dum enim una ex parte, utpote creatura, multipliciter sese limitatum experitur, ex altera vero in desideriis suis illimitatum et ad superiorem vitam vocatum se sentit. Multis sollicitationibus attractus, iugiter inter eas seligere et quibusdam renuntiare cogitur* (B). *Immo, infirmus ac peccator* (C), *non raro illud quod non vult facit et illud quod facere vellet non facit. Unde in seipso divisionem patitur, ex qua etiam tot ac tantae discordiae in societate oriuntur* (D). *Sane, plurimi cuius vita materialismo practico inficitur a clara huiusmodi dramatici status perceptione avertuntur, vel autem, miseria oppressi, impediuntur quominus illum considerent* (E). *Multi in interpretatione rerum multifarie proposita quietem se invenire existimant* (F). *Quidam vero a solo conatu humano veram plenamque generis humani liberationem exspectant, sibique persuasum habent futurum regnum hominis super terram omnia vota cordis eius expleturum esse. Nec desunt, qui de sensu vitae desperantes, audaciam laudant eorum qui, existentiam humanam ullae significationis propriae expertem existimantes, ei significationem ex suo proprio ingenio conferre nituntur.* Attamen, coram hodierna mundi evolutione, in dies numerosiores fiunt *qui quaestiones maxime fundamentales vel ponunt vel nova acuitate persentiunt*: *quid est homo?* Quinam est sensus doloris, mali, mortis, quae nonobstante tanto progressu subsistere pergunt? *Ad quid victoriae illae tanto pretio acquisitae? Quid societati homo afferre, quid ab ea expectare potest?* (G) Quid post vitam hanc terrestrem subsequetur? Ad quid haec omnia?

Firmiter autem credit Ecclesia Christum, pro omnibus mortuum et resuscitatum, homini lucem et vires per Spiritum suum praebere ut ille summae suae vocationi respondere possit; nec aliud nomen sub caelo datum esse hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri. Similiter credit in benignissimo Domino ac Magistro suo clavem, centrum et finem hominis

[14] *inveniri necnon totius humanae historiae. Ideo sub lumine Christi, Imaginis Dei invisibilis, Primogeniti omnis creaturae, Concilium ad mysterium hominis illustrandum atque ad praecipuarum nostri temporis quaestionum solutionem detegendam omnes alloqui intendit* (H).

[15] RELATIO

Animadversiones et emendationes a Patribus propositae accurate examinatae fuerunt a Subcommissione secunda, quae exitus suorum laborum Commissioni Plenariae Mixtae exhibuit. Subcommissionis membra ex pluribus regionibus electa fuerunt, propter « universalitatem » huius introductionis a Patribus desideratam.

Patrum animadversiones et emendationes, si comparatio instituitur cum aliis partibus vel capitibus huius schematis, relative paucae fuerunt. Subcommissio itaque textum disceptatum parum immutandum esse censuit, exceptione facta ad num. 9 (cuius secunda pars num. 10 evasit) quod attinet.

Sat multae emendationes admissae vel inductae nonnisi stylum vel latinitatem respiciunt, de quibus non necessarium rationem reddere visum est.

Ad n. 4.

(A) Haec nova redactio respondit petitioni E/5466 qui vult sublineare: 1) Necessitatem pro Ecclesia signa temporum semper dignoscendi; 2) viam qua pervenimus ad cognitionem mundi hodierni, et 3) propositionem quaestionum ultimarum quae novis formis sese manifestant quasque unaquaeque generatio solvere debet.

(B) Deleta sunt verba de « idoneis auctoribus », rogantibus pluribus Patribus, sc. E/5292, 5488, 5583, 5634 et 5691.

(C) Rogavit unus Pater ut sermo fieret quoque de religiosa transformatione (E/5287).

(D) Haec phrasis addita est secundum desiderium duorum Patrum (E/5691 et 5634).

(E) Unus Pater (E/5489) rogavit ut iam ab initio nominarentur paradigmata dissentionum humanarum, cui annumerandum est votum alterius Patris (E/5737) qui postulavit explicitam mentionem sic dicti « racismi ».

(F) Postulat E/5581 ut aliquid dicatur de aequivocitate vocabularii apud diversas ideologias, cui satisfit per hanc additionem.

(G) Tres Patres postularunt ut explicitiorem mentionem fieret sive

de peccato, sive de morali depravatione (E/5581, 5634 et 5691). Subcommissio censuit huic petitioni satis provideri formula addita, nam fusior de hac re tractatio magis ad Primam Partem schematis pertinere videtur. [15]

(H) Affirmat unus Pater (E/5487) angorem vitae provenire ex privatione cognitionis Dei et vitae futurae. Haec est ratio huius additionis, quamvis nova redactio initii huius numeri huic postulationi quoque respondeat. [16]

Ad n. 5.

(A) Plures Patres difficultatem aliquam proposuerunt circa hunc comma, quia eisdem aut nimis evolutionismo indulgere videbatur (E/5487), vel non satis respicere ad valores permanentes (E/5288 et 5292), vel insufficienter innuere indolem permanentem laboris analysis et synthesis (E/5583). Subcommissio novam redactionem, simpliciorem et breviorem, proponit cuius perspectiva satis respondet animadversionibus relatis.

Ad n. 6.

(A) Pro verbo « subvertens » scribitur « *transformans* », secundum animadversionem 91 Patrum (E/5424, et quoque E/5637).

(B) Haec phrasis introducta est secundum ideam ab E/5640 propositam, secundum quam textus nimis respicere videtur mundum sic dictum occidentalem, quin sufficienter referat conditionem aliorum populorum exercitium magis personalem libertatis quaerentium. Idem plus minusve proposuit E/5737.

(C) Postulavit E/5583 ut aliquid diceretur de transmigrationibus.

Ad n. 7.

(A) Unus Pater (E/5583) postulavit ut aliquid diceretur de necessitate transformationis methodorum educationis. Alius rogavit additionem de incapacitate parentum ad suum munus exequendum.

(B) Mutationes in textu intendunt magis accuratam delineationem facti atheismi seu irreligiositatis.

(C) Haec nova redactio respondit tum placitis Patrum quoad formam (E/54-24 + 91 et E/5639 + 2) tum suggestionibus circa relationem inter atheismum et progressum scientificum (E/5583 et 5287).

[16] *Ad n. 8.*

(A) Post multas disceptationes circa modum vertendi in latinam linguam verbum « déséquilibre », quod prius factum est utendo circumlocutione « disruptum aequilibrium », Subcommissio censuit adhibendum esse verbum « inaequilibrium », quia fidelius ideae et propinquius linguis modernis.

(B) Verba haec addita sunt rogante uno Patre (E/5471) ex cuius propositione formula fere ad litteram deprompta est.

[17] *Ad n. 9.*

(A) Post maturum examen censuit subcommissio proponendam esse divisionem num. 9 quia, dum prima eiusdem pars adhuc de quibusdam aspectibus descriptionis sociologicae agit, secunda magis ad profundas quaestiones cordis humani respicit. Titulus autem num. 9 magis innuit aspectum « extensivum » harum appetitionum.

(B) Additio postulata fuit a pluribus Patribus (E/5583) quia sunt nationes quae, quamvis a multis annis politice independentes existant, inveniuntur in conditionibus quae aequiparari possunt nationibus ad independentiam recenter promotis.

(C) Sic, secundum propositionem E/5489.

(D) Haec verba addita sunt secundum votum E/5583 et E/5491.

(E) Sic fere ad litteram E/5489, cui accedit quoad sensum E/5737.

Ad n. 10.

(A) Hic numerus confectus est ad vota plurium Patrum implenda, de mandato Subcommissionis Centralis. Intentio textus est quod ultra descriptionem sociologicam perveniatur ad intimum cor hominis, in quo problema fundamentale ponitur. Homo, enim, licet sit creatura limitata, ad vitam aeternam vocatur. Homo insuper indesinenter exponitur peccato, de quo hic tantum *descriptivo modo* agitur, dum postea de eius profunditate theologica tractabitur (in Parte I, cap. I). Denique Ecclesia *seipsam ut respondentem praesentat,* non ut pro omni problemate completam solutionem concretam praebeat, sed ut, omnibus cooperantibus, ad solutionem perducat: quod fieri nequit nisi sub luce Christi. Ita *transitus* obtinetur ad *expositionem doctrinalem* Partis primae.

(B) Rogatur a pluribus (E/5482, 5484, 5478).

(C) Homo, etiamsi in Deum non credat, se peccatorem experitur.

(D) Oportet divisionem non tantum in individuo ostendere, sed etiam in societate.

(E) Allusio fit tum illis qui, miseria oppressis, ab istis quaestionibus impediuntur, tum illis qui materialismo concreto vitae ab iisdem avertuntur.

(F) Ut respondeatur votis nonnullorum observatorum.

(G) Haec interrogatio intendit sublineare dimensionem socialem hominis.

(H) Illa ultima paragraphus respondit votis plurium Patrum qui enixe rogaverunt ut de Christo et de Ecclesia *iam ab initio agatur, ut totus textus sub hac luce ponatur* (E/5484, nomine Episcoporum linguae germanicae; E/5478, 5606, 5466, etc.).

PARS I [19]

DE ECCLESIA ET VOCATIONE HOMINIS

11. (Olim 10) [*Impulsionibus Spiritus respondendum*]. Populus Dei ( ), fide motus, qua credit se a Spiritu Domini duci qui replet orbem terrarum, ( ), in eventibus, exigentiis, optatis, quorum una cum ceteris nostrae aetatis hominibus partem habet, *quaenam in illis sint vera* signa praesentiae *vel consilii* Dei, discernere ( ) satagit (A). ( ). Fides enim omnia novo lumine ( ) illustrat et *divinum propositum* de integra hominis vocatione *manifestat, ideoque* ad solutiones plene *humanas* mentem dirigit.

Concilium imprimis *illos valores, qui hodie maxime aestimantur,* sub hoc lum*ine diiudicare et ad fontem suum divinum referre intendit. Hi enim valores, prout ex ingenio homini divinitus collato procedunt, valde boni sunt; sed ex corruptione humani cordis a sua debita ordinatione non raro detorquentur, ita ut purificatione indigeant* (B).

Quid Ecclesia *de homine sentiat?* (Cap. I). Quaenam *ad societatem hodiernam aedificandam commendanda videntur?* (Cap. II). Quaenam est significatio ultima humanae navitatis in universo mundo? (Cap. III). Ad has quaestiones responsio expectatur. Exinde, *luculentius apparebit populum Dei et genus humanum, in quo ille insertur, servitium sibi mutuo praestare, ita ut Ecclesiae missio religiosam et ex hoc ipso summe humanam se exhibeat* (Cap. IV) (C).

[19]

CAPUT I
DE HUMANAE PERSONAE DIGNITATE (A)

12. (Olim 11) [*De homine ad imaginem Dei*]. (A) Secundum credentium et non credentium fere concordem sententiam, *omnia quae in terra* sunt ad hominem, tamquam *ad centrum suum et culmen,* ordin*anda sunt.*

Quid autem est homo? *Multas opiniones de seipso protulit et profert, varias et etiam contrarias, quibus saepe vel se tamquam absolutam regulam exaltat vel usque ad desperationem deprimit, exinde anceps et anxius. Quas quidem difficultates Ecclesia persentiens, a Deo revelante instructa eisdem responsum afferre potest, quo vera hominis condicio delineatur, explanantur eius infirmitates, simulque eius dignitas et vocatio recte agnosci possunt.*

[20] Sacrae *enim* Litterae docent homi*nem* « ad imaginem Dei » creat*um* es*se*, c*apacem suum Creatorem cognoscendi et amandi,* ab eo *tanquam* dominum super omnes creaturas *terrenas* constitutum,[1] *ut eas regeret, eisque uteretur, glorificando Deum.*[2] « Quid est homo quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius » (*Ps.* 8, 5-7).

At Deus *non* creavit hominem solum: nam inde a primordiis « masculum et feminam creavit eos » (*Gen.* 1, 27). Quae consociatio viri ac mulieris primam formam efficit communionis personarum *ad stirpem humanam propagandam, et ad societatem in amore et mutuo adiutorio condendam. Homo etenim ex intima sua natura ens sociale est* (B), atque sine relationibus cum aliis nec vivere nec suas dotes *expandere* potest.

Deus igitur, sicut iterum in sacra Pagina legimus, vidit « cuncta quae fecerat, et erant valde bona » (*Gen.* 1, 31).

13. [*De peccato*] (A). *In iustitia a Deo constitutus* (B), *homo autem, suasione Maligni* (C), *inde ab exordio historiae, libertate sua abusus est, seipsum contra Deum erigendo et finem suum extra Deum attingere cupiendo. « Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt... sed obscuratum est insipiens cor eorum... et servierunt creaturae potius quam Creatori »* (*Rom.* 1, 21-25). *Quod Revelatione divina nobis aperitur, ex ipsa experientia innotescit. Nam homo, cor suum inspiciens, ad malum inclinatum se comperit et in multiplicibus malis demersum, quae a bono suo Creatore provenire non possunt. Deum tanquam principium suum agnoscere renuens, ordinem sui ipsius ad finem, simul ac*

totam suam sive erga seipsum sive erga alios homines ordinationem, [20] *disrupit.*

Ideo in seipso divisus est homo. Quapropter tota vita hominum, sive singularis sive collectiva, ut luctationem et quidem dramaticam se exhibet inter malum et bonum, inter tenebras et lucem, inter Malignum et Deum. Immo incapacem se invenit homo per seipsum mali impugnationes efficaciter debellandi, ita ut unusquisque se quasi catenis vinctum sentiat. At ipse Dominus venit ut hominem liberaret et confortaret, eum interius renovans ac « principem huius mundi » (*Io.* 12, 31) *foras eiiciens qui eum in servitute peccati retinet.*[3] *Peccatum autem ipsum hominem minuit, a plenitudine consequenda eum repellens.*

In lumine huius Revelationis simul dignitas vocationis et profunda miseria, quas homines experiuntur, rationem suam ultimam inveniunt.

14. (Olim 12) [*De hominis constitutione*]. *Corpore et anima unus* (A), homo *per ipsam suam corporalem condicionem* elementa mundi materialis in se colligit, ita ut, per ipsum, fastigium suum attingant et ad liberam Creatoris laudem vocem attollant.[4] ( ) *Vitam ergo corporalem homini despicere non licet* (B), *sed e contra ipse* corpus *suum,* utpote a Deo [21] creatum *et ultimo die resuscitandum,* bonum *et* honore *dignum habere tenetur. Peccato tamen vulneratus, corporis rebelliones experitur. Ipsa igitur dignitas hominis postulat ut* Deum glorificet in corpore suo,[5] nec illud pravis cordis sui *inclinationibus inservire sinat.*

Homo vero non fallitur, cum *se rebus superiorem* corporalibus *agnoscit* et ( ) non tantum ut particulam naturae aut anonymum elementum civitatis humanae seipsum considerat. *Interioritate enim sua* universitatem rerum ( ) excedit: ad haec profunda redit, quando convertitur ad cor, ubi Deus eum exspectat, qui corda scrutatur [6] et ubi ipse sub oculis Dei de propria sorte decernit. *Itaque, animam spiritualem et immortalem in seipso recognoscens* (C), non fallaci figmento illuditur a physicis tantum et socialibus condicionibus fluente, sed e contra ipsam profundam rei veritatem attingit.

15. (Olim 13) [*De dignitate intellectus, de veritate et de sapientia*]. Recte autem iudicat homo, divinae mentis lumen participans, se intellectu suo universitatem rerum superare. Ingenium suum per saecula impigre exercendo ipse in scientiis empiricis et artibus technicis sane profecit. *Nostris autem temporibus in mundo materiali praesertim investigando et sibi subiiciendo egregios obtinuit successus* (A). *Semper tamen profundiorem veritatem quaesivit et invenit.* Intelligentia enim non ad sola phaenomena coarctatur, sed *realitatem intelligibilem cum vera certi-*

[21] *tudine adipisci valet, etiamsi, ex sequela peccati, pro parte obscuratur et debilitatur* (B).

Humanae tandem personae intellectualis natura per sapientiam perficitur et perficienda est, quae mentem hominis ad vera bonaque inquirenda ac diligenda suaviter attrahit, et qua imbutus homo per visibilia ad invisibilia adducitur.

Aetas autem nostra, magis quam saecula anteacta, tali sapientia indiget ut humaniora *fiant* quaecumque nova ipse detegit ( ). Periclitatur enim sors futura mundi *nisi* sapientiores *suscitentur* homines. *Insuper notandum est* plures nationes, aliis quidem in bonis oeconomicis pauperiores, sapientia vero ditiores, ceteris eximium emolumentum praestare posse (C).

Spiritus autem Sancti dono, homo ad mysterium Consilii divini contemplandum et sapiendum fide accedit[7] (D).

16. (Olim 14) [*De dignitate conscientiae moralis*] (A). In imo conscientiae ( ) *legem homo* detegit, quam ipse sibi non dat, sed cui oboedire debet, et cuius vox, *semper ad bonum faciendum et malum vitandum eum obscure advocans* (B), *ubi oportet auribus cordis clare sonat*: fac hoc, *illud* devita. Nam homo legem in corde suo *a Deo* inscriptam habet, *cui parere ipsa dignitas eius est* et secundum *quam ipse* iudicabitur.[8]
[22] Huius legis lumine, *quae in dilectione Dei et proximi adimpletur,*[9] christiani cum ceteris hominibus coniuncti, tot problematum moralium, tam in vita singulorum quam in sociali consortione exsurgentium, solutionem inquirunt, quae proinde nullius individui aut coetus arbitrio relinqui potest, siquidem normis obiectivis moralitatis, diligenter inquirendis, conformari debet ( ). *Non raro tamen evenit ex ignorantia quoad praecepta legis conscientiam errare aut ex peccati consuetudine paulatim fere obcaecari* (C).

17. (Olim 15) [*De praestantia libertatis*] (A). At nonnisi libere homo ad bonum se convertere potest, *quam libertatem* coaevi nostri *magni faciunt* ardenterque *prosequuntur*: *et quidem recte. Saepe tamen eam pravo modo fovent, tanquam licentiam quidquid faciendi dummodo delectet, etiam malum* (B). Vera autem libertas eximium est divinae imaginis in homine signum ( ). Voluit enim Deus hominem relinquere in manu consilii sui,[10] *ita ut Creatorem suum sponte quaerat et libere ad plenam et beatam perfectionem ei inhaerendo perveniat.* Dignitas igitur hominis requirit ut secundum liberam et consciam *electionem* agat, personaliter ab intra motus et inductus, libenter scilicet et non sub mero impulsu *internae vel* externae motionis. Talem vero dignitatem obtinet homo cum, *sese ab omni prava captivitate liberans* (C), finem suum in Boni libera

electione prosequitur et apta subsidia efficaciter ac sollerti industria sibi [22] procurat ( ). *Quam ordinationem ad Deum libertas hominis, a peccato vulnerata, nonnisi gratia Dei adiuvante, plene actuosam* efficere potest (D). *Unicuique autem ante tribunal Dei propriae vitae ratio reddenda erit, prout ipse sive bonum sive malum gesserit* [11] (E).

18. (Olim 17) [*De mysterio mortis*]. *Coram morte condicionis humanae aenigma culmen suum attingit. Non tantum cruciatur homo corporis dissolutione progrediente* (A), *sed etiam, immo magis, perpetuae extinctionis timore.* Recte autem instinctu cordis sui iudicat, cum totalem ruinam et definitivum exitum suae personae abhorret et respuit. Semen aeternitatis quod in se gerit, ad solam materiam cum irreductibile sit, contra mortem insurgit. Omnia technicae artis molimina, licet perutilia, suam anxietatem sedare non valent: prorogata enim biologica longaevitas *illi ulterioris vitae desiderio satisfacere nequit, quod cordi eius ineluctabiliter inest.*

Dum coram morte omnis imaginatio deficit, Ecclesia tamen, Revelatione divina edocta, hominem ad beatum finem, ultra terrestris miseriae limites, a Deo *creatum esse* affirmat. *Mors insuper corporalis, a qua homo si non peccasset subtractus fuisset,*[12] *fides christiana edocet fore ut vincatur, cum homo in salutem, culpa sua perditam, ab omnipotente et miserante Salvatore restituetur. Deus enim hominem vocavit et vocat ut Ei in perpetua incorruptibilis vitae divinae communione tota sua natura adhaereat. Quam victoriam Christus ad vitam resurgens adeptus* [23] *est,*[13] *hominem a morte per mortem suam liberando* (B). Cuicumque igitur recogitanti homini fides, cum solidis argumentis oblata, eius anxietati de sorte futura responsum offert; simulque facultatem praebet cum dilectis fratribus iam morte praereptis in Christo communicandi, spem conferens eos veram vitam apud Deum adeptos esse.

19. (Olim 18 et 19) (A) [*De formis et radicibus atheismi*]. *Dignitatis humanae eximia ratio in vocatione eius ad communionem cum Deo consistit. Ad colloquium* cum Deo iam inde ab ortu suo invitatur homo: non enim existit, nisi quia, a Deo ex amore creatus, semper ab eo diligitur, *nec recte vivit,* nisi amorem illum libere agnoscat et Creatori suo se committat (B). Multi tamen ex coaevis nostris hanc intimam ac vitalem cum Deo coniunctionem nequaquam percipiunt aut explicite reiiciunt, ita ut atheismus inter gravissima huius temporis facta adnumerandus sit *ac diligentiori examini subiiciendus* (C).

Voce atheismi phaenomena inter se valde diversa designantur. Dum enim a quibusdam Deus expresse negatur, alii censent hominem nihil omnino de Eo asserere posse; *alii vero problema Dei ideo tantum examini*

[23] *subiiciunt, ut ostendant illud sensu carere. Multi, scientiae limites indebite praetergressi, aut omnia sola scientifica ratione explicari contendunt aut e contra nullam omnino veritatem absolutam iam admittunt* (D). Quidam hominem tantopere exaltant, ut fides in Deum quasi enervis fiat, magis proclives, ut videntur, in affirmationem hominis quam in Dei negationem. Alii Deum sibi ita effingunt, ut tale figmentum repudiantes nullo modo Deum Evangelii reiciant. Alii quaestiones de Deo ne aggrediuntur quidem, *quippe qui inquietudinem religiosam non experiri videantur* nec percipiant quare de religione iam sibi curandum sit. Atheismus praeterea non raro oritur *sive ex violenta contra malum in mundo protestatione* (E), sive ex nota ipsius absoluti quibusdam humanis bonis impressa, ita ut ista iam pro Deo habeantur. Ipsa civilisatio hodierna, non ex se, sed utpote nimis rebus terrestribus intricata, accessum ad Deum saepe difficiliorem reddere potest.

Certo certius qui voluntarie Deum a corde suo arcere et quaestiones religiosas devitare conantur, *dictamen conscientiae suae non secuti, culpae expertes non sunt; attamen et ipsi credentes quamdam de hoc responsabilitatem saepe ferunt. Atheismus enim, integre consideratus, non est quid originarium, sed potius ex diversis causis oritur, inter quas adnumeratur etiam reactio critica contra religionem et quidem, in multis regionibus, praesertim contra religionem* christianam. Quapropter *in hac atheismi genesi* partem non parvam habere possunt credentes, *quatenus neglecta fidei educatione, vel fallaci doctrinae expositione, vel etiam vitae suae religiosae, moralis ac socialis defectibus, Dei et religionis genuinum vultum potius velare quam revelare dicendi sunt* (F).

[24] 20. (Novus textus) [*De atheismo moderno*]. Atheismus modernus formam etiam systematicam saepe praebet, quae, praeter alias causas, legitimum optatum autonomiae hominis eo usque perducit ut contra qualemcumque a Deo dependentiam difficultatem suscitet. *Qui talem atheismum profitentur, libertatem in eo esse contendunt quod homo sibi ipse sit finis, propriae suae historiae artifex et demiurgus: quod componi non posse autumant cum affirmatione Domini, omnium rerum auctoris et finis, vel saltem talem affirmationem plane superfluam reddere. Cui doctrinae favet sensus potentiae quem hodiernus progressus technicus homini confert* (A).

Inter formas hodierni atheismi illa non praetermittenda est, quae liberationem hominis praesertim ex eius liberatione oeconomica et sociali expectat. Huic autem liberationi religionem natura sua obstare contendit, quatenus, in futuram fallacemque vitam spem hominis erigens, ipsum a civitatis terrestris aedificatione deterreret. Unde fautores talis doctri-

nae, ubi ad regimen reipublicae accedunt, religionem vehementer oppugnant, atheismum diffundentes etiam adhibitis, praesertim in iuvenum educatione, illis pressionis mediis, quibus potestas publica instruitur (B). [24]

21. (Novus textus) [*De habitudine Ecclesiae ad atheismum*]. Ecclesia, fideliter tum Deo tum hominibus addicta, desistere non potest quin dolenter perniciosas illas doctrinas actionesque, quae *rationi et* communi experientiae humanae contradicunt hominemque ab innata eius excellentia deiiciunt, omni firmitate reprobet.

Abditas tamen in atheorum mente negationis Dei causas deprehendere conatur et, de gravitate quaestionum quas atheismus excitat conscia, eas serio ac profundiori examini subiiciendas censet (A).

Tenet Ecclesia agnitionem Dei dignitati hominis nequaquam opponi, cum huiusmodi dignitas in ipso Deo fundetur et perficiatur: *homo enim a Deo creante intelligens ac liber constituitur; sed praesertim ad ipsam Dei communionem ut filius vocatur et ad ipsius felicitatem participandam. Docet praeterea per spem eschatologicam momentum munerum terrestrium non minui, sed potius eorum prosecutionem novis motivis fulciri. Dum e contra, deficientibus fundamento divino et spe vitae aeternae, hominis dignitas gravissime laeditur, ut saepe hodie constat, atque vitae et mortis, culpae et doloris aenigmata sine responsione manent, ita ut homines in desperationem non raro deiiciantur* (B).

Omnis homo interea sibi ipsi remanet quaestio insoluta, subobscure percepta. Nemo enim quibusdam momentis, praecipue in maioribus vitae eventibus, praefatam interrogationem omnino effugere valet. Cui quaestioni solus Deus *plene ac omni certitudine* (C) respondet, qui ad altiorem cogitationem et humiliorem inquisitionem hominem vocat.

Remedium autem atheismo afferendum, non solum a doctrina, sed etiam ab integra Ecclesiae eiusque membrorum vita expectandum est. Ecclesiae enim est Deum Patrem eiusque Filium incarnatum praesentem [25] *et quasi visibilem reddere, ductu Spiritus Sancti sese indesinenter renovando et purificando. Id imprimis obtinebitur testimonio fidei vivae et maturae, ad hoc scilicet educatae ut difficultates lucide perspicere valeat easque superare.* Huius fidei testimonium praeclarum plurimi martyres reddiderunt et reddunt. *Quae fides suam fecunditatem manifestare debet, credentium integram vitam, etiam profanam, penetrando, eosque ad iustitiam et amorem, praesertim erga pauperes, movendo. Ad praesentiam Dei manifestandam maxime denique confert caritas fraterna fidelium, qui « spiritu unanimes collaborant fidei Evangelii »* (*Phil.* 1, 27), *et signum unitatis se exhibent* (D).

Ecclesia vero, etiamsi atheismum omnino reiicit, sincere tamen pro-

[25] fitetur, homines omnes, credentes et non credentes, ad hunc mundum in quo communiter vivunt *recte* (E) aedificandum opem conferre debere: *quod certe fieri non potest sine sincero, licet prudenti colloquio* (F). Conqueritur igitur de discrimine inter credentes et non credentes, quod quidam civitatum rectores, personae humanae iura fundamentalia non agnoscentes, iniuste inducunt. Pro credentibus vero actuosam libertatem expostulat ut in hoc mundo etiam Dei templum extruere sinantur.

Apprime etenim novit Ecclesia se cum secretissimis humani cordis desideriis concordare, cum vocationis humanae dignitatem vindicat, illis qui iam de altiore sua sorte desperant spem restituens. Nuntius eius, nedum hominem minuat, lucem, vitam et libertatem ad eius utilitatem fundit; atque praeter illum nihil cordi hominis satisfacere valet: « Fecisti nos ad Te », Domine, « et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te ».[14]

22. (Olim 20) [*De Christo Novo Homine*] (A). Reapse nonnisi in mysterio Verbi incarnati mysterium hominis vere clarescit. Adam enim, primus homo, erat « forma futuri » (*Rom.* 5, 14), scilicet Christi Domini. Christus, novissimus Adam, in ipsa revelatione mysterii Patris Eiusque amoris, hominem ipsi homini plene manifestat eique altissimam eius vocationem patefacit. Nil igitur mirum si in Eo omnes praedictae veritates suum inveniunt fontem atque fastigium.

Qui est « imago Dei invisibilis » (*Col.* 1, 15),[15] Ipse est homo perfectus, qui Adae filiis similitudinem divinam, inde a primo peccato *deformatam,* restituit. Cum in Eo natura humana, assumpta, non perempta sit,[16] eo ipso etiam nobis ad sublimem dignitatem evecta est. Ipse enim, Filius Dei, incarnatione sua, cum omni homine quodammodo Se univit. Humanis manibus opus fecit, humana mente cogitavit, humana voluntate egit,[17] humano corde dilexit. Natus de Maria Virgine, vere unus ex nostris factus est, in omnibus nobis similis excepto peccato.[18]

Agnus innocens, sanguine suo libere effuso, vitam nobis meruit in Ipsoque Deus nos Sibi et inter nos reconciliavit [19] et a servitute diaboli
[26] ac peccati eripuit, ita ut unusquisque nostrum cum Apostolo dicere possit: Filius Dei « dilexit me et tradidit Semetipsum pro me » (*Gal.* 2, 20). *Pro nobis patiendo non solummodo exemplum praebuit ut sequamur vestigia eius,*[20] *sed et viam instauravit, quam dum sequimur, vita et mors sanctificantur novumque sensum accipiunt.*

Christianus autem homo, conformis imagini Filii factus qui est Primogenitus in multis fratribus,[21] « *Spiritum vivificantem* » (*1 Cor.* 15, 45) *accipit, quo capax fit legem novam amoris adimplendi.*[22] *Per hunc Spiritum, qui est* « *pignus haereditatis* » (*Eph.* 1, 14), *totus homo interius*

restauratur, usque ad « redemptionem corporis » (*Rom.* 8, 23): *« Si Spiritus eius qui suscitavit Iesum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra »* (*Rom.* 8, 11).[23] *Christianum certe urgent necessitas et officium contra malum per multas tribulationes certandi necnon mortem patiendi; sed mysterio paschali consociatus, Christi morti configuratus, ad resurrectionem occurret* [24] (B). [26]

Quod non tantum pro credentibus in Deum valet, sed et pro omnibus hominibus bonae voluntatis in quorum corde gratia invisibili modo operatur (C). Cum enim pro omnibus mortuus sit Christus,[25] et cum vocatio hominis ultima revera una sit, scilicet divina, tenere debemus Spiritum Sanctum cunctis possibilitatem offerre ut, modo Deo cognito, huic paschali mysterio se consocient.

Tale et tantum est hominis mysterium, quod per Revelationem christianam credentibus illucescit. Per Christum et in Christo, igitur, illuminatur *aenigma* doloris et mortis, quod extra Eius Evangelium nos obruit. Morte sua mortem destruxit vitamque nobis largitus est [26] ut, filii in Filio, clamemus in Spiritu: Abba, Pater! [27]

NOTAE

Ad n. 12.

[1] Cf. *Gen.* 1, 26; *Sap.* 2, 23.
[2] Cf. *Eccli.* 17, 3-10.

Ad n. 13.

[3] Cf. *Io.* 8, 34-44.

Ad n. 14.

[4] Cf. *Dan.* 3, 57-90.
[5] Cf. *1 Cor.* 6, 13-20.
[6] Cf. *1 Reg.* 16, 7; *Ier.* 17, 10.

Ad n. 15.

[7] Cf. *Eccli.* 17, 7-8.

Ad n. 16. [27]

[8] Cf. *Rom.* 2, 15-16.
[9] Cf. *Mt.* 22, 37-40; *Gal.* 5, 14.

Ad n. 17.

[10] Cf. *Eccli.* 15, 14.
[11] Cf. *2 Cor.* 5, 10.

Ad n. 18.

[12] Cf. *Sap.* 1, 13; 2, 23-24; *Rom.* 5, 21; 6, 23; *Iac.* 1, 15.
[13] Cf. *1 Cor.* 15, 56-57.

[27] *Ad n. 22.*

[14] S. AUGUSTINUS, *Confess.*, I, 1: *PL* 32, col. 661.

[15] Cf. *2 Cor.* 4, 4.

[16] Cf. CONC. CONSTANTINOP. II, can. 7: « Neque Deo Verbo in carnis naturam transmutato, neque carne in Verbi naturam transducta »: DENZ. 219 (428). - Cf. etiam CONC. CONSTANTINOP. III: « Quemadmodum enim sanctissima atque immaculata animata eius caro deificata non est perempta (theôtheisa ouk anèrethè), sed in proprio sui statu et ratione permansit »: DENZ. 291 (556). - Cf. CONC. CALCED.: « in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum »: DENZ. 148 (302).

[17] Cf. CONC. CONSTANTINOP. III, *l. c.*: « ita et humana eius voluntas deificata non est perempta ».

[18] Cf. *Hebr.* 4, 15.

[19] Cf. *2 Cor.* 5, 18-19; *Col.* 1, 20-22.

[20] Cf. *1 Pt.* 2, 20.

[21] Cf. *Rom.* 8, 29; *Col.* 3, 10-14.

[22] Cf. *Rom.* 8, 3 ss.; *Gal.* 5, 13.

[23] Cf. *2 Cor.* 4, 14.

[24] Cf. *Phil.* 3, 10; *Rom.* 8, 17.

[25] Cf. *Rom.* 8, 32.

[26] Cf. *Liturgia Paschalis Byzantina.*

[27] Cf. *Rom.* 8, 15 et *Gal.* 4, 6; cf. etiam *Io.* 1, 12 et *1 Io.* 3, 1-2.

[28]

RELATIO

Ad num. 11.

(A) Abbreviatur et clarificatur textus. Additur vox *vera,* ad omnem ambiguitatem tollendam.

(B) Hae lineae introductae sunt ut iam ab initio *ambivalentia psychologica* omnium valorum humanorum clare affirmetur. Item thema de valorum hierarchia insinuatur. Sic tota prima pars sub harum fundamentalium veritatum luce ponitur, ut plurimi Patres rogaverunt (E/5484, 5478, 5469, 5482).

Manet capitum praesentatio, sed abbreviatur et modo magis dynamico praebetur.

Caput I - Pars I.

(A) *Titulus* mutatus est, quia de vocatione iam in titulo totius partis primae sermo est.

Novus textus huius capitis servat structuram textus prioris et, inquantum fieri potuit, etiam ipsum textum. Tamen sat multa mutata sunt ad satisfaciendum observationibus Patrum in Aula factis vel scripto datis. Textus videtur nunc magis « biblicus » et simul humanus.

Ad num. 12. [28]

(A) Introductio huius numeri ita exarata est, ut variis opinionibus, quae de homine proferuntur, veritas fidei nostrae praesertim in S. Scriptura enuntiatae opponatur tamquam excellens, qua in Revelatione simul infirmitates explanantur et dignitas humana agnoscitur.

(B) Breviter hic indoles socialis hominis ad imaginem Dei creati enuntiatur, quia haec indoles ipsam personam determinat. E contra specialis numerus de indole sociali ex capite I *eliminatus* est, quandoquidem speciale caput II de hac re agit.

Ad num. 13.

(A) *Numerus totaliter novus* introductus est de peccato secundum desideria urgentia plurium Patrum. Quaestio introducta est in initio capitis secundum desiderium Patrum (E/5747; E/5600; E/5287; E/5482).

(B) Origo generis humani non potest recoli quin aliquid innuatur de iustitia (E/5735; E/5747).

(C) Mentio peccati et Maligni a duobus Patribus requiritur (E/5288; E/5292).

Ad num. 14. [29]

(A) Ad satisfaciendum desideriis plurium Patrum « de anima » non in n. 13, sed iam hic una cum corpore sermo fit. Sic melius evitatur species *dualismi*; unitas animae et corporis melius effertur (E/5633; E/5473) et ostenditur dignitatem corporis humani eo fundari, quod anima immortali et spirituali informatur (E/5626; E/5747; E/5475).

(B) Cf. E/5561.

(C) Aliquis Pater petit ut de animae spiritualitate et immortalitate mentio fiat (E/5473).

Ad num. 15.

(A) Hoc additur ad sublineandum momentum hodiernum scientiae.

(B) Per hanc phrasim indicatur in hac paragrapho, sicut in praecedenti et in sequentibus, duplex aspectus bonitatis creationis et malitiae peccati, necnon et sanationis per gratiam, secundum desiderium multorum Patrum (v. g. E/5600) et generalem prospectum capitis.

(C) Quae ad sapientiam pertinent paululum amplificata sunt (E/5288; E/5292; E/5561; E/5424).

(D) Hic directe agitur de sapientia christiana.

[29] *Ad num. 16.*

(A) Vox « moralis » additur in titulo ad confusiones vitandas.

(B) Non semper eodem gradu vox conscientiae loquitur (E/5489).

(C) Hoc denuo ad aspectum « pessimisticum » indicandam ut multi insistunt.

Ad num. 17.

(A) Secundum desideria plurium Patrum in hoc numero conceptus libertatis clarius exponitur (E/5632; E/5424; E/5735). De libertate filiorum Dei hic non iam sermo fit, quia est alterius generis quam libertas, de qua hic agitur (E/5292). In libertate ipsa clarius distinguitur libertas a coactione externa a libertate interna psychologica.

(B) Melius describitur et legitimitas aestimationis libertatis et eius abusus in mundo hodierno (E/5735; E/5683).

(C) De liberatione libertatis a captivitate passionum scribit unus Pater (E/5561) et recte quidem.

(D) De necessitate gratiae ad bonum faciendum fuit petitio (E/5747).

(E) Unus Pater animadvertit responsabilitatem correlativam esse libertatis (E/5605).

[30] *Ad num. 18.*

(A) In hoc numero, secundum desideria Patrum, non tantum de morte, sed etiam de dolore sermo fit (E/5511).

(B) Hae lineae addendae erant, ut res magis biblicae fierent et melius de Christo ut victore super mortem ageretur (E/5424; E/5471; E/5482; E/5634).

Ad num. 19.

(A) Totus textus de *atheismo* sub-subcommissioni speciali commissus est, cuius membra erant Eminentissimi Domini Cardinales König et Šeper, cuius periti erant PP. de Lubac et Daniélou. Cui sub-subcommissioni adiungebantur tria membra Secretariatus pro non-credentibus. Exc. Dom. Aufderbeck, Hnilica et Kominek et periti PP. Miano et Girardi. Secretariatus paraverat textum, qui collatus est cum animadversionibus Patrum. Divisio in tribus numeris introducta est ad meliorem claritatem secundum propositionem Em.mi Card. König, ita ut in prima et secunda par. tractaretur de *formis* et *radicibus,* in tertia vero par. de *refutatione* et *remediis* contra atheismum.

(B) Phrasis introductiva in priori textu falso loco posita est, propterea nunc hoc suo loco ponitur. Voces « nec recte » adduntur ad praecisionem theologicam (E/5292; E/5288). [30]

(C) Haec adduntur ad iustificandam tractationem longiorem de atheismo.

(D) 2ª alinea tractat de *formis et radicibus* atheismi in genere. Descriptio amplificata est secundum animadversiones Patrum, et melius ordinata (E/5564; E/5598; E/5498). Momentum spiritus pseudoscientifici indicatur (E/5590; E/5560).

(E) Momentum problematis mali in hac quaestione sublineatur (E/5560).

(F) 3ª alinea continet amplificatas lineas 6-9 paginae 17 textus antiqui. Agitur de *culpabilitate,* sive ex parte atheistarum, sive ex parte credentium. Secundus aspectus iuxta desideria explicita multorum Patrum a Secretariatu pro non-credentibus praeparatus et hic introductus est (E/5560; E/5552; E/5498).

Ad num. 20.

(A) Plures Patres petierunt ut de atheismo humanistico et systematico hodierno modo speciali ageretur. Unde in proprio numero tractatur (E/5598; E/5498; E/5606).

(B) Analysis atheismi marxistici pluribus Patribus videbatur insufficiens et nimis theorica (E/5601; E/5606). Duo Patres petierunt ut hic atheismus nominetur nomine proprio (E/5287; E/5591). Sed Commissio non ita sentivit.

Ad num. 21. [31]

(A) Haec par., pro maxima parte nova est, iuxta desideria multorum Patrum a Secretariatu parata. Agitur primo de *reprobatione* atheismi (secundum textum priorem) ac dein de necessitate *causas* eius deprehendendi. Voces « rationi et » adduntur ex animadversionibus Patrum (E/5288; E/5292).

(B) Si radix atheismi est voluntas hominis seipsum plene evolvendi, responderi debet relationem ad Deum verum humanismum non impedire, e contra condicionem realizationis eius esse (E/5498; E/5287).

(C) Haec verba adduntur, secundum vota Patrum (E/5634; E/5747; E/5691) ad vitandum omnem speciem agnosticismi.

(D) Multi Patres dixerunt remedium essentiale contra atheismum esse renovationem Ecclesiae (E/5990; E/5564; E/5597).

[31] (E) « Recte » additur ex animadversionibus Patrum duorum (E/5288; E/5292).

(F) Ut respondeatur votis plurium Patrum (E/5608).

Ad num. 22

(A) Titulus mutatur ut irruptio Verbi Incarnati in mundum appareat ut aliquid novi quod ex argumento philosophico aut ex desiderio humano non provenit (E/5469).

(B) Haec adduntur ut vitetur nimia insistentia in Christo victore quin sufficienter conspiciatur aspectus colluctationis et Passionis (E/5489).

(C) Salus etiam ad non christianos extenditur per Spiritus Sancti virtutem (E/5678).

[32]

Caput II

DE HOMINUM COMMUNITATE (A)

23. (Olim 21) [*Quid Concilium intendat*]. *Inter praecipuos mundi hodierni aspectus, mutuarum inter homines necessitudinum multiplicatio adnumeratur, ad quam evolvendam* hodierni technici progressus plurimum conferunt ( ). Tamen fraternum hominum colloquium non in istis progressibus perficitur, sed profundius in personarum communitate, quae mutuam reverentiam erga plenam earum dignitatem spiritualem exigit (B). *Ad hanc communionem inter personas promovendam, Revelatio christiana non parvum subsidium affert* (C), *simulque* ad altiorem vitae socialis legum intelligentiam nos perducit quas Creator in natura spirituali ac morali hominis inscripsit (D).

Quoniam autem recentiora Ecclesiae Magisterii documenta christianam *de* societate humana *doctrinam fusius* exposuerunt,[1] Concilium quasdam tantum principaliores veritates in memoriam revocabit *earumque* fundamenta sub luce Revelationis exponet. Deinde in quaedam consectaria insistet quae nostris diebus maioris sunt momenti ( ).

24. (Olim 35) [*De indole communitaria vocationis humanae in consilio Dei*] (A). Deus, paterna cura super omnes vigilans, voluit ut cuncti homines unam efficerent familiam fraternoque animo se invicem tractarent. Omnes enim creati ad imaginem Dei, « *qui fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae* » (*Act.* 17, 26), ad unum eumdemque finem vocantur (B).

Quapropter dilectio Dei et proximi primum et maximum mandatum est. A Paulo autem docemur Dei amorem a proximi amore seiungi non

posse: « ... *si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauretur: dili-* [32]
ges proximum tuum sicut teipsum ... Plenitudo ergo legis est dilectio » (*Rom.* 13, 9-10). Quod vero hominibus magis in dies ab invicem dependentibus atque mundo magis in dies unificato maximi comprobatur esse momenti (C).

Immo, *doctrina catholica* (D), prospectus praebens fidelium rationi impervios, docet Deum, qui unus quidem est, in tribus subsistere Personis, quarum unaquaeque ita ad alias vivit ut ea ipsa relatione constituatur. *Excogitare licet* (E) *personas humanas* (F), cum ad imaginem Dei unius et trini creatae sint et ad Eius similitudinem reformatae (G), aliquam imitationem (H) Eius in se praebere. Enimvero, si homo in terris sola creatura est quam Deus propter seipsam voluerit, idem ex seipso ad alios refertur, ita ut nonnisi se dando, se invenire possit.

25. (Olim 22) [*De interdependentia humanae personae et humanae* [33]
societatis] (A). *Ex sociali hominis indole apparet humanae personae profectum et ipsius societatis incrementum ab invicem pendere.* Etenim principium subiectum et finis omnium institutorum socialium est et esse debet humana persona ( ), quippe *quae, suapte* natura, vita sociali *omnino indigeat* [2] (B). Quae vita socialis non est homini quid adventicium, sed necessario eius intimam naturam consequitur: commercio cum aliis, mutuis officiis, colloquio cum fratribus, quoad omnes suas dotes grandescit homo, et suae vocationi respondere potest.

Ex socialibus vinculis, quae homini excolendo necessaria sunt (C), *alia,* uti familia et communitas politica, intimae eius naturae immediatius congruunt; *alia,* professionem scilicet vel animi culturam respicientia, potius ex eius libera voluntate procedunt. ( ) Nostra *hac* aetate, variis de causis, mutuae *necessitudines et inter*dependentiae in dies multiplicantur; unde diversa oriuntur instituta sive publici sive privati iuris. Hoc autem factum, quod socializatio *nuncupatur, licet periculis sane non careat, multa tamen* secum *emolumenta* affert *ad confirmandas et augendas humanae personae qualitates eiusque iura tuenda.*[3]

Sed si personae humanae ad suam vocationem adimplendam, etiam religiosam, ex hac vita sociali multum accipiunt (D), non negandum est homines ex adiunctis socialibus in quibus vivunt et, inde ab infantia, immerguntur, saepe a bono faciendo averti et ad malum impelli. ( ) Certum est perturbationes, tam frequenter in ordine sociali occurrentes, ex ipsa formarum oeconomicarum, politicarum et socialium *tensione* (E) pro parte provenire. Sed penitius ex hominum superbia et egoismo oriuntur, *quae etiam ambitum socialem pervertunt* (F). Ubi autem ordo rerum sequelis peccati afficitur, homo, proclivis ad malum natus, nova

[33] deinde ad peccatum incitamenta invenit, quae sine strenuis conatibus, gratia adiuvante, superari nequeunt.

26. (Olim 24-25-26) [*De bono communi promovendo*] (A). Ex interdependentia in dies strictiori et paulatim ad mundum universum diffusa sequitur bonum commune — seu summam condicionum quae tum coetibus, tum singulis membris permittunt ut propriam perfectionem plenius atque expeditius consequantur — hodie magis magisque universale evadere, *et exinde iura officiaque implicare, quae totum humanum genus respiciunt* (B). Quilibet coetus necessitatum et legitimarum appetitionum aliorum coetuum, immo boni communis totius familiae humanae, rationem habere debet.[4]

Simul vero conscientia crescit eximiae dignitatis quae personae humanae competit, cum ipsa rebus omnibus praestet, et eius iura officiaque universalia sint atque inviolabilia. Oportet ergo ut *ea* (C) *omnia homini pervia* reddantur, quibus ad vitam vere humanam gerendam indiget, sive materialem, ut sunt victus, vestitus, habitatio, sive moralem, ut ius *ad edu-*
[34] *cationem,* ad bonam famam, ad reverentiam, *ad congruam informationem, ad agendum, etiam in re religiosa, iuxta rectam suae conscientiae normam,* ad vitae privatae protectionem atque *ad iustam libertatem* (D).

Ordo socialis igitur eiusque progressus in bonum personarum indesinenter cedere debent, siquidem rerum ordinatio ordini personarum subicienda est et non e converso, ipso Domino innuente sabbatum propter hominem factum esse et non hominem propter sabbatum.[5] Ordo ille in dies evolvendus, in veritate fundandus, in iustitia aedificandus, amore vivificandus est; in libertate autem aequilibrium in dies humanius invenire debet.[6] Ad haec autem implenda amplae societatis immutationes inducendae sunt.

Spiritus Dei, qui *mirabili providentia* temporum cursum dirigit et faciem terrae renovat, *huic evolutioni adest* (E). Evangelicum autem fermentum in corde hominis irrefrenabilem dignitatis exigentiam excitavit *atque excitat.*

27. [*De reverentia erga personam humanam*]. *Ad practica urgentioraque consectaria descendens* ( ), *Concilium reverentiam inculcat erga hominem, quem singuli ut* « alterum seipsum » consider*are debent, de eius vita et de mediis ad illam digne degendam necessariis* (A) *rationem* imprimis hab*entes,*[7] ne divitem illum imitentur, qui pauperis Lazari nullam curam egit [8] ( ).

Nostris praesertim diebus urget obligatio nosm*etipsos* cuiuslibet omnino hominis proximos efficiendi et illi occurrenti *actuose inserviendi* (B), sive sit senex ab omnibus derelictus, sive alienigena operarius

immer*ito* despectus, vel illegitimus infans, iniuste patiens propter pec- [34] catum a se non commissum, vel esuriens qui ( ) conscientiam nostram interpellat Domin*i vocem revocans*: « Quamdiu fecisti uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (*Mt.* 25, 40).

Quaecumque *insuper* ipsi vitae adversantur, *ut cuiusvis generis homicidia* (C), genocidia, abortus, euthanasia et ipsum voluntarium suicidium; quaecumque humanae personae integritatem violant, ut mutilationes, tormenta corpori men*tive* inflicta, conatus ipsos animos coercendi; quaecumque humanam dignitatem offendunt ( ), ut *infrahumanae vivendi condiciones, arbitrariae* (D) *inca*rcerationes, deportationes, prostitutio, mercatus mulierum et iuvenum; ( ) condiciones *quoque* laboris ignominiosae, quibus operarii ut mera quaestu*s* instrumenta, ( ) non ut liberae et responsabiles personae tractantur: haec omnia et *alia huiusmodi* (E) probra *quidem* sunt; *dum civilizationem humanam inficiunt,* magis eos inquinant qui sic se gerunt, quam eos qui iniuria patiuntur; et Creatoris honori *maxime* (F) ( ) contradicunt.

28. (Olim 28-29) [*De reverentia et amore erga adversarios*] (A). *Ad illos etiam qui* in rebus socialibus, politicis *vel etiam* religiosis aliter ac nos *sentiunt aut faciunt,* reverentia et caritas extendi debent; quo [35] magis *quidem reverentia et caritate* modos sentiendi eorum *intimius comprehendemus, eo facilius cum ipsis colloquium inire poterimus* (B).

Haec sane caritas *et benignitas* nequaquam indifferente*s* erga veritatem et *bonum nos reddere debent. Immo caritas ipsa nos urget ad veritatem salutarem omnibus hominibus annuntiandam* (C). *Sed* distinguere *oportet* inter errorem, *semper reiciendum,* et errantem, qui dignitatem personae iugiter *servat,* etiam ubi fal*sis minusve* accurat*is* notion*ibus* religio*sis inquinatur.*[9] *Deus solus iudex est et scrutator cordium;* unde nos vetat de interiore cuiusvis culpa iudicare.[10]

Doctrina Christi ut etiam iniuriis ignoscamus postulat [11] praeceptumque amoris ad inimicos omnes extendit, quod ( ) est Novae Legis mandatum: ( ) « Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos » (*Mt.* 5, 43-44) ( ).

29. (Olim 30-31) [*De essentiali inter omnes homines aequalitate et de iustitia sociali*]. *Cum* omnes homines, *anima rationali pollentes,* ad imaginem Dei creati, *eamdem naturam eamdemque originem habeant, cumque, a Christo autem redempti* (A), eadem vocatione et *destinatione* divina *fruantur,* fundamentalis aequalitas inter omnes magis magisque agnosc*enda erit* ( ).

[35] Omnis igitur discriminandi modus i*n iuribus personae fundamentalibus, sive* socialis *sive* culturalis, tum *ob* sexum, stirpem, colorem, socialem condicionem, linguam ( ) *aut* religionem, *superandus* (B) et removendus est, utpote ( ) Dei proposito contrarius.

Quamvis enim varia capacitate physica viriumque intellectualium et moralium diversitate non omnes homines aequiparentur (C), *adhuc tamen dolendum est iura illa fundamentalia personae non ubique sarta tecta servari. Ut si* mulieri denegetur facultas libere sponsum eligendi et vitae statum amplectendi, vel ad educationem et ( ) culturam ei similem quae viro conceditur accedendi. Immo, humanae institutiones spiritualibus rebus, omnium altissimis, paulatim congruant oportet, etiamsi interdum sat longo tempore opus sit ut ad optatum finem perveniant.

Ideo, *quamquam inter homines iustae diversitates adsunt,* aequalis personarum dignitas postulat ut ad quamdam aequalitatem etiam in condicionibus socialibus deveniatur ( ). Etenim nimiae inter membra vel populos unius familiae humanae inaequalitates oeconomicae et sociales scandalum movent, atque iustiti*ae* sociali, aequitat*i,* personae humanae dignitat*i,* necnon *paci sociali et internationali adversantur.*

Humanae autem institutiones, *sive privatae sive publicae, dignitati ac fini hominis subserviant nitantur* ( ), *simul* adversus *quamlibet* servi-
[36] tu*tem tum socialem tum politicam* strenue decert*antes,* et iura h*ominum fundamentalia* sub omni regimine politico servan*tes.*

30. (Olim 33) [*Quod ultra individualisticam ethicam progrediendum sit*]. Profunda et velox rerum immutatio urgenter postulat ut nemo sit qui, ad rerum cursum non attendens vel inertia torpens, ethicae mere individualisticae indulgeat. Iustitiae ac caritatis officium magis ac magis adimpletur institutiones sive publicas sive privatas promovendo et adiuvando quae hominum vitae condicionibus in melius mutandis inserviunt (A). *Sunt autem qui, largas generosioresque opiniones profitentes, ita tamen semper reapse vivunt ac si nullam societatis necessitatum curam habeant* (B). Immo, plures, in variis regionibus, leges et praescriptiones sociales minimi faciunt. Non pauci, variis fraudibus ac dolis, iusta vectigalia vel alia quae societati debentur effugere non verentur. Alii normas ad valetudinem tuendam, aut ad cursum vehiculorum per vias moderandum statutas, parvi aestimant, non animadvertentes se tali incuria vitam aliorum periculo exponere ( ).

Sanctum sit omnibus necessitudines sociales *inter praecipua hominis hodierni officia recensere easque observare* (C). Quo magis *enim* mundus unitur, eo apertius hominum officia muneraque particulares coetus superant et ad universum mundum paulatim extenduntur.

31. (Olim 34) [*De responsabilitate et participatione*]. Ut singuli [36] homines suum conscientiae officium accuratius impleant tum erga seipsos, tum erga varios coetus quorum membra sunt, diligenter ad ampliorem animi culturam educandi sunt, ingentibus adhibitis subsidiis quae hodie generi humano praesto sunt. Praeprimis educatio iuvenum cuiuslibet socialis originis ita instituenda est, ut viri mulieresque suscitentur qui non tantum exculti ingenii sed et magni animi sint, utpote qui a nostro tempore vehementer postulentur.

Sed ad hunc responsabilitatis sensum homo non pervenit, nisi vitae condiciones ei permittant ut suae dignitatis conscius fiat, et vocationi suae, seipsum pro *Deo et pro* (A) aliis impendendo, respondeat ( ). Humana vero libertas debilior fit et quasi extinguitur, ubi homo in extremam incidit egestatem, sicut vilescit, ubi ipse, nimiis vitae facilitatibus indulgens, in aurea veluti solitudine seipsum includit. E contra robur acquirit, cum homo inevitabiles vitae socialis necessitates accipit, multiformes exigentias humanae, coniunctionis adsumit atque ad humanae communitatis servitium se obstringit.

Ideo omnium exstimulanda est voluntas inceptorum communium suas partes adsumendi. *Laudanda est autem ratio agendi nationum, in* quibus pars quam maxima civium rerum publicarum particeps fit. Ratio tamen habenda est condicionis realis uniuscuiusque gentis et necessarii vigoris publicae auctoritatis (B) ( ). Ut vero omnes cives proni sint ad participandam vitam variorum coetuum, quibus corpus sociale constat, [37] necesse est ut in his coetibus bona inveniant, *quae* ipsos attrahant eosque ad aliorum servitium disponant. Iure arbitrari possumus futuram humanitatis sortem in illorum manibus reponi, qui posteris generationibus vivendi et sperandi rationes tradere possunt.

32. (Olim 36) [*Verbum Incarnatum et solidarietas humana*] (A). *Sicut Deus homines non ad singulatim vivendum, sed ad socialem unionem efformandam creavit, ita ipsi etiam « placuit... homines non singulatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificare et salvare, sed eos in populum constituere, qui in veritate Ipsum agnosceret Ipsique sancte serviret ».*[12] *Inde ab initio historiae salutis Ipse homines elegit non ut individuos tantum sed ut membra cuiusdam gentis. Illos enim electos Deus, suum aperiens consilium, vocavit « populum suum »* (*Ex.* 3, 7-12), *quocum insuper in Sinai foedus perfecit*[13] (B).

Quae indoles communitaria opere Iesu Christi perficitur et consummatur. Ipsum enim Verbum incarnatum humanae consortionis particeps esse voluit. Canae nuptiis interfuit, in domum Zachaei descendit, cum publicanis et peccatoribus manducavit. Patris amorem hominumque exi-

[37] miam vocationem, communissimas res sociales commemorando et locutiones figurasque vitae plane quotidianae adhibendo, revelavit. Necessitudines humanas, imprimis familiares, ex quibus rationes sociales oriuntur, sanctificavit, *legibus suae patriae subditus.* Vitam opificis sui temporis et regionis propriam ducere voluit.

In sua praedicatione clare mandavit filiis Dei ut tamquam fratres ad invicem se gererent. In sua oratione rogavit ut omnium discipulorum suorum cor unum et anima una esset. Apostolos autem iussit praedicare omnibus gentibus nuntium evangelicum ut genus humanum familia Dei fieret, in qua plenitudo legis esset dilectio (C).

Primogenitus in multis fratribus, inter omnes qui Eum fide *ac caritate* recipiunt, *post mortem et resurrectionem suam,* dono sui Spiritus novam fraternam communionem instituit, in Corpore scilicet suo in quo omnes, *inter se invicem membra,* secundum dona diversa concessa, mutua sibi praestarent servitia.

Quae solidarietas semper augenda erit ( ), *usque ad illam diem qua consummabitur, et qua homines, gratia salvati, tamquam familia a Deo et Christo Fratre dilecta, perfectam gloriam Deo praestabunt.*

[38] NOTAE

[1] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra* et *Pacem in terris*; PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam.*

[2] Cf. S. THOMAS, *1 Ethic.* Lect. 1.

[3] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 418. Cf. etiam PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 222 ss.

[4] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 417.

[5] Cf. *Mc.* 2, 27.

[6] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 266.

[7] Cf. *Iac.* 2, 15-16.

[8] Cf. *Lc.* 16, 18-31.

[9] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 299 et 300.

[10] Cf. *Lc.* 6, 37 et ss.; *Mt.* 7, 1 et ss.; *Rom.* 2, 1-12; 14, 10.

[11] Cf. *Mt.* 6, 12-15; 18, 21-35; *Col.* 4, 13.

[12] Cf. Const. dogm. *Lumen Gentium,* Cap. II, § 1: Typ. Vatic. 1964, p. 11.

[13] Cf. *Ex.* 24, 1-8.

RELATIO [39]

(A) Iuxta desiderium Patrum, in quantum fieri potuit, abbreviavimus textum, vitando repetitiones et amplificationes idearum quae non omnino necessariae videbantur, conservando tamen fere omnes ideas ipsis verbis textus recepti. Attente consideravimus etiam animadversiones, emendationes, additiones necnon omissiones a Patribus sive in Aula sive in scriptis propositas. Ordo magis logicus aliquando adhibetur.

Ad num. 23.

(B) Aliqua elementa ad vitam socialem pertinentia ex capite primo (§ 13, p. 14, linn. 19-33) hic transferuntur ad meliorem ordinem obtinendum.

(C) Doctrina ex Revelatione desumitur. Hoc dicitur ad suspicionem rationalismi vitandam.

(D) Lumen Revelationis etiam leges vitae temporalis explicat.

Ad num. 24.

(A) Nobis omnino necessarium videbatur principia fundamentalia sub lumine christianae Revelationis considerare; nam consectaria secundae partis necessario praesupponunt haec fundamenta theologica.

(B) Alinea prima, ex eodem capite desumpta (n. 35, p. 28, linn. 6-9), indolem communitariam ex creatione et providentia infert, sicut in primo capite factum est pro indole personali.

(C) Alinea secunda modo generali ad praeceptum caritatis alludit. Hic textus, sicut sequens, in capite primo indolem socialem hominis fundabat (n. 16, p. 16, linn. 3-7).

(D) Tertia alinea, ex capite primo desumpta (n. 15, p. 15, linn. 36-41; p. 16, linn. 1-2), de relatione inter communionem inter personas divinas et communionem inter personas humanas tractat. « Doctrina catholica » loco « fides » scribitur, quia ea quae sequuntur partim sunt sententiae theologicae e veritatibus fidei deductae (E/5424; E/5639).

(E) Haec expressio ad indicandum quod agitur de opinione theologica.

(F) Non agitur de structura interna uniuscuiusque personae humanae et de sua relatione ad Trinitatem, sed de communitate personarum.

[39] (G) Relatio inter vitam socialem et vitam trinitariam supponit unitatem hominis iam factam (E/5482). Voces « imago » et « similitudo » sensu theologico, non biblico sumuntur.

(H) Non agitur proprie de *signo,* sed de aliqua imitatione (E/5473).

[40] *Ad num. 25.*

(A) Ex duobus numeris 22-23 fecimus unum, tum propter affinitatem argumenti, tum propter notabilem abbreviationem textus.

(B) Una est modificatio potior a Patribus proposita et a nobis acceptata: loco « ad alias personas et societates ordinatur, sine quibus individuum ... » (linn. 17-18, n. 22) legitur nunc, ex suggestione E/5292 partialiter acceptata, « ... quae suapte natura *vita sociali indiget* ». Nam « ordinatur » indicat ordinationem ad finem, et societas non est finis personae nisi in quantum haec est individuum.

(C) Nexus sublineatur inter structuras sociales et bonum personarum.

(D) Antequam de peccato agatur, aspectus positivus vitae socialis notandus erat.

(E) Vox « tensio » adhibita est loco « pondus » qui est ambiguus (E/5634; E/5691), ad significandum multa problemata vitae socialis ex natura ipsa provenire et peccato imputanda non esse.

(F) Aspectus socialis peccati (E/5691).

Ad num. 26.

(A) Titulus mutatur ad melius significandam paragraphi materiam. Textus e textu recepto accipitur, sed magis logice ordinatur.

(B) Hoc additur ad factum novum boni communis universalis magis ostendendum (E/5505; E/5693).

(C) Haec est principalis modificatio, iuxta E/5691 et E/5634: loco « omnia ei tribuantur » (in lin. 23) legitur nunc « ut *ea omnia homini pervia reddantur, quibus* ad vitam ... ». Nam « omnia » non debent homini simpliciter tribui ac si ipse non deberet ad haec comparanda opem suam conferre.

(D) Enumeratio iurium personarum amplificata est (E/5287).

(E) Illud de Spiritu Dei qui « ab hac tam decretoria evolutione alienus non est », in fine n. 24, ponitur nunc in n. 26, sine « decretoria » (cf. E/5691 et E/5632), addita idea de providentia et dicendo « huic evolutioni adest ». Agitur enim in n. 25 de evolutione ordinis socialis.

Ad num. 27. [40]

(A) Hoc additur ad integram exigentiam caritatis ostendendam.

(B) Caritas non est tantum in dispositionibus internis, sed etiam in operibus (E/5505).

(C) Ex petitione E/5288 addimus « *cuiusvis generis homicidia* ».

(D) Iuxta desideria E/6533 et E/5505 addimus « *ut infrahumanae vivendi condiciones, arbitrariae incarcerationes* ... ». Pericope autem de libertate religiosa omissa est (E/5691; E/5492), tum quia erant contradictoriae suggestiones a multis Patribus factae, tum quia specialem Declarationem de hac quaestione exspectamus.

(E) Enumeratio non est exhaustiva (E/5292). [41]

(F) Delicta sunt ante omnia contra Creatorem (E/5634).

Ad num. 28.

(A) Propter abbreviationem textus et affinitatem argumentorum fecimus unum numerum ex nn. 28-29.

(B) Hoc additur de caritate intellectuali, ut condicio veri dialogi (E/5633).

(C) Plures Patres petierunt ut hic aspectus caritatis, qui est zelus pro bono et vero, non minueretur (E/5735).

Ad num. 29.

(A) Redemptio ipsa fundat aequalitatem (E/5634).

(B) In textu de discriminatione, loco « damnandus et sensim removendus », dicimus « *superandus* et removendus » (E/5424).

(C) E/5482, E/5562, E/5289, E/5630 concedunt libenter aequalitatem essentialem inter homines; sed indicant condiciones existentiales differentes, ratione intelligentiae, capacitatis physicae, potentiae agendi, valorum moralium, etc., et petunt insistenter ut etiam de inaequalitate aliquid dicamus. Quod et fecimus.

Ad num. 30.

(A) Haec idea, olim n. 31, p. 25, linn. 34-37 expressa, in hunc locum translata est, ut magis congruens contextui.

(B) De hac negligentia, tam diffusa, agere necesse erat.

(C) Textus efficitur strenuus ad urgendam obligationem pro christianis in hoc campo agendi.

[41] *Ad num. 31.*

(A) Tota vocatio humana in servitium proximi non constituitur (E/5634; E/5287).

(B) Hoc dicitur ut vera ratio et norma regiminis democratici detur.

Ad num. 32.

(A) Haec pars resultat ex fusione textuum nn. 35 et 36, abbreviationis causa, et etiam quia pars quaedam n. 35 in n. 22 translata est.

(B) Allusio ad Vetus Testamentum, quod tantum innuebatur in textu recepto (p. 28, lin. 12), magis evolvitur secundum desideria Patrum (E/5600; E/5471).

(C) Etiam aspectus evangelicus paululum evolvitur (E/5681; E/5600).

[42]

Caput III

DE HUMANA NAVITATE IN UNIVERSO MUNDO

33. (Olim 37) [*Ponitur problema*]. *Suo labore atque ingenio homo suam vitam amplius evolvere semper conatus est; hodie autem, praesertim scientiae et artis technicae ope, suum dominium in universam pene naturam dilatavit ac magis magisque in dies auget, ita ut multa bona quae olim a natura expectabat, hodie sibi iam propria industria procuret* (A). *Immo, adiuvantibus imprimis auctis inter nationes socialis commercii mediis, familia humana paulatim tamquam unam in universo mundo societatem sese agnovit atque constituit, quin suas tamen diversitates servare, immo promovere desinat.*

Coram immenso hoc conamine, quod totum humanum genus iam pervadit, multae exurgunt inter homines interrogationes. Quomodo omnibus his divitiis utendum sit? Quinam sit illius operositatis sensus et valor? Ad quem finem assequendum nisus sive singulorum sive societatum tendant? *Ecclesia, quae responsa universaliora possidet quin de singulis quaestionibus omnia prorsus in promptu habeat, lumen Revelationis cum omnium peritia coniungere desiderat ut iter illuminetur, quod humanitas ingreditur* (B).

34. (Olim 38) [*De valore humanae navitatis*]. Hoc credentibus ratum est: in seipsa considerata atque recte ducta, hominum navitas individualis et collectiva, seu ingens conatuum summa, quibus homines decursu saeculorum suae vitae condiciones in melius mutare conati sunt ( ), Dei voluntati manifeste respondet. Homo enim, ad imaginem Dei crea-

tus, mandatum accepit ut, terram cum omnibus quae in ea continentur [42] sibi subiciens (A), mundum in iustitia et sanctitate regeret [1] *utque, Deum omnium Creatorem agnoscens, seipsum ac rerum universitatem ad Ipsum referret; ita ut, rebus omnibus homini subiectis, admirabile sit nomen Dei in universa terra* [2] (B).

Hoc etiam opera penitus quotidiana respicit ( ). Viri igitur mulieresque qui, dum vitae sustentationem sibi et familiae comparant, navitates suas ita exercent ut societati opportune ministrent, iure existimare possunt se suo labore opus Creatoris evolvere, commodis fratrum suorum consulere, et ad consilium divinum in historia adimplendum personali industria conferre.[3]

Christiani itaque, nedum arbitrentur, ut quidam asseverare non desinunt, opera, quae homines *suo ingenio* et virtute pepererunt, Dei potentiae opponi, creaturamque rationalem quasi aemulam Creatoris exsistere, potius persuasum habent humani generis victorias signum magni- [43] tudinis Dei et fructus ineffabilis Ipsius consilii esse ( ): Quo magis vero hominum potentia crescit, eo latius illorum responsabilitas, *sive singularis sive collectiva,* extenditur. Unde apparet tantum abesse ut propter christianum nuntium homines ab extruendo mundo avertantur, vel ad bonum sui similium negligendum impellantur, ut potius officio haec operandi obstringantur [4] (C).

35. (Olim 42) [*De humana navitate ordinanda*]. *Non tamen praetereundum est e sua ad hominem relatione humanam navitatem significationem trahere. Sicut ex homine procedit, ita ad hominem ordinatur.* Homo enim, cum operatur, non tantum res et societatem immutat, sed et seipsum perficit. Multa discit, facultates suas excolit, extra se et supra se procedit. Huiusmodi incrementum, si recte intelligatur, maioris pretii est quam externae quae colligi possunt divitiae. Magis valet homo propter id quod est quam propter id quod habet.[5] Pariter, omnia quae homines, ad maiorem iustitiam, ampliorem fraternitatem, firmioremque amicitiam in socialibus necessitatibus obtinendam, agunt, magis quam progressus technici valent (A). *Qui enim progressus quasi materiam humanae promotioni praebere possunt, illam autem per se solos ad actum nequaquam deducunt.*

Unde, ut humana navitas cum genuino humani generis bono congruat, et homini individuo vel in societate posito integrae suae vocationis cultum et impletionem sinat, iuxta eiusdem vocationis *normam, quae est consilium et voluntas divina,* sedulo ordinanda est (B).

36. (Olim 40) [*De iusta rerum terrenarum autonomia*]. Multi tamen coaevi nostri timere videntur, ne humana navitas et religio inter

[43] se nimis arcte iungantur. Periculum formidant, ne exinde autonomia ( ) hominum vel societatum, *scientiae vel rei publicae* impediatur.

Si per rerum terrenarum autonomiam intelligimus res creatas et ipsas societates propriis legibus gaudere, ab homine gradatim dignoscendis atque sequendis, eamdem exigere omnino fas est: quod non solum postulatur ab hominibus nostrae aetatis, sed etiam cum Creatoris voluntate congruit. *Ex ipsa enim creationis condicione res universae propria firmitate, veritate, bonitate propriisque legibus ac ordine instruuntur, quae homo revereri debet, propriis singularum scientiarum artiumve methodis agnitis.* Ideo, inquisitio methodica in omnibus disciplinis, si more vere scientifico et iuxta normas morales procedit, numquam fidei revera adversabitur, *quia res profanae et res fidei ab eodem Deo originem ducunt.*[6] Immo, qui humili et constanti animo, abscondita rerum perscrutari conatur, etsi inscius quasi manu ducitur Dei qui, res omnes sustinens, facit ut sint id quod sunt. Hinc deplorare liceat quosdam animi habitus, a sana scientifica indagatione alienos, qui *aliquando inter christianos ipsos* non defuerunt et, contentionibus controversiisque exinde suscitatis,
[44] plurium animos eo perduxerunt ut fidem et scientiam inter se opponerent [7] ( ).

At si verbis « rerum temporalium autonomia » intelligitur res creatas a Deo non pendere, eisque hominem sic uti posse ut easdem ad Creatorem non referat, nemo *qui Deum agnoscit* non sentit quam falsa huiusmodi placita sint. Creatura enim sine Creatore evanescit. Ceterum, omnes credentes, cuiuscumque sint religionis, vocem et manifestationem Eius in creaturarum loquela semper audierunt. Immo, per oblivionem Dei ipsa creatura obscuratur ( ).

37. (Novus textus) [*De humana navitate a peccato corrupta*]. *Sacra vero Scriptura, cui saeculorum consentit experientia, humanam familiam edocet progressum humanum, qui magnum hominis bonum est, quandocumque contra legem divinam dirigitur, magnas calamitates secumferre. Ordine valorum turbato et malo cum bono permixto, singuli homines ac coetus solummodo quae propria sunt considerant, non vero aliorum,*[8] *ita ut mundus non iam spatium verae fraternitatis exsistat, dum aucta humanitatis potentia iam ipsum genus humanum destruere minatur* (A).

Universa enim hominum historia et omnia quae in ea continentur in arduam collectationem inter lumen et tenebras, inter bonum et malum, inter Deum et Malignum assumuntur, quae inde ab origine incepta, usque ad ultimum diem, dicente Domino,[9] *perseverabit. In hanc pugnam insertus, homo ut bono adhaereat iugiter certare tenetur, nec sine magnis laboribus in seipso unitatem obtinere valet.*

Quapropter Ecclesia Christi, Creatoris consilio fidens, dum agnoscit [44] *progressum humanum verae hominum felicitati inservire posse, non potest tamen quin illud Apostoli resonare faciat*: « *Nolite conformari huic saeculo* » (*Rom.* 12, 2), *illi scilicet vanitatis et malitiae spiritui qui humanam navitatem, ad servitium Dei et hominis ordinatam, in instrumentum peccati transmutat.*

Si quis ergo quaerit qua ratione miseria illa superari poterit, fas est christiano profiteri unum, quod superbia hominis et inordinato sui ipsius amore cotidie in discrimine versatur, omnino necessarium esse: ut scilicet omnes hominis navitates in Christo purificentur et ad perfectionem deducantur. *A Christo enim redemptus et in Spiritu Sancto nova creatura effectus, homo ipsas res a Deo creatas amare potest et debet. A Deo enim illas accipit et quasi de manu Dei iugiter fluentes respicit et reveretur. Pro illis Benefactori gratias agens et in paupertate et libertate spiritus omnibus rebus utens, ad veram illorum possessionem introducitur, tamquam nihil habens et omnia possidens.*[10] « *Omnia enim vestra sunt*: *vos autem Christi, Christus autem Dei* » (*1 Cor.* 3, 22-23) (B).

38. [*De humana navitate in paschali mysterio ad perfectionem adducta*]. *Verbum enim Dei, per quod omnia facta sunt, ipsum caro factum et in hominum terra habitans,*[11] *perfectus homo in historiam mundi in-* [45] *travit, eam in se assumens et recapitulans*[12] (A). *Ipse nobis revelat* « *quia Deus caritas est* » (*1 Io.* 4, 8), *simulque nos docet legem fundamentalem perfectionis humanae ac proinde transformationis mundi, novum dilectionis esse mandatum. Eos igitur, qui divinae credunt caritati, certos facit, viam dilectionis hominibus aperiri et conamen fraternitatem universalem instaurandi non esse inane. Simul monet hanc caritatem non in miris insolitisque rebus sectandam esse, sed et imprimis in ordinariis vitae adiunctis* (B). *Pro nobis omnibus peccatoribus mortem sustinens,*[13] *suo exemplo nos docet crucem etiam baiulandam esse, quam caro et mundus pacem et iustitiam sectantium humeris imponunt* (C). *Sua resurrectione Dominus constitutus* (D), *Christus, cui omnis potestas in caelis et in terra data est*[14] (E), *per virtutem Spiritus sui in cordibus hominum iam operatur, non solum venturi saeculi desiderium suscitans, sed illa etiam generosa vota animans, purificans et roborans, quibus familia humana suam ipsius vitam humaniorem reddere et totam terram huic fini subiicere satagit* (F). *Diversa autem sunt Spiritus dona*: *dum alios vocat ut caelestis habitationis desiderio manifestum testimonium reddant illudque in humana familia vividum conservent, alios vocat ut terreno hominum servitio se dedicent, hoc suo ministerio materiam regni caelestis parantes. Omnes tamen liberat ut, proprio amore abnegato, ad futura se extendant,*

[45] *quando, omnibus terrenis viribus in vitam humanam assumptis, humanitas ipsa fiet oblatio accepta Deo*[15] (G).

Cuius spei arrham Dominus suis reliquit in illo sacramento fidei, in quo naturae elementa, ab hominibus exculta, in Corpus et Sanguinem gloriosa transmutantur (H), *coena communionis fraternae* (I) *et caelestis convivii praelibatione.*

39. (Olim 44) [*Terra nova et caelum novum*]. *Consummandae terrae ac humanitatis nec tempus nec modum novimus. Docemur autem Deum novam habitationem novamque in qua iustitia habitat terram parare, beatitudinem omnia pacis desideria quae in cordibus hominum ascendunt superantem.*[16] *Tunc, morte devicta, filii Dei in Christo resuscitabuntur, et creatura tota a servitute corruptionis et vanitatis liberabitur.*[17] *Transibit quidem figura huius mundi per peccatum deformata*[18] *sed, manentibus caritate et fructibus eius,*[19] *confidere licet illam ipsam substantiam mundi manere, quam Deus propter hominem creavit et Filius incarnatione sacravit*[20] (A).

Etsi ergo monemur nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, seipsum autem perdat,[21] *exspectatio tamen novae terrae extenuare non debet sollicitudinem hanc terram colendi, in qua corpus illud novae humanitatis crescit, quod in caelis vivet et in umbris remotam novi saeculi delineationem iam praebere valet.* Ideo, licet ordinis socialis per-
[46] fectio a Regni Dei augmento *prorsus distinguenda sit,* modus tamen, quo humana societas instituitur ac regitur, Regno Dei magni interest.[22]

Bona enim humanae dignitatis, communionis fraternae et libertatis, *hos omnes scilicet bonos naturae nostrae fructus,* postquam in terris iuxta Domini mandatum propagaverimus, postea denuo inveniemus, mundata tamen ab omni sorde, illuminata ac transfigurata, cum Christus Patri reddet « regnum aeternum et universale: regnum veritatis et vitae, regnum sanctitatis et gratiae, regnum iustitiae, amoris et pacis »[23] (B). His in terris Regnum iam in mysterio adest; adveniente autem Domino consummabitur.

NOTAE

Ad n. 34.

[1] Cf. *Gen.* 1, 26-27; *Gen.* 9, 3; *Sap.* 9, 3.

[2] Cf. *Ps.* 8, 7 et 10.

[3] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 297.

[4] Cf. *Nuntius ad universos homines* a Patribus missus ineunte Concilio Vat. II, oct. 1962: *A.A.S.,* 54 (1962), p. 823.

Ad n. 35.

[5] Cf. Paulus VI, *Alloc. ad Corpus diplomaticum,* 7 ian. 1965: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 232.

Ad n. 36. [46]

[6] Cf. CONC. VAT. I, Const. dogm. *De fide cath.*, cap. II: DENZ. 1785 et 1786 (3004 et 3005).

[7] Cf. Mgr PIO PASCHINI, *Vita e opere di Galileo Galilei,* 2 Lib., Lib. ed. Vatic. (1964).

Ad n. 37.

[8] Cf. *Phil.* 2, 4.

[9] Cf. *Mt.* 24, 13.

[10] Cf. *1 Cor.* 6, 10.

Ad n. 38.

[11] Cf. *Io.* 1, 3 et 14.

[12] Cf. *Eph.* 1, 10.

[13] Cf. *Io.* 13, 14; *Rom.* 5, 8.

[14] Cf. *Act.* 3, 36; *Mt.* 28, 18.

[15] Cf. *Rom.* 15, 16.

Ad n. 39.

[16] Cf. *2 Pt.* 3, 13; *1 Cor.* 2, 9.

[17] Cf. *Rom.* 8, 19-21.

[18] Cf. *1 Cor.* 7, 31.

[19] Cf. *1 Cor.* 13, 8; 3, 14.

[20] Cf. S. IRENAEUS, *Adversus Haereses,* V, 36, *PG,* VIII, 1221: « Non enim substantia neque materiae condiciones exterminantur (verus enim et firmus qui [47] constituit eum), sed figura transit mundi huius, id est in quo transgressio facta est; quoniam veteratus est homo in ipsis ».

[21] Cf. *Lc.* 9, 25.

[22] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 207.

[23] Praefatio Festi Christi Regis.

RELATIO [48]

GENERALIA

1. *Propositum capituli* est quaestio de valore navitatis humanae, quae praecipue intelligitur externa (scientiae naturales, technica), coram fide; et ab altera parte, quid fides afferat huic conamini.

Quaestio clarius ponitur, et responsum melius centratur in ipsa persona et societate humana, peccatrice et redempta.

2. *Ordo generalis* servatur:

N. 33: Status Quaestionis.

N. 34-36: Consideratio de valore navitatis humanae et de eius ordinatione, cum appendice de autonomia valorum terrenorum.

[48] N. 37-39 (olim 41-47): Consideratio de corruptione navitatis humanae ex peccato, de mysterio Christi, cum aspectu *eschatologico*.

3. Cum textus, multis Patribus petentibus, abbreviandus esset, ad plura clarius exprimenda et plura alia nova introducenda, magna ex parte *rescribendus* erat. In nn. 33-36 plura elementa ex textu priori adhibentur, sed melius ordinata. In nn. 37-40 autem, ubi permulta erant nova elementa introducenda, maiori libertate opus erat.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

Ad num. 33.

Status quaestionis idem mansit, sed abbreviatur.

(A) Inserta est observatio quod homo nunc per industriam suam procurare satagit multa, quae olim a natura sperabantur (E/5424).

(B) Enuntiatur etiam altera facies quaestionis principalis, scilicet quid Evangelium afferat homini fabro (E/5603).

Ad num. 34.

Expositio clarius centratur in doctrina de homine *imagine Dei,* propter quem omnia creata sunt. Inserta sunt nova:

(A) Homo superat res omnes materiales.

(B) Hominis est seipsum et totum mundum referre ad Deum; allusio fit ad admirationem mundi (E/5741; E/5626).

(C) Hic elementa ex n. 35 veteris textus ad maiorem logicam adducuntur. Omissa est sententia de machinis (E/5424).

[49] *Ad num. 35.*

(A) Hae lineae ex n. 39 et 40, ubi non erant in loco suo (E/5424), hic translatae sunt. Opportunum videbatur statim hierarchiam valorum clare exponere (E/5625; E/5430).

(B) Multi Patres petierunt ut clare distinguantur valor ontologicus navitatis humanae (de quo agitur in n. 32) et valor moralis, qui ex eius ordinatione ad Deum pendet (E/5750, et E/5424 et E/5626).

Ad num. 36.

Titulus textus prioris aliquantulum mutatur, secundum vota Patrum. Numerus valde abbreviatur, cum particularia potius ad partem II pertineant. Expositio de relatione *scientiae ad fidem* et de praeteritis defecti-

bus reducta est (E/5486; E/5484; E/5638; E/5463; E/5482; E/5691), [49]
et mutatus est tonus apologeticus (E/5632; E/5482; E/5596). E contra clarius exprimitur vera natura autonomiae.

Ad num. 37.

Titulus mutatus, ut melius respondeat contento.

(A) Elaboratio longior *de peccato* in mundo (E/5287; E/5424; E/5482; E/5584; E/5603; E/5632; E/5292).

(B) In his lineis exponitur, secundum mentem unius Patris (E/5599), quomodo actualis dependentia rerum a Deo fundet aestimationem christianorum erga ipsas et praebet verum intellectum paupertatis, quae est usus rerum actualiter a Deo pendentibus ut a Deo datis.

Ad num. 38.

De navitate humana in mysterio paschali ad perfectionem deducta. *Noviter compositus,* ita ut exprimat quomodo mysterium Christi, iam in capite primo exposito, in navitatem humanam influat et normas actionis humanae procuret (E/5424), secundum ordinem propositum (E/5603).

(A) Sanctificatio mundi et historiae per *incarnationem Verbi* (E/5496).

(B) Lex fundamentalis *caritatis,* et nexus cum labore quotidiano.

(C) Lex *crucis* (iidem ac supra de peccato).

(D) Virtus *resurrectionis* (E/5287; E/5496).

(E) Dominatus Christi (olim n. 45).

(F) Operatio Spiritus Sancti (olim n. 45; E/5287; E/5496).

(G) Aspectus contemplativus et renuntiationis huic mundo (E/5287; E/5584; E/5626).

(H) Aspectus liturgicus (E/5287; E/5496).

(I) Dies dominica (E/5626).

CAPUT IV [50]

DE MUNERE ECCLESIAE IN MUNDO HUIUS TEMPORIS

40. (Olim 48-49) [*De huius capitis proposito*]. Omnia quae a nobis dicta sunt de dignitate personae humanae, de hominum communitate, de profundo navitatis humanae sensu, fundamentum relationis Ecclesiam inter et mundum[1] necnon basim *eorum* mutui dialogi *constituunt* (A). Hoc *autem* capite de ipsa Ecclesia agitur, quatenus ut visibilis communitas in hoc mundo exsistit.

[50] Procedens ex *amore* Patris,[2] *Ecclesia quidem, vi originis et institutionis suae, finem habet salutarem et eschatologicum. At haec familia filiorum Dei iam in historia terrestri generis humani usque ad adventum Domini praeparari et coadunari debet, et quidem secundum voluntatem Dei in communitate visibili. Ita Ecclesia iam in tempore ad id destinata est, ut sit veluti anima societatis humanae*[3] *in Christo renovatae.*

Quae quidem compenetratio civitatis terrestris et caelestis nonnisi fide perspici potest, mysteriumque manet historiae humanae, quae usque ad plenam revelationem claritatis filiorum Dei peccato perturbabitur. Attamen Ecclesia, finem proprium persequendo, per singula sua membra et totam suam communitatem multum se conferre posse credit ad ordinandum mundum et societatem humanam eiusque historiam elevandam; ac simul ei persuasum est se multum ab hominibus iuvari posse. Huius mutui adiutorii principia quaedam ponuntur.

41. (Olim 49) [*De adiutorio quod Ecclesia singulis hominibus praestare potest*]. (A). *Homo hodiernus in via est ad personalitatem suam plenius evolvendam iuraque sua in dies magis detegenda et affirmanda. Si Ecclesiae concreditum est* manifestar*e* mysterium Dei, *qui est ultimus finis personalis hominis, ipsa homini simul* aperit sensum propriae eius existentiae, essentialem scilicet de homine veritatem. Vere novit Ecclesia *solum Deum,* cui ipsa inservit, profundissimis respondere desideriis humani cordis, quod nutrimentis terrestribus nunquam plene satiatur. Novit praeterea hominem, incessanter a Spiritu Dei sollicitatum, nunquam circa problema religionis *prorsus* (B) indifferentem fore, sicut non solum experientia saeculorum anteactorum, sed multiplici etiam testimonio nostrorum temporum comprobatur. Semper enim homo scire desiderabit, saltem confuse, quae sit significatio suae vitae, *suae navitatis* (C) ac suae mortis. Ipsa praesentia Ecclesiae haec problemata in eius mentem revocat. Solus autem Deus, qui hominem ad imaginem suam creavit *atque a peccato redemit* (D), his quaestionibus *plenissimum* responsum praebet,
[51] *idque per* revelationem *in Christo Filio suo, qui homo factus est* (E). *Quicumque Christum sequitur, hominem perfectum, et ipse magis homo fit.* Verbum *enim* Patris incarnatione sua totum hominem, corpus et animam, in eoque totam naturam, a Deo *in utilitatem hominis* creatam, assumpsit *et per crucem et resurrectionem sanctificavit* (F).

Ex hac fide Ecclesia dignitatem naturae humanae omnibus opinionum mutationibus subtrahere potest, quae exempli gratia corpus humanum aut nimis deprimunt aut immoderate extollunt (G). *Nulla lege humana, personalis dignitas atque libertas hominis adeo in tuto collocari possunt quam Evangelio Christi Ecclesiae concredito. Evangelium nempe liber-*

tatem Filiorum Dei annuntiat et proclamat, omnem servitutem ex pec- [51]
cato ultimatim fluentem respuit (cf. *Rom.* 8, 14-17) *dignitatem conscientiae eiusque liberam decisionem sancte veretur, omnia talenta humana in Dei hominumque servitium reduplicare indesinenter monet, omnes denique omnium caritati commendans* (cf. *Mt.* 22, 39) (H). Quamvis enim in praesenti oeconomia ordo redemptionis in se ordinem creationis includat et historia hominum arctissime in historia salutis implicetur, *haec tamen inclusio nullo modo ordinem creationis aufert, sed potius illum in sua dignitate servatum elevat* (I).

Ecclesia ergo, vi Evangelii sibi concrediti, iura hominum proclamat et dynamismum temporis hodierni, quo haec iura undique promoventur, agnoscit et aestimat. Quem motum tamen spiritu Evangelii imbuere et purificare debet, ne singuli homines tentationi succumbant falsam autonomiam praetendendi. Tentationi enim subiiciuntur homines iudicandi sua iura personalia tunc tantum plene servari, cum ab omni norma Legis divinae solvuntur. Hac autem via, personae humanae dignitas, nedum salvetur, potius perit.

42. (Olim 51) [*De adiutorio quod Ecclesia societati humanae afferre potest*] (A). *Unio familiae humanae et unitas familiae filiorum Dei in Christo fundata*[4] *se invicem complere possunt et debent.*

Christus *utique* Ecclesiae suae nullam missionem concredidit nullumque finem assignavit ordin*is* politic*i*, oeconomic*i*, social*is*. Finis quem ei praefixit ordinis religiosi est.[5] *At sane ex hac ipsa missione religiosa lux et vires fluunt, quae ordini sociali hominum constituendo et firmando inservire possunt. Ecclesia agnoscit quidquid boni in dynamismo sociali hodierno invenitur: evolutionem versus unitatem, processum sanae socializationis et consociationis civilis et oeconomicae. Promovere enim unitatem cum intima Ecclesiae missione cohaeret, cum sit « in Christo* veluti sacramentum *seu signum et instrumentum* intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ».[6] *Ita ipsa mundo ostendit veram unionem socialem externam ex unione cordium fluere, ex illa scilicet caritate, qua in Spiritu Sancto eius unitas indissolubiliter condita est. Qua de causa Ecclesia filios suos, sed etiam omnes homines monet, ut,*
in hoc familiali spiritu filiorum Dei, omnes dissensiones inter nationes [52]
et stirpes superent et legitimis associationibus humanis internam firmitatem praebeant.

Magna cum reverentia ergo Concilium considerat quaecumque vera, bona, iustaque inveniuntur in diversissimis institutionibus, quae genus humanum sibi condidit incessanterque condit. Declarat insuper, Ecclesiam *omnes tales institutiones adiuvare et promovere velle, quatenus ab ea*

[52] *dependet et cum eius missione coniungi potest.* Natura sua, Ecclesia ad nullam alliga*tur* particularem cultur*ae* human*ae* formam aut systema politicum, oeconomicum vel sociale; nihilque ardentius desiderat quam ut, omnium bono inserviens, se sub quovis regimine evolvere possit, quod iura fundamentalia personae ac familiae, boni communis necessitates et suae missionis libertatem agnoscat. Ecclesia autem universalitati missionis suae religiosae renuntiare non potest, nec sinere eam ad aliquam particularem societatis formam arctari aut redigi.

43. (Olim 52-54, 56) [*De adiutorio quod Ecclesia per christianos navitati humanae conferre potest*] (A). *Concilium christianos, cives utriusque civitatis, adhortatur ut sua terrestria officia fideliter implere studeant, idque spiritu Evangelii ducti* (B). *A veritate discedunt* (C) qui, scientes nos non habere hic manentem civitatem sed futuram inquirere (cf. *Hebr.* 13, 14), putent se proinde officia sua terrestria negligere posse, non attendentes se per ipsam fidem ad eadem implenda magis teneri, secundum vocationem qua quisque vocatus est (cf. *2 Thess.* 2, 6-13; *Ept.* 4, 28 *b*) (D). At non minus errant qui, *e contrario,* opinentur sese totaliter negotiis terrestribus immergere posse, quasi ista omnino aliena sint a vita religiosa, quippe qui ipsam in solius cultus actibus et officiis quibusdam moralibus implendis consistere arbitrentur. *Discidium* (E) illud inter fidem quam profitentur et vitam quotidianam multorum, inter graviores nostri temporis errores recensendum est. *Scandalum hoc iam in Vetere Testamento Prophetae vehementer redarguunt* (cf. *Is.* 58, 6-7) *et multo magis in Novo Testamento Iesus Christus ipse gravibus poenis minatus est* (cf. *Mt.* 23, 3-23; *Mc.* 7, 10-13). Ne igitur perperam inter se opponantur *activitates* professionales et sociales ex una parte, vita religiosa ex altera. Christianus, officia sua temporalia negligens, officia sua negligit erga ipsum Deum suamque aeternam salutem in discrimine adducit. Gaudeant potius christiani, exemplum Christi secuti, qui fabrilem artem exercuit, se omnes suas navitates terrestres exercere posse, conatus humanos, domesticos, professionales, scientificos vel technicos in unam synthesim vitalem *cum* bon*is* religios*is* colligendo, *sub quorum altissima ordinatione omnia in Dei gloriam coordinantur* (F).

Laicis proprie, etsi non exclusive, saecularia officia et navitates competunt. Cum igitur, sive singuli sive consociati, ut cives mundi agunt, non solum leges proprias uniuscuiusque disciplinae servabunt, sed veram
[53] peritiam in illis campis sibi comparare studebunt. Libenter cum hominibus eosdem fines persequentibus cooperabuntur. Agnoscentes exigentias fidei eiusque virtute praediti, instrumentis technicis utentes, incunctanter, ubi oportet, nova incepta excogitent atque ad effectum deducant. *Sciant*

quoque laici (G) ad christianam conscientiam, iam apte formatam, generatim spectare, ut lex divina in vita civitatis terrenae inscribatur; *a* sacerdotibus vero et illuminationem et *vim spiritualem exspectent* (H). Ne censeant pastores suos semper peritos esse ut, in omni quaestione *exsurgenti* (I), etiam gravi, sibi responsum *in promptu* (K) habere queant, aut illas ad hoc missos esse: ipsi potius, sapientia christiana illustrati et ad doctrinam Magisterii observanter attendentes, partes suas proprias assumant. [53]

Pluries ipsa visio christiana rerum eos ad certam solutionem in quibusdam rerum adiunctis inclinabit. Alii tamen fideles, non minore sinceritate ducti, *ut saepius et quidem legitime accidit* (L), aliter de eadem re iudicabunt. Quodsi solutiones *hinc inde* propositae, etiam *praeter partium intentionem* (M), a multis facile connectantur cum nuntio evangelico, cuius sunt praecones, meminerint oportet nemini licere in praefatis casibus *pro sua sententia* auctoritatem Ecclesiae *sibi exclusive vindicare* (N). *Semper autem colloquio sincero* (O) se invicem illuminare satagant, mutuam caritatem servantes *et boni communis imprimis solliciti*[7] (P).

Episcopi vero, quibus *munus* moderandi Ecclesiam Dei *commissum* (Q) est, *cum presbyteris suis* ita nuntium Christi cum auctoritate praedicare *debent, ut omnes activitates terrestres fidelium Evangelii luce perfundantur* (R). *Insuper memores sint se sua cotidiana conversatione et sollicitudine*[8] *mundo faciem Ecclesiae exhibere, ex qua homines vim et veritatem nuntii christiani iudicant* (S). *Vita et verbo, una cum religiosis atque suis fidelibus, domenstrent* (T) Eccesi*am* iam sola sua praesentia, cum omnibus quae continet donis, inexhaustum fon*tem esse* illarum virtutum, quibus mundus hodiernus maxime indiget. *Studiis assiduis se ita aptos reddant, ut dialogum cum mundo et hominibus cuiuscumque opinionis, gerere possint* (U). *Imprimis vero in corde habeant verba huius Sacrosanctae Synodi ad seipsos directa*: « *Quia genus humanum hodie magis magisque in unitatem civilem, oeconomicam et socialem coalescit, eo magis oportet ut Sacerdotes, coniuncta cura et ope sub ductu Episcoporum et Summi Pontificis, omnem rationem dispersionis elidant, ut in unitatem familiae Dei totum genus humanum adducatur* ».[9]

Quamvis Ecclesia ex virtute Spiritus Sancti fidelis sponsa Domini sui manserit et numquam cessaverit esse signum salutis in mundo (V), *ipsa tamen* minime ignorat *inter* membra sua,[10] sive clericos sive laicos, decurrente multorum saeculorum serie, *non defuisse qui* Spiritui Dei infideles fuerint; et etiam hac aetate *Ecclesiam non fugit* nuntium a se prolatum *humanam debilitatem* longe excedere. *Quidquid sit de iudicio quod de istis defectibus historia proferre possit, eorum conscii esse debemus et strenue contra eos pugnare, ne Evangelio detrimentum afferant.* [54]

[54] *Instigante Spiritu Sancto, Ecclesia Mater indesinenter filios suos « ad purificationem et renovationem exhortatur, ut signum Christi super faciem Ecclesiae clarius effulgeat »* [11] (W).

44. (Olim 55) [*De adiutorio quod Ecclesia a mundo hodierno accipit*]. *Sicut autem mundi interest* Ecclesiam ut socialem realitatem historiae eiusque *fermentum agnoscere* (A), et ipsa Ecclesia non ignorat quantum ex humani generis historia *et evolutione* (B) acceperit.

Experientia praeteritorum saeculorum, profectus scientiarum, thesauri in variis cultur*ae* human*ae* formis absconditi, ipsius hominis naturam plenius manifestant novasque vias ad veritatem (C) aperiunt. *Imprimis* nostris temporibus, in quibus res celerrime mutantur et cogitandi modi valde variantur, Ecclesia, ad missionem suam adimplendam, peculiariter eorum auxilio indiget qui, viventes in mundo, varias institutiones et disciplinas callent earumque intimam mentem intelligunt, sive de credentibus sive de non credentibus agatur. Totius Populi Dei est, praesertim *pastorum* et theologorum, adiuvante Spiritu Sancto, varias loquelas nostri temporis auscultare, discernere et interpretari easque sub lumine verbi divini diiudicare, ut revelata veritas semper penitius percipi, melius intelligi et aptius proponi possit.

Ecclesia, cum visibilem habeat structuram socialem, signum quidem suae unionis in Christo, etiam ab evolutione vitae socialis humanae ditatur et ditari potest. Insuper ipsa grato animo percipit se, in sua communitate non minus quam in singulis suis filiis, varium adiutorium ab hominibus cuiusvis gradus vel condicionis accipere. Immo, ex ipsa oppositione eorum qui ei adversantur vel eam persequuntur, sic disponente divina Providentia se multum profecisse et proficere posse fatetur [13] (D).

45. (Olim 58 et 47) [*De Christo, alpha et omega*] (A). *Ecclesia, sive a mundo adiuvetur, sive ipsa mundum adiuvet, ad hoc unum tendit ut Regnum Dei adveniat et totius humani generis salus instauretur. Omne bonum, quod Populus Dei in tempore suae peregrinationis terrestris hominum familiae praebere potest, ex hoc profluit quod Ecclesia est « universale salutis sacramentum »*,[14] mysterium amoris Dei erga hominem manifestans simul et operans.

Verbum enim Dei, per quod omnia facta sunt, Ipsum caro factum est, ita ut, perfectus homo, omnes salvaret et universa recapitularet. Dominus finis est humanae historiae, « punctum medium desideriorum historiae et civilisationis », humani generis centrum, omnium cordium gaudium eorumque aspirationum plenitudo.[15] Ille est quem Pater a mortuis suscitavit, exaltavit et a dextris suis collocavit, Eum vivorum atque

mortuorum iudicem constituens. In Eius Spiritu, qui « omnia scru- [54]
tatur, etiam profunda Dei » (*1 Cor.* 2, 10), versus historiae humanae [55]
peregrinamur consummationem, quae cum consilio Eius dilectionis plene congruit: « Instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt » (*Eph.* 1, 10).

Dicit Dominus: « Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis » (*Apoc.* 22, 12-13).

NOTAE

Ad n. 40.

[1] Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam*, III: *A.A.S.*, 56 (1964), pp. 637-659.

[2] Cf. *Tit.* 3, 4: « filantropìa ».

[3] Cf. Epist. *ad Diognetum*, cap. VI, 1: MG 2, 1173: « Ut autem simpliciter dicam, quod est in corpore anima, hoc sunt in mundo Christiani ».

Ad n. 42.

[4] Cf. Const. dogm. *Lumen Gentium*, cap. II, n. 9: *A.A.S.*, 57 (1965), pp. 12-13.

[5] Cf. PIUS XII, *Alloc.* 9 mart. 1956, ad cultores historiae et artis: *A.A.S.*, 48 (1956), p. 212: « Son Divin Fondateur, Jésus Christ, ne lui a donné aucun mandat ni fixé aucune fin d'ordre culturel. Le but que le Christ lui assigne est strictement religieux (...). L'Eglise doit conduire les hommes à Dieu, afin qu'ils se livrent à lui sans réserve (...). L'Eglise ne peut jamais perdre de vue ce but strictement religieux, surnaturel. Le sens de toutes ses activités, jusqu'au dernier canon de son Code, ne peut être que d'y concourir directement ou indirectement ».

[6] Const. dogm. *Lumen gentium*, cap. I, n. 1: *A.A.S.*, 57 (1965), p. 5.

Ad n. 43.

[7] Cf. Decretum *de apostolatu laicorum*, quoad totum a laicis testimonium praestandum.

[8] Cf. Const. dogm. *Lumen Gentium*, cap. III, n. 28: *A.A.S.*, 57 (1965), p. 35.

[9] *Ibid.*, n. 28: *A.A.S.*, *l. c.*, pp. 35-36.

[10] Cf. S. AMBROSIUS, *De virginitate*, cap. VIII, n. 48: *ML* 16, 278.

[11] Cf. Const. dogm. *Lumen Gentium*, cap. II, n. 15: *A.A.S.*, 57 (1965), p. 20.

Ad n. 44.

[13] Cf. IUSTINUS, *Dialogus c. Tryphone*, cap. 110: *MG* 6, 729: « Sed quanto magis magisque talia nobis infinguntur, eo plures alii per nomen Iesu fideles et pii fiunt ». Cf. TERTULLIANUS, *Apologeticus*, cap. 50: *ML* 1, 534: « Plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis Christianorum ».

Ad n. 45.

[14] Cf. Const. dogm. *Lumen Gentium*, cap. II, n. 15: *A.A.S.*, 57 (1965), p. 20.

[15] Cf. PAULUS VI, *Alloc.* 3 febr. 1965: *L'Osservatore Romano*, 4 febr. 1965.

[56]

RELATIO

N.B.: Totum caput IV sic ordinatur ut materia trium priorum capitum in eo resumatur. Unde ordo retentus.

Ad num. 40.

(A) Nova verba inserta sunt ad propositum Capitis melius exprimendum, secundum E/5424 et E/5466.

Ad num. 41.

(A) Nova inscriptio paragraphi melius exponere vult propositum eius: quomodo Ecclesia *singulos homines* adiuvare possit.

(B) « Prorsus » (E/5634) quae tamen voluit dicere: « plene ».

(C) « Sua navitatis », clarior videtur esse, loco « conatus ». Proponitur a Subcommissione.

(D) « Peccato redemit » (E/5634).

(E) Mutatio proposita, sub aliqua ratione (E/5634).

(F), (G), (H) Sec. em. generales 5466 et 5424, et em. particularem 5614, clarius exponitur, quid Ecclesia ex sua fide in Revelationem in Christo factam ad dignitatem personae humanae salvandam conferre possit. Puncta principalia anthropologiae christologicae hic enumerantur.

(I) Breviter problema mutuae distinctionis et connexionis inter ordinem redemptionis et ordinem creationis tangitur (prius in n. 50), quod tamen in unitate cum praecedentibus sumi debet. Textus propter difficultatem quaestionis in E/5424 expositam cautius loquitur quam in priore n. 50. In novo textu omittuntur quae n. 50, pag. 39, linn. 7-10, n. 51, pag. 39, linn. 24-26 positive et negative dicuntur: sc. missionem Ecclesiae « *universalitatem* » factorum et problematum attingere.

Ad num. 42.

(A) Agitur nunc de hoc: quomodo Ecclesia *societatem* humanam ex sua in mundo praesentia promovere possit. Ideo nova inscriptio paragraphi. Haec paragraphus, ex elementis n. 49 et 51 composita, ordinem suum et aliqua elementa nova recepit secundum principia in *em. generalibus* (imprimis E/5424 et E/5466) proposita. Principia generalissima tantum ponuntur, quia concretiora in parte II schematis sequuntur. Hic sermo est de Ecclesia in genere.

Ad num. 43. [57]

(A) Nova inscriptio, quia novus ordo paragraphi:

1. ponuntur *principia generalia* pro *omnibus christianis* vigentia (1 al.);

2. sermo est de Laicis (E/5424) (2-3 alinea);

3. sermo est de *Pastoribus* et *Sacerdotibus* (E/5424) (4 alinea);

4. sermo est de limitibus historicis et de defectibus Ecclesiae in mundo (5 alinea).

(B) Prima sententia affertur ad nexum et propositum paragraphi assignanda.

(C) « A veritate discedunt » loco durioris formulae: « graviter errent ».

(D) Loci scripturistici apto modo sec. propositum Subcommissionis inseruntur.

(E) « Discidium » loco durioris « divortium » (p. 40, lin. 30).

(F) Nova verba addita (E/5614).

(G) « Laici » ut subiectum sententiae clarius ponuntur.

(H) Loco « illuminationem et animationem praebere » ponitur: (laici) a sacerdotibus vero et illuminationem et vim spiritualem exspectent (E/5604).

(I) Loco « oriente » videtur clarius ponendum: « exsurgente ».

(K) Additur « promptum » ad limitandam affirmationem.

(L) Loco « fortasse » melius dicendum esse videtur: « ut saepius et quidem legitime accidit » (sec. animadversiones Laicorum Subcommissioni adscriptorum).

(M-N-O) Formulae cautiores electae sunt in re tam difficili (E/5747).

(P) Passus textus recepti, pag. 42, linn. 8-20, omittitur (E/5747, E/5424).

(Q) Passus *de pastoribus* (additis « sacerdotibus » necnon « religiosis ») contra E/5288 retinetur, melius tamen ordinatur (E/5467).

(R) Loco « vita concreta » (E/5292) ponitur: « activitates terrestres ».

(S et T) Relatio ad « mundum » haec verba postulat.

(U) Monitum ad praeparationem sacerdotum ad dialogum cum mundo gerendum Subcommissio addidit, quia ex fine huius paragraphi requiritur.

(V) Insertum est (E/5632), ad excludendas difficultates huius paragraphi.

(W) Haec verba ex *Lumen gentium* inserta sunt, cum sint ad rem.

[57] *Ad num. 44.*

(A) Inseritur: etiam mundi interesse debere Ecclesiam ut factorem socialem in mundo proficere (E/5424).

[58] (B) Inseritur « evolutione », quia verbum « historia » non sufficit.

(C) Veritas cum minuscula (E/5288, E/5292).

(D) Addita est paragraphus de diversis aliis respectibus, sub quibus Ecclesia adiutorium accipere potest, imprimis sub aspectu *sociali.* In particularia tamen non intratur.

Ad num. 45.

(A) Caput concluditur, ut tria priora capita, per evocationem Christi, Ecclesiae Sponsi.

N. B.: Ex abbreviatione textus factum est ut numeri Primae Partis pauciores essent quam praevisum erat. Proinde explicatur cur desint quinque numeri inter finem Primae Partis (n. 45) et initium Secundae Partis (n. 50), quae iam sub prelo erat. Huic defectui in redactione definitiva occurremus.

[59] ## SUFFRAGATIONES *

Prooemium et Expositio introductoria

Nn. 1-10, per *placet* vel *non placet.*

Pars prima

N. 11, per *placet* vel *non placet.*

Caput I: *De humanae personae dignitate*

Nn. 12-18, per *placet* vel *non placet.*
Nn. 19-22, per *placet* vel *non placet.*
De integro capite, per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Caput II: *De hominum communitate*

Nn. 23-26, per *placet* vel *non placet.*
Nn. 27-32, per *placet* vel *non placet.*
De integro capite, per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Caput III: *De humana navitate in universo mundo*

Nn. 33-36, per *placet* vel *non placet.*
Nn. 37-39, per *placet* vel *non placet.*
De integro capite, per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

---

* Cf. pag. 559, Admonitio secretarii generalis.

Caput IV: *De munere Ecclesiae* [59]

Nn. 40-42, per *placet* vel *non placet.*
Nn. 43-45, per *placet* vel *non placet.*
De integro capite, per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Pars secunda

Prooemium

N. 50, per *placet* vel *non placet.*

Caput I: *De matrimonio*

Nn. 51-53, per *placet* vel *non placet.*
Nn. 54-56, per *placet* vel *non placet.*
De integro capite, per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Caput II: *De cultura* [60]

Nn. 57-63, per *placet* vel *non placet.*
Nn. 64-66, per *placet* vel *non placet.*
De integro capite, per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Caput III: *De vita oeconomica-sociali*

Nn. 67-70, per *placet* vel *non placet.*
Nn. 71-72, per *placet* vel *non placet.*
Nn. 73-76, per *placet* vel *non placet.*
De integro capite, per *placet, non placet, placet iuxta modum*

Caput IV: *De vita politica*

Nn. 77-78, per *placet* vel *non placet.*
Nn. 79-80, per *placet* vel *non placet.*
De integro capite, per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Caput V: *De pace et de communitate gentium*

Nn. 81-86, per *placet* vel *non placet.*
Nn. 87-90, per *placet* vel *non placet.*
Nn. 91-94, per *placet* vel *non placet.*
De integro capite, per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Conclusio

Nn. 95-97, per *placet* vel *non placet.*

[5]

PARS II *

DE QUIBUSDAM PROBLEMATIBUS URGENTIORIBUS

50. (Olim n. 59) [*Prooemium*]. Concilium, postquam exposuit *cuiusnam dignitatis sit persona hominis* necnon ad quodnam munus, sive singulare sive commune, in *universo mundo* adimplendum sit vocatus, *sub eadem luce Evangelii et humanae experientiae* omnium nunc animos ad quasdam urgentiores huius temporis necessitates convertit, quae maxime genus humanum afficiunt.

Inter multa quae hodie sollicitudinem *omnium* excitant haec praesertim recolere iuvat: matrimonium et familiam, cultur*am* human*am*, vitam oeconomicam-socialem ac politicam, coniunctionem familiae populorum et pacem; circa singula clarescant principia et lumina a Christo manantia, quibus christifideles ducantur omnesque homines illuminentur in tot implicatorum problematum solutione quaerenda.

Caput I

DE DIGNITATE MATRIMONII ET FAMILIAE FOVENDA

51. (Olim n. 60) [*De matrimonio et familia in mundo hodierno*]. Salus personae et societatis humanae *ac christianae* arcte cum fausta condicione communitatis *coniugalis* et familiaris connectitur (A). Ideo christiani, *una cum omnibus qui eandem communitatem magni aestimant,* sincere gaudent de *variis* subsidiis quibus *homines, in communitate amoris fovenda* et in vita colenda, hodie progredi*un*tur, et coniuges atque parentes in praecellenti suo munere adiuvantur; meliora insuper exinde beneficia exspectant atque promovere student (B).

Non ubique *vero* huius institutionis dignitas eadem claritate illucescit, siquidem polygamia, *divortii lue, amore sic dicto libero,* aliisve formis *erroneis* obscuratur (C); insuper amor nuptialis *saepius egoismo et hedonismo erotico profanatur* (D). Praeterea *hodiernae condiciones* oeconomicae, *socio-psychologicae et civiles* non leves pro vita familiae *perturbationes* inducunt (E). In *certis denique* orbis partibus *non absque sollicitudine problemata ex* incremento demographico *exorta obser-*

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali 159, die 12 novembris 1965.

vantur (F). *E quibus omnibus conscientiae anguntur* (G). Verumtamen [5] matrimonialis familiarisque instituti vis et robur ex eo quoque apparent, quod profundae immutationes societatis hodiernae, *non obstantibus difficultatibus inde prorumpentibus, saepesaepius* veram *eiusdem* [6] *instituti indolem vario modo* manifesta*n*t (H).

Quapropter S. Synodus, quaedam doctrinae Ecclesiae capita in clariorem lucem ponendo, christianos hominesque universos illuminare et confortare intendit, qui, ad statum matrimonialem vocati, eiusdem dignitatem nativam atque eximium valorem sacrum tueri et promovere conantur (J).

52. (Olim n. 61). [*De sanctitate matrimonii et familiae*]. *Intima* communitas *vitae et amoris* coniugalis, a Creatore condita suisque legibus instructa, foedere coniugii seu irrevocabili consensu personali instauratur (A). Ita actu humano, quo *coniuges* sese mutuo tradunt atque accipiunt, institutum ordinatione divina firmum oritur, etiam coram *societate;* hoc vinculum sacrum *intuitu* boni *tum* personarum *tum societatis* non amplius e solo *humano* arbitrio pendet (B). Ipse vero Deus est *auctor matrimonii,* variis bonis ac *finibus praediti;* quae omnia pro generis humani continuatione, pro singulorum familiae membrorum *progressu personali* ac *sorte* aeterna, pro stabilitate, pace et prosperitate totius humanae societatis maximi sunt momenti (C). *Ipsum autem institutum matrimonii amorque coniugalis, generosus atque conscius, procreatione et educatione prolis* veluti suo fastigio corona*n*tur (D). Vir itaque et uxor, qui foedere dilectionis *coniugalis* « iam non sunt duo, sed una caro » (*Mt.* 19, 6), intima *personarum* atque operum coniunctione mutuum sibi adiutorium et servitium praestant, sensumque suae unitatis experiuntur et plenius in dies adipiscuntur (E). Quae intima unio, *utpote mutua duarum personarum donatio,* plenam coniugum fidem exigit atque indissolubilem unitatem, *etiam intuitu liberorum,* urget (F).

Christus Dominus hanc multiformem dilectionem, e divino caritatis fonte exortam et ad exemplar suae cum Ecclesia unionis constitutam, abundanter benedixit. Sicut enim Deus olim foedere dilectionis et fidelitatis populo suo occurrit,[1] ita nunc hominum Salvator Ecclesiaeque Sponsus,[2] *per* sacrament*um* matrimonii christifidelibus coniugibus obviam venit (G). Manet porro cum eis, ut quemadmodum Ipse dilexit Ecclesiam et semetipsum pro ea tradidit,[3] ita et coniuges, mutua deditione, se invicem perpetuo dilig*a*nt. *Germanus* amor coniugalis in divino amore assumitur et virtute redemptiva Christi et salvifica actione Ecclesiae regitur et ditatur, ut efficaciter ad Deum ducat (H). Quapropter *coniuges christiani* ad sui status officia et dignitatem peculiari veluti

[6] consecrantur et roborantur sacramento;[4] cuius virtute munus suum coniugale explentes, gradatim ad *propriam* humanae personae perfectionem mutuamque sanctificationem, ideoque communiter ad Dei glorificationem accedunt (J).

Unde, *ipsis parentibus exemplo et oratione praegredientibus,* filii, immo et omnes in familiae convictu degentes, sanctitatis atque salutis viam facilius invenient (K).
[7] Coniuges autem, dignitate ac munere paternitatis et maternitatis ornati, officium educationis *praesertim religiosae, quod ad ipsos imprimis spectat,* diligenter adimplebunt (L).

Liberi, ut viva familiae membra, ad sanctificationem parentum suo modo conferunt. Gratae enim mentis affectu, pietate atque fiducia beneficiis parentum respondebunt ipsisque in rebus adversis necnon in senectutis solitudine filiorum more assistent. *Familia suas divitias spirituales cum aliis quoque familiis generose communicabit* (M). *Proinde,* familia christiana, cum e matrimonio ut imagine et participatione foederis dilectionis Christi et Ecclesiae exoriatur,[5] vivam Salvatoris in mundo praesentiam atque germanam Ecclesiae naturam omnibus patefaciet, tum coniugum amore, generosa fecunditate, unitate atque fidelitate, tum omnium membrorum amabili cooperatione.

53. (Olim n. 62) [*De amore coniugali*]. Pluries Verbo divino sponsi atque coniuges invitantur, ut casto amore sponsalia et indivisa dilectione coniugium nutriant atque foveant.[6] Plures quoque nostrae aetatis homines verum amorem inter maritum et uxorem, *variis rationibus secundum honestos populorum et temporum mores manifestatum,* magni faciunt. Ille autem amor, utpote eminenter humanus, cum *a persona* in personam *voluntatis affectu dirigatur, totius personae bonum complectitur ideoque* corporis animique motus peculiari dignitate ditare eosque tanquam elementa ac signa specialia coniugalis amicitiae nobilitare valet (A). Hunc amorem Dominus, *speciali* gratiae *et caritatis* dono, *sanare* et elevare dignatus est (B). Talis amor, humana simul et divina consocians, coniuges ad liberum et mutuum sui ipsius donum, tenero affectu et opere probatum, conducit *totamque* vita*m* coniu*gum* pervadit;[7] immo ipsa generosa sua operositate perficitur et crescit (C). Longe igitur exsuperat meram « eroticam » inclinationem, quae, egoistice exculta, citius et misere evanescit.

Haec dilectio proprio *matrimonii* opere *singulariter* exprimitur et perficitur (D). Actus proinde, quibus coniuges intime et *caste* inter se uniuntur, honesti *ac digni* sunt et, modo vere humano *exerciti,* donationem mutuam significant et fovent, *qua sese invicem laeto gratoque animo locupletant* (E). Amor ille fide ratus, et *potissimum sacramento* Christ*i*

san*citus,* inter prospera et adversa *corpore ac mente* indissolubiliter [7] fidelis *est et proinde ab omni adulterio et divortio alienus remanet* (F). *Aequali etiam dignitate personali cum mulieris tum viri, in mutua atque plena dilectione agnoscenda, unitas matrimonii a Domino confirmata luculenter apparet* (G). Ad officia *autem huius vocationis* christianae constanter peragenda virtus insignis requiritur: *quapropter* coniuges, gratia ad vitam sanctam roborati, firmitatem amoris, magnitudinem animi et spiritum sacrificii assidue colent et oratione impetrabunt (H).

Germanus autem amor coniugalis *altius* aestima*bitur* atque sana circa eum opinio publica efforma*bitur, si coniuges christiani testimonio* [8] *fidelitatis et harmoniae in eodem amore necnon sollicitudine in filiis educandis,* eminent atque in necessaria renovatione « culturali », psychologica et sociali *in favorem matrimonii et familiae* partes suas agunt (J). Iuvenes de amoris *coniugalis* dignitate, munere et opere, potissimum in sinu ipsius familiae, apte instruantur, ut, castitatis cultu instituti, convenienti aetate ab honestis sponsalibus ad nuptias transire possint (K).

54. (Olim n. 63) [*De matrimonii foecunditate*]. Matrimoni*um* et amor coniugalis *indole sua* ad prolem procreandam et educandam ordina*ntur* (A). Unde verus amoris coniugalis cultus totaque vitae familiaris ratio inde oriens *etiam* eo tendunt, ut coniuges forti animo dispositi sint ad cooperandum cum amore Creatoris atque Salvatoris, qui per eos Suam familiam in dies dilatat et ditat (B).

Matrimonium *tamen, quamquam* in prolem ordinatur, non est *tantum ad* procreatio*nem* institutum; sed *ipsa indoles* foederis indissolubilis inter personas *atque* bonum prolis exigunt, ut mutuus etiam coniugum amor recto ordine *exhibeatur,* proficiat et maturescat (C). *Ideo et*si proles, saepius tam optata, deficiat, matrimonium *ut totius vitae consuetudo et communio perseverat,* suumque valorem atque indissolubilitatem servat (D).

In officio humanam vitam transmittendi atque educandi, quod tanquam propria eorum missio considerandum est, coniuges sciunt se cooperatores esse amoris Dei Creatoris eiusque veluti interpretes (E). *Ideo humana et christiana responsabilitate suum munus adimplebunt ac docili* erga Deum *reverentia,* communi consilio atque conatu, *rectum* iudicium sibi efformabunt, *attendentes tum ad suum ipsorum bonum, tum ad bonum liberorum, sive iam nati sint sive futuri praevideantur,* dignoscentes temporum et status vitae condiciones tum paedagogicas tum oeconomicas, ac denique rationem servantes boni communitatis familiaris, societatis temporalis *ipsiusque* Ecclesiae (F). *Hoc iudicium ipsi coniuges et nemo alius coram Deo ultimatim ferre debent* (G). *In sua vero agendi*

[8] *ratione coniuges christiani conscii sint se non ad arbitrium suum procedere posse, sed semper regi debere conscientia ab ipsa lege divina illuminanda, dociles erga Ecclesiae Magisterium, quod illam sub luce Evangelii authentice interpretatur. Lex illa divina amoris coniugalis plenam significationem protegit et ad eiusdem vere humanam perfectionem impellit* (H). Ita fideles, *divinae Providentiae confidentes et spiritum sacrificii* excolentes,[8] Creatorem glorificant *atque perfectionem* in Christo *anhelant* cum procreandi munere generosa, humana atque christiana *responsabilitate* funguntur (J). *Inter* coniuges qui tali modo muneri sibi a Deo commisso satisfaciunt, peculiariter memorandi sunt illi qui, prudenti communique consilio, magno animo prolem congruenter educandam etiam
[9] numerosiorem suscipiunt [9] (K). Qui omnes, suo quisque modo, conferunt ad mundi ornatum et ad Ecclesiae augmentum.[10] (L).

55. (Olim n. 64) [*De amore coniugali componendo cum observantia vitae humanae*]. S. Synodus novit coniuges, *in vita coniugali harmonice ordinanda,* saepe *quibusdam hodiernis vitae condicionibus* praepediri (A) atque *in circumstantiis versari* in quibus numerus prolis, saltem ad tempus, augeri nequit, *et fidelis amoris cultus atque plena consuetudo vitae non sine difficultate conservantur* (B). Ubi autem intima vita coniugalis abrumpitur, bonum fidei non raro in discrimen vocari et bonum prolis pessumdari possunt: tunc enim educatio liberorum necnon fortis animus ad prolem ulteriorem suscipiendam periclitantur.

Sunt qui his *problematibus* solutiones *homine indignas afferre praesumunt,* immo ab occisione non abhorrent; *at Ecclesia in memoriam revocat veram contradictionem inter divinas leges vitae transmittendae et germani amoris coniugalis fovendi adesse non posse* (C).

Deus enim, Dominus vitae, praecellens ministerium, servandi vitam hominibus commisit, *humano modo adimplendum* (D). Vita igitur in utero iam concepta maxima cura tuenda est; abortus necnon infanticidium nefanda sunt crimina (E). Facultas vero humana generandi, mirabiliter exsuperans ea quae in inferioribus vitae gradibus *habentur,* necnon ipsi actus vitae coniugali proprii, secundum germanam dignitatem humanam ordinati, magna observantia reverendi sunt (F). *Indoles moralis igitur rationis agendi, ubi agitur de componendo amore coniugali cum responsabili vitae transmissione, non a sola sincera intentione et aestimatione motivorum pendet, sed obiectivis criteriis, in eadem personae humanae dignitate fundatis, determinari debet, quae integrum sensum mutuae donationis ac humanae procreationis in contextu veri amoris observant* (G). *Quibus principiis imbuti, filii Ecclesiae, in procreatione regulanda, ne vias ineant, quae a Magisterio improbantur* (H).

Omnibus vero compertum sit vitam hominum et munus eam transmittendi non ad hoc saeculum tantum perstringi neque eo tantum commensurari et intelligi posse sed ad aeternam hominum destinationem semper respicere (J). [9]

56. (Num. novus) [*De matrimonii et familiae promotione ab omnibus curanda*]. *Christifideles,* praesens tempus redimentes[11] atque aeterna a mutabilibus formis discernentes, bona *matrimonii et* familiae, tum propriae vitae testimonio tum concordi actione cum hominibus bonae voluntatis, diligenter promoveant, et sic, interceptis difficultatibus, providebunt familiae necessitatibus et commodis, quae novis temporibus conveniunt (A). Ad quem finem obtinendum sensus christianus fidelium, recta hominum conscientia moralis necnon sapientia ac peritia eorum qui in sacris disciplinis versati sunt magno adiumento sunt.

Qui scientiis, praecipue biologicis, socialibus et psychologicis eruditi sunt, multum bono matrimonii et familiae, pacique conscientiarum inservire possunt, si collatis studiis diversas condiciones honestae ordinationi procreationis humanae faventes, penitius elucidare conantur (B). [10]

Omnes autem qui influxum in societatem exercent et praesertim potestas civilis promotionis matrimonii ac familiae efficaciter conferre *debent.* Ius parentum prolem procreandi et educandi tutandum est. Cunctis infantibus bonum procuretur quo, in familia vere unita nati, ibi enutriantur atque educentur (C). *Sedulo et convenienter quoque iura protegantur illorum omnium qui misere bono familiae carent* (D). Liberi ita educatione instruantur ut ad aetatem adultam provecti pleno *responsabilitatis* sensu *vocationem etiam sacram,* sequi ac vitae statum eligere valeant, in quo, si nuptiis iungantur, familiam propriam, in condicionibus moralibus, socialibus et oeconomicis ipsi propitiis, condere possint. Parentum vel tutorum est se iunioribus, *in condenda familia,* prudenti consilio, ab eis libenter audiendo, duces praebere, caventes tamen ne eos coactione directa vel indirecta ad matrimonium ineundum aut ad electionem compartis adigant (E).

Cura vero domestica matris qua iuniores praesertim liberi omnimodo indigent magni aestimanda et *in tuto ponenda* est, *quin legitima mulieris promotio socialis posthabeatur* (F).

Varia opera, praesertim familiarum consociationes, iuvenes ipsosque coniuges, praecipue nuper iunctos, doctrina et actione confirmare eosque ad vitam *familialem,* socialem et *apostolicam* formare satagent (G).

Potestas publica ut *sacrum suum munus consideret veram indolem matrimonii et familiae agnoscere et protegere, moralitatem publicam tueri* atque prosperitati domesticae favere (H).

[10] *Sacerdotum est vocationem coniugum diversis mediis pastoralibus, verbi Dei praedicatione, cultu liturgico aliisve adiumentis spirituali in vita eorum coniugali et familiari fovere, eosque humaniter et patienter in difficultatibus sustentare atque in caritate confortare ut vere radiosae familiae efformentur* (J).

Ipsi denique coniuges, ad imaginem *Dei vivi* facti et in vero ordine personarum constituti, *affectu compari, mente consimili et mutua sanctitate adunati sint,*[12] ut Christum, vitae principium,[13] secuti, in sacrificiis et gaudiis vocationis suae, *per eorum fidelem amorem,* illius testes fiant mysterii dilectionis, quod Dominus morte et resurrectione sua mundo revelavit [14] (K).

[11]

NOTAE

Ad n. 52.

[1] Cf. *Os.* 2; *Ier.* 3, 6-13; *Ezech.* 16 et 23; *Is.* 54.

[2] Cf. *Mt.* 9, 15; *Mc.* 2, 19-20; *Lc.* 5, 34-35; *Io.* 3, 29. Cf. etiam *2 Cor.* 11, 2; *Eph.* 5, 27; *Apoc.* 19, 7-8; 21, 2 et 9.

[3] Cf. *Eph.* 5, 25.

[4] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.*, 22 (1930), p. 538.

[5] Cf. *Eph.* 5, 32.

Ad n. 53.

[6] Cf. *Gen.* 2, 22-24; *Prov.* 5, 15-20; 31, 10-31; *Tob.* 8, 4-8; *Cant.* 1, 2-3; 1, 16; 4, 16-5, 1; 7, 8-14; *1 Cor.* 7, 3-6; *Eph.* 5, 25-33.

[7] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.*, 22 (1930), pp. 547 et 548. Denz. 2233 (3707).

Ad n. 54.

[8] Cf. *1 Cor.* 7, 5.

[9] Cf. Pius XII, Alloc. *Tra le visite,* 20 ian. 1958: *A.A.S.*, 50 (1958), p. 91.

[10] Cf. *Sacramentarium Gregorianum*: *PL* 78, 261.

Ad n. 56.

[11] Cf. *Eph.* 5, 16; *Col.* 4, 5.

[12] Cf. *Sacramentarium Gregorianum*: *PL* 78, 262.

[13] Cf. *Rom.* 5, 15 et 18; 6, 5-11; *Gal.* 2, 20.

[14] Cf. *Eph.* 5, 25-27.

RELATIO GENERALIS [12]

Praenotamen

Subcommissioni pro matrimonio et familia et Commissioni generali mixtae membra Commissionis Pontificiae de re coniugali accesserunt ut omnium collaboratione unitas doctrinae obtineatur.

Generalia

I. *Laudatur* schema in omnibus vel saltem in multis a quampluribus, modo sincero et quandoque effuso, in 57 orationibus quae mentem 312 Patrum referebant. Quos inter citare licet: E/5287, E/5619, E/5646 (cum 68 Patribus), E/5648 (cum 55 Patribus), E/5652, E/5653, E/5655, E/5656, E/5685, E/5819, E/5821 (cum 65 Patribus). In specie laudantur:

— doctrina solide fundata: E/5619, E/5653;

— character pastoralis textus: E/5619, E/5648, E/5819;

— modus positivus exponendi materiam: E/5685;

— prudentia textus qui viam mediam sequitur: E/5646 (cum 68 Patribus);

— ordo et stylus menti hodiernae accommodati: E/5653.

II. Quibusdam tamen schema *minus placet*:

1° Ob eius *doctrinam,* quae:

— iuxta quosdam nimis generalis et aliquatenus subiectiva remanere videtur: E/5623, E/5687, de applicatione practica principiorum non satis curat: E/5295, per transennam tantum aliquid dicit de virginitate: E/5620;

— iuxta alios vero adhuc nimis traditionalis manet et non sufficienter omnes, etiam non christianos, directe alloquitur: E/5635.

2° Ob eius *stylum,* qui quandoque arduus apparet (E/5646, E/5687, E/5819), saepe nimis exhortativus (E/5617) et rhetoricus (E/5687), phrasesque nimis iuxtaponit (E/5617).

3° Ob eius *ordinem,* qui non sufficienter logicus et organicus apparet: E/5687.

III. Duplex proponitur *novus textus,* unusquisque in lingua gallica redactus, et quidem ab E/5617 et E/5821. Ageremus autem contra normas si unum aliumve ex illis textibus, utut pulchris, textui recepto

[12] substitueremus. Iidem ceteroquin Patres ipsi seriem valde utilem animadversionum ad integrum textum receptum proponunt, de quibus in singulis numeris sermo fiet.

[13] E/5617 insuper *novam materiae dispositionem* suggerit, quae tendit in meliorem textus ordinem logicum et organicum, et successive tractat de communitate coniugali, de communitate familiali, de officio status erga familiam et de quibusdam quae ad rem pastoralem spectant. Ipse autem textus receptus etiam ordinem logicum sequitur (ordinem nempe virtutum) et organice inter se cohaeret, immo minus institutionalis apparet quam novus textus propositus. Ad eum tamen clarificandum, *stylus* factus est hic inde simplicior, quaedam *materiae transpositiones* proponuntur, iuxta vota E/5617 et E/5821, et brevis *expositio pastoralis* in fine inducenda suggeritur.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

Relatio de numero 51

In genere

E/5617 aestimat textum nimis de erroribus et de problematibus quae non solvuntur disserere eumque non clare exprimere intentiones Concilii; E/5659 rogat ut sublineentur tum locus amoris in vita coniugali (una cum E/5617) tum necessitas actionis communis inter Ecclesiam et coaetaneos; E/5662 dolet de indole nimis polemica textus et novam redactionem proponit in qua plures expressiones sat durae mitigantur.

Ad particularia quod attinet:

(A) Additur: « salus... societatis humanae *et christianae* », ob momentum faustae condicionis matrimonii et familiae pro ipsa vita Ecclesiae (E/5821); quia vero in schemate agitur de matrimonio et familia, nunc sermo fit de « fausta condicione communitatis *coniugalis et* familiaris ».

(B) Quia schema etiam non christianos alloqui intendit, additum est, iuxta votum E/5659: « christiani, *una cum omnibus qui eandem communitatem* (matrimonialem ac familiarem) *magni aestimant* »; pluribus petentibus (v. g. E/5617, E/5659) ut inde ab initio dicatur hanc communitatem esse communionem dilectionis et amoris et tantum matrimonio ius oriri ad vitam colendam, inserendum proponitur: « *in communitate amoris fovenda et in vita colenda* ». Tres denique in his lineis mutationes potius stylisticae proponuntur: « de *variis subsidiis* » (quia

« *omnibus* » nimis absolutum sonat), « *homines* », loco « *genus humanum* » (quod est nimis abstractum), et « progredi*un*tur ». [13]

(C) Oppositio inter partem anteriorem, ubi bona citantur, et hanc partem, indicatur verbo: « *vero* ». Proponitur ut « *divortium* » et « *amor sic dictus liber* » simul cum polygamia citentur, quia sunt mala similia (E/5653) et quia eo modo mala ex diversis regionibus orbis in eadem linea ponuntur (E/5685, E/5815). Ita quoque respondetur voto Patrum [14]
qui *periculum* divortii sublineare intendunt (E/5620, E/5654, E/5821): ideo praecise selecta fuit vox « *lues* » (cf. olim n. 62 sub litt. F). Ne longior fiat elenchus malorum, de praecoci aetate nupturientium (E/5292) loquetur ubi sermo fit de educatione illorum (n. 56 sub E). Proponitur denique ut loco « *fallacibus* » dicatur: « *erroneis* formis » (E/5506, E/5821).

(D) Ne nimis in malis enumerandis eorumdemque iudicio inhaereatur (E/5471, E/5506, E/5617, E/5662), textus de erotismo et hedonismo brevior redditur, retinendo tamen ideas. Proponitur ut verbum: « *erotico* » servetur (E/5648: « *sexuali* »); ut sensus peiorativus, quem vocabulum in quibusdam linguis non habet, e contextu clare appareat vocabula: « eroticus » et « hedonismus » uniuntur.

(E) Loco « *commutationes* » proponitur: « *perturbationes* » (E/5821), in quo vocabulo et « incertitudines » continentur, quae etiam omittuntur latinitatis causa (In certis...).

(F) Cum inter oeconomistas disputatur de gravitate augmenti demographici textus mitior proponitur: « in *certis* orbis partibus... *problemata cum sollicitudine observantur* » (E/5471, E/5506, E/5617, E/5662).

(G) Ne angor et crisis conscientiarum nimis premantur et inde erroneae exspectationes oriantur, textus brevior proponitur (E/5617, E/5662).

(H) Mitius dicitur: « *non obstantibus difficultatibus inde prorumpentibus, saepesaepius* indolem instituti matrimoniali *vario modo* manifestant » (E/5617).

(J) Verba: « Christifideles... novis temporibus conveniunt » e textu recepto in conclusione (N. 56) ponuntur; per novam phrasem intentiones Concilii exponuntur (E/5617, E/5635, E/5659, E/5821).

Relatio de numero 52

(A) Multi Patres inde ab initio non tantum institutum sed communionem vitae in instituto sublineare intendunt: quare additio in textu proponitur: « *Intima* communitas *vitae et amoris* » (E/5287, E/5617, E/5652, E/5819).

[14] In relatione ad textum priorem (p. 102 sub litt. A) explicatur cur commissio verbum « *contractus* » hic omisit, quem agendi modum ceteroquin plures Patres laudant (cf. E/5646+70 Patribus, E/5662, E/5685). Fusius de possibilitate proferendi consensum irrevocabilem hic vix agi posset (E/5622).

(B) Ut clarius appareat fundamentum *naturale* indissolubilitatis matrimonii, de quo in hoc loco tantum est loquendum (E/5499, E/5646), proponitur ut addatur: « intuitu boni tum personarum *tum societatis* »; ob eandem rationem fundamentum e Christo ortum hic supponitur sed
[15] non exponitur (E/5821). Loco « *singulorum* arbitrio », dicendum proponitur: « *humano* arbitrio », ad includendam quamlibet humanam potestatem (E/5634).

(C) Sunt Patres qui expositionem largiorem finium et bonorum matrimonii desiderant (fides, proles, sacramentum: ita E/5615, E/5620, E/5631), dum alii petunt ut fines personalistici et spirituales, de quibus scientiae hodiernae, exponantur (E/5617, E/5619, E/5648, E/5653). Proponitur ut textus servetur, iuxta ea quae dicta sunt in Relatione ad priorem textum, p. 103, sub litt. B. Mutando « *instruxit* » in « *praediti* » clarius apparet agi de re naturali et intrinseca (E/5648, E/5619). Ne iam sermo fiat de « *salute* » sensu christiano, proponitur ut scribatur: « *sorte* aeterna ».

(D) Iuxta petitiones plurium textus brevior proponitur; vox: « *completur* » omittitur ne coniuges, qui prolem non habent, frustrentur.

(E) Iuxta vota E/5634 et 5656 nunc sermo fit de « foedere dilectionis *coniugalis* »; proponitur ut loco: « intima animorum, corporum atque operum coniunctione », dicatur: « intima *personarum* atque operum coniunctione ».

Post « plenius » dicitur « in dies » quae verba respondent comparativo.

(F) Proponitur ut loco: « ex ipsa coniugalis amoris natura », dicatur: « *utpote mutua duarum personarum donatio* », quibus verbis etiam adiungi debent, ut idea modo completo exponatur: « *atque etiam intuitu liberorum* » (E/5424+91 Patribus, E/5648, E/5656): etenim proprietates matrimonii illis duobus elementis vitae coniugalis magis quam natura amoris confirmari videntur. Proponitur ut servetur vocabulum: « *urget* », quod consulto in textu inductum est (loco: « exigit ») praecise ob difficultates a quibusdam Patribus motas (E/5294, E/5424, E/5821). Neque fusius sat notum fundamentum ultimum explicandum videtur (E/5634).

(G) Non necessarium videtur hic de natura peccato laesa loqui, siquidem hac de re infra sermo fit (in n. 53 sub litt. E: E/5821); textus:

« sicut enim Deus olim... ita nunc » sufficienter progressum indicare videtur (E/5648). [15]

(H) Plures Patres, loco: « *ascesi* », dicendum proponunt: « *virtutibus christianis* », quia « ascesis » sensum nimis restrictum habet et divitias virtutum non exprimit (E/5644, E/5648, E/5687, E/5699); *cum vero virtutes christianae ex virtute gratiae Christi sequantur in ipsa contineri censentur nec earum* elenchus (E/5644, E/5650, E/5687) videtur conficiendus. Proponitur ut textus: « *qui etiam virgines colit* » omittatur (E/5646 cum 70 Patribus, E/5846) quia hac de re alibi in textibus conciliaribus sermo fit; idea ceteroquin insinuatur ubi sermo fit de « vocatione etiam sacra » (in n. 56 sub litt. E: ita E/5424).

(J) Proponitur ut verba: « *veluti consecrantur et roborantur* » illo ordine serventur, quia sunt verba Pii XI (E/5294) et ut loco « *plenam* », [16]
scribatur: « *propriam* sanctificationem », quam quidem non semper attingunt coniuges, ut ait E/5620, sed ad quam « *accedere* » dici possunt (E/5821).

(K) Proponitur ut addendo verba: « *parentibus exemplo et oratione praegredientibus* », oratio familiaris commendetur (E/5618, E/5647 + 45).

(L) Proponitur ut indicetur munus educandi « *imprimis ad ipsos parentes* » spectare (E/5287, E/5647), qui ad hoc idonei reddi debent (E/5482). De educatione christiana fusius in Declaratione speciali S. Synodi sermo fiet (E/5292, E/5617, E/5634, E/5686, E/5821).

(M) Brevi phrasi, ad votum laicorum, idea de communicatione bonorum spiritualium inter ipsas familias inculcatur.

Relatio de numero 53

In genere

Numerus ille Patribus placuit (E/5650 + 33, E/5659). Mediam quasi viam tenet inter sententiam eorum qui putant amorem coniugalem primum locum tenere (et ideo postulant ut textus in hoc sensu reelaboretur) et opinionem eorum qui ambiguitatem vocabuli « amoris » eiusque « subiectivitatem » timent. Quapropter commissio proponit ut servetur textus, qui amorem ut completivum quemdam finem operis matrimonialis describit (iuxta doctrinam Pii XII, anno 1941) eiusque indolem spiritualem ostendit.

Ad particularia quod attinet:

(A) Claritatis causa vox « *invitantur* » retinenda videtur.

Proponitur ut non deleatur secunda phrasis (E/5821), quia est tantum introductio ad monita moralia sequentia; suggeritur ut addatur:

[16] « *variis rationibus secundum honestos populorum et temporum mores manifestatum* », cum non omnes mores honesti sint et expressiones amoris apud diversos populos varias formas induant (E/5652). Proponitur ut dicatur: « amor, utpote eminenter humanus » (delendo « utpote *actus* »: E/5294), quia amor, de quo hic, non est actus sed habitus (addendo « *eminenter* humanus » vitatur ne amor consideretur ut passio vel « actus hominis »: E/5634) et ut clarius dicatur amorem illum ante omnia in voluntate radicari (« *cum a persona in personam voluntatis affectu dirigatur* ») et totius personae bonum intendere (« *totius personae bonum complectitur* »), ad vitandam confusionem inter amorem et libidinem (per quas additiones propositio E/5821 fit superflua). Dicendo « *voluntatis affectu* » non excluditur affectivitas, quae phenomenologice primum locum tenere potest; paulo infra ceteroquin sermo fit de « tenero affectu ».

(B) Proponitur ut, ad mentem E/5646 et E/5824, dicatur: « hunc
[17] amorem Deus, *speciali* gratiae et *caritatis* dono, *sanare* et elevare dignatus est », ad ostendendam differentiam inter caritatem et amorem humanum et ad exponendos effectus gratiae sanantis et elevantis.

(C) Dicendo: « *totamque* vita*m* coniug*um* pervadit », proponitur formula brevis, quae omnia complectitur (de gaudiis vitae coniugalis sermo non erat in priori textu).

(D) Ob motivum stylisticum proponitur ut scribatur: « Haec *quidem* dilectio » (E/5821+65), dum suggeritur ut addatur: « *singulariter* exprimitur » ad accuratiorem doctrinae expressionem (E/5499).

(E) Proponitur ut loco: « *ordinatim* », dicatur: « *caste* », ut ordo moralis hac in re indicetur secundum propriam virtutem; suggeritur additio: « honesti *ac digni* », iuxta vota E/5646, E/5650 (« sancti »); loco: « perpetrati » proponitur: « *exerciti* » (« modo humano » indicat ordinem humanum et non « subiectivisticum »: E/5687); suggeritur ut retineatur: « *significant* », quia actus illi non tantum mutuam donationem significare *debent* (E/5648); ad ostendendam indolem interpersonalem vitae coniugalis (E/5846) et gaudium exinde oriens, proponitur ut scribatur: « *qua sese invicem laeto gratoque animo locupletant* ».

(F) Proponitur ut dicatur: « amor... *potissimum sacramento Christi sancitus* », ut clarius ratio naturalis et ratio supernaturalis indissolubilitatis distinguantur (E/5292 et E/5821); addendo « *corpore ac mente* » fidelitas secundum omnes dimensiones personae humanae urgetur; verbis: « *ab omni adulterio et divortio alienus* » textus fit clarior et simplicior.

(G) Proponitur ut phrasis de aequali dignitate personali cum mulieris tum viri, qua unitas matrimonii apparet, e n. 54 (olim 63), linn. 36-

38 textus recepti, in hoc loco transferatur, quia melius cum contextu cohaeret. [17]

(H) Proponitur ut loco: « *vitae* », dicatur: « *vocationis* » (E/5650+33).

(J) Proponitur ut loco: « *christifideles* », dicatur: « *coniuges christiani* » (E/5815), quia de ipsis reapse fit sermo, et ut loco: « *honestate suae vitae* », quod est valde generale, scribatur: « *testimonio fidelitatis et harmoniae in eodem amore* », quia praecise hoc modo sanior opinio publica efformabitur. Ad indicandum obiectum renovationis, suggeritur ut addatur: « *in favorem matrimonii et familiae* ».

(K) Proponitur ut addatur, claritatis causae: « de amoris *coniugalis* dignitate ».

Relatio de numero 54

In genere

Praeter Patres, quibus caput I secundae partis in genere placuit, plures alii principium, uti dicitur, fecunditatis responsabilis, de quo in hoc numero agitur, peculiariter laudant (E/5287, E/5506, E/5619). Alii vero in genere animadvertunt textum nimis unilateraliter de matrimonio ut procreativo loqui (E/5617), adiuncta oeconomica et socialia [18]
in quaestione de fecunditate non sufficienter exponi (E/5651, qui tamen huius numeri doctrinam laudat) et doctrinam de fecunditate complementum requirere (E/5628: quod complementum praebetur in n. 55).

Ad particularia quod attinet:

(A) Proponitur ut dicatur: « *indole sua* », loco: « *talis est... indoles ut* » quia constructio videtur nimis contorta. Suggeritur insuper ut verba: « *ex semetipsis* » deleantur, cum idem habeatur verbis: « indole sua » et cum, ex alia parte, explicita mentio « ex semetipsis » (vel: suapte natura »: E/5634) infirmat verba numeri 54 de matrimonii indissolubilitate, prole optata non habita (E/5648); commissio ceteroquin iam antea statuit quaestiones *technicas* de finibus non esse tractandas (cf. Rel. ant. pag. 103, sub litt. B). Proponitur ut servetur: « *amor* » loco: « *actus* coniugalis », quia agitur de amore coniugali prout etiam in actu coniugali existere potest, ita ut non habeatur confusio inter amorem eiusque actum (E/5648).

(B) Proponitur ut addatur: « *etiam* », ne, uti quidam Patres timent (E/5617, E/5648) « nimis matrimonium unilateraliter ut procreativum habeatur ». Mutationes stylisticae non videntur necessariae (E/5499).

(C) Proponitur ut mutentur verba: « *non est merum procreationis*

[18] *institutum* », ne dictio sit nimis dura (propositio E/5634 textum adhuc duriorem redderet), et ut addatur: « *exhibeatur* », quia amor non tantum proficere, sed etiam recto ordine sese exhibere debet.

(D) Ut magis positive exprimatur valor matrimonii, in quo proles, quamvis optata, deficit, proponitur ut addatur: « (matrimonium) *ut totius vitae consuetudo et communio perseverat* » (E/5634, E/5648), cum verbis « Casti Connubii »; quo addito verba de fecunditate spirituali (quae ceteroquin pro omni matrimonio valebant) superflua fiunt (E/5648). De norma morali sub littera H agitur.

(F) Proponitur ut loco: « suum esse prolis numerum... determinare », novus textus inseratur, in quo, ex una parte, clare affirmatur paternitas responsabilis ex vero amore deducenda (cf. sub F et G: E/5619, E/5287), ex alia autem parte (H) normae morales exponuntur, quibus modus agendi coniugum dirigatur (ut quaesitum fuit ab E/5620, E/5482, E/5499, E/5506, E/5615, E/5624, E/5628, E/5634, E/5644, E/5653, E/5655, E/5657). Textus in nova forma redactus proponitur ut omnis species subiectivismi evitetur. De subsidiis in favorem promotionis familiae (E/5651) sermo fiet in n. 56 (cf. etiam c. III secundae partis huius schematis).

(G) Phrasis haec inserta est petentibus membris laicis commissionis.

[19] (H) Hic statuitur norma moralis.

(J) Proponitur ut loco: « *seipsos in Christo perficiunt* », dicatur: « *perfectionem in Christo anhelant* », quae expressio magis primatum gratiae affirmat (E/5821).

Proponitur ut incisa: « *divinae Providentiae confidentes* », quae in textu recepto ad solos coniuges, prolem numerosiorem habentes, sese refert, ad omnes coniuges fideles extendatur, quia de omnibus valet (E/5430, E/5815), et ut additio fiat *de spiritu sacrificii* (cum referentia ad *1 Cor.* 7, 5).

(K) Proponitur ut nova redactione, quae duas phrases e textu recepto in unam conflat, melius adhuc in lucem ponatur specialis laus familiae prolem numerosiorem habentis (E/5821, E/5657, E/5623, E/5648 textum nimis rhetoricum aestimat); modus loquendi: « prolem *etiam numerosiorem* » (cum comparativo) non videtur ansam praebere erroneae interpretationi (E/5294).

(L) Proponitur modus dicendi simplicior; verba: « *affectu compari, mente consimili et mutua sanctitate adunati* », e Sacramentario Gregoriano desumpta, in pericopa finali (n. 56 b sub litt. K) introduci possunt.

Relatio de numero 55 [19]

In genere

Textus placet Patribus quia bonam viam mediam sequitur et principia, in hac materia fundamentalia modo claro et menti hodiernae accomodato proponit (E/5287, E/5295, E/5619, E/5632, E/5636, E/5652, E/5662, E/5821+55 Patribus). Explicite laudatur textus a 67 Cardinalibus et Episcopis qui, accurate, uti aiunt, textum observaverunt et illum summam doctrinae Ecclesiae praebere asserunt. Explicite in specie laudatur in eo quod iudicium practicum in integra humana dignitate fundatur (E/5648) et partes amoris in aspectu ethico vitae coniugalis agnoscuntur (E/5846).

Quibusdam tamen Patribus textus minus placet:

— quia solutiones practicae (quae Pontificiae Commissioni reservantur) non immediate afferuntur (E/5646, E/5657);

— quia principia vera sed nimis generalia proponuntur (E/5846);

— quia amor nimis extollitur (E/5658);

— quia, silendo de applicationibus et de magisterio Ecclesiae, dubia provocare posset circa modum moralem sese gerendi (E/5499, E/5620);

— quia melior bonorunm distributio non ut remedium citatur (E/5646, E/5659, E/5688: de qua re cf. Pars II, c. III).

Ad particularia quod attinet

(A) Proponitur titulus qui plenius obiectum indicat; suggeritur ut addatur: « *in vita coniugali harmonice ordinanda* », iuxta votum E/5662, ut innuatur conditiones vitae hodiernae praecise ordinationi morali [20]
vitae coniugalis officere posse.

(B) Proponitur ut textus, in proponendis problematibus, mitiorem dicendi modum adhibeat (de illis vide n. 51 sub litt. E).

(C) Proponitur ut verba: « solutionem *faciliorem* » mutentur in: « solutiones *homines indignas* », cum de qualitate morali talium actuum agatur (E/5292, E/5499, E/5634); altera additio proponitur, in qua affirmatur veras exigentias vitae numquam leges divinas vere contradicere.

(D) Proponitur ut deleantur verba: « *quo ubertas vitae... augeatur* », quia sunt repetitio, et ut dicatur: « *humano modo adimplendum* », qua dictione melius modus agendi moralis indicatur.

(E) Proponitur ut abortus sicut infanticidium sine additione exprimantur (E/5620, E/5654).

[20] (F) Proponitur ut loco: « *fiunt* », scribatur: « *habentur* », cum distinctio adsit relate tam ad facultatem generativam quam ad eius actus.

(G) Ut textus de vita coniugali « secundum germanam dignitatem humanam ordinanda » clarior evadat (E/5846), et, in quantum fieri potest, ad vitam practicam accedat (E/5646, E/5657) omneque dubium de charactere obiectivo dignitatis humanae auferatur (E/5688), novus textus proponitur. Iuxta votum E/5846, quo desideratur ut omnes valores, tum amor tum aspectus physici actus coniugalis, tanquam elementa in norma morali efformanda, integrentur suggeritur: « *Indoles moralis ... observant* ». Quibus verbis ex ipso titulo numeri 55 desumptis omnis subiectivismus omnino excluditur et asseritur intentionem personalem et mere individualem aestimationem nullatenus sufficere ad rectum iudicium de moralitate efformandum. Criteria enim obiectiva adhibenda sunt, quibus intrinsecus sensus donationis mutuae in actu humanae procreationis servetur, in contextu quidem veri amoris, ut verus amor recte exprimatur. De illa obiectivitate ulterius constat ex dicendis sub lit. H.

(H) Ne ullum dubium subsistat de obiectiva dignitate humana ut norma moralitatis, neque e silentio circa Ecclesiae Magisterium haesitationes de modo morali sese gerendi oriantur (E/5486, E/5610, E/5623, E/5846), expresse declaratur filios Ecclesiae tantum vias illas sequi posse quae ab eiusdem Magisterio non improbantur.

(J) Proponitur ut in fine huius numeri sequens idea adhuc inseratur: Vita humana semper etiam sub luce aeternitatis consideranda est.

Relatio de numero 56

In genere

Plures Patres quandam generaliorem conclusionem pastoralem optaverunt (E/5617, E/5819), in qua de munere respectivo diversorum hominum, in promotione matrimonii et familiae curanda, ageretur.

[21] *Ad particularia quod attinet*:

(A) Textus propositus desumitur e textu priori (n. 51, olim n. 60, p. 50, linn. 1-5) et tanquam exordium conclusionis generalis inserendus suggeritur (E/5821); additur in textu: « *matrimonii* » (E/5634).

(B) Proponitur textus qui cum exordio cohaeret, ut *studium et collaboratio scientifica* hac in re promoveantur (E/5618).

(C) Proponitur ut non soli potestati civili promotio matrimonii et familiae committatur, sed *omnibus* qui in societate influxum exercent. Textus est desumptus e textu priore n. 52, olim n. 61, p. 48, linn. 13-15.

(D) Instanter petitum est ut de sorte puerorum qui sunt *orphani*

vel *derelicti* atque *viduarum* sermo fiat (E/5645). Res proponitur sub [21]
aspectu iuris, ne adiumento libertas eorum minuatur.

(E) Proponitur ut ille textus e n. 53, olim n. 62, p. 49, linn. 9-13 et linn. 17-20 (editio mense sept.) ad n. 56 transferatur (E/5617); vox « *responsabilitas* » denuo introduc*enda* suggeritur; vox « *vocatio* » de facto sufficit ad omnes species superioris vocationis indicandas, quarum elenchus est difficilis confectu; additur tamen « *etiam sacram* », iuxta modum loquendi constitutionis « Lumen Gentium ».

(F) Textus desumptus est e n. 52, olim n. 61, p. 48, linn. 1-3; proponitur ut *promotio socialis mulieris* non posthabeatur (E/5646+64, E/5821).

(G) Textus desumitur a n. 53, olim n. 62, p. 49, linn. 20-23; proponitur ut addatur verbum « *familialis* » et ut verbum « ecclesiastica » omittatur cum in voce « *apostolica* » contineatur (E/5634).

(H) Munera specifica *societatis civilis* hic indicantur (E/5645).

(J) Proponitur ut paucis verbis munus pastorale *sacerdotum* describatur.

(K) Textus desumptus est e textu priori n. 55, olim n. 64 p. 51, linn. 5-8 et n. 54, olim n. 63, p. 50, lin. 12; proponitur ut addatur « *per eorum fidelem amorem* » ut clarius appareat quomodo coniuges « *testes dilectionis mysterii* » esse debeant.

Caput II [22]

DE CULTURAE PROGRESSU RITE PROMOVENDO (A)

57. (Olim n. 65) [*Introductio*] (B). Ad *ipsam personam hominis pertinet* ut nonnisi per culturam, hoc est *bona naturae valoresque colendo,* ad veram plenamque humanitatem accedat. *Ubicumque ergo de vita humana agitur, natura et cultura quam intime connectuntur* (C).

Voce « cultura » sensu generali indicantur omnia quibus homo multifarias dotes animi corporisque *perpolit ac* explicat; ipsum orbem terrarum *cognitione et labore in suam potestatem redigere studet; vitam socialem tam familiarem quam politicam progressu morum institutorumque humaniorem reddit; denique magnas experientias spirituales atque aspirationes decursu temporum in operibus suis exprimit, communicat atque conservat, ut ad profectum multorum, quinimmo totius generis humani, inserviant* (D).

Inde sequitur culturam humanam aspectum historicum atque socialem necessario prae se ferre, atque vocem « cultura » saepe sensum sociologicum necnon ethnologicum assumere. Hoc sensu *de culturarum plu-*

[22] *ralitate sermo fit* (E). Ex diverso *enim* modo utendi rebus, laborem praestandi et sese exprimendi, religionem colendi (F) moresque formandi, statuendi leges et iuridica instituta, augendi scientias et artes atque colendi pulchrum, diversae oriuntur communes condiciones vivendi et diversae formae componendi bona vitae (G). Ita ex traditis institutis efficitur patrimonium cuique humanae communitati proprium. Ita etiam constituitur *ambitus* definitus et historicus, in quem homo cuiusque gentis vel aetatis inseritur, et ex quo bona ad humanum civilemque cultum promovendum haurit.

Sectio 1: *De culturae condicionibus in mundo hodierno*

58. (Olim n. 66) [*De novis vivendi formis*]. *Uti in initio huius constitutionis amplius expositum est, condiciones vitae hominis moderni sub respectu sociali et culturali profunde immutatae sunt, ita ut de nova historiae humanae aetate loqui liceat* (A). Exinde *ad culturam* perficiendam ampliusque spargendam novae patent viae. Quas paraverunt ingens augmentum scientiarum naturalium et humanarum, etiam socialium, incrementum technicarum artium, necnon progressus in excolendis et recte disponendis instrumentis quibus homines inter se [23] communicant. Hinc *cultura hodierna particularibus signatur notis*: *scientiae quae « exactae » nuncupantur, iudicium criticum maxime excolunt;* recentiora studia psychologiae activitatem humanam profundius explicant; *disciplinae historicae valde conferunt ut res sub specie earum mutabilitatis ac evolutionis adspiciantur;* vitae consuetudines et mores in dies magis uniformes efficiuntur; *industrializatio, urbanizatio aliaeque causae quae vitam communitariam promovent, novas culturae formas creant* (mass-culture) (B) *ex quibus* novi modi sentiendi, agendi otioque *utendi nascuntur*; aucta simul commercia inter varias gentes societatisque coetus thesauros diversarum culturae formarum omnibus et singulis latius aperiunt, et sic *paulatim* universalior *paratur culturae humanae forma, quae eo magis unitatem humani generis promovet ac exprimit quo melius particularitates diversarum culturarum observat* (C).

59. (Olim n. 67) [*Homo auctor culturae*] (A). *Maior in dies fit numerus* virorum ac mulierum cuiusve coetus vel nationis, qui conscii sunt suae communitatis culturae artifices se esse atque auctores. *In universo mundo magis magisque crescit autonomiae simulque responsabilitatis sensus, quod absque ullo dubio pro spirituali ac morali maturitate generis humani maximi est momenti. Illud clarius apparet, si ante oculos unificationem mundi ponimus atque munus nobis imposi-*

tum, ut in veritate et iustitia novum aedificemus mundum. Tali ergo [23] *modo testes sumus novum humanismum nasci, in quo homo imprimis per suam responsabilitatem erga suos fratres historiamque definitur* (B).

60. (Olim n. 68) [*Difficultates et munera*] (A). *Quibus in condicionibus, non est mirandum, hominem qui responsabilitatem suam sentit pro culturae progressu,* altiorem spem nutrire, sed etiam *cum anxietate adspicere multiplices antinomias existentes, quas resolvere debet* (B).

Quid faciendum est, ne frequentiora culturarum commercia, quae inter diversos coetus et nationes *ad verum et fructuosum dialogum adducere deberent* (C), *vitam communitatum perturbent,* nec sapientiam maiorum evertant, nec propriam indolem populorum in discrimen adducant?

Quomodo dynamismo ac expansioni novae culturae est favendum, quin fidelitas viva pro traditionis haereditate perdatur? Quod particulari modo urget cum cultura quae ex ingenti scientiarum artiumque technicarum progressu oritur, *componenda sit* cum eo cultu ingenii qui studiis secundum varias traditiones classicis alitur (D).

Quomodo tam velox atque progrediens disciplinarum particularium dispersio conformari potest cum necessitate synthesis earum formandae, necnon servandi apud hominem facultates contemplationis ac admira- [24] *tionis quae ad sapientiam adducunt?* (E).

Quid faciendum est, ut universi homines bonorum culturalium participes fiant in mundo, cum insimul cultus humanus peritiorum semper sublimior atque complexior evadat? (F).

Quomodo denique agnoscenda est, prout legitima, autonomia quam cultura sibi vindicat, quin in humanismum mere terrestrem, *immo* ipsi religioni adversantem, *perveniatur?* (G).

In medio quidem illarum antinomiarum cultura humana ita hodie evolvatur, ut integram personam humanam aequo ordine excolat atque homines iuvet in muneribus adimplendis, ad quae omnes *homines,* praecipue *autem* christifideles, in una familia humana fraterne uniti, vocantur (H).

Sectio 2: *De quibusdam principiis ad culturam rite promovendam*

61. (Olim n. 69) [*Fides et cultura*] (A). Christifideles (B), ad civitatem caelestem peregrinantes, ea quae sursum sunt quaerere et sapere debent; [1] quo tamen nequaquam minuitur, *immo crescit momentum* (C) muneris eorum una cum omnibus hominibus adlaborandi ad aedificationem mundi humanius *exstruendi. Et revera* fidei christianae myster*ium praestantia* incitamenta et adiumenta eis praeb*et* ad munus illud

[24] impens*ius* adimplendum et praesertim ad plenum huiusmodi operis sensum detegendum, quo cultus humanus in integra vocatione hominis suum eximium obtineat locum.

Cum enim homo opere manuum suarum vel ope technic*arum* art*ium* terram excolit, ut fructum afferat et dignum *universae familiae humanae* habitaculum fiat, ipse exsequitur consilium Dei, initio temporum patefactum, *terrae subiciendae* [2] creationisque perficiendae, signa spiritualia rebus imprimendo; *insimul* magnum Christi mandatum servat sese in servitium fratrum impendendi.

Insuper homo, cum in varias scientiae *mathematicae et naturalis,* philosophiae et *historiae* (D) disciplinas incumbit et artes excolit, *maxime conferre* potest, *ut* familia humana ad sublimiores veri, boni et pulchri rationes elev*e*tur et sic clarius illumin*e*tur mirabili Sapientia, quae ab aeterno cum Deo erat, cuncta cum Eo componens, ludens in orbe terrarum, cum filiis hominum esse in deliciis habens [3] (E).

Eo ipso animus hominis, a rerum servitute magis solutus, expeditius ad ipsum *Creatoris* cultum et *contemplationem* evehi potest (F). Immo impulsu gratiae, ad agnoscendum Dei Verbum disponitur, quod antequam caro fieret ad omnia salvanda et in Se recapitulanda, iam « in mundo erat », tamquam « lux vera quae illuminat omnem hominem » (*Io.* 1, 9-10).[4]

Sane hodiernus progressus scientiarum artium technicarum (G), [25] *quae vi methodi suae usque ad intimas essendi rationes penetrare nequeunt,* cuidam *phaenomenismo* et agnosticismo *favere potest, ex eo quod methodus investigandi qua disciplinae istae utuntur immerito pro suprema totius veritatis inveniendae regula habeatur. Immo periculum adest* ne homo, inventis *hodiernis* nimis fidens, se sibi sufficere aestimet et altiora amplius iam non quaerat.

Haec tamen infausta non necessario ex hodierna cultura sequuntur, nec nos in tentationem inducere debent ne valores positivos nostrae aetatis agnoscamus. Inter quos enumerantur: *exacta fidelitas erga veritatem in inquisitionibus scientificis, necessitas hodierna laborandi una cum aliis in coetibus technicis, sensus solidarietatis internationalis, conscientia magis magisque clara responsabilitatis peritorum erga homines adiuvandos immo et protegendos, voluntas vitae condiciones hominibus faustiores reddendi*: haec omnia aliquam praeparationem ad *nuntium Evangelii accipiendum afferre valent, quae informari potest caritate divina ab Eo qui venit ut mundum salvaret* (H).

62. (Olim n. 70) [*De multiplici connexione inter bonum nuntium Christi et culturam humanam*] (A). Inter nuntium salutis et culturam

humanam multiplices nexus inveniuntur. Nam Deus per revelationem [25] suam, inde a primordiis usque ad pleniorem sui manifestationem in Filio incarnato, populum suum allocutus est secundum culturam diversis aetatibus propriam.

Pari modo Ecclesia, decursu temporum variis in condicionibus vivens, inventa diversarum culturarum adhibuit, ut nuntium Christi in sua praedicatione ad omnes gentes diffundat et explicet, illum investiget et altius intelligat, in celebratione liturgica atque in vita multiformis communitatis fidelium melius exprimat.

At simul, ad omnes populos cuiusvis aetatis et regionis missa, Ecclesia nulli stirpi aut nationi, nulli particulari morum rationi, nulli antiquae aut novae consuetudin*i* exclusive et indissolubiliter *nectitur.* Suae traditioni constanter inhaerens, communionem cum diversis culturae formis inire potest, unde tum ipsa *Ecclesia* tum vari*ae* cultur*ae* ditesc*unt* (B).

Bonum Christi nuntium hominis lapsi vitam et cultum continenter renovat, et errores ac mala, ex semper minaci peccati seductione manantia, impugnat et removet. Mores populorum indesinenter purificat et elevat. Animi ornamenta dotesque cuiuscumque populi vel aetatis supernis divitiis velut ab intra foecundat, communit, complet atque in Christo restaurat.[5] *Sic Ecclesia, proprium implendo munus,*[6] *iam eo ipso ad humanum civilemque cultum impellit atque confert,* et actione sua, etiam liturgica, hominem ad interiorem libertatem educat.

63. (Olim n. 71) [*De diversis rationibus in cultus humani formis rite componendis*]. *Supradictis rationibus, Ecclesia in mentem omnium revocat* culturam ad integram personae humanae perfectionem, ad bo- [26] num communitatis et totius humanae societatis esse referendam. Quare oportet animum ( ) ita *excolere,* ut promoveatur facultas admirandi, intus legendi, contemplandi, ( ) faciendi iudicium personale et excolendi sensum religiosum, moralem ac socialem ( ) (A).

Cultura *enim,* cum ex hominis indole rationali et sociali immediate fluat, indesinenter indiget iusta libertate ad sese explicandam atque legitima, secundum propria principia, sui iuris agendi facultate. Ius ergo habet ad reverentiam et quadam gaudet inviolabilitate, servatis utique iuribus personae et communitatis, sive particularis sive universalis, intra fines boni communis.

Sacra Synodus ergo, ( ) recolens ea quae Concilium Vaticanum Primum docuit, declarat « duplicem esse ordinem cognitionis » distinctum, nempe fidei et rationis, nec sane Ecclesia vetat ne « humanarum artium et disciplinarum culturae (...) in suo quaeque ambitu propriis utantur

[26] principiis et propria methodo »; quare « iustam hanc libertatem agnoscens », cultus humani et *praesertim* scientiarum legitimam autonomiam affirmat [7] (B).

Haec omnia quoque postulant ut homo, morali ordine communique utilitate servatis, libere possit verum inquirere et opinionem suam declarare ac vulgare, atque artem qualemcumque colere; ut denique ex veritate de publicis eventibus certior fiat [8] (C).

Ad publicam vero auctoritatem pertinet, non propriam indolem cultus humani formarum determinare, sed condiciones et subsidia ad vitam culturalem (D) *inter omnes* promovendam fovere, *etiam intra minoritates alicuius nationis* (E). Ideo praeprimis instandum est, ne cultura, a proprio fine aversa, potestatibus politicis vel oeconomicis servire cogatur.

Sectio 3: *De quibusdam urgentioribus christianorum muneribus circa culturam.*

64. (Olim n. 72) [*Ius ad culturae beneficia omnibus agnoscatur et in rem deducatur*]. Cum nunc primum facultas praebeatur plurimos homines ab ignorantiae miseria liberandi (A), officium nostrae aetati maxime consentaneum est, praesertim pro christianis, strenue adlaborare, *ut ferantur decisiones fundamentales tam in re oeconomica quam in re politica, tam in campo nationali quam internationali* (B), *quibus* ius omnium ad humanum civilemque cultum, personae dignitati congruum, sine discrimine stirpis, sexus, nationis aut socialis condicionibus, ubique terrarum agnoscatur et ad rem deducatur. Ideo sufficiens bonorum culturalium copia omnibus providenda est, praesertim *eorum quae constituunt culturam sic dictam* fundamentalem, ne plurimi litterarum ignorantia [27] *responsabilisque actuositatis* privatione (C) a cooperatione vere humana ad bonum commune impediantur.

Contendendum est itaque ut homines, quorum ingenii vires id ferant, ad altiores studiorum ordines ascendere queant (D); ita quidem ut iidem, quoad fieri possit (E), in humana societate ad munera, officia et *servitia* (F) emergant, tum suo ingenio, tum peritiae quam acquisierint consentanea.[9] Sic *omnis homo et* (G) coetus sociales cuiuscumque populi ad plenam vitae suae culturalis explicationem, suis dotibus atque traditionibus congruam, pertingere valebunt.

Enixe insuper adlaborandum est ut omnes conscii fiant tum huius iuris, tum officii quo astringuntur sese excolendi *aliosque adiuvandi. Condiciones enim vitae et laboris quandoque exstant quae impediunt contentiones culturales hominum et in iis studium culturae destruunt*

(H). Res speciali ratione pro ruricolis et opificibus valet, quibus prae- [27] beantur oportet tales condiciones operam suam praestandi, quae humanum eorum cultum non praepediant sed promoveant (I). *Mulieres in fere omnibus vitae campis iam adlaborant; convenit autem ut partes suas secundum propriam indolem plene assumere valeant. Omnium erit ut mulierum propria necessariaque participatio in vita culturali agnoscatur atque promoveatur* (J).

65. (Olim n. 73) [*De educatione ad hominis integrum cultum*]. *Maior hodie adest difficultas quam olim varias disciplinas et artes in synthesim redigendi. Dum enim crescunt moles et diversitas factorum culturalium, insimul minuitur facultas pro singulis hominibus ea percipiendi et componendi, ita ut imago « hominis universalis » magis ac magis evanescat. Attamen unicuique homini remanet officium retinendi rationem totius personae humanae, in qua eminent intelligentiae, voluntatis, conscientiae et fraternitatis valores, in Deo Creatore fundati et in Christo mirabiliter sanati et elevati* (A).

Quasi mater et nutrix huius educationis est imprimis familia, in qua liberi, amore foti, rectum rerum ordinem facilius condiscunt, dum probatae formae cultus humani quasi inconscie in animum progredientis adolescentiae transfunduntur.

Pro eadem educatione *in societatibus hodiernis exstant opportunitates, praesertim ex novis mediis communicationis socialis, quae universali culturae fovere possunt* (B). Imminuto *enim* passim laboris spatio in dies augesc*u*nt pro pluribus hominibus *commoda*. Otia ad animum relaxandam et mentis ac corporis sanitatem roborandam rite insumantur, per liberas industrias et studia ( ) (C), versus alias regiones itinera (*turismus*), quibus ingenium hominis expolitur, sed et homines mutua cognitione locupletantur, *per exercitationes quoque et manifestationes sportivas, quae ad animi aequilibrium, etiam in communitate, servandum necnon ad fraternas relationes inter homines omnium condicionum, nationum vel diversae stirpis statuendas, adiumentum praebent* (D). Chri- [28] stifideles *ergo collaborent* in manifestation*ibus* et action*ibus* cultur*ae* « collectiv*is* », nostrae aetati propri*is*, spiritu humano et christiano imbuend*is*.

Haec autem omnia commoda educationem hominis ad integrum cultum perficere non valent, si insimul profunda interrogatio de sensu culturae et scientiae pro persona humana negligitur (E).

66. (Olim n. 74) [*De humano civilique cultu cum christiana institutione rite componendo*] (A). *Quamvis Ecclesia ad culturae progressum multum contulerit,* experientia *tamen* constat composition*em* cul-

[28] tur*ae* cum christiana institutione *ex causis contingentibus* (B) *non semper sine difficultatibus procedere* (C).

Istae difficultates non necessario vitae fidei damnum afferunt, sed ad accuratiorem et altiorem intelligentiam fidei mentem excitare possunt. Etenim scientiarum, *necnon historiae ac philosophiae* (D) recentia studia et inventa novas suscitant quaestiones (E), *quae consequentias pro vita quoque secumferunt et etiam* a theologis (F) novas investigationes postulant ( ) (G). *Praeterea theologi invitantur ut aptiorem modum doctrinam cum hominibus sui temporis communicandi semper inquirant, quia aliud est ipsum depositum Fidei seu veritates, aliud modus secundum quem enuntiantur, eodem tamen sensu eademque sententia*[10] (H). *In cura pastorali non tantum principia theologica, sed etiam inventa scientiarum profanarum, imprimis psychologiae et sociologiae, satis agnoscantur et adhibeantur* (I), *ita ut etiam fideles ad puriorem et maturiorem in fide vitam ducantur.*

Suo quoque modo litterae et artes pro vita Ecclesiae magni sunt momenti (J). Indolem *enim* propriam hominis, eius problemata eiusque experientiam in conatu ad seipsum mundumque cognoscendum et perficiendum edissere, *situationem eius in historia et in universo mundo detegere, miserias et gaudia, necessitates et vires hominum illustrare, satagunt* (K). Sic vitam humanam, multiplicibus formis secundum tempora et regiones expressam, elevare valent.

Exinde *adlaborandum est* ut artium illarum cultores se ab Ecclesia in sua navitate agnitos senti*a*nt, et ordinata libertate fruentes, faciliora commercia cum communitate christiana institu*a*nt. Novae quoque *formae artis* quae coaevis nostris adaptantur iuxta variarum nationum et regionum indolem, *ab Ecclesia agnoscantur,* speciatim in sanctuario, ubi, modo dicendi accommodato *et liturgiae exigentiis conformi,* mentem ad Deum erigant (L).[11]

Sic (M) notitia Dei melius manifestatur et praedicatio evangelica in intellectu hominum magis perspicua et eorum condicionibus quasi insita esse cognoscitur.

Fideles *ergo* (N) coniunctissime cum aliis suae aetatis hominibus
[29] vivant, et perfecte eorum cogitandi atque sentiendi modos qui per ingenii cultum exprimuntur, percipere studeant. Novam scientiam et doctrinam necnon novissimorum inventorum notitias cum christianis moribus christianaeque doctrinae institutione coniungant, ut religionis cultus animique probitas apud ipsos pari gressu procedant cum scientiarum cognitione et cotidie progredientibus technicorum artibus, et ideo ipsi valeant res omnes integro christiano sensu probare atque interpretari (O).

Qui theologicis ( ) disciplinis in Seminariis et Studiorum Universi-

tatibus incumbunt, cum hominibus *qui in aliis scientiis* excellunt, colla- [29]
tis viribus atque consiliis, cooperari studeant. Theologica inquisitio, *insimul profundam cognitionem veritatis revelatae prosequatur* et coniunctionem cum proprio tempore ne negligat, ut homines variis disciplinis excultos ad pleniorem fidei scientiam iuvare possit (P). Haec socia opera plurimum proderit institutioni sacrorum ministrorum, qui doctrinam Ecclesiae de homine et de mundo aptius coaevis nostris explanare poterunt, ita ut verbum illud etiam libentius ab eis suscipiatur.[12] Immo optandum ut plures laici congruam in disciplinis sacris institutionem adipiscantur, nec pauci inter eos haec studia data opera, « scientificis » subsidiis adhibitis et servatis methodi theologicae exigentiis propriis, colant et altius producant. Ut vero munus suum exercere valeant, agnoscatur fidelibus, *sive clericis, sive laicis* (Q) *iusta* (R) libertas inquirendi, cogitandi necnon mentem suam in humilitate et fortitudine aperiendi in iis in quibus competentia gaudent.[13]

NOTAE

Ad n. 61.

[1] Cf. *Col.* 3, 1-2.

[2] Cf. *Gen.* 1, 28.

[3] Cf. *Prov.* 8, 30-31.

[4] Cf. S. Irenaeus, *Adv. Haer.* III, 11, 8 (ed. Sagnard, p. 200; cf. *ib.,* 16, 6: pp. 290-292; 21, 10-22: pp. 370-372; 22, 3: p. 378; etc.).

Ad n. 62.

[5] Cf. *Eph.* 1, 10.

[6] Cf. verba Pii XI ad Exc. Roland-Gosselin: « Il ne faut jamais perdre de vue que l'objectif de l'Eglise est d'évangéliser et non de civiliser. Si elle civilise, c'est par l'évangélisation » (*Semaines sociales de France,* Versailles 1936, pp. 461 et 462).

Ad n. 63.

[7] Conc. Vat. I, Const. *Dei Filius*: Denz. 1795, 1799 (3015, 3019). Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 190.

[8] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S., 55* (1963), p. 260.

Ad n. 64.

[9] Cf. Ioannes XXIII, *ibid.,* p. 260.

Ad n. 66. [30]

[10] Cf. Ioannes XXIII, Oratio habita die 11 oct. 1962 in initio Concilii: *A.A.S.,* 54 (1962), p. 792.

[11] Cf. Const. *De sacra Liturgia,* n. 123: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 131. Paulus VI, *Discorsi agli artisti romani*: *Civ. Catt.* 1964, II, p. 982.

[12] Cf. Decr. *De institutione sacerdotali* et *De educatione christiana.*

[13] Cf. Const. dogm. *Lumen Gentium,* Cap. IV, n. 3: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 42 et 43.

[31]

RELATIO

Generalia

1. Caput *laudatur* a pluribus Patribus, quia clare quaedam lineamenta status praesentis in mundo intellectuali describit et rectas *animadversiones* exprimit de libertate Ecclesiae erga diversas culturas (E/5712 5666 5697).

2. Plura tamen a Patribus *desiderantur*:

Enucleatur conceptus « culturae » (E/5663). Caput est nimis abstractum (E/5499), diffusum et non satis profundum (E/5713 5665), nimis indigens (E/5694), nimis optimisticum (E/5472 5644 5712), nimias quaestiones tangit (E/5663), multas generales affirmationes piasque exhortationes complectitur, et graviores quaestiones, quae hodie Ecclesiae conscientiam movere debent, non satis emergunt (Id.).

3. Momentum *historiae* in lucem melius ponatur (E/5713 5712).

4. Relatio inter *scientias et technicas* modernas et culturam insufficienter describitur; etenim, ut dicitur, scientiae elevationem animae non causant (E/5644), vel natura scientiarum positivarum non satis exponitur, vel philosophia scientiarum et critica cognitionis humanae locum suum non obtinent (E/5712 5698).

5. Cultura de qua in textu agitur mundum *occidentalem* respicit, et mundus orientalis ignoratur, sicut etiam culturae populorum primitivorum; melius esset indolem complementariam omnium culturarum asserere et reverentiam erga omnes illas formas commendare (E/5713 5700 5424).

6. Necessitas diffusionis culturae *pro pauperibus* non sufficienter indicatur (E/5665).

7. Magis instandum esset in momentum *fidei* et in adiumenta supernaturalia pro culturae progressu (E/5712 5430).

8. Unus Pater *novam structuram* pro toto Capite proponit (E/5663).

Responsum:

Optatis Patrum Subcommissio unanimis satisfacere pro posse iudicavit, semper tamen memor principiorum quae Subcommissio centralis stabilivit, scil. structuram generalem non immutare, repetitiones vitare, textum breviorem facere, unitatem styli servare, latinitatem simplicem et intelligibilem adhibere. Generaliora quae in prima Parte iam exposita

sunt non erant repetenda, sed illa tantum quae ad culturam pertinent retenta sunt. [31]

1. In Sectione 1 nostri Capitis *conceptus* « *culturae* » magis clare, concrete et profunde exponatur. [32]

2. *Affirmationes generales,* ubi inveniebantur, vel suppressae fuerunt vel abbreviatae. Item *piae exhortationes,* praesertim in Sectione 3. Quaedam sententiae locum meliorem in alia Capitis parte invenerunt.

3. Momentum *historiae* in luce positum est pluribus in locis.

4. Relatio *inter scientiam et culturam,* ad quam pluries iam attendebatur in Capite, melius exposita est ope philosophiae scientiarum et criticae cognitionis humanae.

5. Pluribus in locis emendatur textus, ut *aspectus universalis* culturarum asseratur.

6. Necessitas culturae *pro omnibus* affirmatur.

7. *Fides* et adiumenta supernaturalia pro fundamento totius Capitis praesunt.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

Ad num. 57.

(B) Hic articulus factus est *Introductio* generalis totius Capitis, quia ad tres sectiones se refert.

(C) Textus retractatus *ad maiorem claritatem.* Prima mutatio est mere stylistica. Secunda « bona naturae valoresque colendo » iam culturam describit. Tertia emendatio obiectum generale Capitis indicat, nexum scilicet inter culturam et naturam, quia Caput agit non tantum de culturis elevatis, sed de omni humana cultura.

(D) Ut postulationibus plurimorum Patrum satisfiat, descriptio amplior datur de voce « cultura ». Vox « *cultura* » loco « cultus » adhibetur, quia a multis melius intelligitur. In hac paragrapho primum de cultura agitur sub respectu anthropologico: homo vitam animalem transcendit, quia *a*) cognitione et labore orbem terrarum in suam potestatem redigit; *b*) vita sociali, familiari et politica mores institutionesque humaniores reddit; *c*) experientias spirituales et aspirationes suas in operibus exprimit et conservat.

(E) In secunda paragrapho vox « cultura » describitur quoad sensum *sociologicum* et *ethnologicum.* Et redimus ad textum priorem. Lin. 24, « ambitus » scribitur ut res facilius intelligatur.

In his mutationibus postulationibus Patrum respondetur: E/5287 5663 5885. Item cadit obiectum animadversionis E/5634.

[32] (F) Unus Pater postulat ut « *religionem colendi* » deleatur (E/5292). Resp.: sensus est clarus: de omni religione agitur, non tantum de religione revelata.

(G) Unus Pater (+80): haec alibi iam dicta sunt quoad rem. Resp.: *repetitio* non est totalis; hic res sub aspectu culturae respicitur, et textus necessarius est ut sensus *sociologicus* vocis « culturae » indicetur.

[33] *Ad num. 58.*

(A) *Additio* fit ut Sectio 1 introductionem propriam habeat.

(B) Adiuncta concreta inseruntur ut amplior et accuratior fiat descriptio phaenomenologica eorum quae culturam hodiernam constituunt. Hic momentum iudicii *critici* in scientiis exactis atque munus *historiae* introducuntur; simili modo, industrializatio, urbanizatio, etc.

(C) *Unitas generis humani* in progressu ad culturam sublineatur, ut clare appareat universalitas culturae.

Ad num. 59.

(A) Titulus paragraphi *simplicior* redditur.

(B) Subcommissio censuit necessarium esse ut modo magis explicito declaretur idea quae iam in textu priori apparebat: *conscientia* scil. quam homines accipiunt in dies maiorem suae autonomiae ac responsabilitatis, necnon huius conscientiae momentum pro spirituali atque morali maturitate generis humani. Secunda pars textus prioris cum hac intentione rescripta est.

Ita etiam aliquo modo respondetur voto unius Patris (E/5663).

Ad num. 60.

(A) Titulus articuli simul *simplicior* et magis rei consentaneus redditur. Contentum huius articuli quoad substantiam *idem* remanet ac in redactione priori; sed forma dicendi immutatur, ut sententiae simpliciores reddantur, et res modo lucidiori praesentetur, sub forma scil. interrogativa quae difficultates magis vivide ostendit.

(B) Sublineantur *antinomiae* ex quibus difficultates hodiernae oriuntur; item anxietates inde exortae.

(C) « Ad verum et fructuosum dialogum adducere », recordat Encycl. *Ecclesiam suam.*

(D) Ostenditur cogitandum esse non tantum de cultura *occidentali.* Loco « studiis humanioribus » dicitur « studiis classicis » claritatis causa.

(E) Idea *contemplationis* ac *admirationis* quae ad sapientiam adducit, ad votum (Auditorum et) Episcoporum Poloniae satisfaciendum.

(F) Sublineatur necessitas bonorum culturalium *pro omnibus hominibus,* ut postulavit E/5665. [33]

(G) Momentum *religiosum* culturae indicatur.

(H) *Universalitas* culturae adhuc vindicatur. Cf. E/5287. Plures Patres mutationes postulaverunt, quae non sunt amplius ad rem pro textu emendato. Cf. E/5292 5492 5885 (+20).

Ad num. 61. [34]

(A) *Titulus* numeri simplicior redditur, ita ut etiam contento articuli melius respondeat.

(B) Mutationes factae sunt tantum *quoad minuta,* ut variis Patrum votis respondeatur: valor scientiarum mathematicarum necnon naturalium, philosophiae et historiae sublineatur. Cultus Creatoris et contemplatio evehuntur.

(C) « *Immo crescit* », postulante uno Patre (E/5287).

(D) « *Et historiae* », ut voto unius Patris respondeatur (E/5666).

(E) Unus Pater dicit quod amor veri et pulchri in his lineis tam pro sapienti quam pro *sancto* valent (E/5287). Resp.: ultimae lineae sensum indicant.

(F) « *Et contemplatione* » additur, postulante uno Patre (E/5292).

(G) Firmiter reiicitur omnis species *phaenomenismi* et *agnosticismi,* ut methodus vere scientifica *totam* veritatem pro regula suprema explicite teneat. Haec paragraphus ampliata fuit propter veritatem.

(H) *Valor conaminum hodiernorum* explicite agnoscitur, ut votis Patrum satisfiat, qui postulaverunt ut elementa positiva culturae nostri temporis clare affirmentur. In ultima phrasi *praeparatio evangelica* sublineatur. Additio autem a 20 Patribus proposita (E/5885) non admittitur, quia res ad alium locum pertinet.

Ad num. 62.

(A) Textus sicuti erat remanet, paucis emendatis.

(B) Voto unius Patris (cum 80) (E/5424) provisum est in variis Capitis locis, et in hoc ipso numero, ubi *libertas Ecclesiae respectu ad varias culturas* extollitur.

Ad num. 63.

(A) Prima textus prioris paragraphus *abbreviatur,* ad vitandas repetitiones locutionesque exhortativas. Ita citius pervenitur ad essentiam huius articuli, qui *libertatem* respicit in cultura colenda, sed etiam offi-

[34] cium servandi *duplicem* ordinem cognitionis distinctum, fidei nempe et rationis.

(B) Additio hic ab uno Patre postulatur: « dummodo nihil *contrarium fidei* et morum sanctitati doceatur » (E/5486). Resp.: Per se patet.

(C) Haec desumuntur ex numero 72 textus prioris (pag. 56, linn. 21-24). *Transpositio* necessaria iudicata est, quia idem obiectum tractatur, nempe libertas.

(D) Unus Pater additionem postulat: « debita *libertate* pollentem » (E/5292). Resp.: Iam sufficienter provisum est in hoc articulo.

(E) 20 Patres postulant ut *de iure minoritatum* sermo fiat (E/5883). Ut huic voto satisfactio detur, brevis additio facta est.

[35] *Ad num. 64.*

(A) Plures Episcopi *additiones* postulant: post « Cum primum » addatur: « ope mediorum modernorum communicationis » (E/5885 5612); post « liberandi »: « ac ad veram culturam suique conscientiam et personalem autonomiam » (E/5612). Resp.: Haec alibi inveniuntur.

(B) Plures Episcopi proponunt hanc emendationem de *optionibus faciendis,* ut momentum et gravitas huius problematis melius appareat (E/5885). Resp.: Admittitur.

(C) Plures Patres (E/5612 5292 5885) rogant ut post « ignorantia » addatur: « *responsabilisque* actuositatis privationes ». Resp.: Admittitur.

(D) Iidem Patres postulant ut de « *iure* » hominum ad altiora studia dicatur (E/5612 5885). Resp.: Ius illud determinandum foret.

(E) Iidem Patres loco « *quoad fieri potest* » proponunt « secundum quod condiciones obiectivae id permittant » (E/5612 5885). Resp.: Idea haec in textu adest.

(F) Iidem rogant ut mentio fiat de « *servitiis* » (E/5885). Resp.: Admittitur.

(G) Iidem patres aestimant non tantum coetus sociales sed etiam *singulos* homines memorandos esse (E/5885). Resp.: Admittitur.

(H) Iidem Episcopi rogant ut de condicionibus difficilibus *laboris* sermo hic fiat (E/5885). Resp.: Admittitur.

(I) Pro hac paragrapho *nova redactio* proponitur ab iisdem Patribus (E/5885). Resp.: Maior pars eorum quae in hac additione proponuntur alibi in textu emendato reassumuntur [cf. (B), (G), (H)].

(J) Ut voto unius Patris (E/5895) et auditorum respondeatur, haec additio de *mulieribus* admissa est.

Ad num. 65. [35]

(A) Plures Patres (E/5424) aestimant lineas 25-31, pag. 56, superficialiter quaestionem tangere; suggerunt ut munus societatis *in synthesim culturae efformandam* indicetur. Hac de causa loco primae paragraphi emendatio illorum Patrum accipitur.

(B) Eadem ratione in (A) nova proponuntur media communicationis socialis.

(C) Omittitur « *ludicra quoque certamina* », quia res in sequentibus lineis fusius tractatur.

(D) Plures Patres rogaverunt ut quaestio *de otiis* profundius consideretur (E/5424). Resp.: Provisum est in emendatione sub littera (E). Ex alia parte unus Pater textum proponit (E/5667), qui substantialiter acceptus est.

(E) Ut respondeatur observationi plurium Patrum de qua littera (D) (E/5424) haec additio *de sensu profundo culturae* pro persona humana proponitur.

Ad num. 66. [36]

(A) In genere textus prior retinendus visus est, sed sub forma breviore et clarius ordinata, ut intentum melius appareat. 1) Statuitur *factum quarumdam difficultatum* in habitudine Ecclesiae ad culturam. 2) Dicitur quod Ecclesia ex suo labore ad *illas difficultates superandas* ditari et renovari potest, tum pleniori intelligentia dogmatis, tum modis dicendi renovandis in theologia, tum in vita pastorali et in fidei vita. 3) Idem suo modo dici potest de *campo artium.* 4) Fideles monentur ut *cum suis coaevis* coniuncti vivent in ambitu culturali sui temporis. 5) Quaedam applicationes pro *seminariis et universitatibus* indicantur.

(B) E/5892 observat sedulo distinguendum esse inter *ius* et *factum;* E/5638 rogat ut aliqua verba de activitate Ecclesiae in favorem culturae ponantur.

(C) Lineae 6-9 textus prioris (p. 57) *omittuntur* quia ambiguae sicut E/5292 5892 5638 animadvertunt.

(D) Ut desideriis E/5697 et 5285 respondeatur, additur vox « *philosophiae* »; item vox « *historiae* » secundum votum E/5666, et quia revera scientiae historicae nova problemata pro theologis oriri fecerunt.

(E) E/5892 observat quod non omnes acquisitiones scientiae veras quaestiones ponunt; sunt acquisitiones ambiguae. Textus remanere potest, quia sensus est aequivalens.

[36] (F) E/5892 5885 rogant ut dicatur quod non solum theologi sed *etiam periti in rebus profanis* has quaestiones considerare debent. Ideo additur « etiam ».

(G) Lineae 28-35 textus prioris *delentur,* quia res antea dictas repetunt.

(H) E/5885 rogant ut *de modo dicendi in theologia* sermo fiat, et E/5700 rogat ut in hac materia sermo fiat de Ioanne XXIII. Ideo inseruntur verba ex Oratione introductoria Ioannis XXIII initio Concilii (*A.A.S.,* LIV, 1962, p. 792).

(I) Ut responsum praebeatur postulatis ab uno Patre in commissione.

(J) Haec phrasis addita est ut clarius appareat quod *artes* etiam, suo quidem modo, conferunt ad navitatem Ecclesiae in mundo manifestandam, speciatim in ordine modi loquendi (langage).

(K) Verba sublineata addita sunt ut *artes praecisius describantur* secundum postulatum E/5892.

(L) Postulavit E/5638 ut citetur factum *alicuius divortii* inter artes et Ecclesiam, nunc praesens, sed anterioribus saeculis non existens, e contrario. Sed textus sufficienter responsum praebet. Tamen additur nexus cum liturgia secundum placitum alicuius Patris Commissionis.

(M) Ut materiae dispositio clarior evadat.

(N) Ut idearum concatenatio melius appareat.

(O Lineae 11-16, p. 57, hic transferuntur ut ordo melius appareat.

(P) Secundum observationem E/5892 deleri debet vox « *philosophia* » quia Ecclesia de illa iudicare nequit: vitandus est « clericalismus ». Insimul sublineatur caracter specificus theologicae inquisitionis.

(Q) Additum est ut voto E/5660 satisfiat.

(R) Ut *recta significatio* istius libertatis melius appareat, iuxta votum alicuius Patris Commissionis.

[38]

Caput III

DE VITA OECONOMICA-SOCIALI

67. (Olim n. 75) [*De quibusdam vitae oeconomicae aspectibus*]. *Etiam in vita oeconomica-sociali personae humanae dignitas et integra vocatio, totiusque societatis bonum, honoranda atque promovenda sunt. Homo enim totius vitae oeconomicae-socialis auctor, centrum et finis est.*

Oeconomia hodierna, non secus atque aliae vitae socialis provinciae, crescenti super naturam hominis dominatione notatur, densioribus im-

pensioribusque relationibus atque mutua dependentia, inter cives, coetus [38] et populos, necnon frequentiori imprimis *politicae potestatis* interventione (A). *Insimul* (B) progressus in rationibus producendi atque in bonis ac servitiis commutandis, oeconomiam aptum effecerunt instrumentum, ad ( ) familiae humanae adauctis necessitatibus *melius inserviendum* ( ) (C).

Non desunt tamen rationes inquietudinis. *Homines non pauci, praesertim in regionibus oeconomice progressis, re oeconomica quasi dominari videntur, ita ut fere tota eorum vita personalis ac socialis spiritu quodam oeconomistico imbuatur* (D), *tam in nationibus quae oeconomiae collectivisticae favent quam in aliis.* Eo temporis momento quo vitae oeconomicae incrementum, dummodo rationabiliter humaniterque dirigatur atque coordinetur, inaequalitates sociales mitigare posset, saepe saepius in earum exasperationem, vel etiam alicubi in regressum conditionis socialis debilium et in despectum pauperum vertitur. Dum rebus omnino necessariis ingens multitudo adhuc caret, aliqui, etiam in regionibus minus progressis, opulenter vivunt vel bona dissipant. Luxus et miseria simul exsistunt. Dum pauci maxima deliberandi potestate fruuntur, multi omni paene possibilitate carent *propria initiativa ac responsabilitate* (E) *agendi, saepe etiam in conditionibus vitae et laboris persona humana indignis versantes* (F).

Similes aequilibrii oeconomici socialisque defectus inter agriculturam ex una parte, *industriam* ac servitia ex altera parte, sicut etiam inter diversas regiones unius eiusdemque nationis advertuntur. Inter nationes oeconomice progressas aliasque adhuc progredientes gravior in dies oppositio fit ( ), quae ipsam pacem mundi in discrimen vocare potest.

Has disparitates coaevi nostri *conscientia* in dies *vividiore* persentiunt ( ), *cum* eis persuasissimum sit, ampliores technicas et oeconomicas facultates, quibus mundus hodiernus gaudet, hunc infaustum statum rerum corrigere posse atque debere. *Inde autem reformationes multae in vita oeconomica-sociali atque mentis et habitudinis conversio ab omni-* [39] *bus requiruntur. Ad hoc Ecclesia iustitiae et aequitatis socialis, necnon internationalis principia, a recta ratione postulata, in decursu saeculorum sub luce Evangelii exaravit atque his praesertim ultimis temporibus protulit. Sacrum Concilium haec principia secundum adiuncta huius aetatis roborare intendit, exigentias progressionis oeconomicae imprimis respiciens* (G).[1]

[39] Sectio 1: *De progressione oeconomica*

68. (Olim n. 76) [*De progressione oeconomica et de eius lege fundamentali*]. Hodie, magis quam antea, ut augmento populi consulatur et crescentibus generis humani optatis satisfiat, incrementum *productionis bonorum agriculturae et industriae necnon praestationis servitiorum* (A) iure intenditur. Ideo favendum est progressui technico, spiritui innovationis, *studio inceptuum creandorum atque ampliandorum, methodis productionis aptandis* (B), ac strenuis quorumcumque *productionem* exercentium conatibus, omnibus nempe elementis quae huic progressioni inserviunt ( ). *Huius autem progressionis* lex fundamentalis non est *merum productarum incrementum* (C), neque lucrum maximum vel latissimum dominatum, sed hominis servitium, hominis quidem integri, attento ordine materialium eius necessitatum atque eius vitae intellectualis, moralis, spiritualis ac religiosae *exigentiarum* (D), hominis, dicimus, cuiuscumque, et cuiuscumque hominum coetus, cuiusvis stirpis vel mundi regionis. Itaque ( ) navitas oeconomica *intra leges morales* (E)[2] exercenda est *ut ita* Dei de homine consilium adimpleatur.[3]

69. (Olim n. 77) [*De progressione oeconomica sub consilio hominis*]. Progressio oeconomica sub hominis consilio manere debet, nec soli arbitrio paucorum hominum ( ) (A) aut coetuum *nimia potentia oeconomica pollentium* ( ) (B), *nec solius communitatis politicae,* nec quarundam potentiorum nationum remittenda. Oportet e contra ut, in quocumque gradu, homines quam plurimi atque, *ubi de relationibus internationalibus agitur, omnes nationes* (C) in ea dirigenda activas partes habeant. Pariter opus est ut opera spontanea singulorum hominum liberorumque coetuum cum auctoritatum publicarum conatibus coordinentur atque apte et cohaerenter componantur.

Incrementum nec soli cursui *quasi mechanico activitatis oeconomicae singulorum* (D) nec soli potestati auctoritatis publicae relinquendum est. Quare erroris arguendae sunt, tam doctrinae quae specie falsae libertatis reformationibus necessariis obstant, quam illae quae iura fundamentalia *personarum singularum* (E) et coetuum organizationi productionis collectivae ( ) postponunt.[4]

Meminerint ceterum ( ) cives suum esse ius et officium, *etiam a*
[40] *potestate civili agnoscendum,* ad verum propriae communitatis progressum *pro sua possibilitate* (F) conferre. *Praesertim* in regionibus adhuc progredientibus, ubi omnes opes urgenter adhibendae sunt, bonum commune *graviter in discrimen vocant qui opes suas infructuose retinent*

(G) vel — salvo iure personali migrationis — *communitatem* (H) suam [40] subsidiis sive materialibus sive spiritualibus privant quibus *illa eget* (J).

70. (Olim n. 78) [*De ingentibus differentiis oeconomicis-socialibus removendis vel minuendis*]. Ut exigentiis iustitiae et aequitatis satisfiat, strenue enitendum est ut, servatis iuribus personarum atque propria indole cuiusque populi, *ingentes* quae nunc sunt et saepe crescunt inaequalitates oeconomicae cum *discriminatione sociali coniunctae* (A), quam *citius* (B) removeantur vel saltem minuantur. Pariter, in pluribus regionibus, *attentis* peculiaribus agriculturae difficultatibus *sive ad gignenda sive ad vendenda bona* (C), *adiuvandi sunt* (D) ruricolae *cum ad productionem augendam et vendendam, tum ad necessarias evolutiones ac innovationes inducendas* (E), ne, ut saepius accidit, in conditione civium inferioris ordinis *maneant* (F).[5]

Iustitia et aequitas item requirunt ut mobilitas, quae in progredientibus rebus oeconomicis ( ) necessaria est, ita ordinetur ne vita hominum singulorum eorumque familiarum incerta et praecaria fiat. Erga opifices vero, qui ex alia natione vel regione oriundi, ad promotionem oeconomicam populi vel provinciae labore suo conferunt, *quaevis discriminatio* (G) quoad condiciones remunerationis vel laboris sedulo vitanda est. Insuper universi, imprimis publicae potestates, illos non simpliciter *veluti mera productionis* [4] (H) instrumenta sed ut personas habere debent, eosque adiuvare ut familiam suam apud se arcessere et decentem habitationem sibi providere possint, atque eorum insertioni in vitam socialem populi vel regionis recipientis favere. *Attamen, in quantum fieri potest, in propriis regionibus fontes laboris creentur* (J).

In rebus oeconomicis *hodie mutationi obnoxiis necnon* (L) in novis societatis industrialis formis *in quibus e. g. automatio progreditur* (M), curandum est ut labor sufficiens et unicuique conveniens simul ac possibilitas congruae formationis technicae et professionalis praebeatur, et in tuto collocentur victus atque dignitas humana eorum praesertim qui ob morbum vel aetatem gravioribus laborant difficultatibus.

Sectio 2: *De quibusdam principiis totam vitam oeconomicam-socialem regentibus.*

71. (Olim n. 79) [*De labore eiusque conditionibus atque de otio*]. Labor humanus, *qui in bonis gignendis ac commutandis vel in servitiis oeconomicis suppeditandis exercetur* (A), *rebus materialibus praestat* (B), quippe quae tantum rationem instrumentorum habeant.

Hic enim labor, *sive proprio marte assumatur sive ab alio condu-* [41]

[41] *catur* (C), a persona immediate procedit, quae res naturae quasi suo sigillo signat easque suae voluntati submittit. Labore suo, homo *ordinarie* (D) suam suorumque vitam sustentat ( ), cum fratribus suis coniungitur eisque inservit, germanam caritatem exercere potest atque creationi divinae perficiendae sociam operam praebere. Immo, per laborem Deo oblatum, *tenemus* (E) hominem ipsi redemptionis operi Iesu Christi consociari, qui praecellentem labori detulit dignitatem, cum in Nazareth propriis manibus operaretur. Exinde oritur pro unoquoque officium laborandi atque etiam ius ad laborem; societatis vero est, iuxta adiuncta in ea vigentia, pro sua parte *cives adiuvare ut sufficientis laboris occasionem invenire possint* (F). Denique ita remunerandus est labor ut homini facultates praebeantur suam suorumque vitam materialem, socialem, culturalem spiritualemque digne excolendi.[6]

Cum navitas oeconomica plerumque consociatio hominum labore fiat, iniquum et inhumanum esset illam ita componere et ordinare ut quibusvis laborantibus detrimento sit. *Saepius autem* (G) accidit, etiam *nostris diebus,* ut opus facientes quodammodo in servitutem proprii operis redigantur. *Quod sic dictis legibus oeconomicis nequaquam iustificatur* (H). Universus igitur fructuosi laboris processus necessitatibus personae eiusque vivendi rationibus accommodandus est; imprimis eius vitae domesticae, *praesertim quoad matres familiae spectat* (I), respectu *semper* habito et sexus et aetatis. Laborantibus praebeatur insuper, facultas proprias qualitates personamque suam in ipso laboris exercitio explicandi. Ad vitam familiarem, culturalem, socialem et religiosam colendam sufficiente quiete et otio *gaudeant* (L) omnes. Immo opportunitatem *habeant* (L) vires ac potentias libere evolvendi, quas fortasse in labore *professionali* (M) parum excolere valent.

72. (Olim n. 80) [*De participatione in inceptis et in universa rei oeconomicae dispositione, et de conflictibus in labore*]. *In inceptis oeconomicis* (A) *personae consociantur* (B), homines scilicet liberi et sui iuris, ad imaginem Dei creati. *Ideo, salva necessaria directionis operis unitate, promoveatur omnium sociorum participatio, modis apte determinandis,* in inceptorum negotiis eorumque *curatione* et *fructibus* (C).[7] Cum autem saepius non iam in ipso incepto, sed altius a superioris ordinis institutis de oeconomicis et socialibus condicionibus decernatur, e quibus sors futura laborantium eorumque liberorum pendet, etiam in his statuendis partem habeant *ipsi* (D) ( ), et quidem per delegatos ( ) libere electos ( ) (E).

Inter fundamentalia personae humanae iura adnumerandum est ius pro laborantibus consociationes libere condendi, quae eos vere reprae-

sentare et ad vitam oeconomicam recto ordine disponendam conferre [41]
possint, necnon ius earum navitatem sine ultionis periculo libere participandi. Per huiusmodi ordinatam participationem, cum progrediente [42]
formatione oeconomica et sociali iunctam, in dies augebitur apud *omnes* (F) proprii muneris onerisque conscientia, qua ipsi eo adducantur ut, secundum capacitates aptitudinesque sibi proprias, totius operis progressionis oeconomicae et socialis socii se sentiant.

Cum vero conflictus oeconomici-sociales oriuntur, ut ad pacificam eorum solutionem deveniatur enitendum est. Licet autem semper praeprimis ad sincerum inter partes colloquium sit recurrendum, operistitium tamen, et in hodiernis adiunctis, ad propria iura defendenda et ad iusta laborantium quaesita implenda, adiumentum necessarium, *etsi ultimum,* manere potest. ( ) Quamprimum vero viae *ad negotiationem et conciliationis* colloquium resumendum quaerantur (G).

73. (Olim n. 81) [*De bonorum terrestrium ad utilitatem omnium destinatione*]. Deus terram cum omnibus quae in ea continentur *in usum* (A) universorum hominum et populorum destinavit, *ita ut bona creata aequa ratione ad omnes affluere debeant, iustitia duce, caritate comite* (B).[8] Quaecumque formae proprietatis sint, legitimis institutis populorum accommodatae, secundum diversa atque mutabilia adiuncta, ad hanc bonorum destinationem semper attendendum est. Quapropter homo, illis bonis utens, res exteriores quas possidet *non* tanquam sibi *proprias* (C), sed tanquam communes habere debet, ut non sibi tantum sed etiam aliis prodesse queant.[9] Ceterum, *ius* (D) habendi partem bonorum sibi suisque familiis sufficientem omnibus competit. Ita Patres Doctoresque Ecclesiae sentierunt, docentes ad pauperes sublevandos *homines* (E) obligari, et quidem, *non tantum* ex superfluis (F).[10] Qui autem in extrema necessitate degunt, ius habent ut ex aliorum divitiis necessaria sibi procurent.[11] Cum tot *sint in mundo fame oppressi, Sacrum Concilium omnes sive singulos sive auctoritates urget ut, illius sententiae Patrum memores*: « *Pasce fame morientem, quia si non pavisti occidisti* »,[12] *pro uniuscuiusque facultate, bona sua revera communicent et impendant* (G), *praesertim cum illa nonnullis populis ad progressionem oeconomicam et socialem necessaria sint* (H).

In societatibus oeconomice minus progressis non raro destinationi communi bonorum ex parte per consuetudines et traditiones communitati proprias satis fit, quibus unicuique membro bona prorsus necessaria praebentur. *Vitandum tamen est ne consuetudines quaedam ut omnino immutabiles habeantur, si novis exigentiis huius temporis non iam respondeant; altera vero parte* (I), ne contra illas ( ) imprudenter

[42] agatur quae, dummodo hodiernis adiunctis apte accommodentur, perutiles esse non desinunt. Similiter in nationibus oeconomice valde progressis, corpus quoddam socialium institutionum, ad cautionem et securitatem spectantium, communem bonorum destinationem pro sua parte ad actum adducere valet conferre. ( ) Ulterius promovenda sunt servi- [43] tia familiaria et socialia, praesertim quae animi cultui atque educationi consulunt. In his omnibus instituendis ( ), invigilandum tamen est ne cives ad quamdam erga societatem inertiam inducantur neve suscepti officii onus reiiciant et servitium repudient.

74. (Olim n. 82) [*De pecuniarum collocationibus et publica rei nummariae moderatione*]. Bonorum collocationes, ex sua parte, tendere debent ad *occasiones laboris* (A) redditusque sufficientes tam populo hodierno quam futuro procurandos. *Quicumque de his collocationibus et vitae oeconomicae* ordinatione ( ) decernunt — *sive singuli, sive coetus, sive auctoritates publicae* — (B), hos fines prae oculis habere tenentur, atque gravem suam obligationem agnoscere futura praevidendi et iustum aequilibrium constituendi inter necessitates hodiernae consumptionis, *sive individualis sive collectivae* (C), et exigentias collocandi bona pro generatione ventura. *Semper etiam prae oculis habeantur urgentes nationum vel regionum oeconomice minus progressarum necessitates. Cum autem prosperitas et praesertim liberum ac frequens inter homines et nationes commercium oeconomicum necessario a sana re monetaria pendeant, quicumque, suo modo agendi, pecuniae valorem in discrimen vocant, contra commune propriae nationis necnon aliarum nationum bonum offendunt; immo oeconomice debiles praeprimis detrimentum ex valoris pecuniae diminutione iniuste patiuntur* (D).

75. (Olim n. 83) [*De accessione ad proprietatem et dominium bonorum; et de latifundis*]. *Cum proprietas ac aliae* in bona exteriora dominii formae (A) ( ) ad expressionem personae ( ) conferant, cum insuper occasionem ei praebeant suum munus *in societate et oeconomia* (B) exercendi ( ), valde interest ut, sive singulorum, sive communitatum, ad quoddam bonorum exteriorum dominium accessio foveatur ( ).

Proprietas privata aut dominium quoddam in bona exteriora spatium plane necessarium ad personalem et familiarem autonomiam unicuique conferunt, et velut necessaria libertatis humanae extensio considerari debent. Demum, quia ad munus onusque exercendum stimulos addunt, condicionem quamdam libertatis politicae constituunt (C).[13]

Formae talis dominii vel proprietatis sunt hodie diversae et in dies adhuc magis diversificantur. *Omnes autem, non obstantibus* (D) fundis socialibus, iuribus et ministeriis a societate procuratis, causa non parvi-

pendenda securitatis manent. Quod non tantum de proprietatibus ma- [42]
terialibus dicendum est, sed etiam de immaterialibus bonis, uti sunt capacitates professionales.

Ius autem privati dominii illi iuri non obstat quod variis formis proprietatum publicarum inest. Translatio quidem bonorum in publicam proprietatem non nisi a competenti auctoritate, iuxta boni communis exigentias et intra eius limites, fieri potest. Praeterea, ad *publicam auctoritatem* (E) pertinet praecavere ne quis privata proprietate contra [44]
bonum commune abutatur.[14]

Ipsa autem proprietas privata *et indolem socialem natura habet* (F), quae, in communis destinationis bonorum lege *fundatur*.[15] Qua sociali *indole* neglecta, proprietas multoties occasio cupiditatum et gravium perturbationum fieri accidit, *ita ut ad ipsum ius in discrimen vocandum impugnatoribus praetextus detur* (G).

In pluribus regionibus oeconomice minus progressis, magni vel etiam latissimi rustici fundi existunt, mediocriter exculti vel lucri causa sine ulla cultura manentes, dum maior pars populi vel terris caret vel minimis tantum agris gaudet, atque, ex altera parte, incrementum fructificationis agrorum evidenter urgens apparet. Non raro ii qui a dominis ad laborem conducuntur, *vel qui partem illorum titulo locationis colunt, nonnisi stipendium vel proventum* (H) homine indignum recipiunt, decenti habitatione privantur, necnon a mediatoribus exspoliantur. Ulla securitate carentes, sub tali personali famulatu vivunt, ut fere omnis facultas sua sponte *et cum responsabilitate* (J) agendi eis tollatur, omnisque promotio in cultu humano et omnis pars in vita sociali et politica illis prohibeantur. Pro variis igitur casibus reformationes necessariae sunt: ut crescant *redditus* (L), emendentur condiciones laboris, augeatur securitas in conductione, deturque incitamentum ad sponte operandum; immo ut distribuantur fundi non satis exculti iis qui easdem terras fructuosas reddere valeant. Quo in casu suppeditanda sunt *res et media* (M) necessaria, praesertim educationis subsidia et iustae ordinationis cooperativae facultas. Quod si autem proprietatis ademptionem bonum commune exegerit, compensatio ex aequitate, omnibus adiunctis perpensis, aestimanda est (N) ( ).

76. (Olim n. 85) [*De navitate oeconomica-sociali et de Regno Christi*]. Christiani qui activas partes in hodierna progressione oeconomica-sociali agunt et iustitiam *caritatemque* (A) propugnant, persuasum sibi habeant se multum ad humanitatis prosperitatem et mundi *pacem* (B) conferre posse. *In his activitatibus, sive singuli sive consociati exemplo fulgeant.* Acquisitis quidem peritia experientiaque omnino necessa-

[44] riis, inter terrestres navitates rectum bonorum ordinem servent, in fidelitate erga Christum Eiusque Evangelium, ita ut integra eorum vita, *tam individualis quam socialis,* Spiritu Beatitudinum imbuatur (C).

Quicumque Christo oboediens, primum quaerit Regnum Dei, inde validiorem ac puriorem amorem suscipit, ad omnes fratres suos adiuvandos et ad opus iustitiae, inspirante caritate, perficiendum.[16]

[45] NOTAE

Ad n. 67.

[1] Cf. PIUS XII, *Nuntius* 23 martii 1952: *A.A.S.,* 44 (1952), p. 273; IOANNES XXIII, *Allocutio* ad A.C.L.I., 1 maii 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 358.

Ad n. 68.

[2] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 190 ss. PIUS XII, *Nuntius,* 23 martii 1952: *A.A.S.,* 44 (1952), p. 276 ss. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 54 (1961), p. 450; CONC. VAT. II, Decretum *Inter mirifica,* c. I, n. 6: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 147.

[3] Cf. *Mt.* 16, 26; *Lc.* 16, 1-31; *Colos.* 3, 17.

Ad n. 69.

[4] Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Libertas,* in *Acta Leonis XIII,* t. VIII, p. 220 ss.; PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 191 ss.; ID., *Divini Redemptoris*: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 65 ss.; PIUS XII, *Nuntius Natalicius* 1941: *A.A.S.,* 34 (1942), p. 10 ss.; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 401-464.

Ad n. 70.

[5] Quoad problema agriculturae cf. praesertim IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 431 ss.

Ad n. 71.

[6] Quoad laborem eiusque remunerationem, cf. antecedentia documenta Pontificia, praesertim *Quadragesimo anno* et *Mater et Magistra.*

Ad n. 72.

[7] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 408, 424, 427; verbum autem « curatione » desumptum est ex textu latino Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 411.

Ad n. 73.

[8] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Sertum laetitiae*: *A.A.S.,* 31 (1939), p. 642; cf. etiam IOANNES XXIII, *Allocutio* consistorialis: *A.A.S.,* 52 (1960), pp. 5-11. Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 411.

[9] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* II-II, q. 32, a. 5 ad 2; *Ibid.,* q 66, a. 2; PIUS XII, *Allocutio,* 1 iunii 1951: *A.A.S.,* 35 (1941), p. 199.

[10] Cf. S. BASILIUS, *Hom. in illud Lucae « Destruam horrea mea »* n. 2 (*PG* 31, 263); LACTANTIUS, *Divinarum Institutionum,* lib. V, de iustitia (*PL* 6, 565 B);

S. AUGUSTINUS, *In Ioan. Evang.* tr. 50, n. 6 (*PL* 35, 1760); Enarratio in [45]
Ps. CXLVII, 12 (*PL* 37, 1922); S. GREGORIUS M., *Homiliae in Ev.* hom. 20 (*PL* 76, 1165); ID., *Regulae Pastoralis liber,* pars III, c. 21 (*PL* 77, 87); S. BONAVENTURA, in III *Sent.* d. 22, dub. 1 (ed. Quaracchi, III, 728), in IV *Sent.* d. 15, p. 2, a. 1, p. 4 (ed. cit. IV 368), q. *de superfluo* (ms. *Assisi Bibl. Comun. 186,* ff. 112^{a}-113^{a}); S. ALBERTUS M., in III *Sent.,* d. 33, a. 3, sol. 1 (ed. Borgnet XXVII, 610); in IV *Sent.* d. 15, a. 14-16, sol. (ed. cit. XXIX, 496).

[11] Antiquum est principium: « in extrema necessitate omnia sunt communia, id est communicanda ». Alia ex parte pro ratione, extensione et modo quo applicatur principium in textu proposito cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* II-II, q. 66, a. 7.

[12] Cf. GRATIANI *Decretum,* C. 21, dist. LXXXVI (ed. Friedberg I, 302). [46]
Istud dictum invenitur iam in *PL* 54, 591 A.

Ad n. 75.

[13] PIUS XII, *Nunt. Radioph.,* 1 sept. 1944: *A.A.S.,* 36 (1944), pp. 253 et 254. Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 428 et 429.

[14] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 214; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 429.

[15] Cf. PIUS XII, *Nunt. Radioph.,* Pent. 1941: *A.A.S.,* 44 (1941), p. 199. Cf. etiam *Epist. Secret. Status ad Hebd. Soc. ital.* 23 sept. 1956. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 430.

Ad n. 76.

[16] Pro recto usu bonorum iuxta doctrinam Novi Testamenti: cf. *Lc.* 3, 11; 11, 41; 10, 30 ss.; 16, 1-3; *Mt.* 5, 3; 6, 34; *Mc.* 8, 36; 12, 29-31; *Iac.* 5, 1-6; *1 Tim.* 6, 8; *Eph.* 4, 28; *2 Cor.* 8, 13; *1 Io.* 3, 17 ss.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS [47]

Ad num. 67.

(A) Prima sententia: « *Etiam ... finis est* » additur per modum transitionis, ut servetur in omnibus capitibus eadem perspectiva generalis.

« *Politicae potestatis* » dicitur loco « Civitatis »: hoc verbum videtur nimis arctum.

(B) « *Insimul* » loco « ex altera parte », ad melius coniungendas duas phrases, quia vera oppositio membrorum non habetur.

(C) « *ad ... melius inserviendum* »; loco « ad satisfaciendum », ne detur impressio nimis optimistica atque falsa beneficiorum quae ex moderna oeconomia fluunt (E/5810, E/5877).

(D) « *Homines, praesertim ... imbuatur* »: additio trium linearum, sec. E/5810, ad delineandum periculum spirituale maximum in regionibus progressis, ex quo perturbationes oriuntur.

(E) « *Propria initiativa ac responsabilitate* » loco « suo inceptu aut

[47] cum officii conscientia et onere ». Mutatum est ad expressionem latinam clariorem reddendam, etiam, si casus fert, neologismis adhibitis.

(F) Additum est sec. E/5716, E/5877, etc., ob momentum particulare conditionum laboris, quibus patiuntur multi homines etiam hodie. Adnumerandum videtur inter characteres situationis actualis vitae oeconomicae-socialis.

(G) « ... *conscientia vividiore* », loco « acerbius ». « *Inde autem* ... *respiciens* »: haec additio intendit ut confirmatio detur principiis doctrinae socialis Ecclesiae, secundum vota plurium Patrum (E/5493, E/5716, etc.).

Deletiones in hoc numero propter brevitatem vel claritatem factae sunt (E/5424).

Ad num. 68.

In titulo adiungitur « *et de eius lege fundamentali* » ad melius determinandum materiam primae sectionis.

(A) « ... *productionis bonorum agriculturae et industriae necnon praestationis servitiorum* »; loco « quaestuosarum artium, quibus opera fiunt »: *a*) ad linguam clariorem reddendam; *b*) ita ut iam hic ab initio mentio fiat de momento incrementi productionis agrariae; *c*) ut servitia non omittantur, quae sunt vel constituunt « tertium sectorem » oeconomiae. (Quoad *b*), cf. E/5724).

[48] (B) « *studio inceptuum creandorum atque ampliandorum, methodis productionis aptandis* »; loco « novis creandis inceptis, modis quaestuosarum illarum artium aptandis »: *a*) ut melius inculcetur momentum activitatis conditorum atque moderatorum inceptuum (entreprises); *b*) ut latinitas fiat clarior.

(C) « *merum rerum productarum incrementum* »; additio facta secundum vota plurium Patrum (E/5289, E/5718, E/5810).

(D) « *exigentiarum* »; loco « desideriorum »; sensus clarior evadit.

(E) « *leges morales* »; loco « ethicam socialem »; expressio amplior est quia includit etiam legem Evangelii, quam quaesierunt Patres.

Deletiones post secundam et ultimam phrases huius alineae propter brevitatem factae sunt, quia sententiae omissae nil amplius dicebant.

Ad num. 69.

(A) Deletur verbum « peritorum », quia peritia in se bona ac necessaria est in oeconomia ordinanda. Malum consistit in abusu peritiae, praesertim in coniunctione cum potentia oeconomica; ideo additio sequens.

(B) « *nimia potentia oeconomica pollentium* » (E/5810). Propter hanc additionem delevimus verba sequentia anterioris textus « privilegiis praeditorum ». Additur autem: « *nec solius communitatis politicae* ». [48]

(C) « *ubi de relationibus internationalibus agitur, omnes nationes* »; loco « ipsa communitas internationalis populorum » ad clariorem intelligentiam.

(D) « *quasi mechanico activitatis oeconomicae singulorum* »; loco « virium oeconomicarum »; ad melius describendum postulatum liberalistico-individualisticum, de quo hic agitur.

(E) « *personarum singularum* »; loco « personae humanae » ut melius sensus exprimatur.

(F) « *pro sua possibilitate* »; loco « per seipsos »; melius indicat mensuram conatuum ad unoquoque requisitorum (E/5810). Asseritur insuper obligatio *potestatis civilis* hoc ius agnoscendi.

(G) « *graviter in discrimen vocant ii qui opes suas infructuose retinent* »; additio qua completur descriptio abusuum, quibus aliqui communitatem suam adiumentis debitis privant (E/5632, E/5810 ...). Servatur suo loco, ut in praecedenti textu, incisum « salvo iure personali migrationis ».

(H) « *communitatem* »; loco « patriam », quia expressio generalior requiritur.

(J) « quibus *illa eget* »; praecisio opportuna, ut delimitentur extensio et limites obligationis.

Ad num. 70. [49]

(A) « *ingentes* quae nunc ... differentiae oeconomicae *cum discriminatione sociali coniunctae* ». Differentiae, per se, ne ingentes quidem, non semper iniustae sunt; sed tantummodo eae, quae cum discriminatione coniunctae sunt.

(B) « quam *citius* »; loco: « quam citissime », ut vitetur modus simplicisticus, de quo lamentati sunt plures Patres.

(C) « *sive in gignenda sive ad vendenda bona* »: additio ut praesentes difficultates agriculturae in particulari delineentur (E/5709, E/5724, E/5929 ...).

(D) « *adiuvandi sunt* »; loco « providendum est »; ita ut innuatur ruricolas etiam per se ipsos ad suum statum meliorandum conferre debere (E/5632, E/5810 ...).

(E) « *cum ad productionem augendam et vendendam, tum ad necessarias evolutiones ac innovationes inducendas* »; ita ut directio conatuum necessariorum melius indicetur, secundum vota aliquorum Pa-

[49] trum desiderantium ut hic, agendo de agricultura, magis ad particularia veniamus.

(F) « *maneant* », loco « collocentur », ut melius exprimetur conditio iam existens.

(G) « *quaevis discriminatio* »; loco « quodvis discrimen ». Nam discriminatio iniusta est. Discrimen autem, vel differentia, non est semper aliquod de se iniustum (E/5424, E/5810 ...).

(H) « *veluti mera productionis* »; loco « veluti ... exercendas » ad claritatem.

(J) « *In quantum fieri potest in propriis regionibus fontes laboris creentur* »; ne incidatur in solutiones « facilitatis ». Mala enim quae comitantur multas migrationes, pro possibilitate cavenda sunt. Melius est bona capitalia ad homines attrahere, quam homines admovere (E/5810).

(L) « *hodie mutationi obnoxiis necnon* »: ad claritatem. Designatur illa mutatio, quae hodie fit in regionibus minus progressis, versus oeconomiam magis modernam.

(M) « *in quibus e. g. automatio progreditur* »: iure petierunt aliqui Patres mentionem illius processus automationis maximi momenti, qui multa consectaria secum trahit, praesertim quoad occasiones laboris (E/5992 ...).

Ad num. 71.

(A) « *qui in bonis gignendis ac commutandis vel in servitiis oeconomicis suppeditandis exercetur* »; multi Patres lamentati sunt de conceptu laboris nimis ambiguo in textu anteriori. Nunc clarius indicatur
[50] agi hic de labore cum finalitate oeconomica, praesertim de labore professionali (E/5424, E/5810 ...).

(B) « *Rebus materialibus* », loco « bonis exterioribus »: ad claritatem.

(C) « *sive proprio marte assumatur sive ab alio conducatur* »: est enim sermo de omni labore humano oeconomico. Praecisio nunc facta includit laborem intellectualem, « liberalem », laborem moderatorum inceptuum, artificum, simul ac operariorum (E/5810 ...).

(D) « *ordinarie* »; loco « ex more »: ad claritatem (E/5424).

(E) « *tenemus* »; loco « credimus »: quia de articulo fidei non agitur (E/5424, E/5637).

(F) « *cives adiuvare debet ut sufficientis laboris occasionem invenire possint* »: loco « satisfacere debet »; ut vitetur species approbationis Status providentialistici (« Versorgungsstaat ») (E/5810).

(G) « *Saepius autem ... nostris diebus* »; loco « nunc autem perincommode saepius »; nam in certis regionibus multi progressus facti sunt. [50]

(H) « *Quod sic dictis legibus oeconomicis nequaquam iustificatur* »: ad vitandam nimis facilem obiectionem cui alluditur in E/5810, et quae repelli debet.

(I) « *praesertim quod matres familiae spectat* »; additio secundum E/5493.

(L) « *gaudeant* », « *habeant* »; loco « praebeatur », « concedenda »; ad vitandam speciem « paternalismi ».

(M) « *professionali* »; loco « cotidiano »; clarius indicatur quod de labore agitur, qui ob finalitatem oeconomicam exercetur; sic melius activitati liberae facultatum opponitur.

Ad num. 72.

(A) Prima phrasis textus recepti consulto *omittitur,* ut durior. Expressio « inceptis oeconomicis » latius patet quam « bonorum gignendorum inceptus »; non enim tantum activitatem productionis considerare debemus, sed etiam commercium et qualiacumque servitia (E/2829).

(B) « ... *personae consociantur* »; loco « incepta in communitates personarum convertenda sunt »; « communitas » in sociologia moderna determinatum sensum habet, hic non plane adaptatum. Insuper sapit « sentimentalismum ».

(C) « *Ideo, salva necessaria directionis operis unitate, promoveatur participatio omnium sociorum* participatio, *modis apte determinandis,* in inceptorum negotiis eorumque *curatione* et fruct*ibus* »; ita ut vitetur omnis species approbationis directionis inceptuum « anonymae » et impersonalis. Correspondet hic textus eis quae in *Mater et Magistra* dicuntur; additio a multis rogatur (E/5493, E/5877, E/5709, E/5810). Loco « administratione », post longam disceptationem Commissioni pla- [51]
cuit, ut adhibeatur verbum « *curatione* », ut in Enc. *Quadragesimo anno.*

(D) « *Ipsi* »: loco « operarii »; nam de quibusvis laborantibus agitur et non de operariis tantum.

(E) Quaedam deleta sunt quia non necessaria.

(F) « *Omnes* »: loco « operarios », ut sensus latius pateat.

(G) Pro operistitio nova et brevior redactio proponitur, quae placuit etiam laicis praesentibus in Commissione mixta et qui repraesentabant sive dominos inceptuum sive operarios. Respectu anterioris textus, expressius dicitur « adiumentum, *etsi ultimum* ». Ad constabiliendam extensionem et etiam ad limites ponendos, dicitur: « ad propria

[51] iura defendenda ». Sub hac extensione et limite perpendi potest sic dictum « operistitium politicum », de cuius proscriptione quaesierunt quidam Patres. Aliae determinationes particulares tandem, post discussiones, vitatae sunt.

Ad num. 73.

(A) « *in usum* », loco « ad utilitatem »: ob rationes concordiae cum textu S. Thomae, qui de « usu » sermonem facit.

(B) « *ita ut bona ... caritate comite* ». Haec verba adiunguntur propter tria; ut enuntietur, quod illa destinatio non debet remanere simplex ideale; insuper quod affluxus bonorum secundum aequitatem evenire debeat, ne aliqui omnibus bonis abundent et alii ne necessaria quidem habeant; tandem ut statim percipiatur, quod istae obligationes, ex universali destinatione deductae, pertinent prius ad ipsam iustitiam. At caritas, sua peculiari actione, illas obligationes iustitiae debet vivificare, comitari, immo superare et perficere, iuxta illud Apostoli: « plenitudo ergo legis est dilectio » (*Rom.* 13, 10).

(C) « *Non* tamquam sibi proprias », loco « *numquam* sibi proprias », ut etiam hic habeatur conformitas cum textu S. Thomae.

(D) Loco « ius *strictum* », dicitur simpliciter « ius ». Nam ius hic intelligitur ut obiectum iustitiae (cf. S. THOMAS, II-II, q. 57, a. 1). Quidam volebant ut dicatur « ius *primum* », vel « ius fundamentale », vel « ius primarium » etc. Sed propter diversitatem propositionum praevaluit ut dicatur simpliciter « ius ». Sic etiam satisfactum est cuidam Patri (E/5709), qui nomine 80 Patrum loquebatur.

(E) « *Homines* », loco « divites ». Nam per se obligatio sublevandi pauperes, etiam in dictis Sanctorum Patrum, urget non tantum divites sed etiam alios, secundum uniuscuiusque possibilitatem.

(F) « *non tantum ex superfluis* », loco « ex superfluis »: ut expresse dicatur, quod iuxta doctrinam antiquam non tantum de superfluo sed etiam de necessario subveniendum est pauperibus, iuxta monitum S. Gregorii, *Hom. in Ev.,* 20 (*PL* 76, 1165): « ... non solum exteriora quaeque
[52] et minus necessaria, sed ipsa valde necessaria dividere cum proximo debeamus ... minus proximum amare convincitur qui non cum eo in necessitate illius etiam ea quae sibi sunt necessaria partitur ». Quod maxime urget, ut eruitur e doctrina scholasticorum, cum proximus est in extrema necessitate.

(C) « *Sacrum Concilium ... impendant* ». Tali additione consulitur voto Patrum (cf. E/5706; E/5715; E/5722), qui et de fame sublevanda hic etiam loquendum petierunt; et quidem per recursum ad anti-

quam traditionem theologicam Ecclesiae. Sic apparet quomodo, etiam [52] quoad famem, Ecclesia in decursu saeculorum semper praeoccupata fuit conscientias hominum severe admonere. Ideo remittitur in fine ad famosum textum patristicum, qui continuo referebatur etiam in collectionibus iuridicis, ut apud *Decretum* Gratiani c. 21, dist. XLXXXVI (ed. Friedberg I, 302), licet sub falso nomine scil. Ambrosii, cum e contra inveniatur in *PL* 54, 591 A. (Pro fonte, authenticitate et usu huius dicti patristici: « Pasce ... » cf. in *Antonianum* 27 [1952] 349-366). Adiungitur « bona sua revera communicent », ut sic intelligatur principium destinationis primariae, quo in extrema necessitate bona sunt communia, *id est communicanda.* Modus autem potest esse valde diversus; ideo dicitur « et impendant ... ».

(H) Secundum votum multorum Patrum.

(I) « *Vitandum tamen est ... altera vero parte* »; additio facta est, quia textus anterior non praevidebat casum, in quo mutatio profundior talium consuetudinum et communitatum necessaria evadit ad ulteriorem progressum promovendum. Deletiones in hoc numero brevitatis causa factae sunt.

Ad num. 74.

(A) « *occasiones laboris* »; loco « laborem »; claritatis causa.

(B) « *Quicumque de his collocationibus ... — sive singuli, sive coetus, sive auctoritates publicae* — »; fit enumeratio, ut vitetur species « dirigismi » systematici (E/5810).

(C) « *sive individualis sive collectivae* »; sunt enim hodie exigentiae vel necessitates indolis « collectivae » talis momenti, ut etiam de his aliqua mentio facienda esse videatur (E/5877).

(D) Maior praecisio fit quoad rem monetariam, a pluribus Patribus desiderata (E/5741, E/5635, E/5810 ...).

Ad num. 75.

(A) « *proprietas ac aliae ... dominii formae* »; loco « dominium », quia si notio « dominium » sola adhibetur, impressio datur ac si hic persequeremur loqui de illo dominio naturali, quod homini *ut* homini competit (de quo sub n. 73), non vero de instituto iuridico, de quo nunc est sermo (E/5632, E/5810). Ob eamdem causam delentur in prima li- [53] nea aliqua verba, quae magis dominium *metaiuridicum* respiciebant (« in persona radicem habet »); adduntur e contra verba sequentia.

[53] (B) « *in societate et oeconomia* », ut indicetur indoles ordinativa proprietatis privatae pro vita oeconomica et sociali, secundum vota aliquorum Patrum (E/5705, E/5484).

(C) Hic textus prior resumitur, cum aliquibus mutationibus grammaticalibus.

(D) « *Omnes ... non obstantibus* » loco « una cum »; ita ut momentum proprietatis, etiam in casu ubi adest « systema securitatis socialis », prae oculis habeatur.

(E) « *publicam auctoritatem* », loco « Civitatem », ut melius determinetur subiectum.

(F) « *Ipsa ... et indolem socialem natura sua habet* »; ut impressio removeatur, ac si illud « munus » de quo in textu anteriori, esset aliquid proprietati ab extra superadditum. Dicitur in sequentibus « *fundatur* » loco « subiacet » ut melius exprimatur ratio et fons indolis socialis proprietatis.

(G) « *Qua sociali indole ... ita ut ad ipsum ius in discrimen vocandum impugnatoribus praetextus detur* »; additio, qua gravitatem illorum abusuum sublineamus. Delentur e contra aliqua exempla nimis particularia, brevitatis causa.

(H) « *vel qui partem illorum titulo locationis colunt* »; illorum enim situatio non est melior quam illorum, qui in illis fundis ad laborem conducuntur (E/5810).

(I) « *Cum responsabilitate* », additur ad aspectum humanum expressius sublineandum.

(L) « *redditus* »; loco *merces,* nam illud verbum, propter additionem allatam, nimis arctum erat.

(M) « *res et media* », loco « servitia », ad latiorem significationem.

(N) Textus consulto abbreviatur, nam aliqui Patres lamentati sunt quod textus prior ad nimia particularia descendebat.

Ad num. 76.

In subtitulo dicitur « regno *Christi* » loco « regno *Dei* ».

(A) « *caritatemque* »; completio textus congrua.

(B) « *pacem* »; loco « salutem »: istud verbum cuidam Patri non placuit (E/3709). Additur aliquid expresse de exemplo ex parte christianorum dando.

(C) « *individualis* », « *socialis* », loco « personalis » et « collectivae » (cf. E/5292).

CAPUT IV [54]

DE VITA COMMUNITATIS POLITICAE

77. (Olim 86) [*De hodierna vita publica*]. Nostris temporibus etiam in populorum compage et institutionibus profundae advertuntur transformationes, *quae evolutionem culturalem, oeconomicam ac socialem populorum consequuntur; inter quas enumerantur quaestiones politicae, illae nempe, quae ad relationum civium inter se et cum potestate publica ordinationem pertinent atque omnium iura et officia in exercitio libertatis civilis ac in bono communi attingendo respiciunt* (A).

( ) (B) Ex vividiore humanae dignitatis conscientia exoritur, in variis mundi regionibus, laudabile studium ordinem polit*ico*-iuridicum instaurandi, in quo personae iura in vita publica melius protegantur, ut sunt iura libere sese coadunandi, consociandi, proprias opiniones exprimendi *ac religionem profitendi* (C). *Ita civibus, sive singulis sive consociatis, conditio necessaria in rei publicae vita et moderamine actuose participandi praebetur* (D).

Una cum progressu oeconomico-sociali ac culturali apud plures roboratur desiderium ( ) adsumendi maiorem partem in civium et consociationum inter se et cum publica auctoritate *relationibus* ordinandis. In multorum conscientia studium servandi iura *simul et officia* (E) minorum alicuius nationis partium aug*e*tur *necnon* reverentia *in dies increscit* erga homines aliam opinionem vel aliam religionem profitentes; simul latior instituitur cooperatio, ut omnes cives, et non tantum quidam privilegiis ornati, iuribus personalibus reapse frui possint ( ) (F).

Reprobandae autem sunt quaecumque formae ( ) politicae, in aliquibus regionibus vigentes, quae libertatem civilem et religiosam praepediunt, victimas cupiditatum et criminum politicorum multiplicant, et exercitium auctoritatis a bono communi ad commodum cuiusdam factionis vel ipsorum moderatorum detorquent.

Ad vitam politicam vere humanam instaurandam nihil melius est quam interiorem iustitiae et benevolentiae sensum fovere, atque persuasiones fundamentales circa veram indolem communitatis politicae, atque circa finem, rectum exercitium et limites publicae auctoritatis corroborare.

78. (Olim 87) [*De communitatis politicae natura et fine*]. Homines, familiae et varii ( ) coetus, *qui communitatem socialem constituunt* (A), propriae insufficientiae ad vitam plene humanam instituendam conscii sunt et necessitatem amplioris communitatis percipiunt, in qua omnes, ad [55]

[55] bonum commune semper melius procurandum, cotidie proprias vires conferant.[1] Quapropter *communitatem* politicam secundum varias formas constituunt. *Communitas* ergo politica propter illud bonum commune *exsistit,* in quo suam plenam iustificationem et sensum obtinet, et ex quo ius suum primigenium et proprium depromit ( ). *Bonum vero commune summam complectitur earum vitae socialis conditionum, quibus homines, familiae et consociationes suam ipsorum perfectionem plenius atque expeditius consequi possint*[2] (B).

Multi *autem* et diversi sunt homines, qui in communitatem politicam conveniunt et legitime in diversa consilia declinare possunt. Ne igitur, unoquoque in suam sententiam abeunte, *communitas politica* distrahatur, auctoritas requiritur, quae omnium civium vires in bonum commune dirigat, non mechanice *nec despotice* (C), sed imprimis ut vis moralis, quae in libertate et suscepti officii onerisque conscientia nititur.

Patet ergo *communitatem* et auctoritatem *publicam* in natura humana fundari ideoque ad ordinem a Deo praefinitum pertinere, etsi tamen regiminis determinatio et moderatorum designatio libere *civium* voluntati relinquantur.[3] ( ) (D).

Sequitur item auctoritatis politicae exercitium, sive in communitate ut tali, sive in institutis rem publicam repraesentantibus, semper infra fines ordinis moralis ad effectum deducendum esse, ad bonum commune — et quidem dynamice conceptum — procurandum, *secundum ordinem iuridicum legitime statutum vel statuendum* (E). Tunc cives ad oboedientiam praestandam ex conscientia obligantur.[4]

Ubi autem a publica auctoritate, suam competentiam excedente, cives premuntur, ipsi, quae a bono communi obiective postulantur, ne recusent (F); *fas vero sit eis contra iniustas aggressiones sua conciviumque suorum iura defendere, illis servatis limitibus, quos lex naturalis et evangelica delineat* (G).

Modi vero concreti, quibus communitas politica propriam compagem et publicae auctoritatis temperationem ordinat, varii esse possunt secundum diversam populorum indolem et historiae progressum; semper autem ad hominem excultum, pacificum et erga omnes beneficum efformandum inservire debent, ad totius familiae humanae emolumentum.

79. (Olim 88) [*De omnium in vita publica cooperatione*]. Cum humana natura plene congruit ut *structurae iuridico-politicae* inveniantur, quae omnibus civibus semper melius *ac* sine ullo discrimine possibilitatem *effectivam* praebeant *libere et* actuose participandi tum *ad fundamenta iuridica communitatis politicae statuenda* (A), *tum* ad rei publi-

cae moderamen *et* ad variorum institutorum campi et finium determi- [55]
nationem, tum ad moderatorum electionem.[5] *Memores ergo omnes cives*
sint iuris simul et officii suffragio utendi ad bonum commune promo- [56]
vendum (B). *Ecclesia laude et consideratione dignum opus illorum ha-*
bet, qui in hominum servitium rei publicae bono se devovent et huius
officii onera suscipiunt (C).

Ut civium cooperatio cum officii conscientia coniuncta in cotidiana rei publicae vita effectum suum felicem attingat, requiritur positivus ordo iuris, in quo conveniens divisio munerum potestatis publicae atque simul efficax tuitio iurium, nullique obnoxia, instaurentur. Omnium personarum, familiarum ac coetuum iura eorumque exercitium agnoscantur, serventur et promoveantur,[6] simul cum officiis, quibus cuncti cives obstringuntur. Inter quae officium meminisse oportet rei publicae materialia et personalia servitia praestandi, quae ad bonum commune requiruntur. Caveant moderatores ne ( ) coetus familiares, sociales aut culturales, corpora intermedia aut instituta *infra-nationalia* (D) impediant, neve ea sua legitima et efficaci actione privent, quam potius libenter et ordinatim *promovere* satagant. Cives vero, *sive singuli sive consociati,* caveant ne nimiam potestatem auctoritati tribuant, neve nimia commoda et utilitates *ab ipsa* inopportune postulent, ita ut personarum, familiarum necnon coetuum socialium officii onus imminuant.

Ab implicatioribus nostrae aetatis adiunctis auctoritas rei publicae saepius in res sociales et oeconomicas atque culturales se interponere cogitur ad aptiores inducendas conditiones, quibus cives ac coetus ad bonum humanum integrum libere persequendum efficacius iuventur. *Inter socializationem autem et « personalizationem » aliae atque aliae relationes intercedere possunt secundum diversas regiones et populorum evolutionem* (E). *Sed ubi iura, in exercitio suo, propter bonum commune ad tempus restringuntur, circumstantiis mutatis quam primum restituantur* (F). At inhumanum est quod *auctoritas politica* in dictatorias *vel totalitarias* formas incidat, quae iura personae *socialiumque coetuum* ( ) laedant. Cives vero pietatem erga patriam magnanimiter et fideliter excolant, sine tamen mentis angustia, ita scilicet ut ad bonum totius familiae humanae, quae variis nexibus inter stirpes, gentes ac nationes coniungitur, ( ) *semper simul animum attendant.*

Christifideles omnes in communitate politica specialem et propriam vocationem sentiant, qua exemplo praefulgere debent quatenus officii conscientia sunt adstricti et bono communi excolendo inserviunt, ita ut factis quoque commonstrent quomodo auctoritas cum libertate, inceptio personalis cum coniunctione ac totius corporis socialis necessitu-

[56] dine, unitas opportuna cum proficua diversitate componatur. Circa rem temporalem ordinandam legitimas, at inter se discrepantes, opiniones agnoscant, civesque qui, etiam consociati, eas honeste defendunt, revereantur. *Partibus autem politicis ea promovere incumbit, quae earum iudicio ad bonum commune requiruntur; numquam vero propriam utilitatem bono communi praeponere licet* (G). Educatio vero civilis et [57] politica, hodie tum populo tum praesertim iuvenibus maxime necessaria, sedulo curanda est, *ut omnes cives in communitatis politicae vita partes suas agere valeant* (H). Qui idonei sunt aut fieri possunt, *ad* artem politicam, difficilem simul et nobilissimam,[7] *sese praeparent et eam* exercere *satagant* (I), proprii commodi et venalis beneficii immemores. Contra iniuriam et oppressionem, unius *abitrarium* dominatum et intolerantiam, integritate morum ac prudentia agant; sinceritate *autem* et aequitate, immo caritate et fortitudine politica, bono omnium se devoveant.

80. (Olim 89) [*Communitas politica et Ecclesia*]. *Magni momenti est* (A), *praesertim ubi societas pluralistica viget* (B), *ut* rectus respectus *relationis* inter *communitatem politicam* et Ecclesiam habeatur, et inter ea, quae christifideles, sive singuli sive consociati, suo nomine tanquam cives, christiana conscientia ducti, et ea, quae nomine Ecclesiae ( ) una cum pastoribus suis agunt, clare distinguatur.

Ecclesia, *quae,* ratione sui muneris et competentiae, *nu*llo modo cum *communitate politica confunditur, neque ad ullum systema politicum alligatur* (C), simul signum est et tutamentum transcendentiae personae humanae. *Ecclesia et communitas politica in proprio campo una ab alia sunt autonomae. Ambae autem, licet diverso titulo, eorundem hominum vocationi personali et sociali inserviunt. Quod servitium eo efficacius in omnium bonum exercebunt, quo ambae melius sanam cooperationem inter se colant, attentis quoque locorum temporumque adiunctis* (D). Homo enim ad solum ordinem temporalem non coarctatur, sed, in historia humana vivens, aeternam suam vocationem integre servat. Ecclesia vero, in Redemptoris amore fundata, ( ) confert ut intra nationes et inter nationes iustitia et caritas latius vigeant. Evangelicam veritatem praedicando ac omnes navitatis humanae provincias, per suam doctrinam et testimonium a christifidelibus exhibitum, illuminando, etiam politicam civium libertatem ( ) veretur atque promovet.

Apostoli *ipsorumque* successores et *horum* cooperatores ( ), cum mittuntur ut hominibus Christum mundi Salvatorem adnuntient, ( ) in suo apostolatu exercendo Dei potentia innituntur, qui persaepe in testium infirmitate virtutem Evangelii manifestat. Quicumque enim Verbi Dei ministerio se devovent, utantur oportet viis et subsidiis Evangelio

propriis, quae in plurimis a terrenae civita*tis* subsidiis ( ) differunt [57] ( ) (E).

Res quidem terrenae et ea, quae in hominum conditione hunc mundum exsuperant, arcte inter se iunguntur, et ipsa Ecclesia rebus temporalibus utitur quantum propria eius missio id postulat. Spem *vero* suam in privilegiis ab auctoritate civili oblatis non reponit; immo quorundam iurium legitime acquisitorum exercitio ( ) (F) renuntiabit, ubi constiterit eorum usu *sinceritatem* sui testimonii vocari in dubium aut novas vitae conditiones aliam exigere ordinationem. ( ) (G). Semper [58] autem et ubique ei fas sit cum vera libertate fidem praedicare, munusque suum inter homines expedite exercere, *necnon iudicium morale ferre, etiam de rebus quae ad ordinem politicum respiciunt, quando personae iura fundamentalia aut animarum salus id exigant* (H), omnia et sola subsidia *adhibens,* quae Evangelio et omnium bono secundum temporum et conditionum diversitatem congruant.

Ecclesia etenim quidquid est verum, bonum et pulchrum, fovet, purificat et elevat,[8] *pacem inter homines ad Dei gloriam roborans*[9] (I).

NOTAE

Ad n. 78.

[1] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 417.
[2] Cf. Id., *ibid.*
[3] Cf. *Rom.* 13, 1.
[4] Cf. *Rom.* 13, 5.

Ad n. 79.

[5] Cf. Pius XII, *Nuntius Radioph.* 24 dec. 1942: *A.A.S.,* 35 (1943), pp. 9-24; 24 dec. 1944: *A.A.S.,* 37 (1945), pp. 11-17; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 263, 271, 277 et 278.
[6] Cf. Pius XII, *Nuntius Radioph.* 7 iun. 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 200; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *l. c.,* pp. 273 et 274.
[7] Pio XI, *Alloc.* 18 dec. 1927.

Ad n. 80.

[8] Cf. Const. dogm. *Lumen Gentium,* n. 13.
[9] Cf. *Lc.* 2, 14.

[59] RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

1. *Observationes generales.*

Pauci Patres locuti sunt in Aula de hoc Capite. Qui vero scripto observationes fecerunt, etiam non multi sunt. Omnes Caput in genere adprobaverunt.

2. *Desideria generalia.*

a) Textus ne sit nimis occidentalis. Prae oculis habeat conditiones populorum *non-occidentalium.*

b) Rationem magis habeat regionum, quae sub *totalitarismo* vivunt.

c) Quaedam, quae magis emphasim vel triumphalismum sapiunt, alia, quae textum potius onerant, *omittantur.*

d) Instituatur nexus huius Capitis cum iis, quae praecedunt.

Ad num. 77.

(A) Quaedam mutata et quaedam addita sunt, ut *nexus* introducatur cum praecedentibus, sec. animadv. E/5900 (nomine aliorum Patrum et 1 Auditoris laici). Praesertim verba « quae evolutionem ... consequuntur » introducta sunt ut transformationes non necessario *perturbationibus,* uti videbatur in priori textu, sed potius ipsae evolutioni culturali, etc., populorum tribuantur.

(B) Verba quae ibi adstabant, omissa sunt quia non necessaria et nimis emphatica (iuxta E/5292).

(C) Libertas *religionem profitendi* includitur inter iura personae in vita publica.

(D) Eadem idea modo *positivo* exprimitur, nam forma negativa prioris textus phrasim nimis emphaticam et assertivam faciebat.

(E) Clarius in hoc Capite dicitur minoritates alicuius nationis *iura* simul et *officia* habere.

(F) Superflua linea textus prioris omittitur. Sequens linea minus emphatice redigitur.

Ad num. 78.

(A) Haec additio facta est, ut melius distinguatur in hoc numero inter *communitatem socialem* et communitatem politicam.

(B) Plures Patres petunt ut hoc loco descriptio *boni communis* ponatur (E/5777, E/5900, etc.). E/5292 definitionem postulat *boni*

communis uti habetur in Litt. Encycl. *Pacem in terris*. Definitio allata ea est, suggerente E/5777, quae invenitur in Encycl. *Mater et magistra*. [60]

(C) Additio facta iuxta E/5292.

(D) Citatio *Ep. ad Rom.* omittitur in textu et tantum ut referentia ponitur in nota, ut textus magis currat. Citatio illa, non bene in loco, textum potius onerat quam clarescit.

(E) Indicatur *ius constitutionale* communitatis politicae; verba « vel statuendum » addita sunt iuxta E/5863 et alios Patres.

(F) Principium ponitur de cooperatione cum regiminibus *totalitariis*.

(G) Rogantibus E/5873, E/5777, etc., stabilitur *ius resistentiae,* attamen cum duabus limitationibus: *a*) Ut fiat intra limites legis naturalis et evangelicae; *b*) Clare affirmatur *etiam tunc* cives obligari ad omnia ponenda, quae a bono communi requiruntur.

Ad num. 79.

(A) Iuxta mentem E/5863, E/5900, E/5873, etc., mentio fit de participatione civium etiam ad fundamenta iuridica communitatis politicae exstruenda.

(B) Iuxta vota plurium Patrum — E/5836, E/5873, etc. — expresse affirmatur omnes cives ius simul et officium habere suffragio utendi ad bonum commune. Iuxta E/5836, cives hoc ius-officium exercere tenentur *onerata conscientia* (et provocat ad Pium XII, *Discorso ai Parroci di Roma,* 10 mart. 1948).

(C) Iuxta votum E/5863, magna laude digni aestimantur omnes, qui se devovent bono communitatis politicae in servitium hominum.

(D) Ad ambiguitatem tollendam, loco « regionalia » ponitur « infra-nationalia », nam, iuxta E/5684, « regio » potest significare sive *partem* nationis, sive etiam *totam* nationem. In sequentibus lineis additur « sive singuli sive consociati » iuxta votum E/5926.

(E) Pressius enucleatur nexus inter socializationem et « personalizationem ». Patres enim, ut E/5640, E/5900, etc., rogarunt ut prae oculis haberentur conditiones quoque mundi non-occidentalis in textu redigendo.

(F) Iuxta E/5777, *restitutio iurium* praescribitur postquam ex necessitate restricta fuerunt. In sequentibus lineis addita sunt verba « vel totalitarias ». Iuxta E/5923, qui exoptat « ut formae totalitariae severissime damnentur », vox « dictatorias » est aequivoca. Ad omnem ambiguitatem tollendam nunc dicitur « dictatorias *vel totalitarias* ». Praeterea in eadem phrasi vox « graviter » deleta est, nam, iuxta E/5292, ius personae minime laedere potest auctoritas politica.

[60] (G) Iuxta E/5863, E/5511, E/5873, etc., declaratur officium partium politicarum erga bonum commune.

(H) et (I) Additiones factae iuxta E/5873, E/5863, E/5900 (no-
[61] mine aliorum Patrum et 1 Auditoris laici) ad inculcandam praeparationem ad artem politicam et participationem civium in vita communitatis politicae.

Ad num. 80.

(A) Haec linea mitius redacta est, quia videbatur nimis dicere et non bene cum praecedentibus cohaerere.

(B) In his, quae dicuntur de relatione inter communitatem politicam et Ecclesiam, admittitur notio societatis *pluralisticae* (sec. E/5873).

(C) Instantibus E/5746, nomine quoque totius Conferentiae Episcopalis, additio facta est ut clare affirmetur omnimoda independentia Ecclesiae a quolibet systemate politico.

(D) Postulant similem additionem E/5873, E/5863, partim etiam E/5926, aliique, ut relationes inter communitatem politicam et Ecclesiam pressius et logice exponantur. Affirmatur:

a) In proprio campo ambae sunt una ab alia autonomae;

b) Sed, quia ambae in bonum vocationis personalis et socialis eorundem hominum inserviunt, inter se amicalem cooperationem colere oportet;

c) Quae cooperatio, in concreto, diversa esse potest pro diversis locorum et temporum adiunctis.

Hoc modo fit satis etiam E/5780, qui clariora rogat circa relationes inter communitatem politicam et Ecclesiam.

(E) Quaedam verba omittuntur, quia negativa videntur et potius contemptum sapiunt erga media, etiam honesta, ab hominibus politicis usitata.

(F) Omittatur « libenter » — E/5926.

(G) Phrasis, quae ibi iacebat, translata est ad locum aptiorem huius numeri, ubi scilicet sermo fit de « sana cooperatione » inter communitatem politicam et Ecclesiam.

(H) Haec additio facta est iuxta votum E/5820, ad declarandam competentiam Ecclesiae iudicium morale ferendi de rebus quoque ad ordinem politicum spectantibus intra certos limites, nempe quando iura fundamentalia personae aut salus animarum id exigunt.

(I) E/5840 (nomine quoque Conf. Episcopalis) desiderat quandam conclusionem biblicam.

CAPUT V [62]

DE PACE FOVENDA ET DE COMMUNITATE GENTIUM PROMOVENDA

81. (Olim n. 90). [*Introductio*]. *Hisce nostris annis, quibus aerumnae et angustiae ex grassante vel impendente bello profluentes adhuc gravissimae inter homines perdurant, universa familia humana ad horam summi discriminis in suae maturitatis processu pervenit. In unum prorsus congregata atque ubivis suae unitatis iam conscia, opus quod ei incumbit: mundum scilicet pro omnibus hominibus ubique terrarum vere humaniorem aedificandi, peragere nequit nisi cuncti ad veritatem pacis* (A) *renovato animo convertantur. Hinc fit ut evangelicus nuntius, cum altioribus generis humani studiis atque optatis congruens, nostris temporibus nova claritate elucescat dum pacis artifices beatos proclamat, « quoniam filii Dei vocabuntur »* (*Mt.* 5, 9) (B).

Ideo Concilium, veram et nobilissimam pacis rationem illustrans (n. 82), *belli immanitate damnata* (nn. 83-86), *christianos ferventer evocare intendit ut, auxiliante Christo auctore pacis, cum omnibus hominibus ad pacem in iustitia et amore inter eos firmandam et ad instrumenta pacis apparanda cooperentur* (nn. 87-94).

82. (Olim n. 91) [*De natura pacis*]. *Pax* non est mera absentia belli neque ad solum *adversarum virium aequilibrium stabiliendum reducitur* neque ex imperioso *dominatu* oritur, sed *recte proprieque dicitur* opus iustitiae. *Fructus exsistit ordinis humanae societati a divino suo Fundatore insiti et ab hominibus perfectiorem semper iustitiam anhelantibus in actum deducendi* (A). Cum enim generis humani bonum *commune primaria quidem sua ratione lege aeterna regatur, sed quoad id quod concrete exigit, progrediente tempore incessantibus mutationibus subiciatur, numquam est pax quid iam absolutum, sed aliquid perpetuo iterum aedificandum. Cum insuper labilis sit humana voluntas necnon peccato sauciata, procuratio pacis* constantem uniuscuiusque exposcit passionum dominationem et legitimae auctoritatis invigilantiam.

Hoc tamen non sufficit. Pax haec in terra obtineri non potest nisi bonum personarum in tuto collocetur et homines cum fiducia divitias sui animi atque ingenii inter se sponte communicent. Firma voluntas alios homines eorumque dignitatem reverendi studiosumque fraternitatis exercitium, mutua amicitia innixa, ad pacem construendam omnino necessaria sunt. Ita pax fructus altioris amoris existit, qui ultra ea progreditur [63] *quae iustitia praestare valet* (B).

[63] *Pax autem terrena quae ex dilectione proximi oritur, figura et effectus est pacis Christi, a Deo et Patre promanantis.* Ipse enim Filius incarnatus, princeps pacis, per crucem suam omnes homines Deo reconciliavit ac, restituens omnium unitatem in uno populo et uno corpore, in propria sua carne occidit odium et, resurrectione exaltatus, Spiritum caritatis in corda hominum diffudit.

Quapropter, *quamvis aliae legitimae defensionis formae excludi nequeant,* (C) non possumus non laudare eos qui, *in iu*ribus vindican*dis* actioni violentae renuntiantes, ad ea media defensionis recurrunt quae etiam debilioribus *praesto sunt* (D).

Omnes Christiani enixe evocantur ut, veritatem facientes in caritate, cum hominibus *sincere pacificis* sese uniant ad pacem implorandam (E) et instaurandam.

Quatenus enim homines peccatores sunt, eis imminet periculum belli, et usque ad adventum Christi imminebit; quatenus autem, caritate coniuncti, peccatum superant, superantur et violentiae, donec impleatur verbum: « Conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad praelium » (*Is.* 2, 4).

Sectio 1: *De bello vitando*

83. (Olim n. 101) [*De bellorum immanitate refrenanda*]. (A). *Quamvis recentia bella gravissima nostro mundo damna intulerint, adhuc quotidie in aliqua terrarum parte bellum suas vastationes persequitur. Immo dum arma scientifica cuiuslibet generis in bello adhibentur, saeva eius indoles praeliantes ad barbariem adducit quae illam anteactis temporibus iam ingentem etiam superat* (B). *Porro conditionis hodiernae complexitas ac relationum inter nationes intricatio permittunt ut novis mediis, iisque insidiosis et subversivis, bella larvata protrahantur. In pluribus adiunctis usus methodorum terrorismi tanquam nova bellandi ratio habetur* (C).

Deiectum istum humanitatis statum prae oculis habens, Concilium ante omnia in memoriam revocare intendit permanentem iuris naturalis gentium vim eiusque principiorum universalium. Ipsa totius generis humani conscientia haec principia clarissime firmiterque proclamavit atque proclamat. Actiones ergo quae iisdem deliberate adversantur necnon iussa quibus tales actiones praescribuntur scelesta sunt, nec caeca obedientia illos qui iis parent excusare valet (D). *Inter has actiones illae ante omnia recensendae sunt quibus ratione quadam et methodo universa gens ac natio exterminantur, quae tam horrendae sunt ut iure meritoque*

vehementer condemnandae sint; maxime vero probandus est animus illorum qui talia praecipientibus aperte resistere non timescunt (E). [64]

Exstant de rebus bellicis variae conventiones internationales quibus sat multae nationes subscripserunt, ut minus inhumanae efficiantur actiones militares earumque sequelae: huiusmodi sunt conventiones quae pertinent ad militum vulneratorum aut captivorum sortem, variaeque huius generis stipulationes. Quae pactiones servandae sunt; immo tenentur omnes, praesertim auctoritates publicae et de his rebus periti, quantum possunt conari ut illae perficiantur sicque melius et efficacius ad bellorum immanitatem refrenandam conducant (F). *Insuper aequum videtur ut leges dignam eorum conditionis ordinationem provideant qui, personali et matura persuasione innixi, et quidem frequenter religiosis motivis ducti, ex conscientia arma adhibere recusant, dum tamen aliam formam servitii communitatis hominum acceptant* (G).

Utique bellum non est e rebus humanis eradicatum. Quamdiu autem periculum belli aderit, auctoritasque internationalis competens congruisque viribus munita defuerit, tamdiu, exhaustis quidem omnibus pacificae tractationis subsidiis, ius legitimae defensionis guberniis denegari non poterit (H). *Civitatum rectoribus aliisque qui rei publicae responsabilitatem participant, incumbit igitur officium ut populorum sibi commissorum salutem tueantur, res tam graves graviter gerentes* (I). *Qui autem in exercitu versantur, tanquam securitatis libertatisque suae gentis ministri merito habentur* (J). *At res militares gerere ut populi defendantur, a voluntate alias nationes subiugandi prorsus abest. Nec artes bellicas exercendi capacitas omnem huiusmodi instrumenti militarem vel politicum usum legitimum facit, nec bello infeliciter iam inito, eo ipso omnia inter praeliantes licita fiunt* (K).

84. (Olim n. 98) [*De bello totali*] (A). *Horror pravitasque belli scientificorum armorum incremento in immensum augentur. Bellicae enim actiones, his armis adhibitis, ingentes indiscriminatasque inferre possunt destructiones quas pura ac simplex vitae humanae annihilatio in notabili superficie territorii impugnati comitatur; quod nulla ratione licitum est* [1] (B). *Immo, si haec media, qualia iam in magnarum nationum armamentariis inveniuntur, penitus adhiberentur,* ex eo internecio fere plena et omnino reciproca uniuscuiusque partis a parte adversa haberetur, *praetermissis multis vastationibus in mundo oboriundis et exitialibus effectibus ex usu huiusmodi armorum consequentibus. Quare aetate hac nostra, quae vi atomica gloriatur, alienum est a ratione, bellum iam aptum esse ad violata iura sarcienda* [2] (C).

Quae omnia nos cogunt ut de bello examen mente omnino nova insti-

[64] *tuamus.* Sciant huius aetatis homines se de suis bellicis actionibus gravem rationem esse reddituros. Ab eorum enim hodiernis consiliis temporum futurorum decursus multum pendebit (D).

[65] *His attentis, haec Sacrosancta Synodus, suas faciens condemnationes belli totalis iam a recentibus Summis Pontificibus enuntiatas, declarat:*

Omnis actio bellica quae in destructionem urbium integrarum cum earum incolis indiscriminatim tendit, a fortiori in destructionem fere plenam *amplarum* regionum, est crimen contra Deum et ipsum hominem, quod firmiter et incunctanter damnandum est (E).

Singulare belli hodierni periculum in hoc consistit quod societatibus *quae recentiora arma scientifica possident* quasi occasionem praebet talia scelera perpetrandi et, connexione quadam inexorabili, hominum voluntates ad atrocissima consilia impellere potest. *Ne vero hoc in futurum unquam eveniat, episcopi totius orbis terrarum in unum congregati, omnes homines, nationum moderatores praesertim necnon eos qui rei militari praesunt, obsecrant, ut tantam responsabilitatem coram Deo et coram universa humanitate incessanter perpendant* (F).

85. (Olim n. 99) [*De cursu ad arma apparanda*] (A). *Arma quidem scientifica non ad hoc unice accumulantur ut tempore belli adhibeantur*: cum enim firmitas uniuscuiusque partis defensionis a capacitate fulminea adversarium repercutiendi dependere aestimetur, *haec armorum accumulatio quae quotannis ingravescit, inconsueto quidem modo ad deterrendos adversarios forte exsurgentes inservit. Ita, ipso pacis tempore, quaedam permanens dissuasionis strategia instituitur, quae a multis habetur tanquam omnium mediorum efficacissimum quibus nunc pax quaedam inter potentiores nationes in tuto poni possit* (B).

Quidquid sit de illa strategia, persuasum habent christiani cursum ad arma apparanda, ad quem sat multae nationes confugiunt, non aptam esse viam ad pacem tuendam, neque sic dictum aequilibrium ex illo manans certam ac veram esse pacem. Belli exinde causae quin eliminentur, potius paulatim aggravantur. Ditiores et potentiores nationes facultatem sibi vindicant id quod pacem vocant, acquirendi ope technicorum mediorum in quibus perabundantes divitias erogant, dum tot populis indigentibus adiutrix opera sufficiens non praebetur (C). *Potius quam dissensiones suas vere ac funditus sanare curent, illae nationes ceteras mundi partes iisdem inficiunt* (D). *Aliae viae, ex reformato animo initium sumentes, eligendae erunt ut hoc scandalum removeatur et, mundo ab anxietate qua opprimitur liberato, vera pax restitui possit* (E).

Quapropter denuo declarandum est: cursum ad arma apparanda gravissimam plagam humanitatis esse, ac pauperes intolerabiliter laedere.

Valde autem timendum est ne, si perduret, aliquando omnes exitiales [65] *clades pariat, quarum media iam praeparat* (F).

A calamitatibus commonefacti quas humanum ingenium possibiles effecit, moram, nobis desuper concessam, qua gaudemus, adhibeamus ut propriae responsabilitatis magis conscii, vias inveniamus quibus controversias nostras modo homine digniore componere possimus. Providentia divina a nobis instanter requirit ut nosmetipsos ab antiqua belli servitute [66] liberemus. *Quod si huiusmodi conamen facere renuerimus, quo ducamur in hac via mala quam ingressi sumus nescimus* (G).

86. (Olim n. 100) [*De bello omnino interdicendo et actione internationali ad bellum vitandum*]. (A). *Patet ergo nobis enitendum esse ut viribus omnibus tempora praeparemus quibus, consentientibus nationibus, bellum quodlibet omnino interdici possit* (B). *Quod sane requirit ut quaedam publica auctoritas universalis, ab omnibus agnita, instituatur, quae efficaci potestate polleat ut pro omnibus tum securitas, tum iustitiae observantia, tum iurium reverentia in tuto ponantur* (C). *Antequam vero haec optanda auctoritas institui possit, opus est ut hodierna suprema gremia internationalia studiis mediorum ad securitatem communem procurandam aptiorum acriter se dedicent. Omnibus adlaborandum est ut diminutio armorum re incipiat et progrediatur, utque tandem pax, mutua gentium confidentia innixa, nascatur potius quam ab armorum terrore nationibus imponatur* (D).

Cum sub periculo belli totalis vivere interea cogamur, non parvipendenda sunt conamina quae iam facta sunt et adhuc fiunt ut hoc periculum amoveatur. Potius adiuvanda est bona voluntas permultorum qui, licet quotidie ingentibus suarum supremorum munerum curis onerati, bellum quod abhorrent, gravissimo quo obstringuntur officio moti, eliminare satagunt, etiamsi a rerum complexitate quales sunt praescindere non possunt (E). *Deum autem enixe rogare oportet ut illis vim det perseveranter aggrediendi ac fortiter perficiendi hoc summi amoris hominum opus quo pax viriliter aedificatur* (F). *Quod hodie certissime ab eis exiget ut mentem et spiritum ultra fines propriae nationis extendant, egoismum nationalem atque ambitionem alias nationes dominandi deponant, profundamque reverentiam erga totam humanitatem nutriant, quae iam ad maiorem sui unitatem tam laboriose properat* (G).

Circa pacis et armorum depositionis problemata perscrutationes iam strenue et indesinenter protractae, internationalesque congressus qui hac de re egerunt tanquam primi passus ad solvendas tantopere graves quaestiones consideranda, atque urgentiori modo ad obtinendos ulteriores effectus practicos in futurum promovenda sunt (H). *Nihilominus caveant*

[66] *homines ne solummodo conatibus quorumdam sese committant, quin de propriis mentibus curent. Nam populorum moderatores qui boni communis propriae gentis sponsores sunt et simul boni universi orbis promotores, ex multitudinum opinionibus et animi sensibus quam maxime pendent. Nihil eis prodest ut paci aedificandae instent, quamdiu nimii hostilitatis, contemptus et diffidentiae sensus, racialia odia necnon obstinatae ideologiae homines dividunt atque inter se opponunt* (I). *Hinc maxima necessitas urget renovatae mentium educationis novaeque in publica opinione inspirationis. Qui operi educationis se devovent, praesertim* [67] *iuvenum, aut opinionem publicam efformant, tanquam gravissimum officium reputent curam mentes omnium ad novos pacificos sensus instituendi. Nos omnes quidem commutare corda nostra oportet, universum orbem et illa munera prospicientes quae nos, una simul, agere possumus ut genus nostrum ad meliora proficiat* (J).

Nec falsa spes nos decipiat. Nisi enim, dimissis inimicitiis et odiis, firma honestaque pacta de pace universali in futuro concludantur, humanitas quae iam in gravi discrimine versatur, quamvis scientia mirabili praedita, forsan funeste ad illam horam adducetur in qua non aliam pacem quam horrendam mortis pacem experiatur (K). *Attamen, dum haec profert, Ecclesia Christi, in media anxietate huius temporis constituta, firmissime sperare non cessat. Aetati nostrae iterum iterumque, opportune importune, nuntium apostolicum proponere intendit*: « *ecce nunc tempus acceptabile* » *ut mutentur corda,* « *ecce nunc dies salutis* » [3] (L).

Sectio 2: *De communitate internationali aedificanda*

87. (Olim 91 bis) [*De causis discordiarum earumque remediis*] (A). *Ad pacem aedificandam ante omnia requiritur ut eradicentur causae discordiarum inter homines, quibus bella aluntur, praesertim iniustitiae. Non paucae earum ex nimiis inaequalitatibus oeconomicis proveniunt, necnon ex retardatis remediis necessario apponendis. Aliae vero ex spiritu dominationis et personarum contemptu oriuntur et, si in causas profundiores inquirimus, ex humana invidia, diffidentia, superbia aliisque egoisticis passionibus* (B). *Cum tot ordinis defectus homo ferre non possit, ex iis consequitur ut, etiam bello non saeviente, mundus indesinenter contentionibus inter homines et violentiis inficiatur. Cum insuper eadem mala in relationibus inter ipsas nationes inveniantur, necessarium omnino est ut, ad illa vincenda vel praevenienda, et ad effrenatas violentias coercendas, melius et firmius cooperentur et coordinentur institutiones internationales necnon indefesse stimuletur creatio organismorum qui pacem promoveant* (C).

88. (Olim 92) [*De communitate gentium et de institutionibus internationalibus*]. Ut crescentibus hoc tempore arctis mutuae necessitudinis nexibus inter omnes cives et omnes populos orbis terrarum, bonum commune universale apte quaeratur et efficacius obtineatur, iam necesse est communitatem gentium sibi constituere ordinem qui cum hodiernis suis muneribus congruat, praesertim relate ad illas numerosas regiones quae intolerabilem egestatem adhuc patiuntur. **[67]**

Ad hos fines assequendos institutiones communitatis internationalis variis hominum necessitatibus pro sua parte providere debent, tam in vitae socialis campis ad quos pertinent victus, sanitas, educatio, labor, **[68]** quam in nonnullis condicionibus particularibus quae alicubi oriri possunt, ut sunt necessitas generale nationum progredientium incrementum fovendi, aerumnis profugorum (A) per universum mundum dispersorum occurrendi, vel etiam migrantes eorumque familias adiuvandi (B).

Institutiones internationales, universales vel regionales, quae iam existunt certe de genere humano bene merentur. Tamquam primi conatus apparent ponendi fundamenta internationalia totius communitatis humanae, ut gravissimae nostrorum temporum quaestiones solvantur, et quidem ad progressum ubique terrarum promovendum et ad bella in quacumque forma praecavenda (C). In omnibus istis campis gaudet Ecclesia de spiritu verae fraternitatis (D) inter christianos et non christianos florentis qui enititur ut conamina semper intensiora fiant ad ingentem miseriam sublevandam.

89. (Olim 93) [*De cooperatione internationali in campo oeconomico*]. Hodierna generis humani coniunctio etiam instaurationem maioris cooperationis internationalis in campo oeconomico imponit. Etsi omnes fere populi sui iuris facti sunt, longe tamen abest ut a nimiis inaequalitatibus et ab omni indebitae dependentiae forma iam liberi sint omneque gravium difficultatum internarum periculum effugiant.

Incrementum alicuius nationis ex adiumentis humanis et pecuniariis pendet. Cives uniuscuiusque nationis per educationem et formationem professionalem ad varia munera vitae oeconomicae et socialis obeunda praeparandi sunt. Ad hoc autem requiritur auxilium peritorum alienigenarum qui, dum opem ferunt, non ut dominatores se gerant sed ut adiutores et cooperatores. Auxilium materiale nationibus progredientibus non procurabitur, nisi regulae hodierni commercii in mundo profunde mutentur. Alia insuper auxilia a nationibus progressis praestanda sunt sub forma sive donorum sive mutuorum sive pecuniarum collocationum; quae praestentur cum generositate et sine cupiditate ex una parte, accipiantur cum omni honestate ex altera.

[68] Ad verum ordinem oeconomicum universalem instaurandum abolenda sunt nimia lucrorum studia, ambitiones nationales, appetitus dominationis politicae, calculi ordinis *militaristici* (A) necnon machinationes ad ideologias propagandas et imponendas. Plura oeconomica et socialia systemata proponuntur; optandum est ut in his periti communia fundamenta sani commercii mundialis inveniant; quod *facilius* (B) continget si singuli propria praeiudicia abnuant et ad dialogum sincere gerendum promptos se praebeant (C).

90. (Olim 94) [*De quibusdam opportunis normis*]. *a*) Gentes progredientes valde cordi habeant ut tamquam finem progressus expresse et
[69] firmiter *plenam perfectionem humanam suorum civium appetant*. Meminerint ex labore ante omnia et ingenio ipsarum gentium oriri et crescere progressum *quippe qui* non solis opibus alienis, sed propriis plene explicandis necnon ingenio et traditione propria colendis imprimis inniti debeat. Qua in re illi excellant oportet, qui maiorem influxum in alios exercent.

b) Gentium autem progressarum officium gravissimum est *progredientes* populos *ad* supradict*a* muner*a* implend*a* adiuvandi. Quapropter *mentales* et materiales accommodationes, quae ad hanc universalem cooperationem stabiliendam requiruntur, apud seipsas perficiant. (A).

Ita in negotiatione cum debilioribus et pauperioribus nationibus *bonum illarum sedulo respiciant;* nam hae proventibus quos ex venditione *rerum a se productarum* accipiunt, ad propriam suam sustentationem indigent.

c) Communitatis *vero* internationalis est incrementum componere et stimulare, ita tamen ut *de opibus ad hoc ordinatis* quam efficacissime et plena cum aequitate dispon*a*tur. Ad *hanc quoque communitatem* pertinet, principio *subsidiarietatis utique* servato, rationes oeconomicas, *uti commerciales et nummarias,* in toto mundo ordinare ut ad normam iustitiae explicentur.

Condantur instituta apta *ad promovenda et ordinanda* negotia internationalia, *praesertim cum nationibus minus progressis et ad compensandos defectus qui ex nimia inaequalitate potentiae nationum manant.* Huiusmodi ordinatio, cum adiumentis technicis, culturalibus et nummariis coniuncta, nationibus ad progressum *intendentibus* subsidia necessaria praestare debet ut incrementa oeconomiae suae convenienter *consequi valeant* (B).

d) *In multis casibus urget necessitas recognoscendi oeconomicas socialesque structuras; sed cavendum est a solutionibus technicis immature propositis* (C), *imprimis ab illis quae, dum homini commoda mate-*

rialia offerunt, eius spirituali indoli adversantur. Nam « non in solo pane [69] *vivit homo sed in omni verbo quod procedit de ore Dei »* (*Mt.* 4, 4). *Quaelibet autem humanae familiae pars in seipsa et in suis melioribus traditionibus aliquam partem thesauri spiritualis a Deo humanitati concrediti secumfert, etsi multi nesciant ex qua origine procedat.*

91. (Olim 95-96) [*De cooperatione internationali quoad incrementum incolarum*] (A). *Maxime necessaria evadit cooperatio internationalis relate ad illos populos qui hodie sat frequenter, praeter tot alias difficultates, ea peculiariter premuntur quae ex rapido incremento populationis oritur. Urget necessitas ut per plenam et impensam cooperationem omnium, praesertim ditiorum nationum, exploretur quomodo ea quae ad victum et ad congruam instructionem hominum necessaria sunt, parari et toti communitati humanae communicari possint. Nonnulli vero populi suae vitae condiciones multo meliores reddere possent si, debita instruc-* [70] *tione* exculti, a *methodis antiquis* pro *bonis agrariis gignendis* ad *novas artes technicas transirent, eas cum necessaria prudentia suis condicionibus applicantes, ordine sociali meliori insuper instaurato et terrarum possessionis distributione aequius ordinata* (B).

Guberniis quidem sunt iura et officia (C), *problema populationis in sua natione quod attinet, intra propriae competentiae limites, utputa in ordine ad legislationem socialem et familiarem, ad transitum ruricolarum ad urbes, ad informationes circa statum et necessitates nationis. Cum hodie mentes hominum de hoc problemate tam vehementer agitentur, optandum quoque est ut de his omnibus periti catholici, praesertim in Universitatibus,* studia *et incoepta* sollerter *prosequantur et latius evolvant* (D).

Cum autem a multis affirmetur incolarum orbis incrementum, vel saltem quar*umdam nationum,* omnibus mediis et *cuiusvis generis interventu* auctoritatis publicae funditus omnino minuendum esse, Concilium omnes hortatur ut caveant a solutionibus, publice vel privatim promotis et quandoque impositis *quae legis moralis rationem non habet. Nam* iuxta inalienabile hominis ius ad matrimonium et generationem prolis, deliberatio circa numerum prolis gignendae a recto iudicio parentum pendet ac nullo modo auctoritatis publicae iudicio *committi potest* (E). Cum autem huiusmodi iudicium conscientiam recte formatam supponat, magni momenti est, ut omnibus aditus praebeatur ad *colendam* rectam et vere humanam *responsabilitatem quae respiciat* legem divinam, *attentis* adiunctis rerum et temporum. Hoc vero exigit ut passim condiciones *paedagogicae* et sociales in melius *mutentur* et imprimis ut formatio religiosa vel saltem *integra* moralis *institutio* praebeatur (E). De progressibus *porro* scientificis in *explorandis methodis quibus coniuges in suis difficultatibus*

[70] *solvendis iuvari possint,* quarum firmitas bene probata est et de quarum moralitate sufficiens habetur certitudo, homines, si res id postulat, certiores fiant.

92. (Olim 95). [*De munere christianorum in subsidiis praestandis*] (A). *Genuinus ordo internationalis reverentiam erga legitimas libertates postulat atque amicam hominum fraternitatem* (B). Christianis autem incumbit *ad hoc opus* libenter et toto corde cooperari, eo amplius quod maioris partis mundi egestas tantopere urget, ut quasi alta voce Christus in pauperibus caritatem discipulorum suorum enixe sollicitet. Ne *igitur* scandalo sint hominibus, cum nationes, quarum saepius maior *civium* pars christianorum nomine *ornatur,* bonorum copia *abundent,* dum aliae rebus *ad* vitam necessariis privantur, ac fame, morbis omnigenaque torquentur miseria: spiritus enim paupertatis et caritatis gloria et testimonium Ecclesiae Christi est.

Laudandi et confirmandi sunt illi christiani, *praesertim iuvenes,* qui seipsos ad opus promotionis humanae sustinendum offerunt. Sed *uni-*
[71] *versi* (C) Populi Dei est, episcopis verbo et exemplo praeeuntibus, miserias huius temporis pro viribus sublevare, et quidem, ut ab antiquo in Ecclesia mos fuit, non tantum de superfluo sed etiam *de substantia* (D).

Subsidiorum materialium collectio et distributio, quorum dispositio nimis rigide et uniformiter non est peragenda, *recto ordine in dioecesi, natione et mundo fieri debet,* et, *ubicumque opportunum videtur,* etiam actione coniuncta cum fratribus christianis a communitate catholicorum seiunctis. Spiritus caritatis nullo modo prohibet, sed potius imperat ut actio caritativa *et actio socialis provide* et ordinatim exercea*n*tur (E). *Quare opus est ut ii qui seipsos servitio apud nationes destitutas exercendo devovere volunt, idoneis institutis apte efformentur* (F).

93. (Olim 102) [*De praesentia efficaci Ecclesiae in communitate internationali*]. Ecclesia, vi *suae* divinae missionis omnibus hominibus Evangelium praedicandi et thesauros gratiae elargiendi, pacem ubique terrarum promovere studet, atque solid*um* fundament*um* consortionis pacificae hominum et populorum omnes docet: cognitionem scilicet legis divinae et naturalis. Ad fovendam ergo et stimulandam cooperationem inter homines, in sinu communitatis gentium omnino praesens *esse debet* Ecclesia, tam per suas institutiones officiales quam per plenam ac sinceram omnium christianorum cooperationem, ceteris inserviendi voluntate et abnegationis spiritu animatam, ratione tamen habita institutionum et operum omnium quae ad pacem firmandam adlaborant.

Quod efficacius continget, si ipsi fideles, officii onerisque sui ut homines et christiani conscii, influxum iam in proprium vitae ambitum exer-

ceant, ita ut apud plurimos prompta ad cooperandum cum communitate [71] internationali voluntas excitetur. Cura peculiaris iuvenibus de hac re educandis et formandis impendatur, *tam in educatione religiosa quam civili* (A).

Haec *institutio* et hic spiritus ad ceteros, clericos et laicos, extendi debet, ut opinio publica paci favorabilis *constituatur* et roboretur, praesertim praeiudicatas opiniones, iniustitias et odia *dissipando* quae tam saepe causa *sunt* oppositionis inter homines et impedimenta fraternae eorum unitatis.

In eiusmodi christianorum *institutione* et actione *quaedam magni momenti* sollicitudo ad episcopos pertinet: summum munus quod cum successore Petri in universa Ecclesia gerunt, etiam ad promotionem officii iustitiae et caritatis, praesertim a christianis in servitium omnium implendi, extenditur.

94. (Olim 103) [*De partibus christianorum in institutionibus internationalibus*]. Praecellens navitatis internationalis forma profecto socia opera est quam christiani, sive singuli sive consociati, Institutis ad cooperationem inter nationes fovendam conditis vel condendis praestant. Praeterea, ad communitatem gentium pacificam ac fraternam aedificandam [72] multipliciter conferre possunt variae consociationes catholicae ordinis internationalis quas oportet roborare, cooperatoribus quoque bene formatis ac (A) debitis subsidiis, ac recto ordine componere. Hodie enim tam efficacitas actionis quam necessitas colloqui requirunt ut singuli etiam per incepta collectiva operentur. Tales consociationes insuper non parum conferunt ad excolendum verum sensum universalem, quod catholicis certe congruit, et ad firmandam apud omnes conscientiam proprii officii et oneris vere universalis.

Optandum denique est ut catholici, ad munus suum in communitate internationali rite implendum, cooperationem quaerant actuosam et positivam sive cum fratribus seiunctis qui caritatem evangelicam profitentur, sive cum omnibus hominibus veram pacem sitientibus (B).

Concilium vero, ratione habita immensitatis aerumnarum quibus maior pars generis humani etiam nunc vexatur, et ut iustitia simul ac amor Christi erga pauperes instanter ubique praedicentur, valde opportunum aestimat ut creetur aliquis Ecclesiae universalis organismus, cuius sit catholicorum communitatem instigare ut progressus destitutarum regionum necnon iustitia socialis inter nationes promoveantur.

[72] NOTAE

Ad n. 84.

[1] De bello nucleari, cf. *Allocutio* PII XII, 30 sept: 1954: « Quand toutefois la mise en œuvre de ce moyen entraîne une extension telle du mal qu'il échappe entièrement au contrôle de l'homme, son utilisation doit être regardée comme immorale. Ici il ne s'agit pas de la défense contre l'injustice et de la sauvegarde nécessaire de possessions légitimes, mais de l'annihilation pure et simple de toute vie humaine à l'intérieur du rayon d'action. Cela n'est permis à aucun titre »: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 1589.

[2] Cf. Litt. Encycl. *Pacem in terris.*

Adn . 86.

[3] Cf. *2 Cor.* 6, 2.

[73] RELATIO

Ad Cap. V Partis II recognoscendum Subcommissio X, ratione habita diversitate votorum Patrum quoad I^{am} et III^{am} sectionem prioris textus ex una parte, quoad II^{am} ex altera, diversimode processit: Dum enim de I^{a} et III^{a} hac sectione, si excipis ea quae dicuntur de problemate demographico, paucae tantum erant animadversiones Patrum sive in Aula sive scriptim propositae, de II^{a} sectione, quae de bello vitando egit, oppositae sententiae a multis Patribus enuntiabantur. Subcommissio igitur proposuit et Commissio Plenaria Mixta consensit, ut quoad I^{am} et II^{am} sectionem, quamvis attente et cum magno labore postulata Patrum examinarentur, generaliter textus retineretur, addito tamen ad ea quae de internationali cooperatione in campo oeconomico dicuntur, respectivo numero ex Capite III^{a} de vita oeconomica-sociali. Quaestio de non-violentia in numerum 82 translata est. Ampliato numero 82 de natura pacis, commutantur I et II Sectio, et, sublata propria Sectione III, numeri eiusdem concludunt Sectionem II.

Profundiores mutationes necessariae erant in sectione de bello vitando.

De Introductione capitis

In nova forma, introductionis (n. 81), a plurimis Patribus rogata, haec elementa assumpta sunt:

a) exordium a desiderio pacis in hodierno mundo;

b) nexus huius desiderii cum nuntio Evangelico.

Variae emendationes introductae sunt in n. 82 de natura pacis. Haec natura magis explicatur, etiam ut dynamica ratio eius magis appareat

(E/5748); in clariore luce ponitur eius connexio cum aliis bonis humanis et christianis. In eundem numerum assumpta est quaestio de actione non violenta ex numero 92 praecedentis textus; logice enim magis cohaeret cum principiis fundamentalibus pacis quam cum institutionibus internationalibus de quibus in illo numero sermo est. [73]

De prima sectione [74]

I

Ex interventionibus Patrum necessitas inducendi emendationes substantiales patuit. Desiderabantur:

1. *melior ordo logicus et articulatio clarior totius materiae*: E/5753 (attamen ordo quem ipse proponit, non est a SC. acceptatus, quia illum ordinem sequi impossibile erat); E/5785+100 PP.; E/6024.

2. *deletio aut saltem retractatio n. 99*: numeri schematis, si sine additamento citantur, intelliguntur textus veteris, E/6024 (ratio: repetitiones, vigorem prioris num. destruit, inutilitas). *Item nova* redactio n. 100: E/5412. Contrarium tamen placuit maiori parti Patrum.

3. *eliminatio omnium distinctionum plusve minusve consuetarum, saltem cum de bello totali hodierno agitur, scilicet*:

— iustum-iniustum: E/5731, E/5744, E/5759, E/5788+80 Patres;

— offensivum-defensivum: E/5731, E/5759, E/5788 (E/5764 hanc distinctionem admittit, etiam E/5755 aliique Patres);

— et etiam distinctionum inter:
arma conventionalia et non conventionalia: E/5788+80 PP.
bellantes et non bellantes: E/5788+80 PP.
bellum totale et bella « minora »: E/5980;

— etiam locutionis de « mediis proportionatis » et de « damnis praevidendis et circumscribendis »: E/5788+80 PP.;

— « quasi irrealis et inapplicabilis facta est theoria classica de moralitate belli », E/5744; « Iam non possumus de bello loqui ut faciebant praeteriti temporis theologi », E/5759.

4. *eliminatio radicalis commatum aut sententiarum quarundam acriter reprehensarum*:

a) duorum commatum n. 98, p. 77, linn. 18-34 (ratio: contradictio interna; propositio: substituatur a citatione Encyclicarum *Pacem in Terris*), E/5744; linn. 21-34 (ratio: contradicit declarationi linn. 18-21 factae), E/5287; incohaerentia, E/5430; inconcinnitas, E/5756+20

[74] PP.; verba valde ambigua, E/5748 — saltem vicis « facile » lin. 33: E/5292, E/5878+26 PP., E/6024 (« tollatur verbum "facile" quod in re tam gravi laxismum sapit »).

b) N. 100, p. 79, linn. 31-34. Deleatur: E/5752, E/5754, E/5757, E/5727; substituatur: E/ (« ansam praebet multis et gravibus difficultatibus »); vehementer reprobatur: E/5784 (nihil confert nisi ad condemnationem iam prolatam obscurandam).

c) N. 101, p. 80, linn. 17-19. Deleatur: E/5474, E/5752, E/5754, E/5776, E/5826. In eodem sensu E/5482 totam redactionem nn. 98-101
[75] aspere reprobat: « C'est là que le Schéma en prend le plus à son aise avec la Révélation, pour mettre les hommes à l'aise ».

5. *articulatio firmior et clarior damnationis belli totalis.*

E/5731, E/5748, E/5755, E/5756+20 PP. (desideratur ut damnatio belli sic dicti totalis sit solemnis, clara, gravissima et absoluta); E/5757, E/5884 (proclamanda est haec damnatio tam clare et distincte ut nemo eius sensum obscurare aut pervertere possit); E/6024.

6. *redactio minus « philosophica », stylus conveniens cum gravitate rei, spiritus christianus evidentior.*

E/5749 (stylus quasi iners et animo carens), E/5755 (adhibendus stylus magis propheticus quam casuisticus), E/5762, E/5980, E/5472.

7. *variae additiones vel etiam eliminationes.*

a) additiones: de reprobatione sic dicti « genocidii » E/5601; de iure legitimae defensionis in praesenti statu rerum, E/5775, E/5888; de laude militum qui libertatis defensioni inserviunt, E/5878+26 PP., E/5888 etc.

b) suppressiones: n. 99, p. 78, linn. 38-40, E/5750 (ratio: sententia inexacta); linn. 33-35, E/5888 (sententia videtur supponere factum certum, ubi est mera possibilitas); n. 101, p. 80, linn. 30-34, E/5287; nn. 100-101, « bona officia », E/5748 (ratio: agitur de aliqua technica politica particulari et periculum creat, ne Concilium irrideatur).

II

Haec omnia imposuerunt SC. necessitatem conficiendi novum textum. In quo apparando haec principia SC. secuta est:

1. Novus textus, salvis eliminationibus a Patribus petitis, remanere debuit *concors* cum intentionibus textus iam recepti quoad substantiam rerum dicendarum: *obiective eadem alio modo* exponenda erant. Hoc fieri debuit servando pro posse lineam veteris textus.

2. Textus integre recognosci debuit quoad redactionem et quoad modum dicendi.

3. Ad satisfaciendum petitionibus Patrum textus novus enuntiari debuit in forma plusve minusve solemni: damnationem firmam continens actionum militarium belli totalis, quales nunc possibiles evadunt, reprobationem claram sic dicti « cursus ad arma apparanda », *non quidem ut culpae unius gentis aut gubernii,* sed ut mali communis generis humani. [75]

4. Aliqua dici oportuit cum maiore explicatione (vide n. 83 textus praesentis, comparato antiquo n. 101), alia quidem generaliori modo (vide e. g. n. 86 textus praesentis, antiqui n. 100).

5. Pro posse ponendum erat in clariore luce id quod praesertim ad christianam mentem spectat, sed curandum ut evitaretur impressio alicuius sermonis « idealistici », non respicientis ad condiciones reales problematum belli hodierni.

Quae principia conducebant ad redactionem in qua aliqua *fundamenta* theologiae moralis belli spectatis praesentibus adiunctis, ponerentur, *nihil praeiudicando de conclusionibus particularibus a theologis hodiernis inde deducendis.* Hoc enim respondere videtur et muneri specifico Concilii, et exspectationi eorum quibus hoc Schema destinatur. Illi enim volunt audire dicta vera et simplicia, non vero aliquam lectionem theologiae moralis. [76]

III

Revisio textus imposuit aliquam mutationem ordinis numerorum.

Ratio: *a*) Sicut animadverterant recte aliqui Patres (e. g. E/5763), hic numerus non tantum bella *minora* respicit (quae vox insuper male sonat, ut aliqui etiam adverterunt, e. g. E/5980), sed *bellum generatim*;

b) providetur ita locus aptus omnia dicendi quae dicenda sunt antequam veniatur ad quaestionem belli totalis hodierni; alibi enim non posse dici videntur, neque brevibus verbis, quin maximae difficultates (psychologicae et etiam theologicae) oriantur. (Cf. allocutionem Pii XII de die 19 oct. 1953 de obligatione in aliquibus casibus belli hodierni potius patiendi iniustitiam quam resistendi iniustae violentiae). Hoc valet praesertim de iure legitimae defensionis quod non potest denegari guberniis, quamdiu nova auctoritate publica internationali praesupposita bella non radicaliter eliminantur.

Sic novus ordo sectionis Subcommissioni multo clarior visus est.

De secunda sectione

Pauciores tantum mutationes factae sunt.

Aliquis novus numerus (num. 87) huic sectioni praemittitur ut — quod Patres desiderant — connexio inter hanc sectionem et pacis constructionem plenius illustretur; melius ita etiam apparet nexus logicus

[76] in toto hoc capite; statim ab initio causae profundiores conflictuum et bellorum ostenduntur.

In n. 88 quaedam elementa addita sunt ut magis adhuc commendarentur institutiones internationales. In n. 89-90 idem fit ad stimulandam efficaciorem cooperationem inter varias nationes. Assumpta sunt elementa ex numero respectivi capitis de vita oeconomica-sociali, attentis animadversionibus Patrum ad hunc numerum spectantibus. Duo numeri anterioris textus de problemate demographico ad unum reducti sunt (num. 91); et in eo, ex voto Patrum, principia moralia fortius inculcantur. Similiter, propter votum Patrum (E/5424), explicitius sermo est de officiis auctoritatis publicae hac in re. N. 92 ex ratione melioris ordinis logici in novo loco positus est. Huic numero, qui specialiter etiam commemorat iuventutem, secundum votum aliquorum Patrum nova paragraphus addita est de organo aliquo Ecclesiae universalis condendo ad pro-
[77] movendam socialem iustitiam et progressionem populorum (E/5728).

Numeri 102 et 103 ex Sectione III textus prioris assumuntur in conclusione Sectionis II textus actualis tamquam numeri 93 et 94.

Votum instans fuit Auditorum laicorum ne minueretur argumentum horum duorum numerorum, cum ipsi, spectato pondere rei, iam sat breves sint. Hoc votum acceptatum est eo libentius quod aliqui Patres maiorem adhuc explicationem eorum quae dicuntur, desideraverant; praevaluit tamen necessitas textum totum non ampliandi.

Saltem tres Patres, E/5727, E/5755, E/5756, enixe petierunt ut constitueretur apud S. Sedem aliquod opus generale pacis ad problemata pacis studenda, ad conscientiam christianam formandam, ut actiones pacificae promoveantur... etc. Noluit SC., ut textus huius Sectionis hac de re loqueretur. *Ratio*: Res pertinet ad ipsam S. Sedem, et Concilium non potuisset aliud facere quam propositionem aliquam ad S. Sedem; quod in hoc casu immature et inconveniens a SC. reputatum est.

[78] ## RELATIO AD SINGULOS NUMEROS

Ad num. 81.

(A) Textus accidentaliter tantum mutatus est, ratione habita votorum multorum Patrum.

(B) Commemorationem Evangelii aliqui Patres explicite postulaverunt.

Ad num. 82.

(A) Ita magis datur dynamica ratio pacis.

(B) Item ratio pacis magis evolvitur, ad mentem multorum Patrum.

(C) Hoc explicite ab aliquibus Patribus postulatum est, ne laus hic enuntiata damnare videretur alios qui legitimas alias formas defensionis adoptant. [78]

(D) Textus de principio non-violentiae nunc in hunc locum translatus est. Revisus est quoad contentum: non commemorantur motiva quae in vetere textu aliquibus Patribus videbantur iniuriosa. Textus, ut patet, nondum agit de obiectione conscientiae, de qua postea.

(E) Desideratum erat ab aliquibus auditoribus, ex rationibus oecumenicis.

Ad num. 83.

(A) Titulus mutatus est: iam non agitur de sic dictis « bellis minoribus » (locutio non placet E/5930), sed principaliter de immanitate *cuiusvis* belli *in genere*. Sic titulus praesens correspondet secundae parti tituli antiqui n. 101 « et de actibus cum bello connexis ».

(B) E/5731 hanc ideam proponit in sua interventione.

(C) E/5760 et E/6025 petierunt ut aliquid diceretur de bello insidioso ac subversivo, et etiam de terrorismo, vel saltem ut aliqua mentio harum specierum hodiernarum belli fieret in textu. De bello civili et seditioso nihil dicitur in textu praesenti: aliqui Patres (E/5753, E/5763) doluerunt quod de hac re textus antiquus nimis facile loquebatur; ad hoc evitandum, quod difficile fit si paucis verbis textum loqui oportet, mentio rei omissa est; et hoc fieri potuit, saltem iudicio SC., quia nunc textus generaliori modo de bello loquitur.

(D) E/5765 recte iudicat illogicum esse simul tractare recusationem servitii militaris et resistentiam iussis scelestius factam. Ad satisfaciendum huic animadversioni, textus praesens distinguit: *a*) ius naturale et scelera contra ius naturale patrata, *b*) ordinationes positivas quae casum sic dictae « obiectionis conscientiae » respicere possunt. Sic quaestiones [79]
distinctae tractantur in commatibus distinctis textus praesentis. E/5752, E/5754, E/5776 volunt ut aliqua specialis reprobatio fiat eorum qui talia iussa criminalia imponunt et ut illud principium commemoretur: mera (caeca) obedientia, iussis praestita non sufficit ad excusandos eos qui iussis scelestis parent.

(E) E/5601 petit ut specialis mentio fiat sic dicti « genocidii ». SC. censuit opportunum esse textum generaliori modo redigere ad reprobandum: *a*) genocidium, *b*) et etiam methodos exterminationis via transportationum, camporum concentrationis ... etc. E/5754 et E/5776 petunt ut aliqua specialis laus tribuatur iis qui his scelestis iussis resistere audent. De « praesumptione iuris », vide Relationem generalem huius sectionis, (A) 4 *c*).

[79] (F) Aliqui Patres passim locuti sunt de opportunitate conventionum internationalium ad immanitatem belli limitandam. Praesens textus correspondet linn. 28-30 p. 80 textus prioris.

(G) Spinosa quaestio de « obiectione conscientiae ». Pro aliqua declaratione in favorem eius: E/5482, E/5632, E/5744, E/5752, E/5757, E/5770, E/5776, E/5826, E/5880+8 PP., E/6024; contra: E/5412, E/5511, E/5634, E/5753, E/5763, E/5765, E/5775, E/5888; textus sileat: E/5286; E/5644, E/5748. *De motivis*: variae sunt sententiae. SC. conata est aliquam viam mediam invenire: *a*) loqui de ea, sed non negativo modo; *b*) mentem suam aperiendo et suggerendo, potius quam urgendo; *c*) indicando motiva aequitatis et reverentiae personae humanae debitae, dummodo « obiector » maturae generaliterque bonae conscientiae sit; *d*) sed *non* e motivis *evangelicis* arguendo, quae in aliquibus casibus nullo modo ab ipso « obiectore » invocantur.

(H) Haec praecisio quoad ius legitimae defensionis instanter petita est ab aliquibus Patribus (E/5750, E/5775, E/5888), modo quidem generaliori a nonnullis aliis (e. g. E/5753, E/5763).

(I) Item quoad officium legitimum rectorum civitatum ... etc., saltem in hodiernis adiunctis.

(I) E/5775, E/5878+26 PP., E/5888 petunt aliquam laudem specialem pro iis qui in hodiernis adiunctis legitime professionem militarem suscipiunt atque defensioni patriae libertatisque se devovent.

(K) Complures Patres adverterunt opportunitatem distinctionis faciendae inter actiones societatum ad populum defendendum et actiones (militares, politicas ... etc.) a cupiditate dominandi inspiratas. Opportunus quoque locus visus est SC. ad commemorandum illud principium quod, in re bellica, finis non omnia media iustificat.

Nota. De textu antiqui n. 101 non accipiuntur in textu praesenti: *a*) mentio specierum belli facta p. 80, linn. 7-10; *ratio*: SC. maluit loqui generaliori modo, vide etiam notam ad C.; *b*) linn. 14-15 de « processu bonorum officiorum », eliminatio petita ab E/5748; *c*) linn. 30-33:
[80] eliminatio petita ab E/5286, nec sine aliquo fundamento, ut videtur; nam in istis lineis sermo sat confusus fit de multis rebus, e quibus aliquae pessimae sunt v. g. tortura physica, « brain washing » ... etc., sed aliquae etiam difficulter aestimari possunt ut « intrinsece perversae », ut allocutiones radiophonicae (propaganda), variaeque actiones quae via opinionis publicae fiunt; ad quod adiungitur spinosa quaestio de usu substantiarum chimicarum quae dicuntur « incapacitantes »; de his omnibus difficile est loqui paucissimis verbis et SC. censuit opportunum haec omnia omittere.

Ad num. 84. [80]

(A) Titulus mutatus est; sed iam antiquus titulus mentionem fecit belli sic dicti totalis. SC. voluit in hoc numero tractare de bello totali sine ulla praecisione technica quoad naturam armorum scientificorum forte adhibitorum (A, B, C, ... etc.). Hic enim *non ponitur quaestio de mediis technicis* belli totalis, sed de actibus belli totalis, et quidem *sub specie moralitatis*.

Quod bellum totale hodiernum attinet, omnes intelligunt quid haec locutio « bellum totale » significet aut significare possit. Sic, ut videtur, nulla ambiguitas pro temporibus nostris oritur; unde redactio praesentis tituli. Aliqui Patres (E/5778+26 PP. ... etc.) petunt ut, loco « arma atomica » expressiones velut « arma scientifica » vel « arma hodierna » ponantur in textu recognito.

(B) Citatio allocutionis S. S. Pii XII, die 30 sept. 1954; vide notam (*a*).

(C) Prima phrasis accipitur a textu antiquo n. 98, p. 77, linn. 37-41, cum praecisionibus quae a peritis petitae sunt, positis in primo membro phraseos. Quoad ultimum membrum: « praetermissis ... etc. »; haec additio petita est ab aliquibus Patribus (e. g. E/5748) qui optaverunt ut saltem aliqua mentio fieret periculi « radioactivitatis » ... etc. Secunda phrasis est citatio *verba ad verba* Encyclicae *Pacem in terris*.

(D) Inveniuntur hic linn. 8-10 p. 78 antiqui n. 98, paululum mutatae quidem quoad redactionem. Praevie fit introductio ("leit-motiv") huius sectionis: necessitas urgens instituendi novum examen de bello ac mutandi opinionem et cor. In hoc insistunt expresse E/5748, E/5763 et alii, concordes cum mente allocutionis Neo-Eboracensis S. S. Pauli VI, de die 4 oct. 1965.

(E) *De declaratione condemnatoria.* Redacta est accipiendo in ea linn. 18-21, p. 77 antiqui n. 98, quae placuerunt quasi omnibus Patribus. Nihilominus aliquae mutationes factae sunt: *a*) « tendit in » loco « pertinet ad »; hoc iam indicatum fuit in relatione introductoria facta in Commissione Generali Mixta Plenaria, die 22 sept. 1965; *b*) deletio vocum « ex se, obiective » ne in periculum suspicionis alicuius casuisticae reincidatur; vide Relationem generalem de hac sectione, (A) 3 [81]
et 4.

Ad firmitatem solemnitatemque manifestandam, ac continuationem mentis Concilii cum mente praecedentium S. Pontificum, introductio: « His attentis ... etc. » posita est. Vox « sollemniter » non adhibetur in clausula introductoria; *ratio*: maior simplicitas, proscriptioque ver-

[81] borum quae merae « redundantiae ecclesiasticae » viderentur apud non catholicos.

(F) Commentarium breve, partim accipiendo linn. 35-38 p. 77 antiqui n. 98, et ut introducatur conclusio secundum mentem allocutionis S. S. Pauli VI, 4 oct. 1965: « Jamais plus la guerre, jamais plus la guerre », quod etiam fit secundum petitionem alicuius Patris, E/5472.

Nota. Non fuerunt accepta ab antiquo n. 98: *a*) primum alinea integrum; iam inutile videbatur; *b*) secundum alinea, 2[a] phrasis, et tertium alinea integrum, propter animadversiones et censuras Patrum: vide Relationem generalem de II sectione, (A) 4 *a*); *c*) quintum alinea, phrases 4 et 5: 4[a] ad praesentem n. 101 pertinere videtur; 5[a] autem eliminata est a textu praesenti post aliquam sat amplam discussionem in SC.; affirmatio tam absoluta qualis in hac phrase invenitur, non videbatur plenam securitatem doctrinalem afferre (quaestiones spinosae abundant: v. g. de retaliatione, de casibus in quibus obligatio iniustitiam patiendi praevalet. Cf. Relatio generalis de II Sectione, (C), *b*) ... etc.). Tertia autem phrasis huius quinti alinea, scilicet « Providentia divina ... etc. », linn. 6-7, p. 78, translata ad numerum sequentem, ubi meliorem locum habere videtur.

Ad num. 85.

(A) Titulus est mutatus: novus titulus melius respondet rebus quae tractantur in hoc numero. Prior titulus « De aequilibrio terroris » *a*) utitur locutione quae potius ad stylum « periodisticum » pertinet quam ad vocabularium peritorum in his materiis, *b*) designat aliquem effectum materialem sic dicti « cursus ad arma apparanda » — sed hic de *causa* huius effectus agitur, et quidem de eius inconvenientiis *moralibus*.

(B) Descriptio partim accepta a textu antiqui n. 99, p. 78, linn. 20-24. Ut dictum est in nota ad (A), locutio « aequilibrium terroris » eliminatur. Loco illius ponitur locutio « strategia dissuasionis », quae magis respondet menti peritorum. Strategia dissuasionis revera est aliquid dynamicum (et polemicum); e contra sic dictum aequilibrium terroris ut aliquid staticum concipitur, effectus praesens et precarius istius strategiae. Strategia dissuasionis quidem pluribus finibus quam aequilibrium terroris inservit; est enim strategia adhibita tempore belli « frigidi », ut aiunt, et complexionem connexusque actionum involvit quibus aliqua pax servari potest, sed quibus eodem tempore realitas verae pacis periculo corruptionis subversionisque constanter subiicitur.

[82] (C) Hic introducitur sententia christiana de rebus et adiunctis hodiernis pertinentibus ad fabricationem armorum belli totalis. Nonnulli

Patres diversimode petierunt ut hic sensus christianus manifestius in textu appareat, loco sermonis mere « philosophici » prioris textus. [82]

In textu praesenti igitur nihil ponitur de disceptationibus mere technicis: hic valorem non habent, et ad obscurandam mentem Concilii potius quam ad patefaciendam illam inserviunt; E/5884, E/6024 ... etc. Argumentatio christiana assumit res omnibus notas: ingentes sumptus oeconomicos istarum fabricationum; aemulationem politicam, productione armorum innixam ... etc. — et « imbricationem » facit (ut voce E/5748 utamur) inter haec facta et problemata humana seu christiana nostrae aetatis (utique breviter!). Hic de consequentiis oeconomicis atque socialibus agitur, quod permulti Patres firmiter sublineant: E/5728, E/5748, E/5754, E/5757, E/5925 (12 PP.), E/6025 ... etc.

(D) In hoc specialiter insistit E/5748. Phrasis textus intendit etiam aliquam allusionem (saltem implicitam ac indirectam) facere in alinea n. 5 ad allocutionem S. S. Pauli VI, 4 oct. 1965, ubi de malefico influxu terribilium armorum hodiernorum loquitur.

(E) E/5292 petit ut hic cursus ad arma apparanda velut scandalum reprobetur. Aliqui Patres insistunt anxietati quam hic cursus ad arma apparanda in mundum hodiernum inducit: E/5731, E/5759, E/5763, etc.

(F) Declaratio reprobatoria; cf. Relatio generalis sectionis II (B) 3. Haec declaratio stylo differt a declaratione numeri praecedentis: formam nimis dogmaticam evitat, utendo stylo infinitivo; agitur enim de aliquo facto *actuali* nostrae humanitatis, malum utique, sed immense complexum, et non de aliqua actione specifica *eventuali* quam oportet strictissime prohibere antequam eveniat et ut non eveniat. Sic alia forma reprobationis uti omnino necessarium visum est SC., ad suggerendam differentiam rerum hic et ibi reprobatarum, et etiam ad indicandum quod in hac praesente reprobatione agitur de aliqua protestatione animae christianae *appetentis* ut suum proprium ideale evangelicum melius in praxim et in realitatem vitae humanae inducatur: « aliae viae essent ... etc. ».

Phrasis: « Valdeque timendum ... » non est obiectum declarationis. Additur tamquam expressio persuasionis christianae quae concordat cum expressionibus persuasionum humanarum (cf. E/5763, qui resumit ideam allocutionis S. S. Pauli VI, 4 oct. 1965, n. 5 primum alinea).

(G) Breve commentarium. Hic accipitur phrasis antiqui n. 98, de qua in *Nota* relationis de titulo et n. 99, in finem. Etiam linn. 11-14, p. 80 antiqui n. 100.

Nota I. Phrases antiqui n. 99 quae omissae sunt: *a*) secundum alinea integrum; ad numerum posteriorem (praesentem 101) pertinere vi-

[82] detur; *b*) tertium alinea; argumentationem dubiam praebet, ut plures Patres adverterunt, E/5286, E/5888, E/6024; alii Patres varias emenda-
[83] tiones proposuerunt, E/5292, E/5752, E/5878 + 26 PP.; SC. omissionem facere maluit; *c*) prima phrasis quarti alinea, inutilis praesenti expositioni.

Aliae phrases sunt acceptae quoad substantiam rerum dicendarum, sed alio modo redactae sunt, prout revisio textus id exigebat.

Nota II. Aliqui Patres (e. g. E/5586) petunt ut aliqua verba S. S. Pauli VI nuntii Bombay introducantur in hoc n. 100. Post aliquam discussionem huius petitionis, SC. censuit quod numeri huius sectionis non praebent locum convenientem ad hanc citationem faciendam, quamvis utique mens ideaque praesentis numeri cum mente implorationeque nuntii Bombay plene concordent.

Ad num. 86.

(A) Titulus est, seu potius paululum explicatur: « De bello omnino interdicendo, et ... etc. »; secunda pars tituli assumit titulum antiqui n. 100. *Ratio mutationis*: *a*) ad indicandum *primum scopum* huius actionis internationalis, accipiendo quidem expressionem E/5760, quae plausum meruit in Aula, *b*) et ad praeparandam mentem ad haec quae ulterius dicenda sunt quoad tempus praesens *ut sub periculo belli totalis constitutum.* Multum enim oportet ut, vi huius ultimi numeri, *variae conclusiones praecludantur quas immature illegitimeque aliqui deducere possint ex condemnationibus prolatis in praeviis numeris 99-100.*

(B) Formula ex interventione E/5760 assumpta, ut in nota ad (A) dicitur.

(C) Evocatio creationis futurae auctoritatis internationalis. Accipit linn. 21-29, p. 79 antiqui n. 100, sed paululum minus affirmative, et etiam indeterminatiore modo. *Ratio*: De auctoritate internationali creanda multi Patres sermonem fecerunt in suis interventionibus: E/5744, E/5748, E/5750 (tribunalis internationalis), E/5755, E/5760, E/5764, E/5784, E/5780 ... etc. Plures optaverunt ut Concilium adhuc fortius loqueretur de hac auctoritate quam iam textus antiquus loquitur: E/5764, E/5784. Insertiones aliquarum declarationum in hoc sensu etiam petitae sunt: E/5755, E/5784 + 15 PP. Sed, ex altera parte, alii Patres adverterunt quod nimis incaute (E/5785 + 100 PP.) et irreali modo (E/5980) textus loquebatur de rebus politicis, et praesertim de hac auctoritate in antiquis numeris 98-101. Post amplam discussionem, SC. maluit prudentiorem viam eligere. Quaestio enim illius auctoritatis internationalis iam non sufficienter matura videtur, ut certo cogno-

sci possit an, et *in qua forma,* haec auctoritas *in concreto* institui possit. [83]
Et sic melius videtur ut practice ad Encyclicam *Pacem in terris* (IV Pars) remittatur potius quam quod Concilium aliquid innovet in his materiis.

(D) Hae phrases introductae sunt ut realitas urgens actionum in- [84]
ternationalium circa depositionem armorum, in connexione poneretur *cum realitate praesenti* gremiorum internationalium, accipiendo linn. 29-31 et 42-43 p. 79 antiqui n. 100, et observando animadversationes Patrum qui de hac re in Aula locuti sunt.

(E) Hic sermo fit de praesenti conditione hominum. Idea phraseos initialis ex interventione E/5770 assumitur. Postea aliquid denuo dicitur de rectoribus civitatum et eorum qui servitio rei publicae se devovent. Duae tendentiae apparebant in interventionibus Patrum: *a*) aliqui, ex una parte, desiderare videbantur ut aliqua monitio gravis fieret de responsabilitatibus ducum civitatum (e. g. E/5749, cui voto aliquo modo respondet id quod in praecedentibus numeris 98 et 99 dicitur « praesertim de civitatum rectoribus aut de nationum moderatoribus ... etc. »), *b*) alii, ex altera parte desiderabant ut Concilium aliqua verba faceret de bona voluntate et conaminibus multorum ex eis in favorem pacis. SC. maluit secundam viam sequi *in hoc numero. Ratio*: *a*) Non est officium Ecclesiae perturbare plus quam decet mentes eorum qui in nostra aetate iam graviter onerantur curis gubernii, et *b*) *ut non detur impressio quod societatum omnium hominum multitudines nullam responsabilitatem nullumque officium haberent in his rebus, quae impressio maxime falsa esset.* Vide infra notam ad I.

(F) E/5759 multoties insistit in necessitate considerandi pacem ut opus amoris et ut creationem positivam voluntatis hominum, procedentem ab aliis fontibus quam a timore belli. De oratione pro pace, aliqui laici petierunt ut saltem aliquod verbulum fieret in textu.

(G) Hic venit enuntiatio brevis de conditionibus huius creationis pacis, prout nationum earumque rectorum interest. Quae conditiones clare et firmiter sublineantur in E/5748.

(H) Haec phrasis assumit res quae passim inveniuntur in antiquo n. 100, praesertim linn. 33-36.

(I) Haec phrasis assumit id quod dicitur linn. 41-42 p. 80 antiqui n. 100, sed hic insistitur etiam in dependentia eorum qui pacem instruere conantur ab opinione publica.

(J) Hic breviter dicuntur quae pertinent ad educationem opinionis publicae, et quae instanter petita sunt ab aliquibus Patribus: E/5472, E/5760, E/5763, E/5770 ... etc.

[84] (K) Ultima monitio, quae assumit ideam periculi annihilationis generis humani, quod forte occurrere potest ex ipsis consequentiis humanarum technicarum si pax inter nationes non sufficienter firmetur. Haec idea diversimode invenitur in orationibus multorum Patrum; expresse formulatur in E/5763.

(L) Nihilominus Ecclesia dicit spem suam et viam salutarem mutationis cordium hominibus proponit. Idea sumitur ex conclusione interventionis E/5784.

[85] *Nota.* Hae phrases antiqui n. 100 omissae sunt: *a*) linn. 11-14, quae alio modo acceptae sunt in n. 100 praesentis textus; vide relationem de hoc numero, nota ad (G); *b*) linn. 31-34, vehementer reprobatae a multis Patribus. Cf. Relatio generalis secundae sectionis, (A) 4 *b*).

Cetera passim alio modo assumpta sunt.

Ad num. 87.

(A) Ratio novi numeri: aliqui Patres, ut E/5728, E/5732, E/5757, petierunt ut connexio inter problemata pacis et paupertatis in mundo in luce clariore ponatur. Titulus vero mutatus fuit secundum votum alicuius Patris.

(B) Ratio huius sententiae: E/5762 vult ut textus insistat in causis humanis belli, ad evitandum optimismum exaggeratum; item E/5930; E/5878+26 PP. vult ut de egoismo explicite mentio fiat.

(C) Ratio huius sententiae: E/6024 exprimit votum ut sermo sit de opportunitate auctoritatis mundialis tum ad pacem servandam cum ad egestatem intolerabilem variarum regionum sublevandam.

Ad num. 88.

(A) Haec verba quaesita fuerunt ab auditoribus laicis.

Ratio: loquendo de profugis non debemus cogitare solummodo de illis qui praesertim in Occidente sunt.

(B) De conditione migrantium eorumque familiis plura fuerunt vota. Praesertim E/5785+100 PP.

(C) Nonnulli Patres petierunt ut institutiones internationales roborentur non solummodo ad bellum praecavendum sed etiam ad progressum promovendum cf. E/5465. Secundum votum alicuius Patris prius dicatur « ad progressum promovendum » et postea « ad bellum praecavendum ».

(D) Loco « spiritu caritatis », sicut propositum fuit, ponatur « spiritu fraternitatis » sec. votum aliquorum Patrum.

Ratio: quia caritas in multis illorum, de quibus agitur, fortasse non est.

Ad num. 89. [85]

(A) Loco « supputationes ordinis militaris » pag. 74, lin. 36, hic dicitur: « calculi ordinis militaristici ».

Ratio: ad evitandas falsas interpretationes; nam secundum votum alicuius Patris, « supputationes ordinis militaris » etiam legitime in elementa ordinis oeconomici universalis instaurandi influere possunt, immo debent.

(B) Loco « facile », sicut propositum facit, dicitur « facilius » sec. votum Commissionis.

(C) De pluralitate systematum oeconomicorum et socialium et de [86] necessitate colloquii inter illorum fautores votum expressit E/5754 quod faciendum esset in spiritu fraternitatis depositis praeiudiciis.

Ad num. 90.

(A) Verbum « libenter » eliminatur, pag. 75, lin. 8 sec. votum Commissionis.

Ratio: agitur de obligatione.

(B) Textus adiungitur ex antiquo capite de « Vita oeconomica-sociali ».

(C) Loco immaturae technicitatis sicut propositum fuit sec. votum Commissionis dicitur « solutionibus technicis immature propositis ».

Ratio: quia non solutiones technicae sunt immaturae, sed aliquando immature proponuntur.

Ad num. 91.

(A) Duo numeri tractantes de incremento incolarum ponuntur in uno ut, secundum votum nonnullorum Patrum, principia moralia ab Ecclesia in hac materia tradita clare proponantur (E/5761; E/5751). Descriptio quaestionis ad simplicem constatationem facti coarctatur, ne textus det impressionem Concilium velle dare interpretationem vel solutiones technicas in hac quaestione tam complicata.

(B) Loquendo de incremento incolarum non potest ignorari ius illarum populationum ad partem habendam in possessione terrarum (E/5751).

(C) Quaedam in particulari dicuntur de officiis et iuribus auctoritatis publicae secundum votum E/5424. Haec ut exempla quaedam intelligenda sunt.

[86] (D) Est votum auditorum laicorum a Commissione approbatum.

(E) Textus antiquus ex voto Commissionis de iuribus parentum circa generationem reassumitur.

Ad num. 92.

(A) Hic numerus hoc loco ponitur, quia sic totus textus maiore cohaesione logica gaudet.

(B) Quaeritur ut clare indicetur modus collaborationis christianorum in respectu libertatis et dignitatis aliorum c. E/5825, E/5923.

(C) Loco « omnis ».

(D) Secundum votum aliquorum Patrum.

(E) Sententia paululum mutata est secundum votum Commissionis.

(F) Textus adiungitur secundum votum E/5728 et approbatum a Commissione.

[87] CONCLUSIO (A)

95. (Olim n. 104) [*De munere singulorum fidelium et Ecclesiarum particularium*]. *Ea quae* ab hac Sacra Synodo *ex thesauris doctrinae Ecclesiae proponuntur* (B), omnes homines nostrorum temporum, sive in Deum credant *sive non explicite eum agnoscant* (C), adiuvare intendunt ut, suam integram vocationem clarius percipientes, mundum praecellenti dignitati hominis magis conforment, universalem *altiusque fundatam* fraternitatem *appetant* (D) atque, sub impulsu amoris, generoso atque consociato conamine, urgentibus nostrae aetatis postulationibus respondeant.

Sane coram immensa diversitate tum rerum status tum culturae humanae formarum in mundo, *propositio haec* (E) in compluribus suis partibus consulto nonnisi indolem generalem prae se fert; *immo quandoque, sive propter implicationem sive propter relativam novitatem multarum quaestionum expositarum, quadam imperfectione laborat* (F). Confidimus tamen multa quae, verbo Dei et spiritu evangelii innixi protulimus, omnibus validum adiutorium conferre posse, praesertim postquam adaptatio ad singulas gentes et mentalitates a christifidelibus sub Pastorum moderamine ad actum deducta fuerit.

96. (Olim n. 105) [*De dialogo inter omnes homines*]. Ecclesia, *vi suae missionis universum orbem nuntio evangelico illuminandi et omnes homines cuiusvis nationis, stirpis vel culturae in unum Spiritum coadunandi, symbolum evadit illius fraternitatis quae sincerum dialogum* (A) permittit atque roborat.

Quod autem requirit (B) ut *imprimis* in ipsa Ecclesia mutuam aesti- [87] mationem, reverentiam et concordiam promoveamus, *omni* legitima diversitate *agnita,* ad fructuosius semper colloquium inter omnes instituendum qui unum Populum Dei constituunt, sive pastores sive ceteri christifideles sint. *Fortiora enim sunt* ea quibus uniuntur fideles quam ea quibus dividuntur: sit in necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas.

Animus autem noster simul complectitur fratres nondum nobiscum in plena communione viventes *eorumque communitates* (C) quibus tamen coniungimur confessione Patris et Filii et Spiritus Sancti ac vinculo caritatis, memores scilicet christianorum unitatem hodie etiam a multis *in Christum* (D) non credentibus exspectari et desiderari. Quo magis enim haec unitas, sub potenti virtute Spiritus Sancti, in veritate et caritate proficiet, eo magis universo mundo erit praesagium unitatis et pacis. Quare, unitis viribus *et in formis huic praeclaro fini hodie efficaciter appetendo* [88] *magis magisque aptatis* (E), studeamus ut, Evangelio in dies melius conformati, fraterne cooperemur ad servitium familiae humanae praestandum quae, *in Christo Iesu, in familiam filiorum Dei vocatur* (F).

Animum nostrum *proin* etiam ad omnes convertimus qui Deum agnoscunt et in traditionibus suis pretiosa elementa religiosa et humana conservant, optantes ut apertum colloquium omnes nos adigat ad impulsiones Spiritus *fideliter* accipiendas *et alacriter* implendas (G).

Desiderium talis colloquii, quod sola caritate erga Veritatem ducatur, servata utique congrua *prudentia,* ex nostra parte neminem excludit, neque illos qui praeclara animi humani bona colunt, eorum vero Auctorem nondum agnoscunt, neque illos qui Ecclesiae opponuntur eamque variis modis persequuntur. *Cum Deus Pater* principium omnium existat et finis, *omnes, ut fratres simus, vocamur* (H). Cur, hac eadem humana et divina vocatione vocati, sine violentia, sine dolo ad aedificandum mundum *in vera pace* (I) cooperari non possemus?

97. (Olim n. 106) [*De mundo aedificando et ad finem perducendo*]. Christiani, memores verbi Domini « in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (*Io.* 13, 35), *nihil ardentius optare possunt quam ut hominibus mundi huius temporis semper generosius et efficacius inserviant.* Itaque, Evangelio fideliter adhaerentes eiusque viribus fruentes ( ) (A), cum omnibus qui iustitiam diligunt et colunt coniuncti, ingens opus in his terris adimplendum susceperunt, *de quo Ei, qui omnes iudicabit ultimo die* (B), rationem reddere debent. Non omnes qui dicunt *Domine, Domine!* intrabunt in regnum caelorum, sed ii qui faciunt voluntatem Patris validamque manum operi

[88] apponunt. Vult autem Pater ut in omnibus hominibus *Christum fratrem* (C) agnoscamus et efficaciter diligamus, tam verbo quam opere, ita testimonium perhibentes Veritati, et cum aliis mysterium amoris Patris caelestis communicemus. Hac via in toto orbe terrarum homines ad vivam spem excitabuntur, quae Spiritus Sancti donum est, ut tandem aliquando ( ) in pace ac beatitudine summa suscipiantur, *in patria* gloria Domini *plena* (D).

« Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quae operatur in nobis, Ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Iesu, in omnes generationes saeculorum. Amen » (*Eph.* 3, 20-21).

[89] RELATIO

(A) Animadversiones Patrum ad conclusionem erant 20. Substantiam textus intactam relinquunt.

Ad num. 95.

(B) « *Principia et normae* » durius sonare potest in tono dialogi; « *diversis quidem rationibus* » minus clare dictum videbatur.

(C) Ita iuxta suggestionem alicuius Patris (E/5292).

(D) « Appetant » dicitur loco « instaurent »; et ad « fraternitatem » additur « altius fundatam ». Ratio: ita conclusio convenit prooemio ubi voci *fraternitatis* sensus tribuitur qui integrae hominis vocationi, et ita etiam ordini gratiae correspondet.

(E) Non agitur tantum de « doctrina ».

(F) Haec propositio respondet desiderio alicuius animadversionis nomine plus quam 80 Patrum propositae (E/5424).

Ad num. 96.

(A) Ab aliquibus desideratum erat ut saltem aliquoties etiam vox « dialogi » retineretur praeter « colloquium ».

(B) Indicatur nexus horum commatum.

(C) Ita respondetur ad votum e coetu Observatorum transmissum.

(D) Addendum videtur « in Christum »; quia etiam qui in Deum credunt, non vero in Christum, hoc loco respiciendi videntur.

(E) Ita respondetur voto pariter e coetu Observatorum facto.

(F) Ita secundum suggestionem alicuius Patris (E/5292).

(G) Unus Pater desiderat ut addatur « ad hominem promovendum et ad » (E/5292); sed vitanda est impressio quod hi fines distincti sint.

(H) Ut satis fiat voto plurium Patrum (E/5639; 5424) ut, in modo loquendi de Deo Patre et de hominibus tamquam fratribus, magis attendatur ad usum S. Scripturae. Forma praeiacens his votis melius satisfacit. [89]

(I) Additur ut etiam supernaturale elementum huius aedificationis tangatur. (Ita ratio habetur E/5292).

Ad num. 97.

(A) Phrasis lineae 27 deleta est post animadversionem E/5424.

(B) Ita rectius, post animadversionem E/5424.

(C) Cf. 96 sub (H).

(D) Clarior redactio ex E/5631; evitatur insuper conceptus « mundi perennis ».

Secretarius generalis: Transeamus nunc, Patres, ad schema circa quod vobis distribuetur relatio [*cf. pag. 560*].

Attamen attendere velitis quoad suffragationes imprimis.

Videatis Partem I, pag. 59 [*cf. pag. 472*]: prima suffragatio erit circa prooemium et expositionem introductoriam. Attamen haec suffragatio fiet per triplicem formulam, non per duplicem uti scriptum est. Unde scribatis: « per *placet, non placet, placet iuxta modum* ».

Deinde sequitur pars I. Habetur suffragatio circa n. 11, per *placet* vel *non placet*. Attamen in ultima suffragatione cap. I legendum est: « De n. 11 et de integro capite per *placet, non placet, placet iuxta modum* ».

Idem dicatis pro parte II. Postea haec repetentur in cursu suffragationum; sed bene est nunc bene adnotare. Quoad partem II, habebitur suffragatio circa n. 50 per *placet* vel *non placet,* sed post cap. I, suffragatio per triplicem formulam sic enuntiari debet: « De n. 50 et de integro capite ». Ita ut semper adsit possibilitas ponendi modos.

Videatis etiam pag. 60: post suffragationem circa nn. 91-94, quae est per *placet* et *non placet,* ponenda est suffragatio per duplicem formulam nn. 95-97, per duplicem formulam, ita ut tandem fieri possit suffragatio per triplicem formulam, *placet, non placet, placet iuxta modum,* de integro capite et de conclusione.

Videatis pag. 42 partis I, et praecise lin. 14: « Ecclesia, quae responsa universaliora posside », legendum est « posside*t* » ...

Videatis etiam lin. 19 ubi est aliquod « rebus ». Est praecise lin. 19. Textus huius lineae legi debet: « tum est (ratum est): in seipsa considerata atque recte ducta (postea relegam), hominum navitas, indi- » et

prosequitur « vidualis et collectiva, seu ingens conatuum summa ... ». Ergo repeto ... Ceterum, Patres, si confertis pag. 7 relationis * hoc iam videtis.

Commissio quae apparavit hoc schema rogat ut haec dicantur Patribus: ut pro unoquoque Modo quem proponunt, folium separatum exhibeant, ita ut catalogatio facilior sit; secundo, ut pro unoquoque Modo in parte superiori folii indicent paginam, numerum atque lineam ultimae editionis textus schematis *De Ecclesia in mundo huius temporis,* textus nempe recogniti: breviter, textus qui habetur in duobus fasciculis mox distributis feria VI et sabato.

Debent quidem habere etiam prae oculis alium textum, ita ut videant immutationes et variationes. Attamen Modi exprimendi sunt quoad textum qui legitur et qui est in his duobus fasciculis tantum.** Ne confusio fiat! Modi, relate ad hoc schema introducendi, sunt non ultra feriam quartam huius hebdomadae exhibendi secretariae.

Moderator: Audiatur nunc relatio super schema constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis;* audiatur relator generalis, arch. Gabriel Garrone.

EXC.MUS P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

[5] RELATIO GENERALIS

Post discussionem circa schema « de Ecclesia in mundo huius temporis », interventionibus Patrum rite exploratis, Commissio opus suum denuo assumpsit.

Quod opus secundum ea perfecit quae promiserat in exitu discussionis.

Quod hodie etiam, cum humili confidentia, suffragiis Patrum exhibet.

* * *

Hic textus ex ipsa Concilii evolutione quasi effloruit.

Non enim tanta exspectatione a mundo postularetur, nisi a quadam interna Concilii necessitate proflueret.

Sed inde exsurgebat *difficultas,* unde et necessitas.

---

* Cf. pag. 563: ERRATA.
** Cf. pag. 421 ss.

Oportebat enim ut non tantum christianis, sed et omnibus hominibus pateret quos alloqui intendebat. Et, aliunde, non poterat facere quin arduas quaestiones aggrederetur, quae hodie homines maxime premunt. [5]

Inde legitime a Patribus requirebatur speciali modo *claritas* loquendi; et etiam, *ob gravitatem rerum et novitatem, quidam* in mente Patrum *manebat timor.*

* * *

Iam circa *titulum,* hoc manifestum apparuit.

De verbo « Constitutionis » plures dubitabant. Commissioni oportere omnino visum est ut haec difficultas nullum praeiudicium ipsi schemati afferat. Necessarium enim apparet ut de hoc ipsi Patres in fine discussionis expresse decernant; ideoque de hac re quaesitum proprium proponetur. Alii quidem tituli possibiles essent, qui iam in Concilio usui fuerunt — ut est « Declaratio » —, vel etiam « Litterae conciliares ». Sedulo tamen attendendum erit ad hoc ut titulus electus in mente omnium auctoritatem schematis non minuat, et etiam in luce maneat munus eius complementarium constitutioni « de Ecclesia » in seipsa considerata: ex ambobus tantum integre perficitur scopus Concilio expresse impositus.

* * * [6]

Textum huius schematis *claritate* pollere oportet, ut diximus.

Inter censuras quibus obnoxius fuit, plures circa formam eius litterariam erant. Curavit igitur Commissio ut, in nova sua redactione, quam maxime clarus evaderet; non obstante difficultate e subiecto ipso manante.

Ut diximus etiam, aggreditur textus *quaestiones arduas et ardentes.* Quarum tres praesertim attentionem Patrum retinuerunt: nempe de Atheismo, de Matrimonio, de Pace et Bello. De his, voluntati Patrum respondere Commissio sollerter studuit.

Explanatio copiosa circa Atheismum requirebatur. Partes potiores in hac conficienda Secretariatus de relationibus cum non-credentibus assumpsit. Ut apparebit, ad hoc tendit textus qualis nunc se exhibet: ut, si ab aliquo atheo legatur, nihil in expositione non verum inveniat; ut inde etiam Ecclesiae clamorem percipiat, de filiis oppressis et de mutilato homine « sine Deo » crudeliter dolentis; sed nihilominus sciat ...[1] et sentiat se ab Ecclesia vera et invincibili dilectione diligi ...[2]. De Matrimonio etiam, secundum vota Patrum quaedam determinata sunt; in quaestione de Pace et Bello hoc intendimus: quidquid verum est et certum sine timore et fortiter affirmare, non ultra certum progredi, et vias ad progressum apertas ostendere.

[6] * * *

De instructione descriptiva relator proprius breviter aget.

Item de secunda parte speciatim, quoad diversa capitula, sermo fiet.

De prima autem parte, liceat hic aliqua praesentare.

Sperat Commissio a Patribus agnitum iri in claritate progressum. Sed etiam et praesertim patebit, ut speramus, quomodo iam ipsum fidei lumen totam expositionem intime permeare incipiat. Iam ab initio, Mysterium christianum plene aperitur. Nec velatur peccati mysterium quod statim descriptionem hominis suo signo notat. Inde optimismus iste exaggeratus, a pluribus Patribus denuntiatus, iam non retinetur; agnoscuntur etiam omnes illae depravationes et ambiguitates quae a peccato resultant in usu illorum valorum qui a Deo creante procedunt; invenitur tandem maior supernaturalis et propheticus spiritus qui in priori textu deficere visus est.

Sic tollitur, simul cum litterario defectu, maxima censura schemati opposita in sua priori redactione ...[3].

Quartum capitulum melius in sua propria natura sistitur. Hic ipsa Ecclesia organizzata et hierarchica expresse se affirmat, postquam anthropologiam suam exhibuit. Ostenditur proinde Ecclesiam ut talem homini afferre, sub diversis aspectibus prius distinctis, determinatum et formale adiutorium — sive homo singularis, sive societas humana, sive ...[4]
[7] navitas considerantur —, non denegato aliunde adiutorio quod a mundo ipsa se accepisse et accipere novit.

Hanc partem schematis Christus, ut aperuerat, sic expresse et claudit.

Fas est igitur censere et sperare textum illum omni legenti vere revelaturum, dilucidam, accessu facilem, gradatim praesentatam, hanc Ecclesiae doctrinam de mundo, de homine et opere suo in mundo, et de persona humana, qualis illuminare valet, ad solutionem paulatim inveniendam, gravia illa problemata quibus hodie premitur et pungitur mundus.

* * *

Non restat nisi ut schema istud benevolentiae Patrum remittamus.

Ut perspicienti constabit, nihil in rebus immutatum est nisi quod Patres expresse in interventionibus rogaverunt: immutato tamen sensu, quidquid possibile apparuit ad clarificandum et abbreviandum, utique factum est ita ut praesens schema priori 14 numeris minus evadat.

Profunde Patribus grata pro cooperatione quam ab eis accepit, Commissio audet etiam humanitatem et quasi misericordiam Patrum exorare pro eis quibus modos, diu noctuque, per brevissimum tempus, expendere

incumbet, ...[5] ut sive numero sive praesentatione modi ita conficiantur, ut opus nostrum optime, secundum vota Concilii, in tempore opportuno perficere valeamus. [7]

Schema hoc a multis et ardenter exspectatur, ideo ut in parte necessaria opus Concilii deficeret, si schema de Ecclesia in mundo huius temporis ad finem suum non pervenerit.

Optandum est ut, Patrum adiuvantibus voluntate et consilio, schema istud ad mundum proficiscatur, sollicitudinis Ecclesiae testis, quae anxietates et spem mundi in se assumens, « Lumen Christi » ad eum affert, hominem ultra seipsum adducere cupiens et valens ut, in amore Ecclesiae, ipsius Dei amorem, auxiliante gratia, mundus percipiat ad salutem.

ERRATA

Pars I^a, caput I, p. 21.

Ad n. 15, linn. 35 et 36: *hae duae lineae sublineari debent.*

Part I^a, caput III, p. 42.

Ad n. 33, lin. 14: legere « *possidet* », loco « posside ».

Ad n. 34, lin. 19: textus huius lineae sic legi debet: « *tum est*: *in seipsa considerata atque recte ducta,* hominum navitas, indi- ».

In oratione: [1] atheus. [2] Qui modus procedendi Commissioni visus est cum pastorali Concilii ordinationi tum Pontificum Ioannis et Pauli voluntati optime congruere, postquam de hac re distincte et pluries egerint sive ante discussionem in aula sive ex interventionibus factis a Patribus. [3] quoad hanc primam partem. [4] humana. [5] ita.

Moderator: Gratias agimus relatori et membris commissionis pro eorum labore diurno et nocturno.

Nunc audiatur relatio circa expositionem introductivam ab ep. Marco McGrath.

EXC.MUS P. D. MARCUS McGRATH

Episcopus S. Iacobi Veraguensis

RELATIO CIRCA EXPOSITIONEM INTRODUCTIVAM [9]

Venerabiles Patres,

De mutationibus allatis in textu expositionis introductivae pauca dicenda sunt. Magis nobis interest sensum huius introductionis iterum

[9] vobis explanare nec non eius influxum in *genus litterarium* huius nostri schematis, si ita fas est nobis loqui.

Primo de ipso textu expositionis introductivae. Fere omnes Patres textum laudaverunt. Duo tantum Patres dixerunt textum esse nimis superficialem et quasi « existentialisticum », quibus respondendum censemus eum consulto esse descriptivum, et quidem modo obiectivo ut basim concretam praebeat interpretationibus et iudiciis postea in corpore schematis proferendis.

Praeter mutationes minores, tria tantum notanda sunt. In initio numeri quarti clarius declaratur cur necessarium sit Ecclesiae signa temporum perscrutari et sub Evangelii luce interpretari, nunc sicut et quovis tempore. Verba « signa temporum » hac unica vice usurpantur, non quidem sensu technico, sed generali, sicut inveniuntur in pluribus documentis Summorum Pontificum Ioannis XXIII s. m. et Pauli VI ...[1]

Hinc illincque breves introducuntur emendationes ut textus humanior et universalior evadat, id est, ut ex una parte appareat influxus hominis in propria sua historica conditione, quovis determinismo ex mera factorum expositione profluente secluso, et ex altera, ut descriptio non ad modalitates alicuius partis mundi coarctetur.

Denique, numerus nonus, ubi de appetitionibus et interrogationibus generis humani sermo erat, ita divisus est ut nunc textus primo loquatur de appetitionibus uti obiective constant, et deinde, sub n. ...[2] 10, de interrogationibus quae iam problemata de interpretatione fundamentali rerum ingrediuntur, transitum sic instituens ad partem primam seu doctrinalem.

* * *

Nunc, secundo, de sensu huius introductionis et de eius momento pro toto schemate.

Meministis, venerabiles Patres, quoties perdurante disceptatione circa hoc schema, de periculis alicuius descriptionis nimis occidentalis mundi huius temporis audivimus. Ad huiusmodi pericula avertendum, iam ineunte tertia sessionum periodo instituta fuit subcommissio spe-
[10] cialis cuius munus fuit sub hoc respectu universalitatis totum schema crisi subiicere. Subcommissio illa tanquam membra habuit Patres praesertim Americae Latinae, Asiae, Africae et Europae orientalis, et iudicium seu opiniones quaesivit plurimorum aliorum Episcoporum et peritorum, sive in coadunationibus ad hunc finem indictis, sive in scriptis. Neminem fugit momentum huius considerationis. Amplissimi Episcoporum coetus Concilii Vat. II, vere repraesentat orbem universum eiusque tam diversas condiciones et vota, modo anteactis temporibus impos-

sibili; et hoc quidem quando mundus ipse tam acriter sentit suam physicam unitatem et quando Concilium nostrum tam providenter iterum affirmavit doctrinam collectivae responsabilitatis Episcoporum, sub Romano Pontifice, pro universali Ecclesia. Ex dictis patet documentum nostrum « De Ecclesia in mundo huius temporis » exhibere debere conscientiam problematum mundi universi. Deficiente autem numero theologorum aliorumque peritorum ex novis nationibus mundi in hoc Concilio, munus erat nostrae subcommissionis de aspectu universalitatis nostri documenti curare. De nostro exitu Patres iudicabunt.

* * *

Est alia quaestio valde connexa cum praecedenti, id est methodologia textus schematis. Ex suggestionibus plurimorum Patrum et ex natura ipsa huius schematis, necesse erat ut conditio realis huius mundi saltem generali modo describeretur, antequam de illo iudicia proferrentur. Haec methodus in expositione introductiva stabilitur et in toto schemate servatur.

Denique ipsa novitas multarum quaestionum propositarum, nec non earum diversitas, quae omnia ex descriptionibus omnibus patent, limites imponit nostro documento. Principia generaliora, sive doctrinalia sive moralia proponuntur, quae plerumque non attingunt ad solutiones omnino concretas, sive quia problemata adhuc maturius examinanda sunt, sive quia particulari modo in unaquaque regione a christifidelibus sub moderamine pastorum considerari debent.

Sic expositio introductiva inservire debet scopo nostri schematis: mundo universo loqui, cum vera inquisitione problematum quae nunc populos afficiunt, ut cum illis sincerum dialogum ineamus, afferentes lucem Christi ad solatium, robur, pacem et vitam semper pleniorem omnium in Deo.

In oratione: [1] fel. regn. [2] novo.

Moderator: Gratias maximas relatori! Audiatur nunc textus quoad primam suffragationem.

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum, *subsecretarius Concilii*: Lego textum primae suffragationis schematis constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* quae est suffragatio 472, quod inveniatur in pag. 5 ss. [*cf. pag. 421-422*]. Videatis nunc pag. 10 [*cf. pag. 425-430*]. Ut iam dictum est, suffragatio ista 472 fieri debet triplici consueta formula, scil. *placet, non placet* vel *placet iuxta modum.*

Secretarius generalis: Patres venerabiles, feria III, i. e. crastina, die 16 novembris, hora 18.30, Summus Pontifex coram admittet episcopatus Asiae linguae anglicae, i. e.: Arabiae, Birmaniae, Ceylon, Cina, Corea, Filippine, Giappone, Giordania, India, Indonesia, Iran, Israele, Malaysia, Pakistan, Thailandia.

Proponitur altera suffragatio.

Exc.mus P. D. VILLELMUS KEMPF, ep. Limburgensis, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio 473, circa introductionem ad Partem I constitutionis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* invenitur in pag. 19, n. 11 [*cf. pag. 433*]. Patres venerabiles, textus modo lectus *placet* an *non placet*? Est suffragatio 473.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, quaesitum est utrum sabbato proximo sit congregatio generalis: respondetur negative; ergo non erit congregatio sabbato proximo.

Moderator: Prosequatur lectio!

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, ep. tit. Prienensis, aux. Parisiensis, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio 474. N. 12-17 [*cf. pag. 434-437*]. Haec est, Fratres venerabiles, suffragatio 474. *Placet* vel *non placet*?

Secretarius generalis: Prosequitur lectio.

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, *subsecretarius*: n. 18 [*cf. pag. 437*]. Hic numerus inseritur suffragationi 474: *placet* vel *non placet?*

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO, arch. Matritensis Complutensis, *subsecretarius Concilii*: Suffragatio 475. Pag. 23, nn. 19-22 [*cf. pag. 437-441*]. Venerabiles Patres, *placet* vel *non placet?*

Secretarius generalis: Sit nunc suffragatio circa n. 11 (videatis pag. 19) et cap. I, cum triplici formula. Lego principium et finem.

« Populus Dei, fide motus, qua credit se a Spiritu Domini duci qui replet orbem terrarum, in eventibus, exigentiis, optatis, quorum una cum ceteris nostrae aetatis hominibus partem habet, quaenam in illis sint vera signa praesentiae vel consilii Dei, discernere satagit ». Et reliqua.

Cap. I: *De humanae personae dignitate.*

« Secundum credentium et non credentium fere concordem sententiam, omnia quae in terra sunt ad hominem, tamquam ad centrum suum

et culmen, ordinanda sunt ». Et reliqua, usque ad pag. 26, in his verbis: « Tale et tantum est hominis mysterium, quod per Revelationem christianam credentibus illucescit. Per Christum et in Christo, igitur, illuminatur aenigma doloris et mortis, quod extra Eius Evangelium nos obruit. Morte sua mortem destruxit vitamque nobis largitus est ut, filii in Filio, clamemus in Spiritu: Abba, Pater! ».

Suffragatio est 476: hic textus perlectus per partes — sed pro integro lectus habendus est — *placet, non placet, placet iuxta modum*?

Et dum suffragium exprimitis, Patres venerabiles, proceditur ad alteram suffragationem legendam.

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, *subsecretarius*: Lego textum suffragationis 477. Videatis pag. 32: cap. II, nn. 23-26 [*cf. pag. 446-448*]. Quaeritur ad hanc suffragationem 477: *placet* an *non placet*?

Secretarius generalis: Patres venerabiles, lego exitum suffragationis 472:

Patres praesentes votantes	2.187
Dixerunt *placet*	2.009
non placet	41
placet iuxta modum	134
Suffragia nulla	3

Quaesitum est quomodo ex numero terminali I Partis, qui est 45, fiat transitus ad numerum initialem II Partis, qui est 50. Explicationem, Patres venerabiles, potestis videre in fine primi fasciculi, in pag. 58, in *nota bene,* ubi legitur [*cf. pag. 472*]:

« Ex abbreviatione textus factum est ut numeri Primae Partis pauciores essent quam praevisum erat. Proinde explicatur cur desint quinque numeri inter finem Primae Partis et initium Secundae Partis, quae iam sub prelo erat. Huic defectui in redactione definitiva occurremus ».

Nunc legitur textus ultimae suffragationis hodiernae.

Exc.mus P. D. VILLELMUS KEMPF, *Subsecretarius*: Est suffragatio 478: pag. 34, nn. 27-32 [*cf. pag. 448-452*]. Fratres venerabiles, textus modo lectus *placet* an *non placet*?

Secretarius generalis: Venerabiles Patres, audistis quantum tempus insumatur in legendis textibus. Quapropter statuunt em.mi moderatores crastina et feria IV, scil. feria III et feria IV, congregationem incipiendam esse hora nona. Ergo, crastina et feria IV, incipiet congregatio hora 9.

Audiatis nunc exitum suffragationis 473:

Patres praesentes votantes	2.113
Dixerunt *placet*	2.074
non placet	27
placet iuxta modum	7
Suffragia nulla	5

Moderator: Congregatio proxima erit cras, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CLXII

16 novembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLXII

16 novembris 1965

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, ep. tit. Prienensis, *Ss. Concilii subsecretarius*:

Missam de Spiritu Sancto celebrat exc.mus D. Narcissus Jubany, ep. Gerundensis in Hispania.

Evangelium inthronizat exc.mus Eduardus Schlotterback, vicarius apostolicus Keetmanshoopensis in "South West Africa".

Cantus proprii: nn. 26 et sequentibus. Oratio fidelium: n. 88.

Cantant alumni Augustiniani ab Assumptione, et pueri Cantores Viennenses.

Fratres venerabiles, Dominum precemur ut inter innumerabiles pueros cantores nostrarum dioecesium, multi ad sacerdotium vocentur et perveniant ad laudem Dei! [*Plausus*].

Pueri cantores exsequuntur *Duo Seraphim,* auctore Vittoria.

[*Post Missae celebrationem et orationem* « *Adsumus* »]:

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 162 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

Et propono statim vobis, Patres venerabiles, suffragationem de integro cap. II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Est suffragatio 479. Lego initium et finem. Videatis pag. 32 [*cf. pag. 446-452*]. Patres venerabiles, hoc caput II, quod pro toto lectum habendum est, *placet* vobis, *non placet, placet iuxta modum*? Respondeatis.

In hac congregatione, Patres venerabiles, vobis distribuetur *Notificatio* [*cf. vol. IV, pars I, pag. 49*] quam heri feci de qualificatione theologica doctrinae quae in schemate constitutionis dogmaticae *de divina revelatione* exponitur, et suffragationi subicitur in proxima sessione publica conciliari.

Deinde, textus schematis decreti *de apostolatu laicorum* de quo agetur in sessione item diei 18 huius mensis.

Et audiatis exitus suffragationum qui nondum lecti sunt.

Suffragatio 474:

Praesentes votantes Patres		2.133
Dixerunt	*placet*	2.088
	non placet	35
	placet iuxta modum	8
Suffragia nulla		2

Suffragatio 475:

Patres praesentes votantes		2.144
Dixerunt	*placet*	2.057
	non placet	74
	placet iuxta modum	11
Suffragia nulla		2

Suffragatio 476:

Patres praesentes votantes		2.149
Dixerunt	*placet*	1.672
	non placet	18
	placet iuxta modum	453
Suffragia nulla		6

Suffragatio 477:

Patres praesentes votantes		2.115
Dixerunt	*placet*	2.074
	non placet	34
	placet iuxta modum	3
Suffragia nulla		4

Suffragatio 478:

Patres praesentes votantes		2.155
Dixerunt	*placet*	2.115
	non placet	35
	placet iuxta modum	3
Et suffragia nulla		2

Nunc, properamus ad legendam sequentem suffragationem. Oportet hodie, Patres venerabiles, currere quia tempus instat, sed hic cur-

sus non nocet neque libertati neque serietati suffragii. Aliquis benefactor nostrae secretariae donavit pastillos ad guttur reficiendum, et ad vocem clariorem reddendam. Dum gratias agimus, speramus fore ut hi pastilli suum bonum effectum sortiantur!

Videatis pag. 42, nn. 33-36 [*cf. pag. 456-458*]. *Placet,* Patres venerabiles, *non placet*?

Moderator: Enuntiatur novus textus ad suffragationem.

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO, arch. Matritensis-Complutensis, *subsecretarius*: Suffragatio 481: nn. 37-39, pag. 44 [*cf. pag. 458-460*]. Venerabiles Patres, *placet* an *non placet*?

Moderator: Enuntiatur suffragatio de integro cap. III.

Secretarius generalis: Videatis, Patres pag. 42: *Cap. III*: *De humana navitate in universo mundo* [*cf. pag. 456-460*]. Patres, *placet*ne vobis hoc caput quod tamquam integrum lectum habendum est, *non placet, placet iuxta modum*?

Moderator: Enuntiatur alia suffragatio, ex cap. IV, a n. 40 ad 42 inclusive.

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum, *subsecretarius*: Suffragatio 483. Videatis, Patres, pag. 50, nn. 40-42 [*cf. pag. 463-466*]. Ad hanc suffragationem 483 quaeritur: *placet* an *non placet*?

Moderator: Enuntiatur nova suffragatio, a n. 43 ad 45 inclusive.

Exc.mus P. D. VILLELMUS KEMPF, ep. Limburgensis, *subsecretarius*: Suffragatio 484, pag. 52, a n. 43 usque ad finem cap. IV [*cf. pag. 466-469*]. Patres venerabiles, textus iste *placet* an *non placet?* Respondeatis suffragatione hac 484.

Moderator: Proponitur suffragatio de integro cap. IV.

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, *subsecretarius*: Suffragatio 485, de integro cap. IV. Videatis, Patres, pag. 50 [*cf. pag. 463-469*]. Integer textus pro lecto habeatur. Suffragatio fieri debet triplici consueta formula: *placet, non placet* an *placet iuxta modum*?

Moderator: Gradum nunc facientes ad secundam partem, velit exc.mus D. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis, legere relationem.

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

[11] RELATIO
AD TEXTUM RECOGNITUM II[ae] PARTIS *

Venerabiles Patres,

I

Antequam de emendationibus, in II[a] Parte schematis nostri factis, loquar, liceat mihi breviter haec in memoriam revocare:

Finis Secundae Partis est consideratio quorundam problematum urgentiorum nostri temporis sub luce earum orientationum, quas Prima Pars continet.

Methodus procedendi eadem est ac ibi: id est adloquendi christianos et non christianos; incipiendo a quaestionibus maioribus concretis alicuius campi, easque illustrando sub luce Evangelii et doctrinae Ecclesiae.

Selectio materiae universalitatem mundi respicere conatur. Quapropter quaestiones nimis regionales, etiam fortasse magni momenti, omittendae erant.

Via media erat quaerenda in specificis difficultatibus huius materiae. Id est

via media inter sententias nimis generales, quae facile tamquam « piae exhortationes » sonant, et sententias nimis particulares, etiam forte nostram competentiam excedentes;

via media inter sermonem christianos tantum alloquentem et sermonem, qui specifice christiana enuntiare negligeret;

via media inter opiniones, quae consensum satis communem nondum sunt adeptae, et meram repetitionem eorum, quae in manualibus scholae habentur;

via media inter modum dicendi stricte propheticum, qui potius singulari alicui personae competit, et modum nimis doctrinarium qui, coram his quaestionibus, homines non vere movere valeret.

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali 161, die 15 novembris 1965.

Haec omnia non facilia sunt, cum de textu praeparando agatur, qui aptus esse debet ad inveniendum consensum desideratae maioritatis Patrum. Materia ipsa difficilis est, conciliariter nova, et quaestio de modo procedendi saepe plures opiniones et optiones admittit. [11]

II [12]

Labor 5 Subcommissionum quae novos textus praeparaverunt, *animadversionibus Patrum* innititur, ut videre potestis ex Relationibus particularibus. Hae animadversiones ampliores erant quoad quaedam puncta, v. g. quoad matrimonium et fovendam pacem, pauciores quoad alia, v. g. quoad vitam communitatis politicae. Pretiosae suggestiones etiam inveniuntur in iis quae scripto exhibita sunt. Omnibus gratias agimus pro auxilio ita praestito textui revidendo.

Animadversiones Patrum in nostra parte plura respiciunt:

1) *doctrinam*: Desiderabatur in aliquibus rebus maior claritas, maior fidelitas erga doctrinam traditam, erga recentiora documenta Magisterii, praesertim in doctrina sociali. Aliquibus videbantur limites competentiae Concilii hinc inde excessae, v. g. in capite De vita oeconomica-sociali et De communitate gentium;

2) *universalitatem*: Aliqui Patres obiiciebant, schema adhuc nimis respicere condiciones occidentales, alii non sufficienter populos progredientes et sub regiminibus marxisticis viventes; quaedam etiam quaestiones non sufficienter attenderentur, v. g. odia racialia, quaestio mulierum, quaestio ruricolarum;

3) *stylum*: Aliquibus videbatur stylus nimis adhuc doctrinalis, exhortativus, aliquando lyricus, non sufficienter realisticus, aliis non sufficienter propheticus, aliquoties nimis optimisticus (v. g. in capite De cultura vel De vita oeconomica-sociali). Deplorabatur Latinitas, quamvis non ita ut in Parte I. Desiderabatur etiam in hac Parte abbreviatio.

III

Examen accuratum animadversionum factum est. Permultae inde emendationes textus introduci potuerunt. Etiam abbreviatio in aliquibus locis fieri potuit. Repetitiones eliminatae sunt, v. g. trahendo ea, quae de auxiliis populis in via evolutionis dicta erant in capite de oeconomia, ad respectivos numeros de cooperatione oeconomica internationali. Logicus ordo perfici potuit multis in locis. Latinitas simplicior facta est: ita non iam timentur neologismi, uti « cultura ». Doctrina accurate revisa est, modus dicendi multis in locis aptior et diligentior effectus.

[12] Pluries Patres novos textus pro quibusdam capitibus, v. g. pro matrimonio, proposuerunt, vel fundamentales reformationes structurae variorum capitum. Attamen, si eos simpliciter secuti essemus, maiori parti Patrum probabilius contradissemus.

Laici in omnibus Subcommissionibus cooperati sunt et pluries decisivum influxum habuerunt in modum res exprimendi, v. g. quoad ma-
[13] trimonium, vitam oeconomicam et communitatis politicae. Haec felix cooperatio iam applicationem constituit alicuius principii, quod in documentis nostris De Ecclesia, De apostolatu laicorum et etiam in nostro schemate doctrinaliter enuntiatur.

IV

De quibusdam particularibus quaestionibus variorum capitum pauca verba addere velim:

1) In capite *de dignitate matrimonii et familia* doctrina Ecclesiae non evolvenda erat in iis punctis quae obiectum Commissionis specialis Pontificiae constituunt. Quaestiones discussae apertae manserunt. In doctrina de amore coniugali, ad eius naturam et ordinationem quod attinet, textus sequitur doctrinam Pii XI et XII. In eis quae dicuntur de honestate actus coniugalis et fecunditate responsabili, urgentur ordo obiectivus moralis et magisterium Ecclesiae. Spiritualitatis coniugalis et pastorationis huic campo praestandae ratio amplior habetur.

2) In capite *de cultura* ipse conceptus culturae magis explicatur, antinomiae huius campi clarius apparent. Relatio culturae ad scientias et artes ex una parte, ad religionem ex alia, magis enucleatur; historicae considerationi suus locus tribuitur. Participatio mulierum sublineatur, universalitas magis respicitur.

3) In capite *de vita oeconomica-sociali* situatio concreta distinctius exponitur. Diligenter ratio habetur recentissimorum documentorum Magisterii Summorum Pontificum, v. g. in doctrina de destinatione communi rerum materialium, vel de migrationibus. Conceptus laboris clarius proponitur. Quaedam res in textu priore paululum adhuc neglectae in meliore luce ponuntur, v. g. fames in mundo, momentum agriculturae et servitiorum oeconomicorum, operae praestitae a moderatoribus inceptuum, factum automationis. Diligenter revisa est doctrina de participatione operariorum in oeconomicis rebus gerendis, de operistitio et de politica monetaria. Etiam condicio singularis statuum totalitariorum magis attenditur.

4) In capite *De vita communitatis politicae* pauca emendata sunt, imprimis ea quae pertinent

ad conceptum boni communis, [13]
ad auctoritatem politicam eiusque rectum usum,
ad ius civium contra abusum auctoritatis resistendi,
ad ius et officium suffragandi,
ad pluralismum in societate hodierna et
ad rectam cooperationem intra Ecclesiam et statum.

5) Gravissimae suae responsabilitatis conscia, Commissio revidit integrum caput, quod nunc inscribitur *De pace fovenda et de communitate internationali promovenda.* Prae oculis nostris stetit multitudo innumerabilis victimarum alicuius novi belli mundialis; stetit etiam perplexitas conscientiae moderatorum politicorum et militarium, qui obligationem iura populorum protegendi coniungere debent cum obligatione evitandi alicuius fratricidii universalis. Fortiter in re, fortiter, sed etiam circumspecte in modo, declinato omni modo nimis scholari, casuistico et mere emotionali, sermo esse debuit. Evitanda erat omnis species nimiae simplificationis rei, ne videamur, in re tam difficili promptas solutiones concretas proponere velle vel posse. [14]

Substantiam doctrinae textus anterioris omnino servandam esse, post omnes animadversiones Patrum putavimus. Ordinem tamen et modum dicendi profunde mutavimus. Idea directrix magis adhuc clare apparet *idea pacis,* cuius natura amplius adhuc evolvitur in introductione. Hoc loco etiam nunc enuntiatur, in formula quae pericula falsae interpretationis evitat, laus non violentiae. *In sectione,* quae nunc *prima* est, *De bello vitando* magis explicatur vis iuris gentium, cum damnatione criminum respectivorum, praesertim genocidii, et etiam caecae obedientiae scelestis iussis praestitae. Postulatur evolutio legis positivae quoad res bellicas, et in hoc contextu suadetur provisio iuridica pro casu sincerae obiectionis conscientiae. Claris verbis, orientatis in doctrina recentiorum Pontificum,[1] damnatur bellum totale, denuntiatur tamquam plaga gravissima humanitatis cursus ad arma apparanda. Diligenter viae tractantur ad omne bellum vitandum, appetendo imprimis auctoritatis publicae internationalis institutionem, providendo tamen, etiam tempore ante hanc institutionem, et iurium protectioni et armorum diminutioni et periculi bellici aliis praecavendi viis.

---

[1] Quoad textum N. 84, pag. 64, linn. 37-39, vide IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 291: « Quare aetate hac nostra, qua vi atomica gloriatur, alienum est a ratione, bellum iam aptum esse ad violata iura sarcienda ». Quoad textum N. 84, pag. 65, linn. 1-6, vide insuper PIUS XII, Alloc. 20 sept. 1954: textus invenitur in Nota 1, pag. 72.

[14] *Secunda Sectio* ampliorem quaestionem aggreditur *ordinis internationalis promovendi.* Agit de cooperatione oeconomica, de problemate demographico honeste solvendo, de evolvendis formis etiam participationis christianorum. Optatur in Ecclesia universali organismus novus, qui ad haec omnia catholicos excitat. Iterum iterumque invitatio fit ad collaborationem oecumenicam et cum omnibus hominibus qui vere appetunt pacem, ad opus inspiratum eis veritatibus et desideriis quae, nostrum omnium etiam nomine, Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, expressit in sermone Neo-Eboracensi.

[15] V

En, Venerabiles Patres, fructus modesti nostri laboris. Ita laboravimus, spero, in textu emendando, ut eum vestro suffragio confirmare possitis. Imperfectiones quae manent, nos minime latent. Adiuvate nos *vestris* « *modis* » ut hoc documentum ad eam formam perfici possit, quae ultimo nisui nostro conciliari digna est. Adiuvate nos, ut intra tempus provisum eos absolvere possimus. Concentrate diligentiam vestram in modos maioris momenti et ita redactos, ut facilius hoc documentum ad finem felicem ducatur. Nostrum schema tunc non tantum opus Concilii concludit, sed etiam opus postconciliare Ecclesiae in mundo huius temporis aperiet.

Moderator: Gratias maximas exc.mo relatori, toti commissioni et, peculiari ratione, adeo diligenter ac strenue adlaborantibus subcommissionibus sive e clero sive a laicatu.

Enuntiatur nunc suffragatio sub n. 50, et, per aliam schedulam, immediate suffragatio circa nn. 51-53 inclusive.

Em.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, *subsecretarius*: Suffragatio 486. Pag. 5, Partis II n. 50 [*cf. pag. 474*]. *Placet* vel *non placet*?

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO, *subsecretarius*: Suffragatio 487, nn. 51-53 [*cf. pag. 474-477*]. Patres venerabiles, textus lectus *placet* an *non placet*?

Moderator: Enuntiatur nova suffragatio, a n. 54 ad 56 inclusive.

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, *subsecretarius*: Suffragatio 488. Videatis, Patres, pag. 8 [*cf. pag. 477-480*]. Ad hanc suffragationem 488, quaeritur: *placet* an *non placet?*

Moderator: Enuntiatur suffragatio de integro cap. I Partis II.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, proponitur suffragatio 489, quae est de prooemio et de integro cap. I Partis II. Videatis pag. 5 Partis II [*cf. pag. 474-480*]. Patres venerabiles, hoc prooemium et cap. I Partis II, quod modo lectum est et pro integro lectum habendum est, *placet* vobis, *non placet* an *placet iuxta modum?*

Interea lego exitus suffragationum qui ad nos pervenerunt.

Suffragatio 479, quae est super integro cap. II, Partis I uti patet:

Inter Patres praesentes	2.212
Dixerunt *placet*	1.801
non placet	18
placet iuxta modum	388
Suffragia nulla	5

Suffragatio 480:

Patres praesentes votantes	2.216
Dixerunt *placet*	2.173
non placet	33
placet iuxta modum	8
Suffragia nulla	2

Suffragatio 481:

Patres praesentes votantes	2.227
Dixerunt *placet*	2.169
non placet	45
placet iuxta modum	9
Suffragia nulla	4

Suffragatio 482, quae est super integro cap. III Partis I:

Patres praesentes votantes	2.223
Dixerunt *placet*	1.727
non placet	25
placet iuxta modum	467
Suffragia nulla	4

Moderator: Gradum facientes ad cap. II: *De culturae progressu rite promovendo,* proponitur suffragatio a n. 57 ad 63 inclusive.

Exc.mus P. D. VILLELMUS KEMPF, *subsecretarius*: Suffragatio 490. Pag. 22, nn. 57-63 [*cf. pag. 491-496*]. Patres venerabiles, textus modo lectus *placet* an *non placet?* Respondeatis suffragatione 490.

Moderator: Proponitur nova suffragatio a n. 64 ad 66 inclusive.

Exc.mus P. D. Iacobus Le Cordier, *subsecretarius*: Suffragatio 491 [*cf. pag. 496-499*]. Haec est, Fratres venerabiles, suffragatio 491: *placet* vel *non placet*?

Moderator: Proponitur suffragatio de integro capite *de cultura*.

Secretarius generalis: *Patres venerabiles,* elenchus suffragationum invenitur tantum in I Parte, non in II. Ergo omnes suffragationes potestis videre in primo fasciculo.

Proponitur, igitur, suffragatio 492, quae est de integro cap. II Partis II. Videatis pag. 22 [*cf. pag. 491-499*]. Hoc cap. II: *de culturae progressu rite promovendo,* quod pro toto lectum habendum est, *placet* vobis, Patres, *non placet, placet iuxta modum?*

Nunc, Patres, audiatis alios exitus suffragationum. Antea, animadverto me, in suffragatione praecedenti, quae est 482, oblitum esse suffragiorum nullorum, quae fuerunt quattuor.

Exitus suffragationum postea legam. Nunc procedamus ad aliam suffragationem.

Moderator: Transitus fit ad cap. III Partis II: *de vita oeconomica-sociali,* et proponitur suffragatio a n. 67 ad 70 inclusive.

Exc.mus P. D. Casimirus Morcillo, *subsecretarius*: Suffragatio 493. Cap. III: *de vita oeconomica-sociali* ... nn. 67-70 [*cf. pag. 506-509*]. Patres venerabiles, *placet* an *non placet* textus modo lectus?

Moderator: Loquitur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, « Sat prata biberunt ... ». Velitis audire exitus aliarum suffragationum, quae mane factae sunt.

Suffragatio 483:

Patres praesentes votantes	2.227
Dixerunt *placet*	2.107
non placet	113
placet iuxta modum	3
Suffragia nulla	4

Suffragatio 484:

Patres praesentes votantes	2.222
Dixerunt *placet*	2.095

non placet	112
placet iuxta modum	11
Suffragia nulla	4

Suffragatio 485, quae est super integro cap. IV, Partis I uti patet:

Patres praesentes et suffragantes	2.202
Dixerunt *placet*	1.817
non placet	99
placet iuxta modum	284
Suffragia nulla	2

Suffragatio 486:

Patres praesentes votantes	2.149
Dixerunt *placet*	2.106
non placet	39
Suffragia nulla	4

Suffragatio 487:

Patres praesentes votantes	2.150
Dixerunt *placet*	2.052
non placet	91
placet iuxta modum	4
Suffragia nulla	3

Suffragatio 488:

Patres praesentes votantes	2.163
Dixerunt *placet*	2.011
non placet	140
placet iuxta modum	10
Suffragia nulla	2

Moderator: Proxima congregatio generalis, crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CLXIII

17 novembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLXIII

17 novembris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *S. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 163 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Lego statim, Patres venerabiles, textus suffragationis 494. Videatis pag. 40, nn. 71-72 [*cf. pag. 509-511*]. Ergo Patres, *placet*ne vobis hic textus an *non placet?*

Patres venerabiles, hodie vobis distribuetur schema declarationis *de libertate religiosa.* Fasciculus continet Modos, circa quos fiet suffragatio. Quaesita sunt quattuor: ergo quattuor erunt suffragationes, tantum per *placet* et *non placet.*

Vos hic legetis etiam quaesitum generale, sed hoc quaesitum est supervacaneum, nam circa omnes numeros suffragatio iam facta est — nihil restat suffragandum — quapropter, loco huius quaesiti generalis, proponetur suffragatio circa integrum schema, ut solemus; et huiusmodi suffragationes fient feria VI proxima.

Cuius congregatio incipiet adhuc, ob varias rationes, hora nona ... *hora nona.* Una ex rationibus est, Patres venerabiles, quod quidam Patres petierunt proficisci hora opportuna; ideo melius est incipere hora maturiore.

Distribuetur etiam *Ordo concelebrationis* et *Methodus servanda in publica sessione* Concilii Oecumenici Vaticani II, die 18 novembris anno 1965.

Necessarium non est, Patres, ut repetam quae paucis iam abhinc diebus dixi de ipsa sessione publica. Attamen, velitis, Patres, attendere ad subsignationem faciendam. Quando iam proclamatio vel publicatio facta fuerit a Summo Pontifice, distribuentur folia in qualibet sectione huius aulae et Patres subsignabunt formula sollemniori: « Ego ... etc. ». Haec subsignatio non significat approbationem vel non approbationem schematis quae iam facta est cum schedulis, sed tantum est subsignatio instrumenti vel documenti quod in Concilio promulgatum fuerit.

Quoad horas, vestes et alios ritus, nihil repeto, nam iam dixi et vos potestis legere in intimatione omnibus et singulis distributa.

Audiatis nunc exitus suffragationum, quae heri factae sunt, qui exitus nondum sunt lecti.

Suffragatio 489, quae erat super prooemio et integro cap. I Partis II uti patet:

Patres praesentes votantes	2.157
Dixerunt *placet*	1.596
non placet	72
placet iuxta modum	484
Suffragia nulla	5

Suffragatio 490:

Patres praesentes votantes	2.158
Dixerunt *placet*	2.102
non placet	52
placet iuxta modum	2
Suffragia nulla	2

Suffragatio 491:

Patres praesentes votantes	2.125
Dixerunt *placet*	2.058
non placet	61
placet iuxta modum	2
Suffragia nulla	4

Suffragatio 492: de integro cap. II:

Patres praesentes votantes	2.146
Dixerunt *placet*	1.909
non placet	44
placet iuxta modum	185
Suffragia nulla	8

Suffragatio 493:

Patres praesentes votantes	2.162
Dixerunt *placet*	2.115
non placet	40
placet iuxta modum	2
Suffragia nulla	5

Velint Patres Modos dare assignatoribus una cum schedulis. Terminus statutus, uti scitis, est usque ad mediam noctem huius diei. Ne velitis cunctare, quia commissio debet laborare. Nam Modi qui porrigendi sunt ad nostram secretariam, postquam operationes cancellariae fuerint perfectae, transmittentur statim ad commissionem, uti semper rite et regulariter factum est.

Moderator: Proponatur altera suffragatio.

Exc.mus P. D. VILLELMUS KEMPF, ep. Limburgensis, *subsecretarius*: Suffragatio 495: n. 73 usque ad finem cap. III [*cf. pag. 511-514*]. Patres venerabiles: textus *placet* an *non placet?*

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum, *subsecretarius*: Proponitur nunc suffragatio 496, quae est de integro cap. III, quod inveniatur in pag. 38 et sequentibus [*cf. pag. 506-514*]. Textus integer pro lecto habeatur. Suffragatio fieri debet consueta triplici forma, et quaeritur: *placet,* an *non placet,* an *placet iuxta modum?*

Moderator: Alia suffragatio proponitur, ad cap. IV.

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, ep. tit. Prienensis, aux. Parisiensis, *subsecretarius*: Suffragatio 497 [*cf. pag. 523-524*]. Haec est, Fratres venerabiles, suffragatio 497: *placet* vel *non placet?*

Moderator: Proponatur sequens suffragatio, 498.

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO, arch. Matritensis-Complutensis, *subsecretarius* [*cf. pag. 524-527*]. Venerabiles Patres, haec suffragatio 498 circa nn. 79 et 80, quam nunc debetis facere, *placet* an *non placet?*

Moderator: Proponitur suffragatio alia, de integro nempe capite.

Secretarius generalis: Proponitur suffragatio 499, quae est de integro cap. IV, quod lego per principium et finem. Videatis pag. 54 [*cf. pag. 523-527*]. Patres venerabiles, hoc caput quod pro integro lectum habendum est, *placet* vobis, *non placet, placet iuxta modum?* Triplex formula.

Audiatis, Patres! Qui crastina cum Summo Pontifice concelebrant, repraesentant Patres superiores generales Ordinum vel Congregationum religiosarum, peritos, ut iam dixi, et parochos.

Possumus iam hodie distribuere numismata, quae iam distributa

sunt Patribus, Dominis Observatoribus, auditoribus, peritis, officialibus et aliis qui non ius sed ex usu quasi ius acquisiverunt. Distributio fiet ita: pro Observatoribus, distributio fiet a secretariatu competenti; pro auditoribus, ab assessore illis praeposito, vel per eius delegatum; pro officialibus, per officia ad quae pertinent; periti autem possunt numismata habere in nostris officiis secretariae generalis, quae sunt in palatio a Sancta Martha, heic prope, in Civitate Vaticana; possunt habere numismata hodie, crastina et feria VI ab hora 12 ad horam 13 cum dimidio, et sabbato ab hora 9 usque ad clausuram officiorum, nempe usque ad horam 13 circiter. Ergo: hodie, crastina et feria VI ab hora 12 ad horam 13 cum dimidio, et sabbato ab hora 9 ad horam 13 cum dimidio circiter. Et non amplius - non amplius.

Patres venerabiles, qui sunt Procuratores aliorum Patrum, si sint et ipsi Patres conciliares, possunt apponere subsignationem crastina postquam ipsi tamquam Patres subsignaverint. Sed quando subsignant pro Patre repraesentato, debent exprimere nomen Patris repraesentati: « Ego ... etc., etc., nomine Exc.mi ... etc. ». Qui vero non sunt Patres conciliares, Procuratores qui non sunt Patres conciliares, subsignationes apponent in nostris officiis secretariae generalis sabbato proximo, toto mane, nempe ab hora 9 usque ad horam 13 cum dimidio. Et subsignatio facienda est non stylo magnetico, sed stylo communi.

Attendatis, Patres: suffragationes semper stylo magnetico, sed subsignatio in foliis qui distribuuntur post sessionem, ut ita dicam, stylo communi. Gratias.

Moderator: Proponitur nunc sequens suffragatio, nempe ad cap. V.

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, *subsecretarius*: Suffragatio 500 [*Plausus*]. Videatis, Patres, pag. 62, n. 81 [*cf. pag. 531-536*]. Ad hanc suffragationem 500 quaeritur: *placet* an *non placet?*

Moderator: Loquitur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, quidam Patres petierunt ut, iuxta relationem factam a relatore exc.mo Garrone quoad hoc schema, definiretur quaestio de qualificatione danda huic schemati conciliari. Nam inscriptio quae nunc est ita sonat: « Constitutio pastoralis ». Sed quidam Patres contrariam sententiam exprimere desideraverunt. Quapropter commissio proposuit, et em.mi moderatores annuerunt, ut ii Patres qui aliam qualificationem, ut ita dicam, desiderant hoc scripto exhibeant intra congregationem feriae VI proximae.

Unde, practice, Patres qui contenti sunt de hac qualificatione, scil.

« Constitutio pastoralis », nihil est necesse ut scribant. Qui vero aliam qualificationem desiderant hoc scripto dicant et scriptum exhibeant nostrae secretariae intra congregationem generalem feriae VI proximae, ita ut commissio possit de his votis, de his desideriis, rationem habere in expensione modorum. Est veluti expressio cuiusdam modi facta hac singulari ratione sed valde facili. Ergo qui volunt mutare hos terminos « Constitutio pastoralis » dicant scripto et dicant quomodo velint appelletur hoc schema. Gratias.

Nunc lego exitus duarum suffragationum.

Suffragatio 494:

Patres praesentes votantes	2.260
Dixerunt *placet*	2.182
non placet	68
placet iuxta modum	4
Suffragia nulla	6

Suffragatio 495:

Patres praesentes votantes	2.233
Dixerunt *placet*	2.157
non placet	68
placet iuxta modum	3
Suffragia nulla	5

Exc.mus P. D. VILLELMUS KEMPF, *subsecretarius*: Suffragatio 501: a n. 87, in pag. 67, usque ad n. 90 inclusive [*cf. pag. 536-539*]. Textus, venerabiles Patres, modo lectus *placet* an *non placet?* Respondeatis suffragatione hac 501.

Moderator: Interim sequens proponitur suffragatio.

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, *subsecretarius*: Suffragatio 502 nn. 91-94 [*cf. pag. 539-541*]. Haec est, Patres venerabiles, suffragatio 502: *placet* vel *non placet?*

Secretarius generalis: Venerabiles Patres, quaesitum est quinam sit sensus periodi in pag. 65. Videatis. Iam lecta est, ni fallor.

Pag. 65, lin. 3, legitur: « Omnis actio bellica quae in urbium integrarum cum earum incolis indiscriminatim tendit ». Hic, uti patet, deest obiectum vel melius finis: « *in destructionem* urbium integrarum ... »,

uti ceterum patet ex sequentibus: « a fortiori in destructionem fere plenam amplarum regionum ».

Ergo velitis supplere: « quae in *destructionem* urbium integrarum cum earum incolis indiscriminatim tendit ».

Moderator: Proponitur nunc sequens suffragatio: *de conclusione.*

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO, *subsecretarius*: Suffragatio 503. Videatis pag. 87 [*cf. pag. 556-558*]. Venerabiles Patres, *conclusio* nuper lecta *placet* vobis an *non placet?* Est suffragatio 503.

Secretarius generalis: Sed nondum finis, Patres venerabiles! Nam alia manet suffragatio, super integro cap. V et conclusione, et est suffragatio 504. Videatis pag. 62 [*cf. pag. 531*]. Patres venerabiles, cap. V et conclusio, quae pro integris lecta habenda sunt, *placent* vobis, *non placent, placent iuxta modum?* Respondeatis.

Audiatis, Patres! Sententiam quam petivi antea quoad qualificationem schematis *de praesentia Ecclesiae in mundo huius temporis,* bene est ut scribatis in foliis destinatis modis ita ut possit facile fieri catalogatio et examen. Quoad hanc sententiam, conferatis antea bonum est quod legitur in relatione generali, facta, uti dixi, ab exc.mo D. Gabriele Garrone, ubi in pag. 5 legitur (vos certissime habetis, saltem domi): « Iam circa titulum, hoc manifestum apparuit.

De verbo "Constitutionis" plures dubitabant. Commissioni oportere omnino visum est ut haec difficultas nullum praeiudicium ipsi schemati afferat. Necessarium enim apparet ut de hoc ipsi Patres in fine discussionis expresse decernant; ideoque de hac re quaesitum proprium proponetur [et quaesitum ego proposui]. Alii quidem tituli possibiles essent, qui iam in Concilio usui fuerunt — ut est "Declaratio" —, vel etiam "Litterae conciliares". Sedulo tamen attendendum erit ad hoc ut titulus electus in mente omnium auctoritatem schematis non minuat, et etiam in luce maneat munus eius complementarium constitutioni « de Ecclesia » in seipsa considerata [consideratae, ni fallor]: ex ambobus tantum integre perficitur scopus Concilio expresse impositus ».

Ergo haec prae oculis habeatis, Patres, dum vestram sententiam aperitis in foliis quae praebebitis assignatoribus in Congregatione Generali feriae VI proximae.

Ergo, Patres, audiatis adhuc. Sanctissimus Dominus coram admittet crastina, feria V, hora 19 cum quadrante, Episcopatus harum nationum: Cambogiae, Iraq, Laos, Libani et Syriae.

Et en exitus aliarum suffragationum.

Suffragatio 496, quae est super integro capite III partis II:

Patres praesentes votantes sunt	2.253
Dixerunt *placet*	1.740
non placet	41
placet iuxta modum	469
Vota nulla sunt	3

Suffragatio 497:

Patres praesentes votantes	2.261
Dixerunt *placet*	2.188
non placet	70
Vota nulla	3

Suffragatio 498:

Patres praesentes votantes	2.217
Dixerunt *placet*	2.145
non placet	66
placet iuxta modum	5
Suffragia nulla	1

Ceteros exitus communicabimus in proxima congregatione generali.

Moderator: Proxima congregatio generalis, feria VI, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

SESSIO PUBLICA VIII

18 novembris 1965

SESSIO PUBLICA VIII

18 novembris 1965

1

Sessionis initium

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Patres venerabiles, velitis vestras sedes statim occupare, quia venturus est Summus Pontifex.

Chorus et omnes praesentes cantant antiphonam *Tu es Petrus,* alternatim cum versiculis psalmi 131 *Memento, Domine, David.*

Dum cantus protrahitur, Summus Pontifex, sacris vestibus sumptis, cum baculo et mitra pretiosa, ingreditur Basilicam Vaticanam, comitantibus em.mis cardinalibus et concelebrantibus.

Post brevem orationem ad faldistorium, Summus Pontifex, comitantibus em.mis DD. card. diaconis Alfredo Ottaviani et Arcadio Larraona, ad sedem eminentem ante altare papale erectam se confert.

Exc.mus D. Pericles Felici, secretarius generalis Concilii, libro Sacrosancti Evangelii delato ad Summum Pontificem, qui eum osculatur, super parato throno sacrum codicem collocat.

Summo Pontifici praestatur oboedientia a Patribus conciliaribus, duobus tantum, nomine ceterorum, ex unoquoque ordine. Interea, chorus cantat *Oremus pro Pontifice nostro Paulo,* quinque vocibus, auctore Perosi.

Cardinalis primus diaconus assistens, em.mus D. Alfredus Ottaviani, elata voce dicit: *Orate,* et omnes genua flectunt.

Post breve temporis spatium, Summus Pontifex surgit ac tono feriali legit orationem *Adsumus, Domine,* una cum Patribus.

Oratione expleta, cardinalis protodiaconus elata voce dicit: *Erigite vos,* et surgunt omnes, dum chorus cantat antiphonam *Exaudi nos, Domine,* quinque vocibus, auctore Bartolucci.

Summus Pontifex, dicta oratione *Mentes nostras,* praecinit hymnum *Veni, Creator Spiritus* — quem chorus prosequitur alternatim cum omni-

bus praesentibus: chorus quidem cantu polyphonico (6 vocibus), auctore Bartolucci, praesentes vero modo gregoriano — et, expleto hymno, cantat versiculos et orationes.

Receptis documentis a Summo Pontifice, exc.mus D. Pericles Felici, secretarius generalis, ad ambonem accedit.

Secretarius generalis:

Paulus Episcopus, Servus servorum Dei, una cum Sacrosancti Concilii Patribus, ad perpetuam rei memoriam.

Constitutio dogmatica de divina revelatione [*cf. pag. 597*].

Patres venerabiles, hoc schema constitutionis dogmaticae *de divina revelatione,* quod venia Summi Pontificis ex parte lectum est, sed pro integro lectum est habendum, *placet*ne vobis an *non placet?* Respondeatis, quaeso.

Sequitur intervallum, dum Patres suffragium suum per schedulas exprimunt. Interim chorus Cappellae Sixtinae exsequitur cantum *Super flumina Babylonis,* 5 vocibus, auctore Palestrina.

Secretarius generalis:

Paulus Episcopus, Servus servorum Dei, una cum Sacrosancti Concilii Patribus, ad perpetuam rei memoriam.

Decretum de apostolatu laicorum [*cf. pag. 609*].

Patres venerabiles, hoc schema decreti *de apostolatu laicorum,* quod pro integro lectum habendum est, *placet* vobis an *non placet?* Respondeatis.

Patres venerabiles, hac felici sessionis publicae usus occasione, Summus Pontifex duplex donum nobis facit: alterum quidem quod refert dies pietatis, caritatis et misericordiae et quod inscribitur: *Il viaggio di Paolo VI in India;* alterum autem quod continet immortale opus *la Divina Commedia* Dantis Aligherii, poetarum facile principis, qui fidem doctrinamque catholicam ingenio et amore pari versibus extulit illustribus. [*Plausus*].

Pontifici Summo de corde rependimus almas
Grates, qui nobis munera tanta dedit!

[*Plausus*]

Haec dona, Patres venerabiles, distribuentur in congregatione generali crastina, ut commodius distributio fieri possit.

Sequitur intervallum, dum Patres suffragium per schedulas dant. Interim chorus Cappellae Sixtinae exsequitur: *Cantate Domino,* 5 vocibus, auctore Perosi.

2

Missa

Summus Pontifex de sede eminenti descendit et, casula indutus, venit ad altare Confessionis ibique, alternatim cum concelebrantibus omnique populo, preces ad gradus altaris faciendas incipit. Et ita continuatur ritus concelebrationis modo indicato in *Ordine concelebrationis.*

Rev.mus D. Petrus Mattioli, auditor S. R. Rotae, ad legile, Epistolam legit.

Primus e concelebrantibus, rev.mus Pater Christophorus Butler, superior generalis Congregationis Angliae O.S.B., Evangelium legit.

Antiphonam ad offertorium: *Domine Deus, in simplicitate,* chorus Cappellae Sixtinae modo polyphonico, auctore Palestrina, quinque vocibus exsequitur.

Post communionem Summi Pontificis, dum concelebrantes se communicant et Summus Pontifex Auditores laicos Concilii communicat, chorus una cum omnibus adstantibus recitat antiphonam ad communionem, deinde idem chorus ter cantat: *Adoremus in aeternum,* 6 vocibus, auctore Bartolucci, et, alternatim cum Patribus, psalmum 116: *Laudate Dominum omnes gentes,* modo gregoriano.

Sollemni benedictione a Summo Pontifice impertita, Missa finitur.

3

Constitutio Dogmatica
DE DIVINA REVELATIONE

Prooemium

1. Dei verbum religiose audiens et fidenter proclamans, Sacrosancta Synodus verbis S. Ioannis obsequitur dicentis: « Annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo » (*1 Io.* 1, 2-3). Propterea, Conciliorum Tridentini et Vaticani I inhaerens vestigiis, genuinam de

divina revelatione ac de eius transmissione doctrinam proponere intendit, ut salutis praeconio mundus universus audiendo credat, credendo speret, sperando amet.[1]

Caput I
DE IPSA REVELATIONE

2. Placuit Deo in sua bonitate et sapientia Seipsum revelare et notum facere sacramentum voluntatis suae (cf. *Eph.* 1, 9), quo homines per Christum, Verbum carnem factum, in Spiritu Sancto accessum habent ad Patrem et divinae naturae consortes efficiuntur (cf. *Eph.* 2, 18; *2 Pt.* 1, 4). Hac itaque revelatione Deus invisibilis (cf. *Col.* 1, 15; *1 Tim.* 1, 17) ex abundantia caritatis suae homines tamquam amicos alloquitur (cf. *Ex.* 33, 11; *Io.* 15, 14-15) et cum eis conversatur (cf. *Bar.* 3, 38), ut eos ad societatem Secum invitet in eamque suscipiat. Haec revelationis oeconomia fit gestis verbisque intrinsece inter se connexis, ita ut opera, in historia salutis a Deo patrata, doctrinam et res verbis significatas manifestent ac corroborent, verba autem opera proclament et mysterium in eis contentum elucident. Intima autem per hanc revelationem tam de Deo quam de hominis salute veritas nobis in Christo illucescit, qui mediator simul et plenitudo totius revelationis exsistit.[2]

3. Deus, per Verbum omnia creans (cf. *Io.* 1, 3) et conservans, in rebus creatis perenne sui testimonium hominibus praebet (cf. *Rom.* 1, 19-20), et viam salutis supernae aperire intendens, insuper protoparentibus inde ab initio Semetipsum manifestavit. Post eorum autem lapsum eos, redemptione promissa, in spem salutis erexit (cf. *Gen.* 3, 15), et sine intermissione generis humani curam egit, ut omnibus qui secundum patientiam boni operis salutem quaerunt, vitam aeternam daret (cf. *Rom.* 2, 6-7). Suo autem tempore Abraham vocavit, ut faceret eum in gentem magnam (cf. *Gen.* 12, 2), quam post Patriarchas per Moysen et Prophetas erudivit ad se solum Deum vivum et verum, providum Patrem et iudicem iustum agnoscendum, et ad promissum Salvatorem expectandum, atque ita per saecula viam Evangelio praeparavit.

4. Postquam vero multifariam multisque modis Deus locutus est in Prophetis, « novissime diebus istis locutus est nobis in Filio » (*Hebr.* 1, 1-2). Misit enim Filium suum, aeternum scilicet Verbum, qui omnes homines illuminat, ut inter homines habitaret iisque intima Dei enarraret (cf. *Io.* 1, 1-18). Iesus Christus ergo, Verbum caro factum, « homo ad homines » missus,[3] « verba Dei loquitur » (*Io.* 3, 34), et opus salutare consummat quod dedit ei Pater faciendum (cf. *Io.* 5, 36; 17, 4). Quapropter Ipse, quem qui videt, videt et Patrem (cf. *Io.* 14, 9), tota suiipsius praesentia ac manifestatione, verbis et operibus, signis et miraculis, praesertim autem morte sua et gloriosa ex mortuis resurrectione, misso tandem Spiritu veritatis, revelationem complendo perficit ac testimonio divino confirmat, Deum nempe nobiscum esse ad nos ex peccati mortisque tenebris liberandos et in aeternam vitam resuscitandos.

Oeconomia ergo christiana, utpote foedus novum et definitivum, numquam praeteribit, et nulla iam nova revelatio publica expectanda est ante gloriosam manifestationem Domini nostri Iesu Christi (cf. *1 Tim.* 6, 14 et *Tit.* 2, 13).

5. Deo revelanti praestanda est « oboeditio fidei » (*Rom.* 16, 26; cf. *Rom.* 1, 5; *2 Cor.* 10, 5-6), qua homo se totum libere Deo committit « plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium » praestando [4] et voluntarie revelationi ab Eo datae assentiendo. Quae fides ut praebeatur, opus est praeveniente et adiuvante gratia Dei et internis Spiritus Sancti auxiliis, qui cor moveat et in Deum convertat, mentis oculos aperiat, et det « omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati ».[5] Quo vero profundior usque evadat revelationis intelligentia, idem Spiritus Sanctus fidem iugiter per dona sua perficit.

6. Divina revelatione Deus Seipsum atque aeterna voluntatis suae decreta circa hominum salutem manifestare ac communicare voluit, « ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant ».[6]

Confitetur Sacra Synodus, « Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse » (cf. *Rom.* 1, 20); eius vero revelationi tribuendum esse docet, « ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint ».[7]

NOTAE

Prooemium

Ad n. 1.

[1] Cf. S. Augustinus, *De catechizandis rudibus,* c. IV, 8: *PL* 40, 316.

Caput I - *De ipsa revelatione*

Ad n. 2.

[2] Cf. *Mt.* 11, 27; *Io.* 1, 14 et 17; 14, 6; 17, 1-3; *2 Cor.* 3, 16 et 4, 6; *Eph.* 1, 3-14.

Ad n. 4.

[3] *Epist. ad Diognetum,* 7, 4: Funk, *Patres Apostolici,* I, p. 403.

Ad n. 5.

[4] Conc. Vat. I, *Const. dogm. de fide cath., Dei Filius,* cap. 3: Denz. 1789 (3008).

[5] Conc. Araus. II, can. 7: Denz. 180 (377); Conc. Vat. I, *l. c.*: Denz. 1791 (3010).

Ad n. 6.

[6] Conc. Vat. I, *Const. dogm. de fide cath., Dei Filius,* cap. 2: Denz. 1786 (3005).

[7] Ibid.: Denz. 1785 et 1786 (3004 et 3005).

CAPUT II
DE DIVINAE REVELATIONIS TRANSMISSIONE

7. Quae Deus ad salutem cunctarum gentium revelaverat, eadem benignissime disposuit ut in aevum integra permanerent omnibusque generationibus transmitterentur. Ideo Christus Dominus, in quo summi Dei tota revelatio consummatur (cf. *2 Cor.* 1, 30; 3, 16-4, 6), mandatum dedit Apostolis ut Evangelium, quod promissum ante per Prophetas Ipse adimplevit et proprio ore promulgavit, tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omnibus praedicarent,[1] eis dona divina communicans. Quod quidem fideliter factum est, tum ab Apostolis, qui in praedicatione orali, exemplis et institutionibus ea tradiderunt quae sive ex ore, conversatione et operibus Christi acceperant, sive a Spiritu Sancto suggerente didicerant, tum ab illis Apostolis virisque apostolicis, qui, sub inspiratione eiusdem Spiritus Sancti, nuntium salutis scriptis mandaverunt.[2]

Ut autem Evangelium integrum et vivum iugiter in Ecclesia servaretur, Apostoli successores reliquerunt Episcopos, ipsis « suum ipsorum locum magisterii tradentes ».[3] Haec igitur Sacra Traditio et Sacra utriusque Testamenti Scriptura veluti speculum sunt in quo Ecclesia in terris peregrinans contemplatur Deum, a quo omnia accipit, usquedum ad Eum videndum facie ad faciem sicuti est perducatur (cf. *1 Io.* 3, 2).

8. Itaque praedicatio apostolica, quae in inspiratis libris speciali modo exprimitur, continua successione usque ad consummationem temporum conservari debebat. Unde Apostoli, tradentes quod et ipsi acceperunt, fideles monent ut teneant traditiones quas sive per sermonem sive per epistulam didicerint (cf. *2 Thess.* 2, 15), utque pro semel sibi tradita fide decertent (cf. *Iud.* 3).[4] Quod vero ab Apostolis traditum est, ea omnia complectitur quae ad Populi Dei vitam sancte ducendam fidemque augendam conferunt, sicque Ecclesia, in sua doctrina, vita et cultu, perpetuat cunctisque generationibus transmittit omne quod ipsa est, omne quod credit.

Haec quae est ab Apostolis Traditio sub assistentia Spiritus Sancti in Ecclesia proficit:[5] crescit enim tam rerum quam verborum traditorum perceptio, tum ex contemplatione et studio credentium, qui ea conferunt in corde suo (cf. *Lc.* 2, 19 et 51), tum ex intima spiritualium rerum quam experiuntur intelligentia, tum ex praeconio eorum qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt. Ecclesia scilicet, volventibus saeculis, ad plenitudinem divinae veritatis iugiter tendit, donec in ipsa consummentur verba Dei.

Sanctorum Patrum dicta huius Traditionis vivificam testificantur praesentiam, cuius divitiae in praxim vitamque credentis et orantis Ecclesiae transfunduntur. Per eandem Traditionem integer Sacrorum Librorum canon Ecclesiae innotescit, ipsaeque Sacrae Litterae in ea penitius intelliguntur et indesinenter actuosae redduntur; sicque Deus, qui olim locutus est, sine intermis-

sione cum dilecti Filii sui Sponsa colloquitur, et Spiritus Sanctus, per quem viva vox Evangelii in Ecclesia, et per ipsam in mundo resonat, credentes in omnem veritatem inducit, verbumque Christi in eis abundanter inhabitare facit (cf. *Col.* 3, 16).

9. Sacra Traditio ergo et Sacra Scriptura arcte inter se connectuntur atque communicant. Nam ambae, ex eadem divina scaturigine promanantes, in unum quodammodo coalescunt et in eundem finem tendunt. Etenim Sacra Scriptura est locutio Dei quatenus divino afflante Spiritu scripto consignatur; Sacra autem Traditio verbum Dei, a Christo Domino et a Spiritu Sancto Apostolis concreditum, successoribus eorum integre transmittit, ut illud, praelucente Spiritu veritatis, praeconio suo fideliter servent, exponant atque diffundant; quo fit ut Ecclesia certitudinem suam de omnibus revelatis non per solam Sacram Scripturam hauriat. Quapropter utraque pari pietatis affectu ac reverentia suscipienda et veneranda est.[6]

10. Sacra Traditio et Sacra Scriptura unum verbi Dei sacrum depositum constituunt Ecclesiae commissum, cui inhaerens tota plebs sancta Pastoribus suis adunata in doctrina Apostolorum et communione, fractione panis et orationibus iugiter perseverat (cf. *Act.* 2, 42 gr.), ita ut in tradita fide tenenda, exercenda profitendaque singularis fiat Antistitum et fidelium conspiratio.[7]

Munus autem authentice interpretandi verbum Dei scriptum vel traditum[8] soli vivo Ecclesiae Magisterio concreditum est,[9] cuius auctoritas in nomine Iesu Christi exercetur. Quod quidem Magisterium non supra verbum Dei est, sed eidem ministrat, docens nonnisi quod traditum est, quatenus illud, ex divino mandato et Spiritu Sancto assistente, pie audit, sancte custodit et fideliter exponit, ac ea omnia ex hoc uno fidei deposito haurit quae tamquam divinitus revelata credenda proponit.

Patet igitur Sacram Traditionem, Sacram Scripturam et Ecclesiae Magisterium, iuxta sapientissimum Dei consilium, ita inter se connecti et consociari, ut unum sine aliis non consistat, omniaque simul, singula suo modo sub actione unius Spiritus Sancti, ad animarum salutem efficaciter conferant.

NOTAE

Caput II - *De divinae revelationis transmissione*

Ad n. 7.

[1] Cf. *Mt.* 28, 19-20 et *Mc.* 16, 15. CONC. TRID., Sess. IV, decr. *De canonicis Scripturis*: DENZ. 783 (1501).

[2] Cf. CONC. TRID., *l. c.*; CONC. VAT. I, Sess. III, *Const. dogm. de fide catholica, Dei filius,* cap. 2: DENZ. 1787 (3006).

[3] S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 3, 1: *PG* 7, 848; HARVEY, 2, p. 9.

Ad n. 8.

[4] Cf. CONC. NICAENUM II: DENZ. 303 (602). CONC. CONSTANT. IV, Sess. X, can. 1: DENZ. 336 (650-652).

[5] Cf. CONC. VAT. I, *Const. dogm. de fide catholica, Dei Filius,* cap. 4: DENZ. 1800 (3020).

Ad n. 9.

[6] Cf. Conc. Trid., Decr. *De canonicis Scripturis*: Denz. 783 (1501).

Ad n. 10.

[7] Cf. Pius XII, Const. Apost. *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 756, collatis verbis S. Cypriani, *Epist.* 66, 8: CSEL 3, 2, p. 733: « Ecclesia plebs Sacerdoti adunata et Pastori suo grex adhaerens ».

[8] Cf. Conc. Vat. I, *Const. dogm. de fide catholica, Dei Filius,* cap. 3: Denz. 1792 (3011).

[9] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Humani Generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), 568-569: Denz. 2314 (3886).

Caput III

DE SACRAE SCRIPTURAE DIVINA INSPIRATIONE ET DE EIUS INTERPRETATIONE

11. Divinitus revelata, quae in Sacra Scriptura litteris continentur et prostant, Spiritu Sancto afflante consignata sunt. Libros enim integros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum omnibus eorum partibus, sancta Mater Ecclesia ex apostolica fide pro sacris et canonicis habet, propterea quod, Spiritu Sancto inspirante conscripti (cf. *Io.* 20, 31; *2 Tim.* 3, 16; *2 Pt.* 1, 19-21; 3, 15-16), Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.[1] In sacris vero libris conficiendis Deus homines elegit, quos facultatibus ac viribus suis utentes adhibuit,[2] ut Ipso in illis et per illos agente,[3] ea omnia eaque sola, quae Ipse vellet, ut veri auctores scripto traderent.[4]

Cum ergo omne id, quod auctores inspirati seu hagiographi asserunt, retineri debeat assertum a Spiritu Sancto, inde Scripturae libri veritatem, quam Deus nostrae salutis causa Litteris Sacris consignari voluit, firmiter, fideliter et sine errore docere profitendi sunt.[5] Itaque « omnis Scriptura divinitus inspirata et utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus » (*2 Tim.* 3, 16-17, gr.).

12. Cum autem Deus in Sacra Scriptura per homines more hominum locutus sit,[6] interpres Sacrae Scripturae, ut perspiciat, quid Ipse nobiscum communicare voluerit, attente investigare debet, quid hagiographi reapse significare intenderint et eorum verbis manifestare Deo placuerit.

Ad hagiographorum intentionem eruendam inter alia etiam « genera litteraria » respicienda sunt. Aliter enim atque aliter veritas in textibus vario modo historicis, vel propheticis, vel poeticis, vel in aliis dicendi generibus proponitur et exprimitur. Oportet porro ut interpres sensum inquirat, quem in determinatis adiunctis hagiographus, pro sui temporis et suae culturae condicione, ope generum litterariorum illo tempore adhibitorum exprimere intenderit et expresserit.[7] Ad recte enim intelligendum id quod sacer auctor scripto

asserere voluerit, rite attendendum est tum ad suetos illos nativos sentiendi, dicendi, narrandive modos, qui temporibus hagiographi vigebant, tum ad illos qui illo aevo in mutuo hominum commercio adhiberi solebant.[8]

Sed, cum Sacra Scriptura eodem Spiritu quo scripta est etiam legenda et interpretanda sit,[9] ad recte sacrorum textuum sensum eruendum, non minus diligenter respiciendum est ad contentum et unitatem totius Scripturae, ratione habita vivae totius Ecclesiae Traditionis et analogiae fidei. Exegetarum autem est secundum has regulas adlaborare ad Sacrae Scripturae sensum penitius intelligendum et exponendum, ut quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur. Cuncta enim haec, de ratione interpretandi Scripturam, Ecclesiae iudicio ultime subsunt, quae verbi Dei servandi et interpretandi divino fungitur mandato et ministero.[10]

13. In Sacra Scriptura ergo manifestatur, salva semper Dei veritate et sanctitate, aeternae Sapientiae admirabilis « condescensio », « ut discamus ineffabilem Dei benignitatem, et quanta sermonis attemperatione usus sit, nostrae naturae providentiam et curam habens ».[11] Dei enim verba, humanis linguis expressa, humano sermoni assimilia facta sunt, sicut olim Aeterni Patris Verbum, humanae infirmitatis assumpta carne, hominibus simile factum est.

NOTAE

Caput III - *De Sacrae Scripturae divina inspiratione et de eius interpretatione*

Ad n. 11.

[1] Cf. CONC. VAT. I, *Const. dogm. de fide catholica, Dei Filius,* cap. 2: DENZ. 1787 (3006). *Pont. Comm. Biblica,* Decr. 18 iunii 1915: DENZ. 2180 (3629); *EB* 420; S. S. C. S. OFFICII, *Epist.* 22 dec. 1923: *EB* 499.

[2] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu,* 30 sept. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 314, *Enchir. Bibl.* (*EB*) 556.

[3] *In* et *per* hominem: cf. *Hebr.* 1, 1 et 4, 7 (*in*): *2 Sam.* 23, 2; *Mt.* 1, 22 et passim (*per*); CONC. VAT. I: *Schema de doctr. cath.,* nota 9: Coll. Lac. VII, 522.

[4] LEO XIII, Epist. Encycl. *Providentissimus Deus,* 18 nov. 1893: DENZ. 1952 (3293); *EB* 125.

[5] Cf. S. AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.* 2, 9, 20: *PL* 34, 270-271; CSEL 28, 1, 46-47 et *Epist.* 82, 3: *PL* 33, 277: CSEL 34, 2, p. 354. - S. THOMAS, *De Ver.* q. 12, a. 2, C. - CONC. TRIDENTINUM, *Decr. de canonicis Scripturis*: DENZ. 783 (1501). - LEO XIII, Enc. *Providentissimus*: *EB* 121, 124, 126-127. - PIUS XII, Enc. *Divino afflante*: *EB* 539.

Ad n. 12.

[6] Cf. S. AUGUSTINUS, *De Civ. Dei,* XVII, 6, 2: *PL* 41, 537: CSEL 40, 2, 228.

[7] Cf. S. AUGUSTINUS, *De Doctr. Christ.,* III, 18, 26: *PL* 34, 75-76; CSEL 80, 95.

[8] Cf. PIUS XII, *l. c.*: DENZ. 2294 (3829-3830); *EB* 557-562.

[9] Cf. BENEDICTUS XV, Enc. *Spiritus Paraclitus,* 15 sept. 1920: *EB* 469. - S. HIERONYMUS, *In Gal.* 5, 19-21: *PL* 26, 417 A.

[10] Cf. CONC. VAT. I, *Const. dogm. de fide catholica, Dei Filius,* cap. 2: DENZ. 1788 (3007).

Ad n. 13.

[11] S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Gen.* 3, 8 (hom. 17, 1): *PG* 53, 134. « Attemperatio » graece *synkatábasis.*

CAPUT IV

DE VETERE TESTAMENTO

14. Amantissimus Deus totius humani generis salutem sollicite intendens et praeparans, singulari dispensatione populum sibi elegit, cui promissiones concrederet. Foedere enim cum Abraham (cf. *Gen.* 15, 18) et cum plebe Israel per Moysen (cf. *Ex.* 24, 8) inito, populo sibi acquisito ita Se tamquam unicum Deum verum et vivum verbis ac gestis revelavit, ut Israel, quae divinae essent cum hominibus viae experiretur, easque, ipso Deo per os Prophetarum loquente, penitius et clarius in dies intelligeret atque latius in gentes exhiberet (cf. *Ps.* 21, 28-29; 95, 1-3; *Is.* 2, 1-4; *Ier.* 3, 17). Oeconomia autem salutis ab auctoribus sacris praenuntiata, enarrata atque explicata, ut verum Dei verbum in libris Veteris Testamenti exstat; quapropter hi libri divinitus inspirati perennem valorem servant: « Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus » (*Rom.* 15, 4).

15. Veteris Testamenti oeconomia ad hoc potissimum disposita erat, ut Christi universorum redemptoris Regnique Messianici adventum praepararet, prophetice nuntiaret (cf. *Lc.* 24, 44; *Io.* 5, 39; *1 Pt.* 1, 10) et variis typis significaret (cf. *1 Cor.* 10, 11). Veteris autem Testamenti libri, pro conditione humani generis ante tempora instauratae a Christo salutis, Dei et hominis cognitionem ac modos quibus Deus iustus et misericors cum hominibus agit, omnibus manifestant. Qui libri, quamvis etiam imperfecta et temporaria contineant, veram tamen paedagogiam divinam demonstrant.[1] Unde iidem libri, qui vivum sensum Dei exprimunt, in quibus sublimes de Deo doctrinae ac salutaris de vita hominis sapientia mirabilesque precum thesauri reconduntur, in quibus tandem latet mysterium salutis nostrae, a Christifidelibus devote accipiendi sunt.

16. Deus igitur librorum utriusque Testamenti inspirator et auctor, ita sapienter disposuit, ut Novum in Vetere lateret et in Novo Vetus pateret.[2] Nam, etsi Christus in sanguine suo Novum Foedus condidit (cf. *Luc.* 22, 20; *1 Cor.* 11, 25), libri tamen Veteris Testamenti integri in praeconio evangelico assumpti,[3] in Novo Testamento significationem suam completam acquirunt et ostendunt (cf. *Mt.* 5, 17; *Lc.* 24, 27; *Rom.* 16, 25-26; *2 Cor.* 3, 14-16), illudque vicissim illuminant et explicant.

NOTAE

Caput IV - *De Vetere Testamento*

Ad n. 15.

[1] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* 14 martii 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 151.

Ad n. 16.

[2] Cf. S AUGUSTINUS, *Quaest. in Hept.* 2, 73: *PL* 34, 623.

[3] Cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 21, 3: *PG* 7, 950; (= 25, 1: HARVEY 2, p. 115). S. CYRILLUS HIEROS., *Catech.* 4, 35: *PG* 33, 497. THEODORUS MOPS., *In Soph.* 1, 4-6: *PG* 66, 452 D-453 A.

CAPUT V

DE NOVO TESTAMENTO

17. Verbum Dei, quod virtus Dei est in salutem omni credenti (cf. *Rom.* 1, 16), in scriptis Novi Testamenti praecellenti modo praesentatur et vim suam exhibet. Ubi enim venit plenitudo temporis (cf. *Gal.* 4, 4), Verbum caro factum est et habitavit in nobis plenum gratiae et veritatis (cf. *Io.* 1, 14). Christus Regnum Dei in terris instauravit, factis et verbis Patrem suum ac Seipsum manifestavit, atque morte, resurrectione et gloriosa ascensione missioneque Spiritus Sancti opus suum complevit. Exaltatus a terra omnes ad Seipsum trahit (cf. *Io.* 12, 32, gr.), Ipse qui solus verba vitae aeternae habet (cf. *Io.* 6, 68). Hoc autem mysterium aliis generationibus non est patefactum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis Eius et Prophetis in Spiritu Sancto (cf. *Eph.* 3, 4-6, gr.), ut Evangelium praedicarent, fidem in Iesum Christum ac Dominum excitarent et Ecclesiam congregarent. Quarum rerum scripta Novi Testamenti exstant testimonium perenne atque divinum.

18. Neminem fugit inter omnes, etiam Novi Testamenti Scripturas, Evangelia merito excellere, quippe quae praecipuum testimonium sint de Verbi Incarnati, Salvatoris nostri, vita atque doctrina.

Quattuor Evangelia originem apostolicam habere Ecclesia semper et ubique tenuit ac tenet. Quae enim Apostoli ex mandato Christi praedicaverunt, postea divino afflante Spiritu, in scriptis, ipsi et apostolici viri nobis tradiderunt, fidei fundamentum, quadriforme nempe Evangelium, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem.[1]

19. Sancta Mater Ecclesia firmiter et constantissime tenuit ac tenet quattuor recensita Evangelia, quorum historicitatem incunctanter affirmat, fideliter tradere quae Iesus Dei Filius, vitam inter homines degens, ad aeternam eorum salutem reapse fecit et docuit, usque in diem qua assumptus est (cf. *Act.* 1, 1-2). Apostoli quidem post ascensionem Domini, illa quae Ipse

dixerat et fecerat, auditoribus ea pleniore intelligentia tradiderunt, qua ipsi, eventibus gloriosis Christi instructi et lumine Spiritus veritatis [2] edocti, fruebantur.[3] Auctores autem sacri quattuor Evangelia conscripserunt, quaedam e multis aut ore aut iam scripto traditis seligentes, quaedam in synthesim redigentes, vel statui ecclesiarum attendendo explanantes, formam denique praeconii retinentes, ita semper ut vera et sincera de Iesu nobis communicarent.[4] Illa enim intentione scripserunt, sive ex sua propria memoria et recordatione, sive ex testimonio illorum « qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis », ut cognoscamus eorum verborum de quibus eruditi sumus, « veritatem » (cf. *Lc.* 1, 2-4).

20. Novi Testamenti Canon praeter quattuor Evangelia etiam epistulas sancti Pauli aliaque scripta apostolica Spiritu Sancto inspirante exarata continet, quibus, ex sapienti Dei consilio, ea quae sunt de Christo Domino confirmantur, genuina Eius doctrina magis magisque declaratur, salutifera virtus divini operis Christi praedicatur, Ecclesiae initia ac admirabilis diffusio narrantur eiusque consummatio gloriosa praenuntiatur.

Apostolis enim suis Dominus Iesus sicut promiserat affuit (cf. *Mt.* 28, 20) et iis Paraclitum Spiritum misit, qui eos in plenitudinem veritatis induceret (cf. *Io.* 16, 13).

NOTAE

Caput V - *De Novo Testamento*

Ad n. 18.

1 Cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 11, 8: *PG* 7, 885; ed. SAGNARD, p. 194.

Ad n. 19.

2 Cf. *Io.* 14, 26; 16, 13.
3 Cf. *Io.* 2, 22; 12, 16; coll. 14, 26; 16, 12-13; 7, 39.
4 Cf. Instructio *Sancta Mater Ecclesia* a Pontificio Consilio Studiis Bibliorum provehendis edita: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 715.

CAPUT VI

DE SACRA SCRIPTURA IN VITA ECCLESIAE

21. Divinas Scripturas sicut et ipsum Corpus dominicum semper venerata est Ecclesia, cum, maxime in sacra Liturgia, non desinat ex mensa tam verbi Dei quam Corporis Christi panem vitae sumere atque fidelibus porrigere. Eas una cum Sacra Traditione semper ut supremam fidei suae regulam habuit et habet, cum a Deo inspiratae et semel pro semper litteris consignatae, verbum ipsius Dei immutabiliter impertiant, atque in verbis Prophetarum Apostolorumque vocem Spiritus Sancti personare faciant. Omnis ergo praedicatio ecclesiastica sicut ipsa religio christiana Sacra Scriptura nutriatur et regatur oportet. In sacris enim libris Pater qui in caelis est filiis suis peramanter

occurrit et cum eis sermonem confert; tanta autem verbo Dei vis ac virtus inest, ut Ecclesiae sustentaculum ac vigor, et Ecclesiae filiis fidei robur, animae cibus, vitae spiritualis fons purus et perennis exstet. Unde de Sacra Scriptura excellenter valent dicta: « Vivus est enim sermo Dei et efficax » (*Heb.* 4, 12), « qui potens est aedificare et dare haereditatem in sanctificatis omnibus » (*Act.* 20, 32; cf. *1 Thess.* 2, 13).

22. Christifidelibus aditus ad Sacram Scripturam late pateat oportet. Qua de causa Ecclesia inde ab initiis graecam illam antiquissimam Veteris Testamenti versionem a LXX viris nuncupatam ut suam suscepit; alias vero versiones orientales et versiones latinas, praecipue illam quam Vulgatam vocant, semper in honore habet. Cum autem verbum Dei omnibus temporibus praesto esse debeat, Ecclesia materna sollicitudine curat, ut aptae ac rectae exarentur in varias linguas versiones, praesertim ex primigenis Sacrorum Librorum textibus. Quae si, data opportunitate et annuente Ecclesiae auctoritate, conficiantur communi etiam cum fratribus seiunctis nisu, ab omnibus christianis adhiberi poterunt.

23. Verbi incarnati Sponsa, Ecclesia nempe, a Sancto Spiritu edocta, ad profundiorem in dies Scripturarum Sacrarum intelligentiam assequendam accedere satagit, ut filios suos divinis eloquiis indesinenter pascat; quapropter etiam studium sanctorum Patrum tum Orientis tum Occidentis et sacrarum Liturgiarum rite fovet. Exegetae autem catholici, aliique Sacrae Theologiae cultores, collatis sedulo viribus, operam dent oportet, ut sub vigilantia Sacri Magisterii, aptis subsidiis divinas Litteras ita investigent et proponant, ut quam plurimi divini verbi administri possint plebi Dei Scripturarum pabulum fructuose suppeditare, quod mentem illuminet, firmet voluntates, hominum corda ad Dei amorem accendat.[1] Sacra Synodus Ecclesiae filiis, biblicarum rerum cultoribus, animum addit, ut opus feliciter susceptum, renovatis in dies viribus, omni studio secundum sensum Ecclesiae exsequi pergant.[2]

24. Sacra Theologia in verbo Dei scripto, una cum Sacra Traditione, tamquam in perenni fundamento innititur, in eoque ipsa firmissime roboratur semperque iuvenescit, omnem veritatem in mysterio Christi conditam sub lumine fidei perscrutando. Sacrae autem Scripturae verbum Dei continent et, quia inspiratae, vere verbum Dei sunt; ideoque Sacrae Paginae studium sit veluti anima Sacrae Theologiae.[3] Eodem autem Scripturae verbo etiam ministerium verbi, pastoralis nempe praedicatio, catechesis omnisque instructio christiana, in qua homilia liturgica eximium locum habeat oportet, salubriter nutritur sancteque virescit.

25. Quapropter clericos omnes, imprimis Christi sacerdotes ceterosque qui ut diaconi vel catechistae ministerio verbi legitime instant, assidua lectione sacra atque exquisito studio in Scripturis haerere necesse est, ne quis eorum fiat « verbi Dei inanis forinsecus praedicator, qui non est intus auditor »,[4] dum verbi divini amplissimas divitias, speciatim in sacra Liturgia, cum fidelibus sibi commissis communicare debet. Pariter Sancta Synodus chri-

stifideles omnes, praesertim sodales religiosos, vehementer peculiariterque exhortatur, ut frequenti divinarum Scripturarum lectione « eminentem scientiam Iesu Christi » (*Phil.* 3, 8) ediscant. « Ignoratio enim Scripturarum ignoratio Christi est ».[5] Libenter igitur ad sacrum textum ipsum accedant, sive per sacram Liturgiam divinis eloquiis confertam, sive per piam lectionem, sive per institutiones ad id aptas aliaque subsidia, quae approbantibus et curantibus Pastoribus Ecclesiae ubique nostro tempore laudabiliter diffunduntur. Meminerint autem orationem concomitari debere Sacrae Scripturae lectionem, ut fiat colloquium inter Deum et hominem; nam « illum alloquimur, cum oramus; illum audimus, cum divina legimus oracula ».[6]

Sacris autem Antistitibus, « apud quos est apostolica doctrina »,[7] fideles sibi commissos ad rectum divinorum librorum usum, praesertim Novi Testamenti et imprimis Evangeliorum, opportune instituere competit per sacrorum textuum versiones, quae necessariis et vere sufficientibus explicationibus instructae sint, ut tuto ac utiliter Ecclesiae filii cum Scripturis Sacris conversentur earumque spiritu imbuantur.

Insuper editiones Sacrae Scripturae, aptis instructae adnotationibus, ad usum etiam non-christianorum eorundemque conditionibus accommodatae, conficiantur, quas quoquomodo sive animarum Pastores sive Christiani cuiuscumque status spargere sapienter curent.

26. Ita ergo lectione et studio Sacrorum Librorum « sermo Dei currat et clarificetur » (*2 Thess.* 3, 1), thesaurusque revelationis, Ecclesiae concreditus, magis magisque corda hominum impleat. Sicut ex assidua frequentatione mysterii Eucharistici Ecclesiae vita incrementum suscipit, ita novum spiritualis vitae impulsum sperare licet ex adaucta veneratione verbi Dei, quod « manet in aeternum » (*Is.* 40, 8; cf. *1 Pt.* 1, 23-25).

NOTAE

Caput VI - *De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae*

Ad n. 23.

1 Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Divino afflante*: 30 sept. 1943: *EB* 551, 553, 567. - Pont. Comm. Biblica, *Instructio de S. Scriptura in Clericorum Seminariis et Religiosorum Collegiis recte docenda,* 13 maii 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 495-505.

2 Cf. Pius XII, *ibidem*: *EB* 569.

Ad n. 24.

3 Cf. Leo XIII, Litt. Enc. *Providentissimus*: *EB* 114; Benedictus XV, Litt. Enc. *Spiritus Paraclitus,* 15 sept. 1920: *EB* 483.

Ad n. 25.

4 S. Augustinus, *Serm.* 179, 1: *PL* 38, 966.

5 S. Hieronymus, *Comm. in Is.,* Prol.: *PL* 24, 17. - Cf. Benedictus XV, Litt. Enc. *Spiritus Paraclitus*: *EB* 475-480; Pius XII, Litt. Enc. *Divino Afflante*: *EB* 544.

[6] S. AMBROSIUS, *De officiis ministrorum* I, 20, 88: *PL* 16, 50.
[7] S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* IV, 32, 1: *PG* 7, 1071; (= 49, 2) HARVEY, 2, p. 255.

Haec omnia et singula, quae in hac Constitutione edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illam, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus.

Romae, apud S. Petrum, die XVIII mensis novembris anno MCMLXV.

Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus

Sequuntur Patrum subsignationes: cf. pag. 633.

4

Decretum

DE APOSTOLATU LAICORUM

PROOEMIUM

1. APOSTOLICAM ACTUOSITATEM populi Dei impensiorem reddere volens,[1] Sacrosancta Synodus sollicite se vertit ad christifideles laicos, quorum partes in missione Ecclesiae proprias et omnino necessarias iam aliis in locis commemoravit.[2] Apostolatus enim laicorum, ex ipsa eorum christiana vocatione promanans, numquam potest in Ecclesia deficere. Quam spontanea fuerit huiusmodi actuositas in primordiis Ecclesiae, quamque frugifera, ipsae Sacrae Litterae luculenter demonstrant (cf. *Act.* 11, 19-21; 18, 26; *Rom.* 16, 1-16; *Phil.* 4, 3).

Nostra autem tempora non minorem exigunt zelum laicorum, immo condiciones hodiernae omnino impensiorem et latiorem poscunt apostolatum eorum. Augescens enim in dies numerus hominum, scientiarum atque technicarum artium progressus, arctiores inter homines necessitudines non solum in immensum dilatarunt apostolatus laicorum spatia, magna ex parte ipsis tantum aperta, verum etiam nova suscitarunt problemata quae eorum sollertem curam studiumque expostulant. Eo urgentior huiusmodi apostolatus redditur quatenus autonomia multarum provinciarum vitae humanae plurimum, uti par est, succrevit, aliquando cum quadam abscessione ab ordine ethico ac religioso et gravi discrimine vitae christianae. Insuper multis in regionibus in quibus sacerdotes admodum pauci sunt vel, ut quandoque accidit, debita

ministerii libertate privantur, sine laicorum opera Ecclesia vix posset praesens et actuosa esse.

Huius multiplicis urgentisque necessitatis signum est evidens operatio Spiritus Sancti laicos hodie magis magisque propriae responsabilitatis conscios reddentis eosque ad servitium Christi et Ecclesiae ubique incitantis.[3]

Hoc in decreto Concilium apostolatus laicorum naturam, indolem et varietatem illustrare intendit, necnon principia fundamentalia enuntiare instructionesque pastorales tradere ad eiusdem efficacius exercitium; quae omnia tamquam normae habeantur in recognoscendo iure canonico quod ad laicorum apostolatum attinet.

NOTAE

[1] Cf. IOANNES XXIII, Const. Apost. *Humanae Salutis,* 25 dec. 1961: *A.A.S.,* 54 (1962), pp. 7-10.

[2] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen Gentium,* nn. 33 ss.: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 39 s.; cf. etiam Const. *de Sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium,* nn. 26-40: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 107-111; cf. Decr. *de instrumentis communicationis socialis, Inter Mirifica*: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 145-153; cf. Decr. *de Oecumenismo, Unitatis Redintegratio*: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 90-107; cf. Decr. *de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, Christus Dominus,* nn. 16, 17, 18; cf. Declaratio *de educatione christiana, Gravissimum Educationis,* nn. 3, 5, 7.

[3] Cf. PIUS XII, Alloc. *ad Cardinales,* 18 febr. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), pp. 101-102; IDEM, Sermo *ad Iuvenes Operarios Catholicos,* 25 aug. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 843.

CAPUT I

DE VOCATIONE LAICORUM AD APOSTOLATUM

2. Ad hoc nata est Ecclesia ut regnum Christi ubique terrarum dilatando ad gloriam Dei Patris, omnes homines salutaris redemptionis participes efficiat,[1] et per eos mundus universus re vera ad Christum ordinetur. Omnis navitas Corporis Mystici hunc in finem directa apostolatus dicitur quem Ecclesia per omnia sua membra, variis quidem modis, exercet; vocatio enim christiana, natura sua, vocatio quoque est ad apostolatum. Sicut in viventis corporis compage, nullum membrum mere passive sese gerit, sed simul cum vita corporis eiusdem operositatem quoque participat, sic in corpore Christi, quod est Ecclesia, totum corpus « secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit » (*Eph.* 4, 6). Quinimmo tanta est in hoc corpore connexio et membrorum compactio (cf. *Eph.* 4, 16), ut membrum quod ad augmentum corporis secundum suam mensuram non operatur, nec Ecclesiae nec sibi prodesse dicendum sit.

Est in Ecclesia diversitas ministerii, sed unitas missionis. Apostolis eorumque successoribus a Christo collatum est munus in ipsius nomine et potestate docendi, sacrificandi et regendi. At laici, muneris sacerdotalis, prophetici et regalis Christi participes effecti, suas partes in missione totius populi Dei

explent in Ecclesia et in mundo.[2] Apostolatum reapse exercent sua operositate ad evangelizationem ac sanctificationem hominum et ad rerum temporalium ordinem spiritu evangelico perfundendum ac perficiendum, ita ut eorum operositas in hoc ordine testimonium Christi manifeste perhibeat et ad salutem hominum inserviat. Cum vero laicorum statui hoc sit proprium ut in medio mundi negotiorumque saecularium vitam agant, ipsi a Deo vocantur ut, spiritu christiano ferventes, fermenti instar in mundo apostolatum suum exerceant.

3. Laici officium et ius ad apostolatum obtinent ex ipsa sua cum Christo Capite unione. Per Baptismum enim corpori Christi mystico inserti, per Confirmationem virtute Spiritus Sancti roborati, ad apostolatum ab ipso Domino deputantur. In regale sacerdotium et gentem sanctam (cf. *1 Pt.* 2, 4-10) consecrantur, ut per omnia opera spirituales offerant hostias et ubique terrarum Christo testimonium perhibeant. Sacramentis autem, praesertim SS. Eucharistia, communicatur et alitur illa caritas quae veluti anima est totius apostolatus.[3]

Apostolatus in fide, spe et caritate exercetur quas Spiritus Sanctus in cordibus omnium Ecclesiae membrorum diffundit. Immo praecepto caritatis, quod est maximum mandatum Domini, omnes christifideles urgentur ad procurandam gloriam Dei per adventum regni eius, et vitam aeternam omnibus hominibus ut cognoscant solum Deum verum et quem misit Iesum Christum (cf. *Io.* 17, 3).

Omnibus igitur christifidelibus onus praeclarum imponitur adlaborandi ut divinum salutis nuntium ab universis hominibus ubique terrarum cognoscatur et accipiatur.

Ad hunc apostolatum exercendum Spiritus Sanctus, qui populi Dei sanctificationem per ministerium et sacramenta operatur, fidelibus peculiaria quoque tribuit dona (cf. *1 Cor.* 12, 7), ea « dividens singulis prout vult » (*1 Cor.* 12, 11), ut « unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes » sint et ipsi « sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei » (*1 Pt.* 4, 10), in aedificationem totius corporis in caritate (cf. *Eph.* 4, 16). Ex horum charismatum, etiam simpliciorum, acceptione, pro unoquoque credentium ius et officium oritur eadem in bonum hominum et aedificationem Ecclesiae exercendi in Ecclesia et in mundo, in libertate Spiritus Sancti, qui « ubi vult spirat » (*Io.* 3, 8), et simul in communione cum fratribus in Christo, maxime cum pastoribus suis, quorum est de eorum germana natura et ordinato exercitio iudicium ferre, non quidem ut Spiritum extinguant sed ut omnia probent et quod bonum est teneant (cf. *1 Thess.* 5, 12. 19. 21).[4]

4. Cum Christus missus a Patre totius apostolatus Ecclesiae fons et origo sit, patet fecunditatem apostolatus laicorum pendere ex ipsorum cum Christo vitali unione, dicente Domino: « Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere » (*Io.* 15, 5). Haec vita intimae unionis cum Christo in Ecclesia alitur subsidiis spiritualibus, quae om-

nibus fidelibus sunt communia, praesertim actuosa participatione Sacrae Liturgiae,[5] ita a laicis adhibenda ut hi, dum ipsa mundi officia in ordinariis vitae condicionibus recte adimplent, unionem cum Christo a vita sua non separent, sed suum opus iuxta voluntatem Dei exercentes in ipsa percrescant. Hac via laici alacri et laeto animo in sanctitate progrediantur oportet, difficultates in prudentia et patientia superare satagentes.[6] Neque curae familiares neque alia negotia saecularia extranea debent esse a spirituali vitae ratione, iuxta illud Apostoli: « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum » (*Col.* 3, 17).

Talis vita continuum exercitium fidei, spei et caritatis exposcit.

Lumine fidei et meditatione verbi Dei solum potest aliquis semper et ubique dignoscere Deum in quo « vivimus et movemur et sumus » (*Act.* 17, 28), in omni eventu quaerere eius voluntatem, Christum intueri in omnibus hominibus, sive propinqui sint sive extranei, de vera significatione et pretio rerum temporalium in seipsis et in ordine ad finem hominis recta iudicia ferre.

Qui hanc habent fidem, in spe revelationis filiorum Dei vivunt memores crucis et resurrectionis Domini.

In peregrinatione huius vitae, cum Christo in Deo absconditi et a servitute divitiarum liberi, dum ad illa bona quae in aeternum manent intendunt, generoso animo totos se dedicant ad regnum Dei dilatandum et ad ordinem rerum temporalium spiritu christiano informandum et perficiendum. Inter adversa huius vitae in spe fortitudinem inveniunt existimantes quod « non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis » (*Rom.* 8, 18).

Caritate quae ex Deo est impulsi, ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, bonum operantur (cf. *Gal.* 6, 10), deponentes « omnem malitiam et omnem dolum et simulationes et invidias et omnes detractiones » (*1 Pt.* 2, 1) et sic ad Christum homines trahentes. Caritas autem Dei quae « diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis » (*Rom.* 5, 5), reddit laicos capaces spiritum Beatitudinum reapse exprimendi in vita sua. Iesum pauperem secuti, bonorum temporalium nec inopia deiiciuntur nec copia inflantur; Christum humilem imitati, non efficiuntur inanis gloriae cupidi (cf. *Gal.* 5, 26), sed placere Deo magis quam hominibus student, semper parati propter Christum omnia relinquere (cf. *Lc.* 14, 26) et persecutionem pati propter iustitiam (cf. *Mt.* 5, 10), memores verbi Domini: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me » (*Mt.* 16, 24). Christianam amicitiam inter se colentes, adiutorium in quacumque necessitate sibi invicem praebent.

Haec laicorum spiritualis vitae ratio notam peculiarem assumere debet ex statu matrimonii et familiae, coelibatus vel viduitatis, ex condicione infirmitatis, ex activitate professionali et sociali. Ne desinant ergo qualitates et dotes his condicionibus congruentes sibi collatas assidue excolere, propriisque uti donis a Spiritu Sancto acceptis.

Praeterea laici, qui suam vocationem secuti, nomen dederunt alicui ex associationibus vel institutis quae ab Ecclesia approbata sunt, pariter peculiarem notam vitae spiritualis ipsis propriam fideliter induere conantur.

Magni quoque faciant professionalem peritiam, sensum familiarem et civicum atque illas virtutes quae ad sociales consuetudines pertinent, scilicet probitatem, spiritum iustitiae, sinceritatem, humanitatem, animi fortitudinem, sine quibus nec vera vita christiana consistere potest.

Huiusmodi vitae spiritualis et apostolicae perfectum exemplar est Beatissima Virgo Maria, Regina Apostolorum, quae, dum in terris vitam ageret omnibus communem, familiari cura et laboribus plenam, intime semper cum Filio suo coniungebatur et operi Salvatoris singulari prorsus modo cooperata est; nunc autem in caelum assumpta « materna sua caritate de fratribus Filii sui adhuc peregrinantibus necnon in periculis et angustiis versantibus curat, donec ad felicem patriam perducantur ».[7] Hanc devotissime colant omnes suamque vitam atque apostolatum eius maternae curae commendent.

NOTAE

Ad n. 2.

[1] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.*, 18 (1926), p. 65.

[2] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen Gentium,* n. 31: *A.A.S.*, 57 (1965), p. 37.

Ad n. 3.

[3] Cf. *Ibid.*, n. 33, p. 39; cf. etiam n. 10, p. 14.

[4] Cf. *Ibid.* n. 12, p. 16.

Ad n. 4.

[5] Cf. Conc. Vat. II, Const. *de Sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium,* cap. I, n. 11: *A.A.S.*, 56 (1964), pp. 102-103.

[6] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen Gentium,* n. 32: *A.A.S.*, 57 (1965), p. 38; cf. etiam nn. 40-41, pp. 45-47.

[7] *Ibid.*, n. 62, p. 63; cf. etiam n. 65, pp. 64-65.

Caput II

DE FINIBUS ASSEQUENDIS

5. Opus redemptionis Christi, dum homines salvandos de se spectat, totius quoque ordinis temporalis instaurationem complectitur. Unde Ecclesiae missio non solum est nuntium Christi et gratiam eius hominibus afferendi, sed et spiritu evangelico rerum temporalium ordinem perfundendi et perficiendi. Laici ergo, hanc Ecclesiae missionem exsequentes, apostolatum suum exercent tam in Ecclesia quam in mundo, tam in ordine spirituali quam in ordine temporali: qui ordines, etsi distinguuntur, in unico consilio Dei ita sunt connexi ut ipse Deus intendat, in Christo, totum mundum reassumere

in novam creaturam, inchoative his in terris, plene in ultimo die. In utroque ordine laicus, qui est simul fidelis et civis, una conscientia christiana continenter duci debet.

6. Missio Ecclesiae salutem hominum spectat, fide in Christum et gratia eius consequendam. Apostolatus ergo Ecclesiae, omniumque membrorum eius, imprimis dirigitur ad nuntium Christi verbis et factis mundo patefaciendum gratiamque eius communicandam. Hoc principaliter fit per ministerium verbi et sacramentorum, speciali modo clero commissum, in quo et laici habent suas magni momenti partes adimplendas, ut sint « cooperatores veritatis » (*3 Io.* 8). Hoc potissimum in ordine apostolatus laicorum et ministerium pastorale mutuo se complent.

Innumerae patent laicis occasiones ad apostolatum evangelizationis et sanctificationis exercendum. Ipsum testimonium vitae christianae et opera bona spiritu supernaturali exercita, vim habent attrahendi homines ad fidem et ad Deum; dicit enim Dominus: « Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est » (*Mt.* 5, 16).

Apostolatus tamen huiusmodi non in solo vitae testimonio consistit; verus apostolus quaerit occasiones Christum verbis annuntiandi sive non credentibus ad eos adducendos ad fidem, sive fidelibus ad eos instruendos, confirmandos et ad fervidiorem vitam excitandos; « caritas enim Christi urget nos » (*2 Cor.* 5, 14), et in corde omnium debent resonare illa verba Apostoli: « Vae enim mihi est, si non evangelizavero » (*1 Cor.* 9, 16).[1]

Cum autem hac nostra aetate novae quaestiones oriantur, et gravissimi grassentur errores qui religionem, ordinem moralem et ipsam societatem humanam funditus evertere nituntur, haec S. Synodus ex corde hortatur laicos, iuxta cuiusque ingenii dotes et doctrinam, ut secundum mentem Ecclesiae, suas diligentius expleant partes in principiis christianis enucleandis, defendendis et rite applicandis ad problemata huius aetatis.

7. Circa mundum vero consilium Dei est, ut homines concordi animo ordinem rerum temporalium instaurent iugiterque perficiant.

Omnia quae efficiunt ordinem temporalem, videlicet bona vitae et familiae, cultura, res oeconomicae, artes et professiones, communitatis politicae instituta, relationes internationales et alia huiusmodi eorumque evolutio et progressus, non solum subsidia sunt ad finem ultimum hominis, sed et proprium habent valorem, a Deo eis insitum, sive in seipsis considerata, sive uti partes universi ordinis temporalis: « viditque Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona » (*Gen.* 1, 31). Haec eorum naturalis bonitas specialem quandam dignitatem accipit ex eorum relatione cum persona humana in cuius servitium sunt creata. Tandem placuit Deo omnia, tam naturalia quam supernaturalia, in Christo Iesu in unum colligere « ut sit in omnibus ipse primatum tenens » (*Col.* 1, 18). Haec tamen destinatio non modo non privat ordinem temporalem sua autonomia, suis propriis finibus, legibus, subsidiis, momento

pro hominum bono, sed potius perficit in sua vi et praestantia propria simulque adaequat integrae vocationi hominis super terram.

Decursu historiae, rerum temporalium usus gravibus foedatus est vitiis, quia homines, originali labe affecti, in perplures saepe lapsi sunt errores circa verum Deum, naturam hominis et principia legis moralis: unde mores et institutiones humanae corruptae, et ipsa persona humana non raro conculcata. Nostris quoque diebus, non pauci, disciplinarum naturalium et technicarum artium progressibus plus aequo fidentes, in rerum temporalium veluti idololatriam declinant, potius earum servi effecti quam domini.

Totius Ecclesiae est ad hoc operam navare, ut homines capaces reddantur universum ordinem rerum temporalium recte instituendi et ad Deum per Christum ordinandi. Ad Pastores spectat principia circa finem creationis et usum mundi clare enuntiare, auxilia moralia et spiritualia praestare, ut ordo rerum temporalium in Christo instauretur.

Laicos autem oportet ordinis temporalis instaurationem tamquam proprium munus assumere et in eo, lumine Evangelii ac mente Ecclesiae ductos et caritate christiana actos, directo et modo definito agere; qua cives cum civibus, specifica peritia et propria responsabilitate cooperari; ubique et in omnibus iustitiam regni Dei quaerere. Ita instaurandus est ordo temporalis ut, propriis eiusdem legibus integre servatis, ulterioribus vitae christianae principiis conformis reddatur, variisque locorum, temporum et populorum, condicionibus aptatus. Inter opera huiusmodi apostolatus eminet actio socialis christianorum, quam hodie ad totam provinciam temporalem, etiam ad culturam, sese extendere cupit Sancta Synodus.[2]

8. Dum omne exercitium apostolatus a caritate originem et vim ducere debet, aliqua opera natura sua apta sunt ut convertantur in ipsius caritatis vividam expressionem; quae Christus Dominus suae messianicae missionis signa esse voluit (cf. *Mt.* 11, 4-5).

Maximum mandatum in lege est diligere Deum ex toto corde et proximum suum sicut seipsum (cf. *Mt.* 22, 37-40). Hoc vero mandatum caritatis erga proximum Christus proprium fecit novaque significatione ditavit, dum seipsum idem ac fratres tamquam obiectum caritatis esse voluit, dicens: « quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (*Mt.* 25, 40). Ipse enim, assumendo naturam humanam, totum genus humanum supernaturali quadam solidarietate in familiam sibi colligavit, et ut signum suorum discipulorum constituit caritatem his verbis: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (*Io.* 13, 35).

At Sancta Ecclesia, sicut in suis primordiis Cenae Eucharisticae iungens « agapen » se totam caritatis vinculo circa Christum unitam manifestabat, sic omni tempore hoc dilectionis signo dignoscitur, et, dum gaudet de aliorum inceptis, caritatis opera ut suum officium et ius, quod abalienari nequit, vindicat. Quapropter misericordia erga egenos et infirmos atque sic dicta opera

caritativa et mutui auxilii ad sublevandas omnimodas necessitates humanas, praecipuo in honore habentur ab Ecclesia.[3]

Quae actiones et opera praesenti tempore, communicationis instrumentis expeditioribus factis, distantia inter homines quodammodo evicta et mundi universi incolis quasi unius familiae membris redditis, multo urgentiora et universaliora facta sunt. Actio caritativa hodie omnes omnino homines et universas necessitates complecti potest et debet. Ubicumque versantur qui cibo potuque, vestitu, domo, medicinis, opere, instructione, facultatibus ad vitam vere humanam ducendam necessariis carent, aerumnis vel infirma valetudine cruciantur, exilium vel carcerem patiuntur, ibi eos christiana caritas debet quaerere et invenire, impensa cura solari et praestitis auxiliis sublevare. Quae obligatio praeprimis imponitur singulis hominibus et populis in rebus prosperis constitutis.[4]

Quo huiusmodi caritatis exercitium omni exceptione maius sit et tale appareat: in proximo consideretur imago Dei ad quam creatus est, et Christus Dominus cui re vera offertur quidquid indigenti donatur; libertas et dignitas personae auxilium accipientis maxima humanitate respiciatur; puritas intentionis non maculetur ullo propriae utilitatis quaestu vel dominandi studio; [5] exigentiis iustitiae praeprimis satisfiat, ne tamquam caritatis dona offerantur quae iustitiae titulo iam debentur; causae malorum, non solum effectus, tollantur; ita ordinetur auxilium ut accipientes paulatim a dependentia externa liberentur sibique sufficientes evadant.

Laici ergo magni faciant et pro viribus adiuvent opera caritatis et incepta assistentiae socialis sive privata sive publica, etiam internationalia, quibus efficax auxilium singulis hominibus et populis in necessitate versantibus fertur, cooperantes in hoc cum omnibus bonae voluntatis hominibus.[6]

NOTAE

Ad n. 6.

[1] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Ubi arcano,* 23 dec. 1922: *A.A.S.,* 14 (1922), p. 659; Pius XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.,* 31 (1939), pp. 442-443.

Ad n. 7.

[2] Cf. Leo XIII, Litt. Encycl. *Rerum Novarum*: *A.S.S.,* 23 (1890-91), p. 647; Pius XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno*: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 190; Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 1 iunii 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 207.

Ad n. 8.

[3] Cf. Ioannes XXIII, Lit. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 402.

[4] Cf. *Ibid.,* pp. 440-441.

[5] Cf. *Ibid.,* pp. 442-443.

[6] Cf. Pius XII, Alloc. *ad « Pax Romana M.I.I.C. »,* 25 apr. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), pp. 298-299; et praesertim Ioannes XXIII, *Ad Conventum Consilii "Food and Agriculture Organisation"* (*F.A.O.*), 10 nov. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 856, 866.

CAPUT III

DE VARIIS APOSTOLATUS CAMPIS

9. Laici suum exercent multiplicem apostolatum tam in Ecclesia quam in mundo. In utroque hoc ordine varii patent campi apostolicae actuositatis, quorum principaliores hic commemorare volumus; hi sunt: communitates Ecclesiae, familia, iuvenes, ambitus socialis, ordines nationalis et internationalis. Cum autem nostris diebus mulieres magis magisque partes activas habeant in tota societatis vita, magni momenti est amplior earum participatio etiam in variis campis apostolatus Ecclesiae.

10. Utpote participes muneris Christi sacerdotis, prophetae et regis, laici suas partes activas habent in Ecclesiae vita et actione. Intra communitates Ecclesiae eorum actio tam necessaria est ut sine ea ipse pastorum apostolatus plenum suum effectum assequi plerumque nequeat. Verae enim apostolicae mentis laici, ad modum illorum virorum et mulierum qui Paulum in Evangelio adiuvabant (cf. *Act.* 18, 18. 26; *Rom.* 16, 3), supplent quod suis fratribus deest, et reficiunt spiritum tam pastorum quam reliqui populi fidelis (cf. *1 Cor.* 16, 17-18). Ipsi enim, actuosa participatione vitae liturgicae suae communitatis nutriti, sollicite partes agunt in eiusdem operibus apostolicis; homines longe fortasse versantes, ad Ecclesiam adducunt; in verbo Dei tradendo, praesertim catechetica institutione, impense cooperantur; oblata sua peritia curam animarum et etiam administrationem bonorum Ecclesiae efficaciorem reddunt.

Paroecia exemplum perspicuum apostolatus communitarii praebet, omnes quotquot ibi invenit diversitates humanas in unum congregans et Ecclesiae universalitati inserens.[1] Assuescant laici intime cum sacerdotibus suis uniti in paroecia operari; [2] problemata propria ac mundi et quaestiones ad salutem hominum spectantes, collatis consiliis examinanda et solvenda, ad communitatem Ecclesiae afferre; omnique incepto apostolico et missionario suae familiae ecclesiasticae adiutricem operam pro viribus navare.

Colant iugiter sensum dioecesis, cuius paroecia velut cellula est, prompti semper, ad invitationem Pastoris sui, suas quoque vires inceptis dioecesanis adicere. Immo, ut respondeant necessitatibus urbium et regionum ruralium,[3] suam cooperationem non intra fines paroeciae vel dioecesis circumscriptam retineant, sed ad campos interparoecialem, interdioecesanum, nationalem vel internationalem extendere satagant, eo vel magis quia crebrescens in dies migratio populorum, mutuae necessitudinis augmentatio et communicationum facilitas, iam non sinunt ullam partem societatis in se clausam manere. Ita de necessitatibus populi Dei in toto orbe terrarum dispersi solliciti sint. Imprimis sua reddant opera missionalia, auxilia materialia vel etiam personalia praestando. Officium et honor enim est christianorum Deo restituere partem bonorum quae ab Eo accipiunt.

11. Cum Conditor omnium constituerit coniugale consortium exordium et fundamentum societatis humanae, idque gratia sua reddiderit sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia (cf. *Eph.* 5, 32), apostolatus coniugum et familiarum singulare habet momentum tam pro Ecclesia quam pro societate civili.

Coniuges christiani sibi invicem, filiis suis ceterisque familiaribus, gratiae cooperatores sunt et fidei testes. Filiis suis ipsi sunt primi fidei praecones et educatores; verbo et exemplo eos ad vitam christianam et apostolicam formant, in eorum vocatione seligenda prudenter eos adiuvant et vocationem sacram, in eis forte detectam, omni cura fovent.

Coniugum semper officium fuit, hodie vero maxima apostolatus eorum pars est: indissolubilitatem et sanctitatem vinculi matrimonialis vita sua manifestare et probare; ius et officium prolem christiane educandi, genitoribus et tutoribus inditum, strenue affirmare; dignitatem et legitimam autonomiam familiae defendere. Cooperentur igitur ipsi ceterique christifideles, cum hominibus bonae voluntatis, ut in civili legislatione haec iura sarta serventur; in moderanda societate ratio habeatur necessitatum familiarum quod ad habitationem, educationem puerorum, condicionem laboris, securitatem socialem et tributa pertinet; in migrationibus ordinandis convictus domesticus omnino in tuto ponatur.[4]

Hanc familia ipsa missionem divinitus accepit ut sit prima et vitalis cellula societatis. Quam missionem adimplebit, si per mutuam membrorum pietatem et orationem in communi Deo factam, tamquam domesticum sanctuarium Ecclesiae se exhibeat; si tota familia in cultum liturgicum Ecclesiae se inserat; si denique, familia actuosam hospitalitatem praestet, iustitiam aliaque bona opera in servitium omnium fratrum necessitate laborantium promoveat. Inter varia opera apostolatus familiaris sequentia enumerare licet: infantes derelictos in filios adoptare, advenas benigne excipere, scholis moderandis adiutricem operam navare, adolescentibus consilio et opibus adesse, sponsos ut melius sese ad matrimonium praeparent adiuvare, ad catechesim operam praestare, coniuges et familias in discrimine materiali vel morali versantes sustentare, senibus non solum necessaria providere, sed etiam progressus oeconomici aequos fructus procurare.

Semper et ubique, sed peculiari modo in regionibus in quibus prima Evangelii sparguntur semina, vel Ecclesia in suis primordiis exsistit, vel in aliquo gravi discrimine versatur, familiae christianae, tota vita sua Evangelio cohaerentes ac matrimonii christiani exemplum praebentes, pretiosissimum Christi testimonium mundo perhibent.[5]

Ut fines sui apostolatus facilius attingere valeant, opportunum esse potest ut familiae in aliquos coetus congregentur.[6]

12. Iuvenes maximi momenti vim exercent in hodierna societate.[7] Eorum vitae adiuncta, habitus mentis necnon ipsae necessitudines cum propria familia sunt admodum mutata. Saepe ad novam condicionem socialem et oeconomicam nimis celeriter transeunt. Dum autem in dies momentum eorum

sociale et etiam politicum crescit, quasi impares videntur oneribus novis apte suscipiendis.

Hoc eorum adauctum in societate pondus consimilem ab eis exigit actuositatem apostolicam, sed et ipsa eorum naturalis indoles ad eandem eos disponit. Maturescente conscientia propriae personalitatis, ardore vitae atque profluente navitate impulsi, propriam responsabilitatem assumunt, in vita sociali et culturali suas partes agere cupiunt: qui zelus si spiritu Christi imbuitur ac obedientia et amore erga Ecclesiae pastores animatur, uberrimos exinde fructus sperari licet. Ipsi debent fieri primi et immediati apostoli iuvenum, apostolatum inter seipsos per seipsos exercentes, ratione habita ambitus socialis ubi vivunt.[8]

Curent adulti cum iuvenibus amicale colloquium instituere quod permittat utrique parti, aetatis distantia superata, mutuo sese cognoscere atque divitias cuique proprias invicem communicare. Exemplo primum et, data occasione, prudenti consilio validoque auxilio adulti iuventutem ad apostolatum stimulent. Iuvenes vero erga adultos reverentiam ac fiduciam nutriant; et, licet naturaliter sint ad novitates inclinati, laudabiles tamen traditiones debite aestiment.

Pueri quoque propriam habent apostolicam actuositatem. Secundum vires suas veri sunt testes viventes Christi inter socios.

13. Apostolatus in ambitu sociali, scilicet studium spiritu christiano informandi mentem et mores, leges et structuras communitatis in qua aliquis vivit, adeo laicorum munus onusque est ut ab aliis numquam debite expleri valeat. Hoc in campo laici possunt apostolatum similis erga similem exercere. Ibi vitae testimonium per verbi testimonium complent.[9] Ibi in campo vel laboris, vel professionis, vel studii, vel incolatus, vel otii, vel consortionis, fratribus adiuvandis aptiores exsistunt.

Hanc Ecclesiae missionem in mundo laici adimplent ante omnia illa cohaerentia vitae cum fide qua lux mundi efficiuntur; probitate sua in quovis negotio, qua omnes ad amorem veri et boni, et tandem ad Christum et Ecclesiam alliciunt; caritate fraterna qua participes facti condicionum vitae, laborum, dolorum et aspirationum fratrum, omnium corda sensim sine sensu ad gratiae salutaris operationem disponunt; plena illa conscientia suarum partium in aedificanda societate, qua navitatem suam domesticam, socialem, professionalem, christiana magnanimitate adimplere satagunt. Ita ipsorum modus agendi paulatim penetrat ambitum vitae et laboris.

Apostolatus hic omnes amplecti debet quotquot ibi inveniuntur, neque ullum excludere bonum spirituale vel temporale quod eis faciendi copia est. Sed veri apostoli, hac actione sola non contenti, animos intendunt ad Christum etiam verbis proximo annuntiandum. Multi enim homines nonnisi per vicinos laicos possunt Evangelium audire et Christum agnoscere.

14. Immensus patet apostolatus campus in ordine nationali et internationali, ubi laici potissimum sunt sapientiae christianae administri. In pietate erga nationem et in fideli impletione officiorum civilium catholici obligatos

se sentiant ad verum bonum commune promovendum, et sic pondus suae opinionis valere faciant ut potestas civilis iuste exerceatur ac leges praeceptis moralibus bonoque communi respondeant. Catholici rerum publicarum periti et, ut par est, in fide et doctrina christiana firmati, ne recusent negotia publica gerere, cum per ea digne gesta bono communi consulere et simul Evangelio viam sternere possint.

Studeant catholici cooperari cum omnibus bonae voluntatis hominibus ad promovenda quaecumque sunt vera, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia (cf. *Phil.* 4, 8). Colloquium habeant cum eis, prudentia et humanitate eos praevenientes, investigationemque instituant circa instituta socialia et publica secundum Evangelii spiritum perficienda.

Inter signa nostri temporis speciali notatu dignus est crebrescens ille et ineluctabilis sensus solidarietatis omnium populorum, quem sollicite promovere et in sincerum et verum fraternitatis affectum convertere apostolatus laicorum munus est. Insuper laici conscii esse debent campi internationalis et quaestionum ac solutionum sive doctrinalium sive practicarum quae in illo oriuntur, praesertim quoad gentes ad progressum nitentes.[10]

Meminerint omnes qui in alienis nationibus laborant vel eis auxilium praestant, relationes inter populos verum commercium fraternum esse debere, in quo utraque pars dat simul et accipit. Qui vero operum internationalium causa vel negotii vel otii, iter faciunt, recordentur se esse ubique etiam praecones itinerantes Christi, et ut tales in veritate sese gerant.

NOTAE

Ad n. 10.

[1] Cf. S. Pius X, Litt. Apost. *Creationis duarum novarum paroeciarum,* 1 iunii 1905: *A.S.S.,* 38 (1905), pp. 65-67; Pius XII, Alloc. *ad fideles Paroeciae S. Saba,* 11 ian. 1953: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII,* 14 (1952-1953), pp. 449-454; Ioannes XXIII, Alloc. *Clero et christifidelibus e dioecesi suburbicaria Albanensi, ad Arcem Gandulfi habita,* 26 aug. 1962: *A.A.S.,* 53 (1962), pp. 656-660.

[2] Cf. Leo XIII, Alloc. 28 ian. 1894: *Acta,* 14 (1894), pp. 424-25.

[3] Cf. Pius XII, Alloc. *ad Parochos, etc.,* 6 febr. 1951: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII,* 12 (1950-1951, pp. 437-443; 8 martii 1952: *ibid.,* 14 (1952-1953), p. 5-10; 27 martii 1953: *ibid.,* 15 (1953-1954), pp. 27-35; 28 febr. 1954: *ibid.,* pp. 585-590.

Ad n. 11.

[4] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.,* 22 (1930), p. 554; Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 1 ian. 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 203; Idem, *Delegatis ad Conventum Unionis Internationalis sodalitatum ad iura familiae tuenda,* 20 sept. 1949: *A.A.S.,* 41 (1949), p. 552; Idem, *Ad patresfamilias e Gallia Romam peregrinantes,* 18 sept. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 731; Idem, Nuntius Radiophonicus in Natali Domini 1952: *A.A.S.,* 45 (1953), p. 41; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 429, 439.

[5] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Evangelii Praecones,* 2 iunii 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 514.

[6] Cf. PIUS XII, *Delegatis ad Conventum Unionis Internationalis sodalitatum ad iura familiae tuenda,* 20 sept. 1949: *A.A.S.,* 41 (1949), p. 552.

Ad n. 12.

[7] Cf. S. PIUS X, Alloc. *ad catholicam Associationem Iuventutis Gallicae de pietate, scientia et actione,* 25 sept. 1904: *A.S.S.,* 37 (1904-1905), pp. 296-300.

[8] Cf. PIUS XII, Epist. *Dans quelques semaines,* ad Archiepiscopum Marianopolitanum: *de conventibus a iuvenibus operariis christianis canadiensibus indictis,* 24 maii 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 257; Nuntius Radiophonicus ad *J.O.C. Bruxelles,* 3 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 640-641.

Ad n. 13.

[9] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno,* 15 maii 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), pp. 225-226.

Ad n. 14.

[10] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 448-450.

CAPUT IV
DE VARIIS APOSTOLATUS MODIS

15. Laici suam actionem apostolicam exercere possunt vel ut singuli vel in variis communitatibus aut associationibus coadunati.

16. Apostolatus a singulis peragendus, ex fonte vitae vere christianae abundanter profluens (cf. *Io.* 4, 14), primordium est et condicio omnis apostolatus laicorum, etiam consociati, nec quidquam pro eo substitui potest.

Ad huiusmodi apostolatum, semper et ubique proficuum, sed in quibusdam adiunctis unice aptum et possibilem, omnes laici, cuiusvis condicionis, vocantur eoque obligantur, etsi deest eis occasio vel possibilitas in associationibus cooperandi.

Multae sunt apostolatus formae quibus laici Ecclesiam aedificant atque mundum sanctificant et in Christo animant.

Peculiaris forma apostolatus singulorum et signum nostris quoque temporibus accommodatissimum, Christum in fidelibus suis viventem manifestans, est testimonium totius vitae laicalis e fide, spe et caritate emanantis. Apostolatu verbi autem, in quibusdam adiunctis omnino necessario, laici Christum annuntiant, eiusdem doctrinam enucleant, diffundunt secundum suam cuiusque condicionem ac peritiam, et eam fideliter profitentur.

Cooperantes insuper, utpote cives huius mundi, in his quae ad ordinem temporalem aedificandum et gerendum pertinent, oportet ut laici in vita familiari, professionali, culturali et sociali rationes agendi altiores in lumine fidei quaerant aliisque, occasione data, patefaciant, conscii se sic Dei creatoris, redemptoris et sanctificatoris cooperatores fieri, laudemque ei praestare.

Denique laici suam vitam caritate vivificent et, pro facultate, operibus exprimant.

Meminerint omnes, cultu publico et oratione, paenitentia et laborum aerumnarumque vitae libera acceptatione, qua Christo patienti conformes efficiuntur (cf. *2 Cor.* 4, 10; *Col.* 1, 24), se omnes homines attingere et ad totius mundi salutem conferre posse.

17. Magna necessitate hic apostolatus singulorum urget in illis regionibus in quibus graviter impeditur libertas Ecclesiae. In his difficillimis adiunctis laici vicem, pro facultate, sacerdotum supplentes, ipsam suam libertatem et aliquando vitam in discrimen ponentes, eos qui circa ipsos sunt christianam docent doctrinam, ad vitam religiosam ac mentem catholicam instituunt, ad sacramenta frequenter suscipienda pietatemque praesertim eucharisticam colendam inducunt.[1] Sacrosancta Synodus, dum ex imo corde gratias agit Deo, qui, nostris etiam temporibus, heroicae fortitudinis laicos in medio persecutionum suscitare non desinit, eos paterno affectu ac grato animo complectitur.

Apostolatus singulorum specialem habet campum in regionibus ubi catholici sunt pauci et dispersi. Ibi laici, qui solummodo ut singuli apostolatum exercent, sive ob causas supra dictas, sive ob rationes speciales etiam ex propria navitate professionali exortas, opportune tamen ad colloquium conveniunt in minoribus coetibus sine ulla strictiore institutionis vel organizationis forma, ita ut semper appareat signum communitatis Ecclesiae coram aliis, tamquam verum amoris testimonium. Hoc modo, per amicitiam et communicationem experientiae, sese mutuo spiritualiter adiuvantes confirmantur ad incommoda vitae et actionis nimis segregatae superanda atque ad fructus uberiores apostolatus ferendos.

18. Christifideles ut singuli ad apostolatum exercendum in variis suae vitae condicionibus vocati sunt; meminerint tamen hominem natura sua socialem esse et Deo placuisse credentes in Christum in populum Dei (cf. *1 Pt.* 2, 5-10) et in unum corpus coadunare (cf. *1 Cor.* 12, 12). Apostolatus consociatus ergo exigentiae christifidelium tam humanae quam christianae feliciter respondet simulque signum prae se fert communionis et unitatis Ecclesiae in Christo qui dixit: « Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (*Mt.* 18, 20).

Quapropter christifideles apostolatum suum exerceant, in unum conspirantes.[2] Sint apostoli tam in suis communitatibus familiaribus, quam in paroeciis et dioecesibus, quae ipsae exprimunt indolem communitariam apostolatus, atque in liberis coetibus in quos se congregare statuerint.

Apostolatus consociatus magni momenti est etiam eo quod, sive in communitatibus Ecclesiae sive in variis ambitibus, apostolatus saepe postulat ut actione communi impleatur. Consociationes enim pro actionibus apostolatus communibus erectae sua membra fulciunt et ad apostolatum formant, eorumque operam apostolicam recte disponunt et moderantur, ut multo uberiores exinde sperari liceat fructus quam si singuli seiunctim agant.

In praesentibus vero adiunctis, pernecesse est ut in ambitu navitatis lai-

corum consociata et organizata forma apostolatus roboretur; etenim arcta virium coniunctio sola valet et ad omnes apostolatus hodierni fines plene assequendos et eius bona valide defendenda.[3] Qua in re peculiari modo interest ut apostolatus etiam mentes communes et sociales condiciones eorum, ad quos convertitur, attingat; secus pressioni sive opinionis publicae sive institutionum saepe impares erunt.

19. Magna invenitur varietas in apostolatus consociationibus;[4] aliae finem generalem apostolicum Ecclesiae sibi proponunt; aliae modo particulari fines evangelizationis et sanctificationis; aliae fines animationis christianae ordinis temporalis persequuuntur; aliae speciali modo per opera misericordiae et caritatis testimonium Christi praebent.

Inter has consociationes illae imprimis considerandae sunt quae intimiorem unitatem inter vitam practicam membrorum et eorum fidem fovent atque extollunt. Consociationes non sunt sibi ipsis finis, sed missioni Ecclesiae circa mundum adimplendae inservire debent; earum vis apostolica e conformitate cum finibus Ecclesiae pendet atque e singulorum membrorum totiusque associationis testimonio christiano et spiritu evangelico.

Universale autem munus missionis Ecclesiae, spectato simul progressu institutorum et impellente cursu societatis hodiernae, requirit ut incepta apostolica catholicorum magis magisque perficiant formas consociatas in campo internationali. Organizationes Internationales Catholicae finem suum melius consequentur, si coetus qui in illis coadunantur eorumque membra intimius eisdem uniuntur.

Debita cum auctoritate ecclesiastica relatione servata,[5] ius est laicis consociationes condere[6] et moderari conditisque nomen dare. Vitanda tamen est virium dispersio quae tunc contingit, si promoventur sine sufficienti ratione novae associationes et opera, vel si retinentur ultra vitam utilem associationes sive methodi obsoletae; nec semper opportunum erit formas quae in alia natione instituuntur, ad alias sine discrimine transferre.[7]

20. Abhinc non pauca decennia, pluribus in nationibus, laici, magis in dies apostolatui sese devoventes, in varias formas actionum et consociationum sese congregarunt quae, arctiorem cum Hierarchia servantes coniunctionem, fines proprie apostolicos persecutae sunt et persequuntur. Inter has vel etiam similes antiquiores institutiones eae praesertim commemorandae sunt quae, etsi diversas rationes operandi sequebantur, uberrimos tamen fructus regno Christi attulerunt, quaeque a Summis Pontificibus et a multis Episcopis merito commendatae atque promotae, ab eis nomen Actionis Catholicae acceperunt, et saepissime ut cooperatio laicorum in apostolatu hierarchico describebantur.[8]

Hae apostolatus formae sive nomen Actionis Catholicae habeant sive aliud, quae nostris temporibus pretiosum apostolatum exercent, sequentium notarum concursu et cumulata acceptione constituuntur:

a) Finis immediatus huiusmodi organizationum finis apostolicus Ecclesiae est, scilicet in ordine ad homines evangelizandos et sanctificandos eorumque conscientiam christiane efformandam ita ut varias communitates variosque ambitus spiritu Evangelii imbuere valeant;

b) Laici, cooperantes iuxta modum proprium cum Hierarchia, suam experientiam afferunt et responsabilitatem assumunt in iis organizationibus moderandis, in condicionibus perpendendis in quibus actio pastoralis Ecclesiae exercenda sit, atque in elaboranda et exsequenda ratione rerum agendarum;

c) Laici agunt uniti ad instar organici corporis, ita ut aptius Ecclesiae communitas significetur et efficacior evadat apostolatus;

d) Laici, sive sponte sese offerentes, sive invitati ad actionem et directam cooperationem cum apostolatu hierarchico, agunt sub superiore moderamine ipsius Hierarchiae, quae potest hanc cooperationem etiam per explicitum mandatum sancire.

Organizationes in quibus hae notae simul sumptae iudicio Hierarchiae reperiuntur, Actio Catholica censendae sunt, etsi ob locorum ac populorum exigentias, varias formas et nomina assumunt.

Sacrosanctum Concilium has institutiones, quae necessitatibus apostolatus Ecclesiae, apud multas gentes, certe respondent, enixe commendat: sacerdotes et laicos qui in ipsis adlaborant invitat, ut notas supra commemoratas magis magisque ad effectum adducant et cum omnibus aliis apostolatus formis semper fraterne in Ecclesia cooperentur.

21. Omnes consociationes apostolatus recte aestimandae sunt; eae vero quas Hierarchia secundum temporum necnon locorum necessitates laudaverit vel commendaverit vel ut urgentiores instituendas decreverit, a sacerdotibus, religiosis et a laicis plurimi faciendae atque secundum modum uniuscuiusque promovendae sunt. Inter illas vero hodie praesertim recensendae sunt consociationes vel coetus internationales catholicorum.

22. Speciali honore et commendatione in Ecclesia digni sunt laici, sive caelibes sive matrimonio iuncti, qui perpetuo aut ad tempus servitio institutionum earumque operum seipsos, sua peritia professionali, devovent. Eidem magno gaudio est quod in dies numerus laicorum augetur, qui proprium ministerium praebent associationibus et operibus apostolatus, sive intra fines suae nationis sive in campo internationali sive praesertim in catholicis communitatibus missionum et ecclesiarum novellarum.

Pastores Ecclesiae hos laicos libenter et grato animo recipiant, curent ut eorum condicio exigentiis iustitiae, aequitatis et caritatis quam maxime satisfaciat, praesertim quoad honestam eorum familiarumque sustentationem, ipsique necessaria institutione, spirituali solamine et incitamento gaudeant.

NOTAE

Ad n. 17.

[1] Cf. PIUS XII, Alloc. *ad I Conventum ex Omnibus Gentibus Laicorum Apostolatui provehendo,* 14 oct. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 788.

Ad n. 18.

[2] Cf. PIUS XII, Alloc. *ad I Conventum ex Omnibus Gentibus Laicorum Apostolatui provehendo,* 14 oct. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), pp. 787-788.

[3] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Le pèlerinage de Lourdes,* 2 iulii 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 615.

Ad n. 19.

[4] Cf. PIUS XII, Alloc. *ad Consilium Foederationis internationalis virorum catholicorum,* 8 dec. 1956: *A.A.S.,* 49 (1957), pp. 26-27.

[5] Cf. infra cap. V, n. 24.

[6] Cf. S. C. Concilii, Resolutio *Corrienten.,* 13 nov. 1920: *A.A.S.,* 14 (1921), p. 139.

[7] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Princeps Pastorum,* 10 dec. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 856.

Ad n. 20.

[8] Cf. PIUS XI, Epist. *Quae nobis,* ad Card. Bertram, 13 nov. 1928: *A.A.S.,* 20 (1928), p. 385. Cf. etiam PIUS XII, Alloc. *ad A. C. Italicam,* 4 sept. 1940: *A.A.S.,* 32 (1940), p. 362.

CAPUT V
DE ORDINE SERVANDO

23. Laicorum apostolatus, sive a singulis sive a consociatis christifidelibus exerceatur, recto ordine insertus esse debet in apostolatum totius Ecclesiae; immo coniunctio cum eis, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei (cf. *Act.* 20, 28), elementum essentiale apostolatus christiani est. Non minus necessaria est cooperatio inter varia apostolatus incepta, congrue ab Hierarchia ordinanda.

Etenim ad promovendum spiritum unitatis, ut in toto apostolatu Ecclesiae splendeat caritas fraternitatis, fines communes obtineantur ac perniciosae aemulationes vitentur, exigitur omnium formarum apostolatus in Ecclesia mutua aestimatio et — servata uniuscuiusque propria indole — apta coordinatio.[1]

Quod maxime convenit, cum peculiaris actio in Ecclesia requirit harmoniam et cooperationem apostolicam utriusque cleri, religiosorum et laicorum.

24. Hierarchiae est laicorum apostolatum fovere, principia et subsidia spiritualia praebere, eiusdem apostolatus exercitium ad bonum commune Ecclesiae ordinare atque, ut doctrina et ordo serventur, invigilare.

Varios quidem modos relationum ad Hierarchiam apostolatus laicorum admittit secundum varias eiusdem apostolatus formas et obiecta.

Plurima enim inveniuntur in Ecclesia incepta apostolica quae laicorum libera electione constituuntur et eorum prudenti iudicio reguntur. Huiusmodi inceptis in quibusdam adiunctis missio Ecclesiae melius impleri potest, et proinde ipsa non raro ab Hierarchia laudantur vel commendantur.[2] Nullum autem inceptum nomen catholicum sibi vindicet, nisi consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae.

Quaedam laicorum apostolatus formae, variis quidem modis, ab Hierarchia explicite agnoscuntur.

Potest insuper ecclesiastica auctoritas, propter exigentias boni communis Ecclesiae, ex consociationibus et inceptis apostolicis immediate finem spiritualem intendentibus, aliqua eligere et particulari modo promovere in quibus specialem assumit responsabilitatem. Ita Hierarchia, apostolatum iuxta adiuncta diversimode ordinans, aliquam eius formam cum suo proprio munere apostolico arctius coniungit, servata tamen utriusque propria natura et distinctione, nec proinde laicorum ablata necessaria facultate sua sponte agendi. Qui actus Hierarchiae in variis documentis ecclesiasticis mandatum appellatur.

Denique Hierarchia laicis munia quaedam committit, quae propius cum officiis pastorum coniuncta sunt, ut in propositione doctrinae christianae, in quibusdam actibus liturgicis, in cura animarum. Vi huius missionis laici quoad muneris exercitium plene subduntur superiori ecclesiasticae moderationi.

Quod attinet ad opera et institutiones ordinis temporalis, munus ecclesiasticae Hierarchiae est docere et authentice interpretari principia moralia in rebus temporalibus sequenda; ipsi etiam fas est iudicare, omnibus rite perpensis et auxilio adhibito peritorum, de conformitate talium operum et institutionum cum principiis moralibus et decernere de eis quae ad ordinis supernaturalis bona custodienda et promovenda requiruntur.

25. Prae oculis habeant Episcopi, parochi, ceterique sacerdotes utriusque cleri, ius et officium exercendi apostolatum esse commune omnibus fidelibus sive clericis sive laicis, et in aedificatione Ecclesiae etiam laicos proprias partes habere.[3] Quapropter fraterne cum laicis operentur in Ecclesia et pro Ecclesia, specialemque curam habeant laicorum in eorum operibus apostolicis.[4]

Diligenter seligantur sacerdotes apostolatus laicorum specialibus formis iuvandis idonei et apte formati.[5] Qui vero huic ministerio vacant, missione accepta ab Hierarchia, hanc repraesentant in sua actione pastorali; congruas laicorum relationes cum ipsa foveant, semper spiritui et doctrinae Ecclesiae fideliter inhaerentes; seipsos in alenda vita spirituali et sensu apostolico consociationum catholicarum sibi commissarum impendant; earum apostolicae operositati sapienti suo consilio adsint atque incepta foveant. Continuo cum laicis instituto colloquio, attente inquirant quae sint formae ad magis frugiferam reddendam apostolicam actionem; spiritum unitatis intra ipsam consociationem et eam inter et ceteras promoveant.

Religiosi demum, sive fratres sive sorores, opera apostolica laicorum aestiment; secundum spiritum et normas suorum institutorum, operibus laicorum promovendis libenter se devoveant; [6] munera sacerdotalia sustinere, adiuvare, complere studeant.

26. In dioecesibus, in quantum fieri potest, habeantur consilia quae operam apostolicam Ecclesiae, sive in campo evangelizationis et sanctificationis sive in campo caritativo, sociali et aliis, adiuvent, cooperantibus convenienter clericis et religiosis cum laicis. Haec consilia poterunt variarum laicorum consociatonum et inceptorum mutuae coordinationi inservire, salva uniuscuiusque indole propria et autonomia.[7]

Huiusmodi consilia habeantur, si fieri potest, etiam in ambitu paroeciali vel interparoeciali, interdioecesano, necnon in ordine nationali vel internationali.[8]

Constituatur insuper apud Sanctam Sedem peculiaris aliquis secretariatus in servitium et impulsum apostolatus laicorum, tamquam centrum, quod aptis instrumentis nuntia de variis inceptis apostolicis laicorum suppeditet, investigationibus de hodiernis quaestionibus in hoc campo orientibus studeat et suis consiliis Hierarchiae et laicis in operibus apostolicis adsistat. In hoc secretariatu varii motus et incepta apostolatus laicorum in universo mundo existentia suas partes habeant, cooperantibus cum laicis etiam clericis et religiosis.

27. Commune veluti patrimonium evangelicum communeque inde consequens christiani testimonii officium commendant et saepe exigunt cooperationem catholicorum cum aliis christianis, a singulis et a communitatibus Ecclesiae exercendam, sive in actionibus sive in consociationibus, in campo nationali vel internationali.[9]

Communes valores humani similem quoque cooperationem christianorum, apostolicos fines prosequentium, cum eis haud raro postulant, qui nomen christianum non profitentur, sed hos valores agnoscunt.

Hac cooperatione dynamica et prudenti,[10] quae magni momenti in activitatibus temporalibus est, laici testimonium praebent Christo, Salvatori mundi, et unitati familiae humanae.

NOTAE

Ad n. 23.

[1] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quamvis Nostra,* 30 apr. 1936: *A.A.S.,* 28 (1936), pp. 160-161.

Ad n. 24.

[2] Cf. S. C. Concilii Resolutio *Corrienten.,* 13 nov. 1920: *A.A.S.,* 13 (1921), pp. 137-140.

Ad n. 25.

[3] Cf. PIUS XII, Alloc. *ad II Conventum ex Omnibus Gentibus Laicorum Apostolatui provehendo,* 5 oct. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 927.

[4] Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen Gentium,* n. 37: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 42-43.
[5] Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 660.
[6] Cf. CONC. VAT. II, Decr. *De accommodata renovatione vitae religiosae,* n. 8.

Ad n. 26.

[7] Cf. BENEDICTUS XIV, *De Synodo Dioecesana,* l. III, c. IX, n. VII-VIII: *Opera omnia in tomos XVII distributa,* tom. XI (Prati, 1844), pp. 76-77.
[8] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quamvis Nostra,* 30 apr. 1936: *A.A.S.,* 28 (1936), pp. 160-161.

Ad n. 27.

[9] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 456-457. Cf. CONC. VAT. II, Decr. *de Oecumenismo, Unitatis Redintegratio,* n. 12: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 99-100.
[10] Cf. CONC. VAT. II, Decr. *de Oecumenismo, Unitatis Redintegratio,* n. 12: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 100. Cf. etiam Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen Gentium,* n. 15: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 19-20.

CAPUT VI

DE FORMATIONE AD APOSTOLATUM

28. Apostolatus plenam efficaciam attingere potest solummodo multiformi et integra formatione; quam exigunt non solum continuus spiritualis et doctrinalis profectus ipsius laici, sed et varia adiuncta rerum, personarum et officiorum ad quae navitas eius accommodanda est. Haec formatio ad apostolatum iis fundamentis inniti debet quae ab hoc Sacrosancto Concilio in aliis locis asserta et declarata sunt.[1] Praeter formationem omnibus christianis communem, ob varietatem personarum et adiunctorum, non paucae apostolatus formae specificam quoque et peculiarem formationem requirunt.

29. Cum laici suo modo missionem Ecclesiae participent, formatio eorum apostolica ab ipsa indole saeculari et propria laicatus, eiusque spiritualis vitae ratione notam specialem accipit.

Formatio ad apostolatum formationem integram quandam humanam uniuscuiusque ingenio condicionibusque accommodatam supponit. Laicus enim, mundum huius temporis bene cognoscens, membrum propriae societatis eiusque culturae aptatum esse debet.

Imprimis autem laicus discat implere Christi et Ecclesiae missionem, ex fide in divino mysterio creationis et redemptionis vivens, motus Spiritu Sancto populum Dei vivificante, qui omnes homines impellit ad Deum Patrem diligendum atque mundum et homines in Ipso. Quae formatio ut fundamentum et condicio cuiusvis apostolatus fructuosi considerari debet.

Praeter formationem spiritualem, requiritur solida institutio doctrinalis,

et quidem theologica, ethica, philosophica, secundum diversitatem aetatis, condicionis et ingenii. Momentum etiam culturae generalis una cum formatione practica et technica minime negligatur.

Ad bonas relationes humanas colendas oportet ut valores vere humani foveantur, imprimis ars fraterne convivendi atque cooperandi, necnon colloquium instituendi.

Quoniam vero formatio ad apostolatum non potest in sola instructione theoretica consistere, gradatim quidem et prudenter, laicus inde ab initio formationis suae discat omnia sub lumine fidei aspicere, iudicare et agere, per actionem seipsum cum aliis efformare ac perficere, et sic in operosum servitium Ecclesiae ingredi.[2] Quae formatio, semper perficienda propter personae humanae crescentem maturitatem et propter evolutionem problematum, altiorem in dies cognitionem et aptatam actionem postulat. In omnibus formationis exigentiis explendis semper unitas et integritas personae humanae prae oculis habenda est, ita ut eius harmonia et aequilibrium salvetur et augeatur.

Hoc modo laicus penitus et naviter sese inserit in ipsam realitatem ordinis temporalis suamque partem in eius gerendis rebus efficaciter suscipit, simulque tamquam vivum membrum et testis Ecclesiae eamdem in sinu rerum temporalium praesentem et actuosam reddit.[3]

30. Formatio ad apostolatum a prima puerorum institutione incipere debet. Peculiari autem modo initientur apostolatu adulescentes et iuvenes atque hoc spiritu imbuantur. Per totam vitam haec formatio perficienda est prout nova suscepta munera requirunt. Patet igitur eos ad quos spectat educatio christiana, officio quoque formationis ad apostolatum devinciri.

Parentum est in familia filios suos ab ipsa pueritia disponere ad agnoscendum amorem Dei erga universos homines, illosque gradatim, praesertim exemplo, docere sollicitudinem de proximi necessitatibus tam materialibus quam spiritualibus. Tota ergo familia eiusque communis vita quasi tirocinium apostolatus evadat.

Pueri insuper educandi sunt ut, fines familiae transcendentes, communitatibus tam ecclesiasticis quam temporalibus animum pandant. In locali communitate paroeciae ita assumantur, ut in ea conscientiam acquirant se viva et activa membra esse populi Dei. Sacerdotes autem in catechesi et ministerio verbi, in moderatione animarum, necnon in aliis ministeriis pastoralibus formationem ad apostolatum prae oculis habeant.

Scholarum quoque, collegiorum aliarumque institutionum catholicarum formationi inservientium est in iuvenibus sensum catholicum et actionem apostolicam fovere. Quae formatio si deficit, vel quia illas scholas iuvenes non frequentant, vel alia de causa, eo magis de ea curent parentes et animarum pastores et consociationes apostolicae. Magistri vero et educatores qui vocatione sua et officio formam egregiam apostolatus laicorum exercent, doctrina necessaria et arte paedagogica imbuti sint, quibus hanc institutionem efficaciter tradere valeant.

Coetus et consociationes item laicorum, sive apostolatum sive alios fines supernaturales intendant, pro fine et modulo suo formationem ad apostolatum sedulo et assidue fovere debent.[4] Ipsae sunt saepe via ordinaria congruentis formationis ad apostolatum. In ipsis enim habetur formatio doctrinalis, spiritualis et practica. Sodales earum cum sociis vel amicis in parvis coetibus methodos et fructus suae navitatis apostolicae perpendunt et rationem vitae suae cotidianae cum Evangelio comparant.

Huiusmodi formatio ita ordinanda est ut ratio habeatur totius apostolatus laicorum, qui non tantum inter coetus ipsos consociationum, sed in omnibus etiam adiunctis per totam vitam est exercendus, praesertim professionalem et socialem. Immo unusquisque ad apostolatum seipsum naviter praeparare debet, quod magis urget in adulta aetate. Progrediente enim aetate melius animus panditur atque ita unusquisque diligentius detegere potest talenta quibus Deus animam suam ditavit illaque charismata efficacius exercere quae ei a Spiritu Sancto in bonum fratrum suorum collata sunt.

31. Variae formae apostolatus peculiariter congruentem formationem quoque expostulant.

a) Quoad apostolatum ad homines evangelizandos et sanctificandos, laici specialiter formandi sunt ad colloquium instaurandum cum aliis, credentibus vel non credentibus, ad nuntium Christi omnibus manifestandum.[5]

Cum autem nostris temporibus diversi generis materialismus late ubique, etiam inter catholicos, diffundatur, laici non tantum diligentius doctrinam catholicam ediscant, ea peculiariter capita quae in controversiam vocantur, sed etiam contra quamlibet formam materialismi exhibeant testimonium vitae evangelicae.

b) Quoad instaurationem christianam ordinis rerum temporalium, laici edoceantur de vera significatione et valore bonorum temporalium, tum in se ipsis, tum ad omnes fines personae humanae quod attinet; exerceantur in recto usu rerum et organizatione institutionum, semper attendentes ad bonum commune iuxta principia doctrinae moralis et socialis Ecclesiae. Socialis doctrinae imprimis principia eiusque conclusiones ita laici addiscant, ut capaces reddantur, tum ad operam pro parte sua praestandam doctrinae progressui, tum ad eadem singulis casibus rite applicanda.[6]

c) Cum caritatis et misericordiae opera praeclarissimum testimonium christianae vitae efferant, formatio apostolica ad haec quoque exercenda adducere debet, ut discant christifideles ab ipsa pueritia fratribus compati eiusque indigentibus generoso animo subvenire.[7]

32. Laicis apostolatui deditis iam exstant multa subsidia, scilicet sessiones, congressus, recollectiones, exercitia spiritualia, frequentes conventus, conferentiae, libri, commentaria, ad altiorem cognitionem Sacrae Scripturae et doctrinae catholicae consequendam, ad vitam spiritualem alendam necnon ad mundi condiciones dignoscendas et aptas methodos inveniendas et excolendas.[8]

Quae formationis subsidia rationem habent variarum formarum apostolatus in ambitibus ubi exercetur.

Hunc in finem etiam erecta sunt centra vel instituta superiora quae optimos fructus iam dederunt.

Sacrosanctum Concilium laetatur de huius generis inceptis iam in quibusdam partibus florentibus et exoptat ut aliis etiam in locis, ubi necessaria fuerint, promoveantur.

Centra insuper documentationis et studiorum non solum in re theologica, sed etiam in materia anthropologica, psychologica, sociologica, methodologica, quo melius foveantur laicorum ingenii facultates, virorum mulierumque, iuvenum et adultorum, pro omnibus apostolatus campis erigantur.

Adhortatio

33. Sacrosanctum igitur Concilium omnes laicos enixe in Domino obtestatur ut voci Christi, hac hora se instantius invitanti, et impulsui Spiritus Sancti libenter, generoso animo, prompto corde respondeant. Speciali modo hanc appellationem ad se directam esse sentiant iuniores, eamque accipiant cum alacritate et magnanimitate. Ipse enim Dominus omnes laicos per hanc S. Synodum iterato invitat ut intimius in dies sibi iungantur et quae ipsius sunt, tamquam propria sentientes (cf. *Phil.* 2, 5), in eiusdem salvifica missione consocientur; eosque denuo mittit in omnem civitatem et locum quo ipse venturus est (cf. *Lc.* 10, 1); ut variis formis et modis unius apostolatus Ecclesiae, novis necessitatibus temporum continenter aptandi, cooperatores ei se exhibeant, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor eorum non est inanis in Domino (cf. *1 Cor.* 15, 58).

NOTAE

Ad n. 28.

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen Gentium,* cap. II, IV, V: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 12-21; 37-49; cf. etiam Decr. *de Oecumenismo, Unitatis Redintegratio,* nn. 4, 6, 7, 12: *A.A.S.,* 57 (1965), pp. 94, 96, 97, 99, 100; cf. etiam supra n. 4.

Ad n. 29.

[2] Cf. Pius XII, Alloc. *Ad VI Conferentiam internationalem « boy-scouts »,* 6 iunii 1952: *A.A.S.,* 44 (1952), pp. 579-580; Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 456.

[3] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *de Ecclesia, Lumen Gentium,* n. 33: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 39.

Ad n. 30.

[4] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 455.

Ad n. 31.

[5] Cf. PIUS XII, Epist. Encycl. *Sertum laetitiae,* 1 nov. 1939: *A.A.S.,* 31 (1939), pp. 635-644; cf. IDEM, *Ad « laureati » Act. Cath. It.,* 24 maii 1953.

[6] Cf. PIUS XII, Alloc. *ad Congressum Universalem Foederationis Mundialis Iuventutis Femineae Catholicae,* 18 apr. 1952: *A.A.S.,* 44 (1952), pp. 414-419. Cf. IDEM, *Alloc. ad Associationem Christianam Operariorum Italiae* (*A.C.L.I.*), 1 maii 1955: *A.A.S.,* 47 (1955), pp. 403-404.

[7] Cf. PIUS XII, *Ad Delegatos Conventus Sodalitatum Caritatis,* 27 apr. 1952: *A.A.S.,* 44 (1952), pp. 470-471.

Ad n. 32.

[8] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 454.

Haec omnia et singula, quae in hoc Decreto edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illud, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus.

Romae, apud S. Petrum, die XVIII mensis novembris anno MCMLXV.

Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus

Sequuntur Patrum subsignationes: cf. pag. 633.

VACATIO LEGIS

Beatissimus Pater pro novis legibus quae in Decreto de apostolatu laicorum modo promulgato continentur, statuit vacationem usque ad diem vigesimam nonam mensis iunii anni MCMLXVI, nempe usque ad festum SS. Apostolorum Petri et Pauli proximi anni.

Interea Summus Pontifex normas edet ad praedictas leges exsequendas.

Romae, die XVIII mensis novembris anno MCMLXV.

† PERICLES FELICI
Ss. Concilii Secretarius Generalis
Archiepiscopus tit. Samosatensis

5

Patrum subsignationes

Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.

✠ Ego Eugenius ep. Ostiensis ac Portuensis et S. Rufinae card. Tisserant, Sacri Collegii Decanus.*
✠ Ego Ioseph ep. Albanensis card. Pizzardo.
✠ Ego Benedictus ep. Praenestinus card. Aloisi Masella.
✠ Ego Ferdinandus ep. Veliternus card. Cento.
✠ Ego Hamletus Ioannes ep. Tusculanus card. Cicognani.
✠ Ego Ioseph Antonius, ep. Sabinensis et Mandelensis card. Ferretto.
✠ Ego Ignatius Gabriel patr. Antiochenus Syrorum card. Tappouni.
✠ Ego Maximus IV patr. Antiochenus Melchitarum card. Saigh.
✠ Ego Paulus Petrus patr. Antiochenus Maronitarum card. Meouchi.
✠ Ego Stephanus I patr. Alexandrinus Coptorum card. Sidarouss.
✠ Ego Emmanuel titulo SS. Petri et Marcellini presb. card. Gonçalves Cerejeira, patr. Lisbonensis.
✠ Ego Achilles titulo S. Sixti presb. card. Liénart, ep. Insulensis.
Ego Iacobus Aloisius titulo S. Laurentii in Damaso, presb. card. Copello.
Ego Gregorius Petrus titulo S. Bartholomaei in Insula presb. card. Agagianian.
✠ Ego Normannus Thomas titulo Quatuor Coronatorum presb. card. Gilroy, arch. Sydneyensis.
✠ Ego Franciscus titulo Ss. Ioannis et Pauli presb. card. Spellman, arch. Neo-Eboracensis.
✠ Ego Iacobus titulo Ss. Bonifacii et Alexii presb. card. de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluvii Ianuarii.
✠ Ego Ioseph titulo S. Ioannis ante Portam Latinam presb. card. Frings, arch. Coloniensis.
✠ Ego Ernestus titulo S. Sabinae presb. card. Ruffini, arch. Panormitanus.
✠ Ego Antonius titulo S. Laurentii in Panisperna presb. card. Caggiano, arch. Bonaerensis.
✠ Ego Mauritius titulo S. Mariae Pacis presb. card. Feltin, arch. Parisiensis.
Ego Petrus titulo S. Laurentii in Lucina presb. card. Ciriaci.
✠ Ego Ioseph titulo S. Mariae de Victoria presb. card. Siri, arch. Ianuensis.
✠ Ego Iacobus titulo S. Mariae in Transpontina presb. card. Lercaro, arch. Bononiensis.
✠ Ego Stephanus titulo S. Mariae Trans Tiberim presb. card. Wysziński, arch. Gnesnensis et Varsaviensis, primas Poloniae.
✠ Ego Beniamin titulo SS. Vitalis, Valeriae, Gervasii et Protasii presb. card. de Arriba y Castro, arch. Tarraconensis.

---

* Quidam Patres suffragium dederunt, quin decreta Ss. Concilii subsignaverint.
In Concilio Oecumenico concessum est ut crucem suo nomini apponerent iis quoque Patribus Cardinalibus qui, etsi ordinis presbyteralis, episcopi tamen residentiales essent.

✠ Ego Ferdinandus titulo S. Augustini presb. card. Quiroga y Palacios, arch. Compostellanus.
✠ Ego Paulus Aemilius titulo S. Mariae Angelorum in Thermis presb. card. Léger, arch. Marianopolitanus.
✠ Ego Valerianus titulo S. Mariae in Via Lata presb. card. Gracias, arch. Bombayensis.
✠ Ego Ioannes titulo S. Marci presb. card. Urbani, patr. Venetiarum.
Ego Paulus titulo S. Mariae in Vallicella presb. card. Giobbe.
✠ Ego Ioseph titulo S. Honophrii in Ianiculo presb. card. Garibi y Rivera, arch. Guadalajarensis.
✠ Ego Antonius M. titulo S. Chrysogoni presb. card. Barbieri, arch. Montisvidei.
Ego Carolus titulo S. Agnetis extra Moenia presb. card. Confalonieri.
✠ Ego Paulus titulo SS. Quirici et Iulittae presb. card. Richaud, arch. Burdigalensis.
✠ Ego Ioseph M. titulo SS. Viti, Modesti et Crescentiae presb. card. Bueno y Monreal, arch. Hispalensis.
✠ Ego Franciscus titulo S. Eusebii presb. card. König, arch. Vindobonensis.
✠ Ego Iulius titulo S. Mariae Scalaris presb. card. Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis.
Ego Paulus titulo S. Andreae Apostoli de Hortis presb. card. Marella.
Ego Gustavus titulo S. Hieronymi Illyricorum presb. card. Testa.
Ego Aloisius titulo S. Andreae de Valle presb. card. Traglia.
✠ Ego Petrus Tatsuo titulo S. Antonii Patavini de Urbe presb. card. Doi, arch. Tokiensis.
✠ Ego Ioseph titulo S. Ioannis Baptistae Florentinorum presb. card. Lefèbvre, arch. Bituricensis.
✠ Ego Bernardus titulo S. Ioachim presb. card. Alfrink, arch. Ultraiectensis.
✠ Ego Rufinus titulo S. Mariae ad Montes presb. card. Santos, arch. Manilensis.
✠ Ego Laureanus titulo S. Francisci Assisiensis ad Ripam Maiorem presb. card. Rugambwa, ep. Bukobaensis.
✠ Ego Ioseph titulo SS. Redemptoris et S. Alfonsi in Exquiliis presb. card. Ritter, arch. S. Ludovici.
✠ Ego Ioseph Humbertus titulo SS. Andreae et Gregorii ad Clivum Scauri presb. card. Quintero, arch. Caracensis.
Ego Ioseph titulo S. Priscae presb. card. da Costa Nuñes.
Ego Hildebrandus titulo S. Sebastiani ad Catacumbas presb. card. Antoniutti.
Ego Ephraem titulo S. Crucis in Hierusalem presb. card. Forni.
✠ Ego Ioannes titulo S. Mariae de Aracaeli presb. card. Landázuri Ricketts, arch. Limanus, primas Peruviae.
✠ Ego Radulfus titulo S. Bernardi ad Thermas presb. card. Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chile.
✠ Ego Leo Ioseph titulo S. Petri ad Vincula presb. card. Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.
✠ Ego Ioseph titulo S. Athanasii presb. card. Slipyj, arch. Maior Leopolitanus Ucrainorum.
✠ Ego Laurentius titulo S. Leonis I presb. card. Jäger, arch. Paderbornensis.

✠ Ego Ioseph titulo S. Crucis in via Flaminia presb. card. Beran, arch. Pragensis.
✠ Ego Mauritius titulo B.M.V. Ss.mi Sacramenti et Protomartyrum Canadensium presb. card. Roy, arch. Quebecensis, primas Canadiae.
✠ Ego Ioseph M. titulo S. Theresiae ad Cursum Italiae presb. card. Martin, arch. Rothomagensis.
✠ Ego Audoenus titulo S. Praxedis presb. card. McCann, arch. Capetownensis.
✠ Ego Leo Stephanus titulo S. Balbinae presb. card. Duval, arch. Algeriensis.
✠ Ego Hermenegildus titulo Reginae Apostolorum presb. card. Florit, arch. Florentinus.
✠ Ego Franciscus titulo SS. Petri et Pauli in via Ostiensi presb. card. Šeper, arch. Zagabriensis.
✠ Ego Ioannes titulo S. Silvestri in Capite presb. card. Heenan, arch. Vestmonasteriensis, primas Angliae.
✠ Ego Ioannes titulo Ss.mae Trinitatis in Monte Pincio presb. card. Villot, arch. Lugdunensis et Viennensis, primas Galliae.
✠ Ego Paulus titulo S. Camilli de Lellis ad Hortos Sallustianos presb. card. Zoungrana, arch. Uagaduguensis.
✠ Ego Laurentius titulo S. Clementis presb. card. Shehan, arch. Baltimorensis.
Ego Henricus titulo S. Agathae Gothorum presb. card. Dante.
Ego Caesar titulo D.nae N.ae a S. Corde in Circo Agonali presb. card. Zerba.
✠ Ego Agnellus titulo Praeclarae Matris Dei presb. card. Rossi, arch. S. Pauli in Brasilia.
✠ Ego Ioannes titulo SS. Silvestri et Martini in Montibus presb. card. Colombo, arch. Mediolanensis.
✠ Ego Villelmus titulo S. Patricii ad Villam Ludovisi presb. card. Conway, arch. Armachanus, primas Hiberniae.
✠ Ego Angelus titulo Ss.mi Cordis B. Mariae Virginis ad Forum Euclidis presb. card. Herrera y Oria, ep. Malcitanus.
Ego Alfredus S. M. in Domnica diac. card. Ottaviani.
Ego Albertus S. Pudentianae diac. card. di Jorio.
Ego Franciscus S. Mariae in Cosmedin diac. card. Roberti.
Ego Arcadius SS. Blasii et Caroli ad Catenarios diac. card. Larraona.
Ego Franciscus SS. Cosmae et Damiani diac. card. Morano.
Ego Villelmus Theodorus S. Theodori in Palatio diac. card. Heard.
Ego Augustinus S. Sabae diac. card. Bea.
Ego Frater Michaël S. Pauli Apostoli in Arenula diac. card. Browne.
Ego Ioachim Anselmus S. Apollinaris diac. card. Albareda.
Ego Fridericus S. Ioannis Bosco in via Tusculana diac. card. Callori di Vignale.
Ego Ioseph S. Michaelis Archangeli de Petralata diac. card. Cardijn.
Ego Carolus S. Mariae in Portico diac. card. Journet.

✠ Ego Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus Latinorum.
✠ Ego Ignatius Petrus XVI Batanian. patr. Ciliciae Armenorum.
✠ Ego Paulus II Cheikho, patr. Babylonensis Chaldaeorum.
✠ Ego Ioseph Vieira Alvernaz, patr. Indiarum Orientalium.

✠ Ego Ioannes Carolus McQuaid, arch. Dublinensis, primas Hiberniae.
✠ Ego Andreas Rohracher, arch. Salisburgensis, primas Germaniae.

✠ Ego Demetrius Moscato, arch. primas Salernitanus et administrator perpetuus Acernensis.
✠ Ego Hugo Camozzo, arch. Pisanus et primas Sardiniae et Corsicae.
✠ Ego Paulus Gouyon, arch. Rhedonensis, primas Britanniae.
✠ Ego Alexander Tokić, arch. Antibarensis et primas Serbiae.
✠ Ego Michaël Darius Miranda y Gómez, arch. Mexicanus, primas Mexici.
✠ Ego Franciscus M. da Silva, arch. Bracharensis, primas Hispaniarum.
✠ Ego Ernestus Senna de Oliveira, arch. ep. Conimbricensis.
✠ Ego Andreas Cesarano, arch. Sipontinus.
✠ Ego Aloisius Centoz, arch. tit. Edessenus in Osrhoëne.
✠ Ego Antonius Abed, arch. Tripolitanus Maronitarum.
✠ Ego Ioseph Attipetty, arch. Verapolitanus.
✠ Ego Nicolaus Fasolino, arch. S. Fidei in Argentina.
✠ Ego Antonius Riberi, arch. tit. Darensis.
✠ Ego Ioannes Georgius Stété, arch. Damascenus Syrorum.
✠ Ego Fridericus Eduardus Camillus Lamy, arch. tit. Byziensis.
✠ Ego Aloisius M. Altamirano y Buines, arch. Moreliensis.
✠ Ego Iustinus Daniel Simonds, arch. Melbournensis.
✠ Ego Vincentius Alexander Gonzalez y Robleto, arch. Managuensis.
✠ Ego Floridus Ambrosius Acciari, arch. Rhodiensis.
✠ Ego Thomas Roberts, arch. tit. Sugdaeus.
✠ Ego Athanasius Toutoungi, arch. Aleppensis Melchitarum.
✠ Ego Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensis.
✠ Ego Aloisius Chávez y González, arch. S. Salvatoris in America.
✠ Ego Alfredus Silva Santiago, arch. tit. Petrensis in Palaestina.
✠ Ego Matthaeus Beovich, arch. Adelaidensis.
✠ Ego Nersès Tayroyan, arch. Babylonensis Armenorum.
✠ Ego Moises Alves de Pinho, arch. Luandensis.
✠ Ego Robertus Emmet Lucey, arch. S. Antonii.
✠ Ego Georgius Cabana, arch. Sherbrookensis.
✠ Ego Gregorius Modrego y Casaus, arch. tit. Montensis in Numidia.
✠ Ego Ioseph Ignatius Lopez Umaña, arch. Carthaginensis in Colombia.
✠ Ego Norbertus Perini, arch. Firmanus.
✠ Ego Norbertus Robichaud, arch. Monctonensis.
✠ Ego Mesrop Habozian, arch. tit. Camachenus.
✠ Ego Fortinus Gómez León, arch. Antequerensis.
✠ Ego Franciscus Ayoub, arch. Aleppensis Maronitarum.
✠ Ego Abel Isidorus Antezana y Rojas, arch. Pacensis in Bolivia.
✠ Ego Aegidius Bignamini, arch. Anconitanus.
✠ Ego Michaël Gonzi, arch. Melitensis.
✠ Ego Marcellinus Olaechea Loizaga, arch. Valentinus.
✠ Ego Humbertus Malchiodi, arch.-ep. Placentinus.
✠ Ego Ioseph Antonius O'Sullivan, arch. Kingstoniensis.
✠ Ego Ioseph Cheikho, arch. Sehnaensis Chaldaeorum.
✠ Ego Carolus Albertus Ferrero di Cavallerleone, arch. tit. Trapezuntinus.
✠ Ego Carolus de Provenchères, arch. Aquensis in Gallia.
✠ Ego Ioseph D'Avack, arch. tit. Leontopolitanus in Pamphylia.
✠ Ego Theodorus Labrador, arch. Fucheuvensis.

✠ Ego Petronius Lacchio, arch. Ciamsciavensis.
✠ Ego Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis.
✠ Ego Pacificus Vanni, arch. tit. Proconnesius.
✠ Ego Paulus Yü Pin, arch. Nanchimensis.
✠ Ego Ludovicus Morel, arch. tit. Aeniensis.
✠ Ego Dominicus Lucas Capozi, arch. Taeiuenensis.
✠ Ego Alexander Derouineau, arch. Coenmimensis.
✠ Ego Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum.
✠ Ego Leonardus Rodriguez Ballón, arch. Arequipensis.
✠ Ego Ioseph Burzio, arch. tit. Gortyniensis.
✠ Ego Petrus Chami, arch. Bostrenus.
✠ Ego Caietanus Pollio, arch. Hydruntinus.
✠ Ego Ioseph Ioannes Larrart, arch. Coeiiamensis.
✠ Ego Alfredus Vincentius Scherer, arch. Portalegrensis in Brasilia.
✠ Ego Gabriel Garrone, arch. Tolosanus.
✠ Ego Antonius Taffi, arch. tit. Sergiopolitanus.
✠ Ego Antonius Gregorius Vuccino, arch. tit. Aprensis.
✠ Ego Sebastianus Fraghi, arch. Arborensis.
✠ Ego Laurentius Gargiulo, arch. tit. Germensis in Hellesponto.
✠ Ego Ludovicus M. Ferdinandus de Bazelaire de Ruppière, arch. Chamberiensis.
✠ Ego Reginaldus Ioseph M. Addazzi, arch. Tranensis et Barolensis.
✠ Ego Michaël O'Neill, arch. Reginatensis.
✠ Ego Geraldus Thomas Bergan, arch. Omahensis.
✠ Ego Patricius M. O'Donnell, arch. Brisbanensis.
✠ Ego Iacobus Cornelius van Miltenburg, arch.-ep. Hyderabadensis in Pakistan.
✠ Ego Robertus Ronca, arch. tit. Naupactensis.
✠ Ego Raphaël Mario Radossi, arch. Spoletanus.
✠ Ego Ioannes B. Bosio, arch. Theatinus.
✠ Ego Philippus Nabaa, arch. Berytanus et Gibailensis Melkitarum.
✠ Ego Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia.
✠ Ego Vido Aloisius Bentivoglio, arch. Catanensis.
✠ Ego Maximilianus de Fürstenberg, arch. tit. Paltenus.
✠ Ego Aegidius Vagnozzi, arch. tit. Myrensis.
✠ Ego Emmanuel Ferreira da Silva, arch. tit. Cysicenus.
✠ Ego Isaac Ghattas, arch.-ep. Thebanus.
✠ Ego Ioseph Patricius Hurley, arch.-ep. S. Augustini.
✠ Ego Leo Binz, arch. S. Pauli de Minnesota.
✠ Ego Paulus Botto, arch. Calaritanus.
✠ Ego Iulius Rosales, arch. Cebuanus.
✠ Ego Paulus Noussier, arch. Hermopolitanus.
✠ Ego Franciscus Iachim, arch. tit. Maroneus.
✠ Ego Carolus Heerey, arch. Onitshaensis.
✠ Ego Raphaël Calabrìa, arch. Beneventanus.
✠ Ego Armandus Fares, arch. Catacensis et ep. Squillacensis.
✠ Ego Constantinus Stella, arch. Aquilanus.
✠ Ego Laurentius Graner, arch. Dacchensis.
✠ Ego Vido Tonetti, arch.-ep. Cuneensis.

✠ Ego Ioannes Ferro, arch. Rheginensis.
✠ Ego Augustus Bertazzoni, arch.-ep. Potentinus et Marsicensis.
✠ Ego Ludovicus Alonso Muñoyerro, arch. tit. Sionensis.
✠ Ego Octavianus Márquez Tóriz, arch. Angelorum.
✠ Ego Didacus Venini, arch. tit. Adanensis.
✠ Ego Sergius Pignedoli, arch. tit. Iconiensis.
✠ Ego Dionysius Eugenius Hurley, arch. Durbanianus.
✠ Ego Eris Michael O'Brien, arch. Camberrensis et Gulburnensis.
✠ Ego Ioannes Colburn Garner, arch. Praetoriensis.
✠ Ego Franciscus Carpino, arch. tit. Serdicensis.
✠ Ego Patricius Iacobus Skinner, arch. S. Ioannis Terrae Novae.
✠ Ego Alfonsus Espino y Silva, arch. Monterreyensis.
✠ Ego Gordon Ioseph Gray, arch. S. Andreae et Edimburgensis.
✠ Ego Ioseph M. Cuenco, arch. Jacensis.
✠ Ego Emmanuel Pius López Estrada, arch. Jalapensis.
✠ Ego Zaya Dachtou, arch. Urmiensis.
✠ Ego Philippus Franciscus Pocock, arch. tit. Isauropolitanus.
✠ Ego Hugo Bressane de Araújo, arch.-ep. Mariliensis.
✠ Ego Ioseph de Medeiros Delgado, arch. Fortalexiensis.
✠ Ego Ioseph Clemens Maurer, arch. Sucrensis.
✠ Ego Ianuarius Verolino, arch. tit. Corinthiensis.
✠ Ego Antonius de Almeida Moraes, arch. Nictheroyensis.
✠ Ego Hilarius Alcini, arch. tit. Nicaenus.
✠ Ego Albertus Gaudentius Ramos, arch. Belemensis de Pará.
✠ Ego Ioannes Dooley, arch. tit. Macrensis in Rhodope.
✠ Ego Ioannes Dadone, arch.-ep. Fossanensis.
✠ Ego Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii.
✠ Ego Paulus Bertoli, arch. tit. Nicomediensis.
✠ Ego Ioseph Bartholomaeus Evangelisti, arch.-ep. Meerutensis.
✠ Ego Ioseph Kuo, arch. tit. Salaminensis.
✠ Ego Eduardus Ioseph Hunkeler, arch. Kansanopolitanus in Kansas.
✠ Ego Henricus Nicodemo, arch. Barensis.
✠ Ego Thomas Aloisius Boland, arch. Novarcensis.
✠ Ego Caelestinus Ioseph Damiano, arch.-ep. Camdensis.
✠ Ego Anacletus Cazzaniga, arch. Urbinatensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph McCarthy, arch. Nairobiensis.
✠ Ego Edgarus Aristides Maranta, arch. Daressalaamensis.
✠ Ego Aloisius Ioseph Cabana, arch. tit. Caralliensis.
✠ Ego Hector Cunial, arch. tit. Soteropolitanus.
✠ Ego Ioannes Bučko, arch. tit. Leucadensis.
✠ Ego Michaël Olçomendy, arch. Malacensis-Singaporensis.
✠ Ego Ioseph Marcus Gopu, arch. Hyderabadensis.
✠ Ego Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis.
✠ Ego Nicolaus Margiotta, arch. Brundusinus.
✠ Ego Sylvius Oddi, arch. tit. Messembrianus.
✠ Ego Raphaël Garcia y Garcia de Castro, arch. Granatensis.
✠ Ego Ambrosius Rayappan, arch. Pondicheriensis et Cuddalorensis.
✠ Ego Raphaël Forni, arch. tit. Aeginensis.

✠ Ego Ioannes Petrus Leonard, arch. Maduraiensis.
✠ Ego Romulus Carboni, arch. tit. Sidoniensis.
✠ Ego Opilius Rossi, arch. tit. Ancyranus.
✠ Ego Henricus Pintonello, arch. tit. Theodosiopolitanus in Arcadia.
✠ Ego Ioseph de Almeida Batista, arch. Brasiliapolitanus.
✠ Ego Athanasius Ioannes Daniel Bakose, arch. Babylonensis Syrorum.
✠ Ego Aloisius Raimondi, arch. tit. Tarsensis.
✠ Ego Henricus Audrain, arch. Auxitanus.
✠ Ego Petrus Thomas McKeefry, arch. Vellingtonensis.
✠ Ego Marcellus M. Dubois, arch. Bisuntinus.
✠ Ego Dominicus Picchinenna, arch. Cosentinus.
✠ Ego Iacobus Palombella, arch. Materanensis.
✠ Ego Elias Zoghby, arch. tit. Nubiensis.
✠ Ego Gregorius B. Varghese Thangalathil, arch. Trivandrum Syrorum Malankarensium.
✠ Ego Natalis Mosconi, arch. Ferrariensis.
✠ Ego Martinus Michaël Johnson, arch. Vancouveriensis.
✠ Ego Aloisius Punzolo, arch. tit. Sebastenus in Armenia.
✠ Ego Elias Farah, arch. Cyprensis Maronitarum.
✠ Ego Guilfordus Clyde Young, arch. Hobartensis.
✠ Ego Ioseph M. Sensi, arch. tit. Sardianus.
✠ Ego Ioseph Strebler, arch. tit. Nicopolitanus in Epiro.
✠ Ego Aemilius Socquet, arch. tit. Selimbrianus.
✠ Ego Victor Sartre, arch. tit. Beroensis.
✠ Ego Ioseph Cucherrousset, arch. Banguensis.
✠ Ego Helder Pessâo Câmara, arch. Olindensis et Recifensis.
✠ Ego Arturus Mery Beckdorf, arch. tit. Phasianus.
✠ Ego Antonius Jordan, arch. Edmontonensis.
✠ Ego Ioseph Schneider, arch. Bambergensis.
✠ Ego Adelmus Machado Cavalcanti, arch. Macejensis.
✠ Ego Franciscus Poirier, arch. Portus Principis.
✠ Ego Renatus Graffin, arch. tit. Misthiensis.
✠ Ego Ioannes Wolff, arch. de Diego Suarez.
✠ Ego Felicissimus Stephanus Tinivella, arch. tit. Uthinensis.
✠ Ego Xaverius Ferdinandus Thoyer, arch. tit. Odessitanus.
✠ Ego Petrus Leclerc, arch.-ep. Seguensis.
✠ Ego Michaël Bernard, arch. tit. Arensis in Mauritania.
✠ Ego Petrus Parente, arch. tit. Ptolemaidensis in Thebaide.
✠ Ego Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis.
✠ Ego Casimirus Morcillo Gonzalez, arch. Matritensis-Complutensis.
✠ Ego Evasius Colli, arch.-ep. Parmensis.
✠ Ego Avelar Brandâo Vilela, arch. Teresianus.
✠ Ego Gerardus de Milleville, arch. tit. Gabalensis.
✠ Ego Antonius Ioseph Plaza, arch. Platensis.
✠ Ego Caesar Antonius Mosquera Corral, arch. Guayaquilensis.
✠ Ego Ioseph Zaffonato, arch. Utinensis.
✠ Ego Dominicus Romualdus Basilius Athaide, arch. Agraensis.
✠ Ego Emmanuel Dos Santos Rocha, arch. tit. Mitylenensis.

✠ Ego Ludovicus Ferrand, arch. Turonensis.
✠ Ego Primus Principi, arch. tit. Tyanensis.
✠ Ego Ismael Marius Castellano, arch. Senensis.
✠ Ego Henricus Delgado y Gómez, arch. Pampilonensis.
✠ Ego Ioannes Sison, arch. tit. Nicopsitanus.
✠ Ego Marcus Armandus Lallier, arch. Massiliensis.
✠ Ego Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis Ucrainorum.
✠ Ego Franciscus Aldegunde Dorrego, arch. Tingitanus.
✠ Ego Carolus M. Jurgens Byrne, arch. Cuschensis.
✠ Ego Orlandus Chavez, arch. Cuiabaensis.
✠ Ego Ioseph Amici, arch. Mutinensis.
✠ Ego Villelmus Bolatti, arch.-ep. Rosariensis.
✠ Ego Ferdinandus Gomes dos Santos, arch. Goianiensis.
✠ Ego Aurelius Signora, arch. tit. Nicosiensis.
✠ Ego Germinianus Esorto, arch. Sinus Albi.
✠ Ego Tullius Botero Salazar, arch. Medellensis.
✠ Ego Ioannes de Sousa Lima, arch. Manaensis.
✠ Ego Felix Cesar da Cunha Vasconcelos, arch. Rivi Nigri.
✠ Ego Ioannes Carolus Aramburu, arch. Tucumanensis.
✠ Ego Emmanuel a Jesu Serrano Abad, arch. Conchensis in Aequatore.
✠ Ego Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis.
✠ Ego Raphaël Rabban, arch. Cherchensis.
✠ Ego Paulus Dalmais, arch. Arcis Lamy.
✠ Ego Ioannes Rezende Costa, arch. tit. Martyropolitanus.
✠ Ego Antonius M. Alvez de Siquiera, arch. tit. Chalcidensis in Syria.
✠ Ego Henricus Hector Golland Trindade, arch. Botucatuensis.
✠ Ego Aloisius del Rosario, arch. Zamboangensis.
✠ Ego Ioannes B. da Mota e Albuquerque, arch. Victoriensis Spiritus S.
✠ Ego Theophilus Camomot Bastide, arch. tit. Marcianopolitanus.
✠ Ego Hermannus Schäufele, arch. Friburgensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph Bernal Ortiz, arch. Tequinensis.
✠ Ego Ioannes Hieronymus Adam, arch. Liberopolitanus.
✠ Ego Ioseph Cordeiro, arch. Karachiensis.
✠ Ego Carolus Grano, arch. tit. Thessalonicensis.
✠ Ego Angelus Dell'Acqua, arch. tit. Chalcedonensis.
✠ Ego Ioannes Franciscus Dearden, arch. Detroitensis.
✠ Ego Villelmus Cousins, arch. Milwaukiensis.
✠ Ego Benedictus Falcucci, arch. tit. Preslavensis.
✠ Ego Ansgarius de Oliveira, arch. Marianensis.
✠ Ego Aemilius Tagle Covarrubias, arch.-ep. Vallis Paradisi.
✠ Edo Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis.
✠ Ego Ioannes B. Theunissen, arch. Blantyrensis.
✠ Ego Benedictus Printesis, arch. Atheniensis.
✠ Ego Dionysius Antonius Hayek, arch. Aleppensis Syrorum.
✠ Ego Angelus Fernandes, arch. tit. Neopatrensis.
✠ Ego Arturus Duque Villegas, arch. Manizalensis.
✠ Ego Theopistus Alberto y Valderrama, arch. Cácerensis.
✠ Ego Hannibal Muñoz Duque, arch. Neo-Pampilonensis.

✠ Ego Gasto Mojaisky-Perrelli, arch.-ep. Nuscanus.
✠ Ego Georgius Layek, arch. Aleppensis Armenorum.
✠ Ego Ioseph Tawil, arch. tit. Myrensis Melchitarum.
✠ Ego Linus Zanini, arch. tit. Hadrianopolitanus in Haemimonto.
✠ Ego Martinus Ioannes O'Connor, arch. tit. Laodicenus in Syria.
✠ Ego Bernardus Mels, arch. Luluaburgensis.
✠ Ego Franciscus Marty, arch. Remensis.
✠ Ego Ioannes Kodwo Amissah, arch. Litoris Capitis.
✠ Ego Felix Scalais, arch. tit. Aquensis in Numidia.
✠ Ego Andreas Perraudin, arch. Kabgayensis.
✠ Ego Ioseph Khoury, arch. Tyrensis Maronitarum.
✠ Ego Ioseph Floribertus Cornelis, arch. Elisabethapolitanus.
✠ Ego Secundus Garcia de Sierra y Mendez, arch. Burgensis.
✠ Ego Cyrillus Emmanuel Benni, arch. Mausiliensis Syrorum.
✠ Ego Bernardinus Gantin, arch. Cotonuensis.
✠ Ego Thomas Morris, arch. Casheliensis.
✠ Ego Conradus Bafile, arch. tit. Antiochenus in Pisidia.
✠ Ego Hieronymus Rakotomalala, arch. Tananarivensis.
✠ Ego Bernardus Yago, arch. Abidjanensis.
✠ Ego Iacobus Petrus Davis, arch. S. Fidei in America Septemtrionali.
✠ Ego Ioseph Vincentius Távora, arch. Aracajuensis.
✠ Ego Carolus Humbertus Rodriguez-Quirós, arch. S. Ioseph in Costarica.
✠ Ego Aemilius Arsenius Blanchet, arch. tit. Philippopolitanus in Thracia.
✠ Ego Marcus Mihayo, arch. Taboraensis.
✠ Ego Michael Paternain, arch. tit. Achridensis.
✠ Ego Dinus Staffa, arch. tit. Caesariensis in Palaestina.
✠ Ego Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis.
✠ Ego Ioseph Mojoli, arch. tit. Larissensis in Thessalia.
✠ Ego Ioannes Perris, arch. Naxiensis.
✠ Ego Marcus Alaupović, arch. Serajensis (Vrhbosnensis).
✠ Ego Petrus Martinus Ngo-dinh-Thuc, arch. Hueensis.
✠ Ego Paulus Nguyen Van Binh, arch. Saigonensis.
✠ Ego Ioannes B. Urrutia, arch. tit. Carpathiensis.
✠ Ego Eganus Righi-Lambertini, arch. tit. Docleensis.
✠ Ego Gerardus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus.
✠ Ego Matthaeus Garković, arch. Jadrensis.
✠ Ego Nicolaus Schneiders, arch. Makassarensis.
✠ Ego Pius Kerketta, arch. Ranchiensis.
✠ Ego Georgius Flahiff, arch. Vinnipegensis.
✠ Ego Hadrianus Djajasepoetra, arch. Djakartensis.
✠ Ego Antonius Henricus van den Hurk, arch. Medanensis.
✠ Ego Herculanus van der Burgt, arch. Pontianakensis.
✠ Ego Ioseph Raphael Pulido Mendez, arch. tit. Cyrrhensis.
✠ Ego Albertus Castelli, arch. tit. Rhusiensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum.
✠ Ego Asrate M. Yemmeru, arch. Neanthopolitanus.
✠ Ego Gabriel Bukatko, arch. Beogradensis.
✠ Ego Franciscus Vicentin, arch. Corrientensis.

✠ Ego Conradus Mingo, arch. Montis Regalis.
✠ Ego Alfonsus M. Buteler, arch. Mendozensis.
✠ Ego Petrus Veuillot, arch. tit. Constantiensis in Thracia.
✠ Ego Ioannes Marinoni, arch. tit. Amorianus.
✠ Ego Ioannes Patricius Cody, arch. Chicagiensis.
✠ Ego Ambrosius Senyshyn, arch. Philadelphiensis Ucrainorum.
✠ Ego Ioannes Murphy, arch. Cardiffensis.
✠ Ego Sanctes Portalupi, arch. tit. Christopolitanus.
✠ Ego Paulus Achkar, arch. Laodicensis Melchitarum.
✠ Ego Ioannes Zoa, arch. Yaundensis.
✠ Ego Alfredus Bengsch, arch.-ep. Berolinensis.
✠ Ego Raimundus M. Tchidimbo, arch. Konakriensis.
✠ Ego Carmelus Rocco, arch. tit. Iustinianopolitanus in Galatia.
✠ Ego Xaverius Zupi, arch. tit. Serrensis in Proconsulari.
✠ Ego Bruno Heim, arch. tit. Xanthiensis.
✠ Ego Aloisius Dadaglia, arch. tit. Leriensis.
✠ Ego Felix Pirozzi, arch. tit. Gratianensis.
✠ Ego Aemilius De Brigard Ortiz, arch. tit. Dystiensis.
✠ Ego Conradus Ursi, arch. Acheruntinus.
✠ Ego Emmanuel Nuñes Gabriel, arch. tit. Methymnaeus.
✠ Ego Boleslaus Kominek, arch. tit. Euchaitenus.
✠ Ego Claudius Dupuy, arch. Albiensis.
✠ Ego Victor Ugo Righi, arch. tit. Biltensis.
✠ Ego Neophytus Edelby, arch. tit. Edessenus in Osrhoene.
✠ Ego Antonius Lopez Aviña, arch. Durangensis.
✠ Ego Ioannes Bassoul, arch. Hemesenus Melchitarum.
✠ Ego Hyacinthus Thiandoum, arch. Dakarensis.
✠ Ego Robertus Dosseh, arch. Lomensis.
✠ Ego Paulus Carta, arch. Turritanus.
✠ Ego Gilbertus Ramantoanina, arch. Fianarantsoaensis.
✠ Ego Villelmus Motolese, arch. Tarentinus.
✠ Ego Ioseph Thomas McGucken, arch. S. Francisci in California.
✠ Ego Iacobus Ioseph Byrne, arch. Dubuquensis.
✠ Ego Paulus Kinam Ro, arch. Seulensis.
✠ Ego Ioannes B. Sye Bong-kil, arch. Taeguensis.
✠ Ego Lucas Augustus Sangaré, arch. Bamakoensis.
✠ Ego Andreas Pangrazio, arch. Goritiensis et Gradiscanus.
✠ Ego Alexander Gonçalves do Amaral, arch. Uberabensis.
✠ Ego Ioseph D'Angelo Neto, arch. de Pouso Alegre.
✠ Ego Geraldus M. de Morais Penido, arch. Judiciforensis.
✠ Ego Hector Henricus Santos Hernández, arch. Tegucigalpensis.
✠ Ego Thomas Leonetti, arch. Capuanus.
✠ Ego Antonius Varthalitis, arch. Corcyrensis, Zacynthiensis et Cephaloniensis.
✠ Ego Custodius Alvim Pereira, arch. de Lourenço Marques.
✠ Ego Adolfus Servandus Tortolo, arch. Paranensis.
✠ Ego Albertus Vincentius D'Souza, arch. Calcuttensis.
✠ Ego Pacificus M. Aloisius Perantoni, arch. Lancianensis.
✠ Ego Paulus Philippe, arch. tit. Heracleopolitanus.

✠ Ego Petrus Palazzini, arch. tit. Caesariensis in Cappadocia.
✠ Ego Ioannes Iulianus Weber, arch.-ep. Argentoratensis.
✠ Ego Salvator Asta, arch. tit. Aureliopolitanus in Lydia.
✠ Ego Renatus Ludovicus M. Stourm, arch. Senonensis.
✠ Ego Marius Cagna, arch. tit. Heracleensis in Europa.
✠ Ego Alexander B. Gottardi, arch. Tridentinus.
✠ Ego Albertus Rencoret Donoso, arch. Portus Montt.
✠ Ego Emmanuel Sanchez Beguiristain, arch. Ss. Conceptionis.
✠ Ego Franciscus Fasola, arch. Messanensis.
✠ Ego Ioseph Schiavini, arch. tit. Famagustanus.
✠ Ego Clemens Ignatius Mansourati, arch. tit. Apamenus in Syria.
✠ Ego Antonius Santin, arch. Tergestinus et Iustinopolitanus.
✠ Ego Flavianus Zaccharias Melki, arch. tit. Amidenus.
✠ Ego Clemens Gaddi, arch.-ep. Bergomensis.
✠ Ego Marius Casariego, arch. Guatemalensis.
✠ Ego Michaël Federici, arch. S. Severinae.
✠ Ego Ioannes Navarrete y Guerrero, arch. Hermosillensis.
✠ Ego Hyginus Cardinale, arch. tit. Neptensis.
✠ Ego Carolus Maccari, arch. Montis Regalis in Pedemontio.
✠ Ego Ioseph Bonfiglioli, arch. tit. Darnitanus.
✠ Ego Iustinus Darmajuwana, arch. Semarangensis.
✠ Ego Carolus Marianus Perez Estava, arch. Saltensis.
✠ Ego Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis.
✠ Ego Franciscus Carroll, arch. tit. Gabulensis.
✠ Ego Leonardus Ioseph Raymond, arch. Nagpurensis.
✠ Ego Georgius Andreas Beck, arch. Liverpolitanus.
✠ Ego Iacobus Donaldus Scanlan, arch. Glasguensis.
✠ Ego Bruno Frattegiani, arch. Camarinensis.
✠ Ego Ioseph Pogačnik, arch. Labacensis.
✠ Ego Thomas Albertus Clavel Méndez, arch. Panamensis.
✠ Ego Ludovicus Levesque, arch. tit. Egnatiensis.
✠ Ego Vincentius Enrique y Tarancón, arch. Ovetensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph da Mota e Albuquerque, arch. S. Ludovici in Marignano.
✠ Ego Andreas Pallier, arch. tit. Marcellianensis.
✠ Ego Petrus Cantero Cuadrado, arch. Caesaraugustanus.
✠ Ego Albertus Uribe Urdaneta, arch. Caliensis.
✠ Ego Angelus M. Ocampo Berrio, arch. Tunquensis.
✠ Ego Iacobus Villelmus Gleeson, arch. tit. Aurusulianensis.
✠ Ego Petrus Wijnants, arch. Coquilhatvillensis.
✠ Ego Ioseph Malula, arch. Leopoldpolitanus.
✠ Ego Aloisius Aponte Martinez, arch. S. Ioannis Portoricensis.
✠ Ego Aloisius Mena Arroyo, arch. tit. Sinitensis.
✠ Ego Philippus Nguyen Kim Dien, arch. tit. Parianus.
✠ Ego Ludovicus Bellotti, arch. tit. Voncarianensis.
✠ Ego Bruno Torpigliani, arch. tit. Mallianensis.
✠ Ego Duraisamy Simon Lourdusamy, arch. tit. Philippensis.
✠ Ego Georgius Hakim, arch. Ptolemaidensis.
✠ Ego Radulfus Franciscus Primatesta, arch. Cordubensis in Argentina.

✠ Ego Michaël Callens, arch. tit. Moxoritanus.
✠ Ego Ioannes Aggey, arch. Lagosensis.
✠ Ego Aloisius Poggi, arch. tit. Forontonianensis.
✠ Ego Angelus Pedroni, arch. tit. Novicensis.
✠ Ego Henricus Jenny, arch. tit. Salditanus.
✠ Ega Emmanuel Martin del Campo Padilla, arch. tit. Vadesitanus.
✠ Ego Cyrillos Conradus Cowderoy, arch. Southvarcensis.
✠ Ego Aurelius Sabbatini, arch. tit. Iustinianensis.
✠ Ego Alfonsus Niehues, arch. tit. Aptucensis.
✠ Ego Vitus Roberti, arch. ep. Casertanus.
✠ Ego Philippus Matthaeus Hannan, arch. Novae Aureliae.
✠ Ego Georgius Patricius Dwyer, arch. Birminghamiensis.
✠ Ego Michaël Pelegrino, arch. Taurinensis.
✠ Ego Augustinus Sépinski, arch. tit. Assuritanus.
✠ Ego David de Souza, arch. Eborensis.
✠ Ego Alfredus Poledrini, arch. tit. el. Vazaritanus.

✠ Ego Ludovicus de Cooman, ep. tit. Taciamontanensis.
✠ Ego Ioannes Mele, ep. Lungrensis.
✠ Ego Fidelis Garcia Martinez, ep. tit. Sululitanus.
✠ Ego Ioannes Smit, ep. tit. Paraliensis.
✠ Ego Michaël Angelus Builes, ep. S. Rosae de Osos.
✠ Ego Carolus Vanuytven, ep. tit. Megarensis.
✠ Ego Ioachim Eftimios, ep. Mariamnensis.
✠ Ego Boleslaus Sloskans, ep. tit. Cillitanus.
✠ Ego Cyrillus Kurteff, ep. tit. Briulitanus.
✠ Ego Hadrianus Larribeau, ep. tit. Thinitanus.
✠ Ego Hector Catry, ep. tit. Simtensis.
✠ Ego Ioseph Placidus M. Nicolini, ep. Assisiensis.
✠ Ego Paulus Molin, ep. tit. Garbensis.
✠ Ego Caietanus Mignani, ep. Chinganensis.
✠ Ego Stephanus Hàsz, ep. tit. Surenus.
✠ Ego Iacobus Patritius O'Collins, ep. Ballaratensis.
✠ Ego Dominicus Petroni, ep. Melphiensis et Rapollensis.
✠ Ego Ioannes Pirastru, ep. Ecclesiensis.
✠ Ego Ioseph Aldaeus Desmarais, ep. Amosensis.
✠ Ego Matthias Solá y Farrell, ep. tit. Colophoniensis.
✠ Ego Aloisius Guizar Barragán, ep. Saltillensis.
✠ Ego Theodorus Eugenin, ep. tit. Hierissensis.
✠ Ego Thomas Gorman, ep. Dallasensis-Arcis Vorthensis.
✠ Ego Aemilius Sosa Gaona, ep. tit. Sergentzensis.
✠ Ego Patricius Ioseph Farrelly, ep. Lismorensis.
✠ Ego Stanislaus Vincentius Bona, ep. Sinus Viridis.
✠ Ego Augustinus Rodriguez, ep. Villaricensis.
✠ Ego Ioseph Franciolini, ep. Cortonensis.
✠ Ego Stanislaus Amilcarus Battistelli, ep. Teramensis et Atriensis.
✠ Ego Iacobus Mangers, ep. tit. Afufeniensis.
✠ Ego Ioseph Rancans, ep. tit. Marcopolitanus.

✠ Ego Ioseph Cognata, ep. tit. Pharsalius.
✠ Ego Ioseph Bonhomme, ep. tit. Tulanensis.
✠ Ego Ioseph Trudel, ep. tit. Nobensis.
✠ Ego Edgardus Antonius Häring, ep. Scioceuvensis.
✠ Ego Franciscus Venantius Filippini, ep. tit. Thinisensis in Numidia.
✠ Ego Leo Radulfus Hayes, ep. Davenportensis.
✠ Ego Faustinus Baldini, ep. Massanus.
✠ Ego Ioachim Amman, ep. tit. Petnellissensis.
✠ Ego Villelmus Cobben, ep. Helsinskiensis.
✠ Ego Christophorus Arduinus Terzi, ep. tit. Diocletianensis.
✠ Ego Oscar Sevrin, ep. tit. Mossinensis.
✠ Ego Camillus Verfaillie, ep. tit. Oeensis.
✠ Ego Alexander Roy, ep. tit. Ambiensis.
✠ Ego Nicolaus Laudadio, ep. tit. Alamiliarensis.
✠ Ego Cuthbertus Martinus O'Gara, ep. Iuenlimensis.
✠ Ego Paulus Bouque, ep. tit. Abbiritanus Germaniciana.
✠ Ego Stephanus Ferrando, ep. Shillongensis.
✠ Ego Leo Angelus Olano y Urteaga, ep. tit. Laginensis.
✠ Ego Ferdinandus Longinotti, ep. S. Severini.
✠ Ego Franciscus Aemilius M. Cléret de Langavant, ep. tit. Mactaritanus.
✠ Ego Tarcisius van Valenberg, ep. tit. Combensis.
✠ Ego Marius Civelli, ep. Ueihoeivensis.
✠ Ego Assuerus Theophanus Bassi, ep. Loiamensis.
✠ Ego Victor Burić, ep. Seniensis.
✠ Ego Philippus Côté, ep. Siuceuvensis.
✠ Ego Sanctes Moro Briz, ep. Abulensis.
✠ Ego Georgius Leo Leech, ep. Harrisburgensis.
✠ Ego Achilles Salvucci, ep. Melphictensis, Iuvenacensis et Terlitiensis.
✠ Ego Ludovicus de Courrèges d'Ustou, ep. Montis Albani.
✠ Ego Angelus Ioseph Jelmini, ep. tit. Thermensis.
✠ Ego Albertus M. Guiot, ep. Portus Pacis.
✠ Ego Paulus Samson Ioannes M. Robert, ep. Gonayvesensis.
✠ Ego Emmanuel Moll y Salord, ep. Dertosensis.
✠ Ego Candidus Bampi, ep. tit. Tloensis.
✠ Ego Vincentius Dereere, ep. Trivandrensis Latinorum.
✠ Ego Antonius Pildáin y Zapiáin, ep. Canariensis.
✠ Ego Blasius Budelacci, ep. tit. Nyssenus.
✠ Ego Alfredus Viola, ep. Saltensis in Uruguay.
✠ Ego Angelus Calabretta, ep. Netensis.
✠ Ego Antonius Teutonico, ep. Aversanus.
✠ Ego Ioannes Ioseph Villipelet, ep. Nannetensis.
✠ Ego Simon Conradus Landersdorfer, ep. Passaviensis.
✠ Ego Franciscus von Streng, ep. Basileensis et Luganensis.
✠ Ego Laurentius Basoli, ep. Oleastrensis.
✠ Ego Fredericus Pezzullo, ep. Policastrensis.
✠ Ego Ioseph Evrard, ep. tit. Dionysopolitanus.
✠ Ego Innocentius Alfredus Russo, ep. tit. Pegaeus.
✠ Ego Lucianus Marcante, ep. Valvensis et Sulmonensis.

✠ Ego Emmanuel de Medeiros Guerreiro, ep. Nampulensis.
✠ Ego Henricus Ambrosius Pinger, ep. Ceuzuenensis.
✠ Ego Franciscus Augustinus Henschke, ep. Corvopolitanus.
✠ Ego Vincentius Del Signore, ep. Fanensis.
✠ Ego Marcellus Oliverius Maradan, ep. Portus Victoriae.
✠ Ego Georgius Ioannes Rehring, ep. Toletanus in America.
✠ Ego Michaël Browne, ep. Galviensis et Duacensis.
✠ Ego Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus-S. Mariae Leucadensis.
✠ Ego Ioseph Franciscus Ryan, ep. Hamiltonensis.
✠ Ego Ioseph Malouf, ep. Heliopolitanus Melchitarum.
✠ Ego Carolus Leo Nelligan, ep. tit. Phoenicius.
✠ Ego Raphaël Barbieri, ep. Cassanensis.
✠ Ego Hieronymus Fernandez, ep. Quilonensis.
✠ Ego Ioseph Perniciaro, ep. tit. Arbanensis.
✠ Ego Stephanus Woznicki, ep. Saginavensis.
✠ Ego Octavius Terrienne, ep. tit. Menelaitensis.
✠ Ego Napoleo Alexander La Brie, ep. tit. Hiltensis.
✠ Ego Iacobus Mendonça, ep. Tiruchirapolitanus.
✠ Ego Ioseph Pronti, ep. Nucerinus Tadinensis.
✠ Ego Ioseph Andreas Coimbra, ep. Patensis.
✠ Ego Emmanuel Larrain Errazuriz, ep. Talcensis.
✠ Ego Alfonsus M. Van den Bosch, ep. Matadiensis.
✠ Ego Carolus Weber, ep. Iceuvensis.
✠ Ego Henricus Ioseph Piérard, ep. Benensis.
✠ Ego Urbanus Stephanus Morlion, ep. Balduinopolitanus.
✠ Ego Irenaeus Chelucci, ep. Ilcinensis.
✠ Ego Constantinus Gómez Villa, ep. tit. Cucusenus.
✠ Ego Vincentius Lojali, ep. Amerinus.
✠ Ego Paulus Babini, ep. Foroliviensis.
✠ Ego Paulus Rusch, ep. Oenipontanus.
✠ Ego Paulus Mazé, ep. tit. Ascalonitanus.
✠ Ego Thomas McCabe, ep. Vollongongensis.
✠ Ego Franciscus Marchesani, ep. Clavarensis.
✠ Ego Patricius Cleary, ep. Nancemensis.
✠ Ego Ioannes Theodorus Suhr, ep. tit. Apisanensis.
✠ Ego Thomas Rochus Agniswami, ep. Kottarensis.
✠ Ego Franciscus Bruls, ep. Villavicentiensis.
✠ Ego Franciscus Cogoni, ep. Octeriensis.
✠ Ego Adolfus Ciuchini, ep. Algarensis.
✠ Ego Nicolaus Dudás, ep. Hajdudoroghensis.
✠ Ego Ignatius de Alba y Hernández, ep. Colimensis.
✠ Ego Ludovicus Lavoire Morrow, ep. Krishnagarensis.
✠ Ego Sigisbaldus Blasius Kurz, ep. tit. Terenuthitanus.
✠ Ego Henricus Martinus Mekkelholt, ep. tit. Dausarenus.
✠ Ego Carolus Ioseph Lemaire, ep. tit. Otroensis.
✠ Ego Fridericus Antonius Donaghy, ep. Uceuvensis.
✠ Ego Nigellus Farren, ep. Derriensis.
✠ Ego Villelmus Ioseph Condon, ep. Great-Ormensis.

✠ Ego Ioachim Pedicini, ep. Abellinensis.
✠ Ego Franciscus Benedictus Cialeo, ep. Lyallpurensis.
✠ Ego Augustus Osvaldus Salinas Fuenzalida, ep. Linarensis.
✠ Ego Ioseph Lach, ep. tit. Dodonaeus.
✠ Ego Albertus Aloisius Fletcher, ep. Petriculanus.
✠ Ego Patricius Ioseph Kelly, ep. Urbis Beninensis.
✠ Ego Sydnaeus Matthaeus Metzger, ep. Elpasensis.
✠ Ego Edmundus Peiris, ep. Chilavensis.
✠ Ego Albertus Carinci, ep. Boianensis-Campobassensis.
✠ Ego Vincentius Brizgys, ep. tit. Bosanensis.
✠ Ego Ioannes Michael O'Neill, ep. Portus Gratiae-Granfallensis.
✠ Ego Lucianus Lebrun, ep. Augustodunensis.
✠ Ego Victorius De Zanche, ep. Concordiensis.
✠ Ego Eliseus Coroli, ep. tit. Zamensis Maior.
✠ Ego Cyrillus Ioannes Zohrabian, ep. tit. Acilisenus.
✠ Ego Ioseph Abraham Martinez Betancourt, ep. Tacambarensis.
✠ Ego Ioseph Angrisani, ep. Casalensis.
✠ Ego Petrus M. Théas, ep. Tarbiensis et Lourdensis.
✠ Ego Leo de Uriarte Bengoa, ep. tit. Madaurensis.
✠ Ego Vincentius Kovács, ep. tit. Zaraitanus.
✠ Ego Felix Bonomini, ep. Comensis.
✠ Ego Thomas Leo Parker, ep. Northantoniensis.
✠ Ego Marianus Hyacinthus Valdivia y Ortiz, ep. Huancayensis.
✠ Ego Theodosius Moreno Quintana, ep. Huarazensis.
✠ Ego Franciscus Borgias do Amaral, ep. Taubatensis.
✠ Ego Daniel Gomes Junquiera, ep. Novae Lisbonae.
✠ Ego Aloisius Gonzaga da Cunha Marelim, ep. Caxiensis in Maragnano.
✠ Ego Dionysius Moynihan, ep. Kerriensis.
✠ Ego Vitus Chang Tso-Huan, ep. tit. Cyanitanus.
✠ Ego Andreas Dupont, ep. Bobodiulassensis.
✠ Ego Michaël O'Reilly, ep. S. Georgii Terrae Novae.
✠ Ego Carolus Baldini, ep. Clusinus et Pientinus.
✠ Ego Alexander Menchaca Lira, ep. tit. Pinarensis.
✠ Ego Petrus Aguilera Narbona, ep. Iquiquensis.
✠ Ego Antonius M. Casaux, ep. Lucionensis.
✠ Ego Henricus M. Verin de la Brunelière, ep. S. Petri et Arcis Galliae.
✠ Ego Paulus Yoshigoro Taguchi, ep. Osakensis.
✠ Ego Maximilianus Spiller, ep. tit. Myricensis.
✠ Ego Petrus Villelmus Bartholome, ep. S. Clodoaldi.
✠ Ego Antoninus Catarella, ep. Platiensis.
✠ Ego Ioseph Alfonsus Baud, ep. Visakhapatnamensis.
✠ Ego Antonius Zattera, ep. Pelotensis.
✠ Ego Ioannes Gunnarson, ep. tit. Holarensis.
✠ Ego Ioannes Senner, ep. tit. Equizetensis.
✠ Ego Daniel Llorente y Federico, ep. Segobiensis.
✠ Ego Ernestus De Paula, ep. tit. Hierocaesariensis.
✠ Ego Rembertus Casimirus Kowalski, ep. Uciamensis.
✠ Ego Andreas M. Charue, ep. Namurcensis.

✠ Ego Petrus Čule, ep. Mandetriensis.
✠ Ego Eduardus Martinez Gonzáles, ep. Zamorensis.
✠ Ego Aloisius Rosa, ep. Balneoregiensis.
✠ Ego Carolus Allorio, ep. Papiensis.
✠ Ego Camillus Andreas Le Blanc, ep. Bathurstensis in Canada.
✠ Ego Marcus Lacroix, ep. tit. Rhosiensis.
✠ Ego Raimundus Iglesias Navarri, ep. Urgellensis.
✠ Ego Villelmus Tiburtius McCarthy, ep. Rapidopolitanus.
✠ Ego Ioannes Gay, ep. Imae Telluris et Pointapitrensis.
✠ Ego Thomas Niu Hui-Ching, ep. Iamcuvensis.
✠ Ego Alfonsus Emmanuel Escalante, ep. tit. Soranus.
✠ Ego Aemilius Baroncelli, ep. Recinetensis Lauretanus.
✠ Ego Franciscus Van den Bergh, ep. Budjalaensis.
✠ Ego Eduardus Nécsey, ep. tit. Velicensis.
✠ Ego Nilus Nicolaus Savaryn, ep. Edmontensis Ucrainorum.
✠ Ego Matthaeus Aloisius Niedhammer, ep. tit. Caloenus.
✠ Ego Mauritius Paulus Rousseau, ep. tit. Ausafensis.
✠ Ego Delphinus Ribeiro Guedes, ep. S. Ioannis a Rege.
✠ Ego Ignatius Mummadi, ep. Gunturensis.
✠ Ego Ioseph Gori, ep. Nepesinus et Sutrinus.
✠ Ego Antonius Bagnoli, ep. Fesulanus.
✠ Ego Ioseph Battaglia, ep. Faventinus.
✠ Ego Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis.
✠ Ego Ioseph Dell'Olmo, ep. Aquensis.
✠ Ego Gregorius Alonso Aparicio, ep. tit. Poglensis.
✠ Ego Carolus Zinato, ep. Vicentinus.
✠ Ego Innocentius Rodriguez Diez, ep. Conchensis.
✠ Ego Raphaël Alvarez Lara, ep. Maioricensis.
✠ Ego Ludovicus Severinus Haller, ep. tit. Bethleemitanus.
✠ Ego Stanislaus Courbe, ep. tit. Castoriensis.
✠ Ego Iulianus Le Couëdic, ep. Trecensis.
✠ Ego Alexander Kovács, ep. Sabariensis.
✠ Ego Ioseph Stella, ep. Spediensis, Sarzanensis et Brugnatensis.
✠ Ego Ignatius Krause, ep. Scioenteanus.
✠ Ego Ioannes Hervás y Benet, ep. tit. Doritanus.
✠ Ego Dominicus Fukahori, ep. Fukuokaensis.
✠ Ego Ioannes Nicolai, ep. Tarijensis.
✠ Ego Georgius Alapatt, ep. Trichuriensis.
✠ Ego Patritius Franciscus Lyons, ep. Saliensis.
✠ Ego Eduardus Ellis, ep. Nottinghamensis.
✠ Ego Eugenius O'Doherty, ep. Dromorensis.
✠ Ego Victor Foley, ep. tit. Petinessensis.
✠ Ego Hieronymus Bartholomaeus Bortignon, ep. Patavinus.
✠ Ego Raimundus Iulianus Martin, ep. Verae Pacis.
✠ Ego Michaël Angelus Garcia y Aráuz, ep. Jalapensis in Guatimala.
✠ Ego Raphaël González Estrada, ep. tit. Matregensis.
✠ Ego Ioseph López Ortiz, ep. Tudensis-Vicensis.
✠ Ego Aloisius Almarcha Hernández, ep. Legionensis.

✠ Ego Ferdinandus Pasini, ep. Saniuenensis.
✠ Ego Ioseph Pace, ep. Gaudisiensis.
✠ Ego Henricus Gelain, ep. Vaccariensis.
✠ Ego Augustinus Jauffrès, ep. tit. Arsennaritanus.
✠ Ego Bernardus Stein, ep. tit. Dagnensis.
✠ Ego Iacobus Connelly, ep. Riverormensis.
✠ Ego Carolus a Trinitate Borge y Catrilla, ep. tit. Lappensis.
✠ Ego Saturninus Rubio y Montiel, ep. Oxomensis-Sorianus.
✠ Ego Richardus Cleire, ep. tit. Tadamatensis.
✠ Ego Vincentius Roig y Villalba, ep. tit. Aradensis.
✠ Ego Alfredus Marie, ep. Caiennensis.
✠ Ego Ioseph Souto Vizoso, ep. Palentinus.
✠ Ego Adolfus Bolte, ep. Fuldensis.
✠ Ego Antonius Ioannes King Mussio, ep. Steubenvicensis.
✠ Ego Franciscus Ioseph Schenk, ep. Duluthensis.
✠ Ego Ioseph Angulo del Valle y Navarro, ep. Tabasquensis.
✠ Ego Vincentius Stanislaus Waters, ep. Raleighiensis.
✠ Ego Villelmus Ioseph Smith, ep. Pembrokensis.
✠ Ego Thaddaeus Le Huu Tu, ep. tit. Daphnusiensis.
✠ Ego Henricus Routhier, ep. tit. Naissitanus.
✠ Ego Ioseph Köstner, ep. Gurcensis.
✠ Ego Candidus Rada Senostain, ep. Guarandensis.
✠ Ego Aetius Barbieri, ep. Civitatis Plebis.
✠ Ego Iulius Bianconi, ep. Tarquiniensis et Centumcellarum.
✠ Ego Dominicus Valerii, ep. Marsorum.
✠ Ego Franciscus Charrière, ep. Lausannensis, Genevensis et Friburgensis.
✠ Ego Franciscus Jop, ep. tit. Dauliensis.
✠ Ego Carolus Boiardi, ep. Apuaniensis.
✠ Ego Bertrandus Lacaste, ep. Oranensis.
✠ Ego Renatus Ioseph Piérard, ep. Catalaunensis.
✠ Ego Renatus Boisguérin, ep. Suifuanus.
✠ Ego Carolus Greco, ep. Alexandrinus.
✠ Ego Laurentius Bereciartua Balerdi, ep. S. Sebastiani.
✠ Ego Franciscus Gerardus Kramer, ep. Lunganensis.
✠ Ego Stephanus Kuijpers, ep. Paramariboensis.
✠ Ego Ioannes Petrus Zarranz y Pueyo, ep. Placentinus in Hispania.
✠ Ego Arturus Tabera Araoz, ep. Albasitensis.
✠ Ego Maturinus Blanchet, ep. Augustanus.
✠ Ego Ioannes B. Piasentini, ep. Clodiensis.
✠ Ego Petrus Raimondi, ep. Crotonensis.
✠ Ego Thomas Laurentius Noa, ep. Marquettensis.
✠ Ego Casimirus Ioseph Kowalski, ep. Culmensis.
✠ Ego Leonillus Scheffer, ep. tit. Isbitanus.
✠ Ego Carolus Ioseph Van Melckebeke, ep. Nimsciianus.
✠ Ego Faustinus Tissot, ep. Chemceuvensis.
✠ Ego Antonius Demets, ep. tit. Cadossensis.
✠ Ego Georgius Marcus de Oliveira, ep. S. Andreae in Brasilia.
✠ Ego Aloisius Gonzaga Peluso, ep. Cachoeirensis de Itapemirim.

✠ Ego Petrus Arnoldus Aparicio y Quintanilla, ep. S. Vincentii.
✠ Ego Danius Bolognini, ep. Cremonensis.
✠ Ego Venceslaus Majewski, ep. tit. Docimensis.
✠ Ego Leo Ferdinandus Dworschak, ep. Fargensis.
✠ Ego Daniel Ioseph Feeney, ep. Portlandensis.
✠ Ego Iacobus Holmes-Siedle, ep. Kigomaensis.
✠ Ego Andreas van den Bronk, ep. Parakuensis.
✠ Ego Patricius Dunne, ep. tit. Narensis.
✠ Ego Eduardus Aloisius Fitzgerald, ep. Vinonaensis.
✠ Ego Aurelius Marena, ep. Rubensis et Bituntinus.
✠ Ego Ioannes B. Costa, ep. tit. Scilitanus.
✠ Ego Benedictus Zorzi, ep. Caxiensis.
✠ Ego Maximilianus Držečnik, ep. Mariborensis.
✠ Ego Beniaminus Ibberson Webster, ep. Peterboroughensis.
✠ Ego Gabriel Paulinus Bueno Couto, ep. tit. Leucenus.
✠ Ego Albertus Conradus De Vito, ep. Lucknovensis.
✠ Ego Bernardus Dionysius Stewart, ep. Sandhurstensis.
✠ Ego Franciscus Jedwabski, ep. tit. Maxulitanus.
✠ Ego Alfredus Ancel, ep. tit. Myrinensis.
✠ Ego Daniel Tavares Baeta Neves, ep. Septemlacunensis.
✠ Ego Thomas Ioseph McDonough, ep. Savannensis.
✠ Ego Ioseph Gabriel Anaya y Diez de Bonilla, ep. Zamorensis in Mexico.
✠ Ego Paschalis Quaremba, ep. Gallipolitanus.
✠ Ego Nicolaus Verhoeven, ep. Manadoensis.
✠ Ego Leopoldus Brellinger, ep. Chimscienensis.
✠ Ego Ioseph Carolus McCormick, ep. AltunensisJohnstoniensis.
✠ Ego Secundus Chiocca, ep. tit. Caesariensis in Bythinia.
✠ Ego Michaël Klepacz, ep. Lodzensis.
✠ Ego Ioseph Melas, ep. Nuorensis.
✠ Ego Ioannes Eduardus Petit, ep. Menevensis.
✠ Ego Iacobus Fergus, ep. Achadensis.
✠ Ego Ioannes Lück, ep. Alivalensis.
✠ Ego Daniel Liston, ep. Portus Ludovici.
✠ Ego Carolus Pekala, ep. tit. Trocmadianus.
✠ Ego Floid Laurentius Begin, ep. Quercopolitanus.
✠ Ego Ioseph Hascher, ep. tit. Aeliensis.
✠ Ego Ioseph Augustinus Hagendorens, ep. Tshumbeensis.
✠ Ego Eduardus Mason, ep. tit. Rusicadensis.
✠ Ego Camillus Placidus Crous y Salichs, ep. tit. Cratiensis.
✠ Ego Claudius Bayet, ep. tit. Cidyessensis.
✠ Ego Georgius Béjot, ep. tit. Cassandrensis.
✠ Ego Aurelius Del Pino Gómez, ep. Illerdensis.
✠ Ego Ioannes B. Neuhäusler, ep. tit. Calydoniensis.
✠ Ego Andreas Fauvel, ep. Corisopitensis.
✠ Ego Albericus Semeraro, ep. Uritanus.
✠ Ego Ioannes Ioseph Wright, ep. Pittsburgensis Latinorum.
✠ Ego Ioannes Kyne, ep. Midensis.
✠ Ego Georgius Xenopulos, ep. Syrensis.

✠ Ego Ioseph Marling, ep. Civitatis Jeffersoniensis.
✠ Ego Iacobus Grent, ep. Betagbarensis.
✠ Ego Nicanor Carolus Gavilanes Chamorro, ep. Portus Veteris.
✠ Ego Petrus M. Puech, ep. Carcassonensis.
✠ Ego Ioseph Aurelianus Bilgeri, ep. Eshowensis.
✠ Ego Hugo Donohoe, ep. Stocktoniensis.
✠ Ego Augustinus Wildermuth, ep. Patnensis.
✠ Ego Adolfus Alexander Noser, ep. tit. Hierpinianensis.
✠ Ego Iacobus Moynagh, ep. Calabarensis.
✠ Ego Carolus M. Cavallera, ep. Marsabitensis.
✠ Ego Ioseph Maximilianus Müller, ep. Siopolitanus.
✠ Ego Ignacius Glennie, ep. Trincomaliensis.
✠ Ego Hubertus M. Newell, ep. Cheyennensis.
✠ Ego Iacobus Aloisius McNulty, ep. Buffalensis.
✠ Ego Ludovicus Abel Caillouet, ep. tit. Seteensis.
✠ Ego Albertus Zuroweste, ep. Bellevillensis.
✠ Ego Wendelinus Ioseph Nold, ep. Galvestoniensis-Houstoniensis.
✠ Ego Carolus Eduardus Saboia Bandeira de Mello, ep. Palmensis.
✠ Ego Anselmus Pietrulla, ep. Tubaraoensis.
✠ Ego Paulus Petrus Pinier, ep. Constantinianus.
✠ Ego Emmanuel Könner, ep. tit. Modrenus.
✠ Ego Franciscus Bottino, ep. tit. Sebastenus in Palaestina.
✠ Ego Benignus Carrara, ep. Imolensis.
✠ Ego Emmanuel Petrus da Cunha Cintra, ep. Petropolitanus.
✠ Ego Eduardus Jetté, ep. tit. Tabenus.
✠ Ego Franciscus Gleeson, ep. de Fairbanks.
✠ Ego Antonius Ferreira Gomes, ep. Portugallensis.
✠ Ego Vunibaldus Talleur, ep. tit. Magydensis.
✠ Ego Antonius Tedde, ep. Uxellensis et Terralbensis.
✠ Ego Ioseph Brendan Whelan, ep. Overriensis.
✠ Ego Andreas Roborecki, ep. Saskatoonensis Ucrainorum.
✠ Ego Iacobus Black, ep. Pasletanus.
✠ Ego Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus.
✠ Ego Ioannes Toohey, ep. Maitlandensis.
✠ Ego Ludovicus Ioseph Reicher, ep. Austiniensis.
✠ Ego Rodoricus Serra, ep. S. Caroli in Brasilia.
✠ Ego Eduardus Ioannes Doody, ep. Armidalensis.
✠ Ego Clemens Geiger, ep. tit. Olenensis.
✠ Ego Alfredus Bertram Leverman, ep. S. Ioannis Canadensis.
✠ Ego Ioseph Delphinus Des Rosiers, ep. Qachasnekensis.
✠ Ego Angelus Muzzolón, ep. tit. Tyriaensis.
✠ Ego Ioannes B. Rosenthal, ep. Queenstownensis.
✠ Ego Isidorus Borecky, ep. Torontinus Ucrainorum.
✠ Ego Ioannes B. Dal Prà, ep. Interamnensis et Narniensis.
✠ Ego Fredericus Hall, ep. tit. Castranovensis.
✠ Ego Aldus Patroni, ep. Calicutensis.
✠ Ego Silvius Cassulo, ep. Maceratensis-Tolentinus.
✠ Ego Michaël Albertus Arduino, ep. Hieracensis-Locrensis.

✠ Ego Emmanuel a Iesu Pereira, ep. Brigantiensis.
✠ Ego Paulus Rolim Loureiro, ep. Crucismogensis.
✠ Ego Ioseph Iulianus Oste, ep. Geholensis.
✠ Ego Vincentius Billington, ep. tit. Fallabensis.
✠ Ego Ioseph Terceiro de Souza, ep. Penedensis.
✠ Ego Russel Ioseph McVinney, ep. Providentiensis.
✠ Ego Villelmus Brasseur, ep. tit. Agathonicianus.
✠ Ego Horacius Ferucius Ceol, ep. Chiceuvensis.
✠ Ego Ioannes B. Velasco, ep. Sciiamenensis.
✠ Ego Georgius Mercier, ep. Laguatensis.
✠ Ego Raphaël Macario, ep. tit. Tiberiensis.
✠ Ego Robertus Massimiliani, ep. Civitatis Castellanae, Hortanus et Gallesinus.
✠ Ego Andreas Jacq, ep. tit. Cerasenus.
✠ Ego Leo Arkfeld, ep. tit. Bucellensis.
✠ Ego Petrus Severi, ep. tit. Pergamenus.
✠ Ego Ioseph Schröffer, ep. Eystettensis.
✠ Ego Carolus Angeleri, ep. tit. Ptolemaidensis in Lybia.
✠ Ego Percival Caza, ep. tit. Albulensis.
✠ Ego Gerardus Bertrand, ep. Navrongensis.
✠ Ego Henricus Vion, ep. Pictaviensis.
✠ Ego Ioseph Lazarus Neves, ep. Assisensis.
✠ Ego Claudius Constantinus M. Flusin, ep. S. Claudii.
✠ Ego Ioannes B. Parodi, ep. Savonensis et Naulensis.
✠ Ego Iesus Antonius Castro Becerra, ep. Palmiranus.
✠ Ego Franciscus Minerva, ep. Lyciensis.
✠ Ego Leo Pietsch, ep. tit. Naronensis.
✠ Ego Ioseph Alves de Sa'Trindade, ep. Montisclarensis.
✠ Ego Carolus Ioseph Leiprecht, ep. Rottenburgensis.
✠ Ego Alfredus Galindo Mendoza, ep. Tigiuanaensis.
✠ Ego Thomas Vincentius Cahill, ep. Cairnensis.
✠ Ego Emmanuel Tato, ep. S. Iacobi de Estero.
✠ Ego Franciscus Esser, ep. Keimoesanus.
✠ Ego Antonius Victor Hälg, ep. tit. Baianensis.
✠ Ego Alfonsus M. Ungarelli, ep. tit. Azurensis.
✠ Ego Hugo Boyle, ep. Ioannesburgensis.
✠ Ego Ioseph Obert, ep. Dinajpurensis.
✠ Ego Lucianus Lacoste, ep. Talianus.
✠ Ego Villelmus Aloisius O'Connor, ep. Campifontis in Illinois.
✠ Ego Carolus M. Himmer, ep. Tornacensis.
✠ Ego Franciscus Constantinus Mazzieri, ep. Ndolaensis.
✠ Ego Vladimirus Borić, ep. de Punta Arenas.
✠ Ego Ioseph Romaeus Gagnon, ep. Edmundstonensis.
✠ Ego Lurdu Mariaden Salvanaden, ep. Salemensis.
✠ Ego Ceslaus Falkowski, ep. Lomzensis.
✠ Ego Paulus Tobar González, ep. Cuttackensis.
✠ Ego Hieronymus Aemilianus Pillai, ep. Jaffnensis.
✠ Ego Franciscus Odo De Wilde, ep. Niangaraensis.
✠ Ego Paulus Hippolytus de Souza Libório, ep. Parnaibensis.

✠ Ego Carolus Hermannus Helmsing, ep. Kansanopolitanus-S. Ioseph.
✠ Ego Ioannes Patritius O'Loughlin, ep. Darvinensis.
✠ Ego Ludovicus Ioannes Guyot, ep. Constantiensis.
✠ Ego Tarcisius Vincentius Benedetti, ep. Laudensis.
✠ Ego Ioannes Evangelista McBride, ep. Kokstadensis.
✠ Ego Leo Lommel, ep. Luxemburgensis.
✠ Ego Leo D'Mello, ep. Aimerensis et Jaipurensis.
✠ Ego Petrus Grimm, ep. Zincheuvensis.
✠ Ego Laurentius Bianchi, ep. Sciiamchiamensis.
✠ Ego Edwinus Pinto, ep. Ahmedabadensis.
✠ Ego Balthasar Alvarez Restrepo, ep. Pereiranus.
✠ Ego Ioseph Calasanctius Rosenhammer, ep. tit. Amporensis.
✠ Ego Andreas Alexius D'Souza, ep. Poonensis.
✠ Ego Ioseph Rudderham, ep. Cliftoniensis.
✠ Ego Ioannes Beniaminus Grellinger, ep. tit. Syenitanus.
✠ Ego Ioachim Muccin, ep. Feltrensis et Bellunensis.
✠ Ego Aemilius Biancheri, ep. Ariminensis.
✠ Ego Ioannes Capistranus Cayer, ep. tit. Cissitanus.
✠ Ego Bernardinus Collin, ep. Diniensis.
✠ Ego Villelmus Kempf, ep. Limburgensis.
✠ Ego Petrus Kalwa, ep. Lublinensis.
✠ Ego Matthaeus Vido Sperandeo, ep. Calvensis et Theanensis.
✠ Ego Thomas Bernardus Pearson, ep. tit. Sindensis.
✠ Ego Robertus Pobožný, ep. tit. Neilenus.
✠ Ego Ambrosius Lazik, ep. tit. Appianus.
✠ Ego Franciscus Tomášek, ep. tit. Butiensis.
✠ Ego Franciscus Zauner, ep. Linciensis.
✠ Ego Henricus Pinault, ep. Cemtuanus.
✠ Ego Ioseph Guffens, ep. tit. Germanicianensis.
✠ Ego Crispulus Benítez Fontúrvel, ep. Barsiquimetensis.
✠ Ego Ioannes Patricius Kavanagh, ep. Dunedinensis.
✠ Ego Bernardinus Echeverria Ruiz, ep. Ambatensis.
✠ Ego Arturus Quintanilla, ep. Coeitevensis.
✠ Ego Claudius Colling, ep. Passofundensis.
✠ Ego Antonius Bergamaschi, ep. Feretranus.
✠ Ego Georgius Guibert, ep. Reunionensis.
✠ Ego Georgius Villelmus Ahr, ep. Trentonensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Muthappa, ep. Coimbaturensis.
✠ Ego Hirtius Aloisius Magliacani, ep. tit. Diensis.
✠ Ego Ioannes Ambrosius Abasolo y Lecue, ep. Vijayapuramensis.
✠ Ego Ioannes Russell, ep. Richmondiensis.
✠ Ego Ioannes McEleney, ep. Kingstonensis.
✠ Ego Marcellus Daubechies, ep. tit. Buffadensis.
✠ Ego Ioannes von Rudloff, ep. tit. Busiritanus.
✠ Ego Andreas Parenty, ep. tit. Sitifensis.
✠ Ego Petrus Kelleter, ep. Bethlehemitanus.
✠ Ego Iacobus Cannonero, ep. Astensis.
✠ Ego Sylvius Aloisius Haro Alvear, ep. Ibarrensis.

✠ Ego Alexander M. Zaleski, ep. tit. Lyrbitanus.
✠ Ego David Cunningham, ep. tit. Lampsacenus.
✠ Ego Polycarpus da Costa Vaz, ep. Aegitaniensis.
✠ Ego Bernardus Arango Henao, ep. Barrancabermejensis.
✠ Ego Emmanuel Marengo, ep. Azulensis.
✠ Ego Gerardus van Velsen, ep. Kroonstadensis.
✠ Ego Gustavus Iosephus Bouve, ep. Kongoloensis.
✠ Ego Antonius Koreiche, ep. Sidoniensis Maronitarum.
✠ Ego Heribertus Bednorz, ep. tit. Bullensis.
✠ Ego Franciscus Pennisi, ep. Ragusiensis.
✠ Ego Aloisius Faveri, ep. Tiburtinus.
✠ Ego Aemilius Ioseph De Smedt, ep. Brugensis.
✠ Ego Ioseph M. Garcia Lahiguera, ep. Huelvensis.
✠ Ego Dragutin Nežic, ep. Parentinus et Polensis.
✠ Ego Petrus M. Pham-ngoc Chi, ep. Danangensis.
✠ Ego Dominicus Hoang-van-Doan, ep. Quinhon.
✠ Ego Ioseph Albertus Martin, ep. Nicoletanus.
✠ Ego Vincentius Reyes, ep. Boronganensis.
✠ Ego Raimundus de Castro e Silva, ep. tit. Uzalensis.
✠ Ego Franciscus Leipzig, ep. Bakeriensis.
✠ Ego Ignatius Gregorius Larrañaga Lasa, ep. Pimliamensis.
✠ Ego Valterus Vervoort, ep. tit. Baricensis.
✠ Ego Victor M. Keuppens, ep. Kaminaensis.
✠ Ego Vincentius Hanly, ep. Elphinensis.
✠ Ego Thomas Fernando, ep. Tuticorensis.
✠ Ego Hermannus Tillemans, ep. tit. Berissenus.
✠ Ego Abdallah Nujaim, ep. Heliopolitanus Maronitarum.
✠ Ego Sebastianus Vayalil, ep. Palaiensis.
✠ Ego Villelmus Schoemaker, ep. Purvokertensis.
✠ Ego Augustinus Quinn, ep. Kilmorensis.
✠ Ego Merlinus Ioseph Guilfoyle, ep. tit. Bullensis.
✠ Ego Timotheus O'Shea, ep. Livingstonensis.
✠ Ego Paulus Leonardus Hagerty, ep. Nassaviensis.
✠ Ego Ioseph Varani, ep. Jaboticaballensis.
✠ Ego Vincentius M. Jacono, ep. tit. Patarensis.
✠ Ego Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis.
✠ Ego Angelus Hidalgo Ibañez, ep. Jacensis.
✠ Ego Cornelius Lucey, ep. Corcagiensis et Rossensis.
✠ Ego Villelmus Cleven, ep. tit. Sasimensis.
✠ Ego Petrus Canisius van Lierde, ep. tit. Porphyriensis.
✠ Ego Ioannes B. Cesana, ep. Guluensis.
✠ Ego Ludovicus Cabrera Cruz, ep. S. Ludovici Potosiensis.
✠ Ego Augustinus D'Arco, ep. Castri Maris.
✠ Ego Blasius Musto, ep. Aquinatensis, Soranus et Pontiscurvi.
✠ Ego Patricius O'Boyle, ep. Alladensis.
✠ Ego Alfonsus Beretta, ep. Varangalensis.
✠ Ego Andreas Jacques, ep. Bomaensis.
✠ Ego Petrus Zuccarino, ep. Bobiensis.

✠ Ego Albertus Franciscus Cousineau, ep. Capitis Haitiani.
✠ Ego Nicolaus Petrus van der Westen, ep. Pangkalpinangensis.
✠ Ego Caesarius Benedetti, ep. tit. Tidditanus.
✠ Ego Sixtus Mazzoldi, ep. tit. Lamenus.
✠ Ego Paschalis Venezia, ep. Arianensis.
✠ Ego Ghebre Iesus Iacob, ep. tit. Erythritanus.
✠ Ego Haile Mariam Cahsay, ep. Adigratensis.
✠ Ego Dinus Aloisius Romoli, ep. Pisciensis.
✠ Ego Antonius Hubertus Thijssen, ep. Larantukanus.
✠ Ego Aemilius Pirolley, ep. Nanceyensis.
✠ Ego Leo Adolfus Messmer, ep. Ambaniaensis.
✠ Ego Ioseph Hiltl, ep. tit. Constantiniensis.
✠ Ego Ioannes Ricote Alonso, ep. tit. Miletopolitanus.
✠ Ego Aemilius Pizzoni, ep. Terracinensis, Privernensis et Setinus.
✠ Ego Hilarius Roatta, ep. S. Agathae Gothorum.
✠ Ego Vitalis Bonifacius Bertoli, ep. tit. Attaeatanus.
✠ Ego Petrus Carretto, ep. tit. Zenobiensis.
✠ Ego Henricus Rau, ep. Maris Platensis.
✠ Ego Edmundus Nowicki, ep. Gedanensis.
✠ Ego Gerardus Mongeau, ep. tit. Dianensis.
✠ Ego Stephanus Bäuerlein, ep. Diacovensis-Sirmiensis.
✠ Ego Vido M. Casullo, ep. tit. Uticensis.
✠ Ego Ioannes B. Franz, ep. Peoriensis.
✠ Ego Bruno Desrochers, ep. S. Annae Pocatierensis.
✠ Ego Petrus Ioseph Rivera Mejía, ep. Succursensis et S. Aegidii.
✠ Ego Peregrinus de la Fuente, ep. tit. Mylasensis.
✠ Ego Gerardus M. Coderre, ep. S. Ioannis Quebecensis.
✠ Ego Fulton Sheen, ep. tit. Caesarianensis.
✠ Ego Maximus Tessier, ep. Timminsensis.
✠ Ego Loras Thomas Lane, ep. Rockfordiensis.
✠ Ego Aemilianus Frenette, ep. S. Hieronymi Terrebonae.
✠ Ego Ioannes Greif, ep. Tororoensis.
✠ Ego Hermannus Westermann, ep. Sambalpurensis.
✠ Ego Ioseph Schoiswohl, ep. Graecensis-Secoviensis.
✠ Ego Aloisius Boccadoro, ep. Montis Falisci.
✠ Ego Aemilius Elias Verhille, ep. Arcis Rousset.
✠ Ego Villelmus M. Van Zuylen, ep. Leodiensis.
✠ Ego Dermot O'Flanagan, ep. Junellensis.
✠ Ego Ioseph Fady, ep. Lilongwensis.
✠ Ego Orestes Marengo, ep. Tezpurensis.
✠ Ego Paulus Furuya Yoshiyuki, ep. Kyotensis.
✠ Ego Villelmus Duschak, ep. tit. Abiddensis.
✠ Ego Henricus Dupont, ep. tit. Dorylaensis.
✠ Ego Ioannes Paschang, ep. Insulae Grandis.
✠ Ego Lancellottus Ioannes Goody, ep. Bumburiensis.
✠ Ego Matthias Wehr, ep. Trevirensis.
✠ Ego Ioseph Pont y Gol, ep. Segobricensis-Castellionensis.
✠ Ego Paulus Chevalier, ep. Cenomanensis.

✠ Ego Ioannes Lesourd, ep. Nunensis.
✠ Ego Salvator Quezada Limón, ep. de Aguas Calientes.
✠ Ego Marcellus Riopel, ep. tit. Neocaesariensis in Syria.
✠ Ego Antonius Poma, ep. Mantuanus.
✠ Ego Aloisius Carolus Borromeo, ep. Pisauriensis.
✠ Ego Ioseph Pavlišić, ep. tit. Bruzenus.
✠ Ego Vincentius Radicioni, ep. Montis Alti.
✠ Ego Fredericus Rintelen, ep. tit. Chusirensis.
✠ Ego Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania.
✠ Ego Lucas Katsusaburo Arai, ep. Yokohamaensis.
✠ Ego Alfredus Lanctót, ep. Rulengensis.
✠ Ego Ambrosius De Battista, ep. Vijayavadanus.
✠ Ego Villelmus Escobar Vélez, ep. Antioquiensis.
✠ Ego Georgius Manrique, ep. Orurensis.
✠ Ego Franciscus Ioseph Klein, ep. Saskatoonensis.
✠ Ego Aloisius Victor Sartori, ep. S. Mariae.
✠ Ego Xaverius Geeraerts, ep. tit. Laganitanus.
✠ Ego Lambertus Hoch, ep. Siouxormensis.
✠ Ego Aloisius Bigirumwami, ep. Nyundoensis.
✠ Ego Iacobus Buis, ep. tit. Astypalaensis.
✠ Ego Patritius Winters, ep. Mbuluensis.
✠ Ego Xaverius M. Ariz Huarte, ep. tit. Baparensis.
✠ Ego Lionellus Audet, ep. tit. Thibaritanus.
✠ Ego Antonius Frondosa, ep. Capicensis.
✠ Ego Sergius Méndez Arceo, ep. Cuernavacensis.
✠ Ego Bryan Gallagher, ep. Portus Piriensis.
✠ Ego Raimundus Larose, ep. Chittagongensis.
✠ Ego Ambrosius Galbiati, ep. Jalpaiguriensis.
✠ Ego Carolus Ferrari, ep. Monopolitanus.
✠ Ego Ioseph Nepote-Fus, ep. tit. Helensis.
✠ Ego Ioachim de Lange, ep. tit. Photicensis.
✠ Ego Carolus Aloisius Geromini, ep. tit. Zabensis.
✠ Ego Felix M. Verdet, ep. Rupellensis.
✠ Ego Alexander Fernández Feo-Tinoco, ep. S. Christophori in Venezuela.
✠ Ego Robertus Ioseph Dwyer, ep. Renensis.
✠ Ego Ioseph Gargitter, ep. Bausanensis-Brixinensis.
✠ Ego Aemilius Durrheimer, ep. Katiolaensis.
✠ Ego Flavianus Ariola, ep. Legaspiensis.
✠ Ego Franciscus Simons, ep. Indorensis.
✠ Ego Aloisius Rodriguez Pardo, ep. S. Crucis de Sierra.
✠ Ego Ioseph Adelinus Dantas, ep. Garanhunensis.
✠ Ego Philippus Lussier, ep. S. Pauli in Alberta.
✠ Ego Michaël Arattukulam, ep. Alleppeyensis.
✠ Ego Bernardus Fey Schneider, ep. tit. Philadelphensis minor.
✠ Ego Paulus Leo Seitz, ep. Kontumensis.
✠ Ego Villelmus Van Kester, ep. Basankusuensis.
✠ Ego Prosper Dodds, ep. Ziguinchorensis.
✠ Ego Ioseph Howard Hodges, ep. Whelingensis.

✠ Ego Hyacinthus Argaya Goicoechea, ep. Mindoniensis-Ferrolensis.
✠ Ego Raimundus Masnou Boixeda, ep. Vicensis.
✠ Ego Antonius Añoveros Ataún, ep. Gadicensis-Septensis.
✠ Ego Michaël Antonius Medina y Medina, ep. Monteriensis.
✠ Ego Ioseph McGee, ep. Gallovidianus.
✠ Ego Valterus Kampe, ep. tit. Bassianensis.
✠ Ego Aloisius Barbero, ep. Viglevanensis.
✠ Ego Paulus Constantinus Schoenmaeckers, ep. tit. Acarasiensis.
✠ Ego Ioseph Carraro, ep. Veronensis.
✠ Ego Angelus Temiño Saiz, ep. Auriensis.
✠ Ego Abilius del Campo y de la Bárcena, ep. Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis.
✠ Ego Antonius Pawlowski, ep. Vladislaviensis.
✠ Ego Ioseph Zimmermann, ep. tit. Ceryniensis.
✠ Ego Isidorus Marcus Emanuel, ep. Spirensis.
✠ Ego Ioannes Franciscus Hackett, ep. tit. Helenopolitanus in Palaestina.
✠ Ego Thomas Ioseph Brosnahan, ep. Liberae Urbis et Boensis.
✠ Ego Benedictus Tomizawa, ep. Sapporensis.
✠ Ego Gregorius Elias Olazar Muruaga, ep. tit. Prusensis.
✠ Ego Franciscus Rendeiro, ep. tit. Benepotensis.
✠ Ego Ernestus Corripio Ahumada, ep. Tampicensis.
✠ Ego Augustinus Ioachim Lopes de Moura, ep. Portalegrensis-Castri Albi.
✠ Ego Artemius Prati, ep. Carpensis.
✠ Ego Ioannes B. Pardini, ep. Aesinus.
✠ Ego Franciscus Xaverius Sanguon Souvannasri, ep. tit. Oenoandensis.
✠ Ego Ioseph Truong-cao-Dai, ep. tit. Silensis.
✠ Ego Arokiaswami Sundaram Rajarethinam, ep. Tanjorensis.
✠ Ego Alfonsus Fresnel, ep. Arcis Delphini.
✠ Ego Villelmus Sedlmeier, ep. tit. Aulonitanus.
✠ Ego Emmanuel Alphonsus de Carvalho, ep. Angrensis.
✠ Ego Marinus Bergonzini, ep. Volaterranus.
✠ Ego Ioannes Rüth, ep. tit. Amudarsensis.
✠ Ego Henricus Romulus Compagnone, ep. Anagninus.
✠ Ego Otho Motta, ep. Campaniensis in Brasilia.
✠ Ego Natalis Boucheix, ep. Portus Novi.
✠ Ego Ioannes Klooster, ep. Surabaiensis.
✠ Ego Petrus de la Chanonie, ep. Claromontanus.
✠ Ego Ioannes Ernestus Ménard, ep. Ruthenensis.
✠ Ego Zacharias Rolim de Moura, ep. Cajazeirasensis.
✠ Ego Gerardus Valencia Cano, ep. tit. Rhesainensis.
✠ Ego Petrus Grau y Arola, ep. tit. Pellensis.
✠ Ego Ioannes Bokenfohr, ep. Kimberleyensis.
✠ Ego Georgius Kettel, ep. Kabindaensis.
✠ Ego Ivo Plumey, ep. Garuensis.
✠ Ego Remigius Augustin, ep. tit. Turuzitanus.
✠ Ego Ioseph Pullano, ep. Pactensis.
✠ Ego Vincentius De Chiara, ep. Miletensis.
✠ Ego Mauritius Raspini, ep. tit. Sebargensis.

✠ Ego Aldus Forzoni, ep. Dianensis.
✠ Ego Constantinus Caminada, ep. Ferentinus.
✠ Ego Aegidius Henricus Alexis Barthe, ep. Foroiuliensis Tolonensis.
✠ Ego Virginius Dondeo, ep. Urbevetanus.
✠ Ego Franciscus Ioseph Green, ep. Tucsonensis.
✠ Ego Valterus Philippus Kellemberg, ep. Petropolitanus in Insula Longa.
✠ Ego Carolus Anasagasti, ep. tit. Caltadriensis.
✠ Ego Augustinus Baroni, ep. tit. Baleciensis.
✠ Ego Ioannes Hubertus Macey Rodgers, ep. tit. Sbidensis.
✠ Ego Albertus Leménager, ep. Yarmuthensis.
✠ Ego Alfredus Rubio Diaz, ep. Sonsonensis.
✠ Ego Augustus Gianfranceschi, ep. Caesenatensis.
✠ Ego Secundus Garcia, ep. tit. Olympenus.
✠ Ego Firminus Courtemanche, ep. de Fort Jameson.
✠ Ego Primus Gasbarri, ep. tit. Thennesiensis.
✠ Ego Villelmus Ioseph Brennan, ep. Toovoombensis.
✠ Ego Dominicus Ekandem, ep. de Ikot Ekpene.
✠ Ego Alexander Renard, ep. Versaliensis.
✠ Ego Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis.
✠ Ego Aemilius Abascal Salmerón, ep. tit. Abziritanus.
✠ Ego Ioseph Borgatti, ep. Viedmensis.
✠ Ego Bernardus Ioseph Flanagan, ep. Vigorniensis.
✠ Ego Hermannus Spiess, ep. tit. Cemerinianensis.
✠ Ego Alfredus Vozzi, ep. Cavensis et Sarnensis.
✠ Ego Carolus Bandini, ep. Sarsinatensis.
✠ Ego Amatus Decosse, ep. Gravelburgensis.
✠ Ego Hugo Eduardus Polanco Brito, ep. S. Iacobi Equitum.
✠ Ego Ioseph de Almeida Batista Pereira, ep. Guaxupensis.
✠ Ego Placidus M. Cambiaghi, ep. Novariensis.
✠ Ego Georgius Kilianus Pflaum, ep. tit. Izirianensis.
✠ Ego Felix Romero Menjibar, ep. Giennensis.
✠ Ego Ioseph Armandus Gutierrez Granier, ep. Cochabambensis.
✠ Ego Martinus Fulgentius Elorza Legaristi, ep. tit. Balianensis.
✠ Ego Franciscus Monaco, ep. Calatanisiadensis.
✠ Ego Villelmus Philbin, ep. Dunensis et Connorensis.
✠ Ego Athanasius Cheriyan Polachirakal, ep. Tiruvallensis.
✠ Ego Ioannes Van Cauwelaert, ep. Inongoensis.
✠ Ego Franciscus Clemens Van Hoeck, ep. tit. Cissitanus.
✠ Ego Antonius Konings, ep. Ketaensis.
✠ Ego Villelmus Ioannes Demarteau, ep. Bandjarmasinensis.
✠ Ego Ioannes David, ep. Maiungaensis.
✠ Ego Petrus Arikata Kobayashi, ep. Sendaiensis.
✠ Ego Laureanus Castán Lacoma, ep. Segentinus-Guadalajariensis.
✠ Ego Laurentius Bessone, ep. Meruensis.
✠ Ego Ioseph Garneri, ep. Segusiensis.
✠ Ego Leonidas Proaño Villalba, ep. Rivibambensis.
✠ Ego Ioseph a Iesu Alba Palacios, ep. Tehuantepecensis.
✠ Ego Paulus Barrachina Estevan, ep. Oriolensis-Lucentinus.

✠ Ego Ioseph M. Pernicone, ep. tit. Hadrianopolitanus in Honoriade.
✠ Ego Alfonsus Caelestinus Basilius Baud, ep. Berberatensis.
✠ Ego Ioannes Reddington, ep. Josensis.
✠ Ego Xaverius Morilleau, ep. tit. Coloniensis in Capadocia.
✠ Ego Marius Longo Dorni, ep. Pistoriensis.
✠ Ego Leo Christophorus Byrne, ep. tit. Sabadiensis.
✠ Ego Emmanuel Pereira Da Costa, ep. Campinae Grandis.
✠ Ego Eugenius de Araújo Sales, ep. tit. Thibicensis.
✠ Ego Ieremias Franciscus Minihan, ep. tit. Paphiensis.
✠ Ego Ioseph Bretault, ep. Kuduguensis.
✠ Ego Petrus Fiordelli, ep. Pratensis.
✠ Ego Robertus Joyce, ep. Burlingtonensis.
✠ Ego Hermannus Ioannes van Elswijck, ep. Morogoroensis.
✠ Ego Camillus Faresin, ep. tit. Bubastitanus.
✠ Ego Franciscus Xaverius Fenech, ep. Jhansiensis.
✠ Ego Malcholmus MacEachern, ep. Carolinapolitanus.
✠ Ego Raimundus Bogarin Argaña, ep. S. Ioannis B. a Missionibus.
✠ Ego Gilbertus Baroni, ep. Regiensis in Aemilia.
✠ Ego Ioannes Pereiro Venâncio, ep. Leiriensis.
✠ Ego Franciscus Valentinus Allen, ep. tit. Avensensis.
✠ Ego Richardus Guilly, ep. Georgeopolitanus.
✠ Ego Antonius De Campos, ep. tit. Febianensis.
✠ Ego Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis.
✠ Ego Honoratus Van Waeyenbergh, ep. tit. Gilbensis.
✠ Ego Ioannes Donovan, ep. tit. Rhasensis.
✠ Ego Ioseph Gennangi, ep. Kamechliensis Armenorum.
✠ Ego Eugenius Beitia Aldazabal, ep. tit. Verronensis.
✠ Ego Octavius Aguiar, ep. Palmiriensis Indorum.
✠ Ego Clovis Thibault, ep. tit. Canathenus.
✠ Ego Carolus Garret Maloney, ep. tit. Capsitanus.
✠ Ego Ioseph Fenocchio, ep. Apuanus.
✠ Ego Bruno Wechner, ep. tit. Cartennitanus.
✠ Ego Florentinus de Andrade e Silva, ep. tit. Heliosebastenus.
✠ Ego Andreas Creemers, ep. Bondoensis.
✠ Ego Andreas Lefebvre, ep. Kikuitensis.
✠ Ego Thomas McGettrick, ep. Ogogiaensis.
✠ Ego Ludovicus Julliard, ep. tit. Vulturiensis.
✠ Ego Franciscus Peralta y Ballabriga, ep. Victoriensis.
✠ Ego Ioseph Aloisius Durick, ep. tit. Cerbalitanus.
✠ Ego Andreas Pioger, ep. Sagiensis.
✠ Ego Cyprianus Tourel, ep. Montis Pessulani.
✠ Ego Nicolaus Elko, ep. Pittsburgensis Ruthenorum.
✠ Ego Franciscus Nunes Teixeira, ep. Quelimanensis.
✠ Ego Rogerius Michon, ep. Carnutensis.
✠ Ego Antonius Rosarius Mennonna, ep. Neritonensis.
✠ Ego Ioannes Wember, ep. tit. Vasadensis.
✠ Ego Ioseph Asajiro Satowaki, ep. Kagoshimaensis.
✠ Ego Dominicus Vendargon, ep. Kuala Lumpurensis.

✠ Ego Antonius Jannucci, ep. Pinnensis-Piscariensis.
✠ Ego Paulus Dumouchel, ep. tit. Sufetanus.
✠ Ego Caesarius Alexander Minali, ep. tit. Achyraensis.
✠ Ego Ioseph Ioachim Flórez Hernández, ep. Ibaguensis.
✠ Ego Emmanuel Antonius Pires, episcopus Silva Portuensis.
✠ Ego Antonius Mistrorigo, ep. Tarvisinus.
✠ Ego Cyrillus Restiaux, ep. Plymuthensis.
✠ Ego Iulius Laschi Gonzalez, ep. tit. Abydenus.
✠ Ego Carolus Van den Ouwelant, ep. Surigensis.
✠ Ego Emmanuel del Rosario, ep. Malolosinus.
✠ Ego Longinus Gabriel Pereira, ep. tit. Vadensis.
✠ Ego Ernestus Arturus Green, ep. Portus Elizabethensis.
✠ Ego Patricius Cronin, ep. tit. Ubazensis.
✠ Ego Villelmus Hart, ep. Dunkeldensis.
✠ Ego Renatus Fourrey, ep. Bellicensis.
✠ Ego Vincentius Marchetti Zioni, ep. Bauropolitanus.
✠ Ego Vincentius de Araujo Matos, ep. Cratensis.
✠ Ego Thomas Ioseph McCarthy, ep. S. Catharinae in Ontario.
✠ Ego Daniel Chinnayan Arulswami, ep. Kumbakonamensis.
✠ Ego Antonius M. Michelato Danese, ep. tit. Archelaidensis.
✠ Ego Angelus Rodriguez Gamoneda, ep. tit. Gazerensis.
✠ Ego Ioseph Albertus Rosario, ep. Amravatensis.
✠ Ego Ubaldus Theophanus Stella, ep. tit. Antaeopolitanus.
✠ Ego Ioseph Bascuñana Llópez, ep. Celsonensis.
✠ Ego Alfonsus Silveira de Mello, ep. tit. Nasaitensis.
✠ Ego Antonius Padiyara, ep. Ootacamundensis.
✠ Ego Ioseph a Iesu Pimiento Rodriguez, ep. Garzonensis-Neivensis.
✠ Ego Iacobus Eugenius Ludovicus Ménager, ep. Meldensis.
✠ Ego Otho Spülbeck, ep. Mismensis.
✠ Ego Urbanus M. Person, ep. tit. Cymaeus.
✠ Ego Ioseph Damasus Laberge, ep. tit. Clypiensis.
✠ Ego Paulus Etoga, ep. Mbalmayoensis.
✠ Ego Petrus Bernardus Pereira, ep. tit. Urusitanus.
✠ Ego Antonius Ravagli, ep. Mutilensis.
✠ Ego Iacobus Henricus Romeijn, ep. Samarindaensis.
✠ Ego Syrus Silvestri, ep. Fulginatensis.
✠ Ego Ladislaus Paz, ep. Corumbensis.
✠ Ego Aloisius Carvajal, ep. tit. Coptitanus.
✠ Ego Aristides Pirovano, ep. tit. Hadrianensis.
✠ Ego Ioannes Mocellini, ep. Comaciensis.
✠ Ego Altinus Ribeiro De Santana, ep. Sadabandeiropolitanus.
✠ Ego Edmundus Aloisius Kunz, ep. tit. Ptolemaidensis in Phoenicia.
✠ Ego Petrus Kimbondo, ep. Kisantuensis.
✠ Ego Eladius Vicuña Aránguiz, ep. Chillanensis.
✠ Ego Laurentius Morin, ep. Principis Albertensis.
✠ Ego Thomas Quinlan, ep. Chuncheonensis.
✠ Ego Simon Hoa Nguyen-van Hien, ep. Dalatensis.
✠ Ego Ioseph Emmanuel Santos Ascarza, ep. Valdiviensis.

✠ Ego Sebastianus Valloppilly, ep. Tellicherriensis.
✠ Ego Caesarius D'Amato, ep. tit. Sebastenus in Cilicia.
✠ Ego Ioannes Nuer, ep. Lycopolitanus.
✠ Ego Eustachius Smith, ep. tit. Apamensis.
✠ Ego Michaël Aurrecoechea Palacio, ep. tit. Dolichenus.
✠ Ego Matthias Zvekanovic, ep. tit. Burcensis.
✠ Ego Thomas Mongo, ep. Dualaensis.
✠ Ego Narcissus Jubany Arnau, ep. Gerundensis.
✠ Ego Constantinus Christianus Luna, ep. Zacapensis.
✠ Ego Bernardus Patricius Wall, ep. Brentwoodensis.
✠ Ego Stephanus Leven, ep. tit. Buritanus.
✠ Ego Claudius Rolland, ep. Antsirabensis.
✠ Ego Caelestinus Michael Fernández Pérez, ep. S. Marci in Guatimala.
✠ Ego Philippus Furlong, ep. tit. Araxensis.
✠ Ego Argimirus Alvarez Garcia Rodriguez, ep. tit. Coropissenus.
✠ Ego Ioannes Morkovsky, ep. tit. Tigavitanus.
✠ Ego Henricus Forer, ep. tit. Memphitanus.
✠ Ego Victorius Longo, ep. tit. Lorymiensis.
✠ Ego Robertus Stephanus Dehler, ep. tit. Clazomeniensis.
✠ Ego Gustavus Andreas Raballand, ep. tit. Egugensis.
✠ Ego Marius Paré, ep. Chicoutimiensis.
✠ Ego Stanislaus Tigga, ep. Raigharensis-Ambikapurensis.
✠ Ego Aloisius Rinaldi, ep. S. Marci et Bisinianensis.
✠ Ego Antonius Reiterer, ep. Lydenburgensis.
✠ Ego Georgius Pearce, ep. tit. Attalensis in Pamphylia.
✠ Ego Deodatus Yougbare, ep. Kupelaensis.
✠ Ego Dorotheus Fernandez y Fernandez, ep. tit. Castabalensis.
✠ Ego Valerianus Bélanger, ep. tit. Cyrenensis.
✠ Ego Florentius Coronado Romani, ep. Huancavelicensis.
✠ Ego Gabriel Ganni, ep. Berytensis Chaldaeorum.
✠ Ego Eduardus Franciscus Ioseph Schlotterback, ep. tit. Balanensis.
✠ Ego Elias Mchonde, ep. Mahengensis.
✠ Ego Antonius Ona de Echave, ep. Lucensis in Hispania.
✠ Ego Ioseph Philippus de Carmine Colaço, ep. S. Iacobi Capitis Viridis.
✠ Ego Richardus Ackerman, ep. Covingtonensis.
✠ Ego Martinus Antonius Jansen, ep. Roterodamensis.
✠ Ego Ioannes M. Etrillard, ep. Gagnoaënsis.
✠ Ego Rogerius Johan, ep. Agennensis.
✠ Ego Michaël Doumith, ep. Sarbensis Maronitarum.
✠ Ego Michaël Nóvoa Fuente, ep. tit. Chytriensis.
✠ Ego Alden Ioannes Bell, ep. Sacramentensis.
✠ Ego Ioannes Chrysostomus Gomes de Almeida, ep. tit. Jerafitanus.
✠ Ego Antonius Cardoso Cunha, ep. tit. Barenus in Pisidia.
✠ Ego Rudolfus Staverman, ep. tit. Mosynopolitanus.
✠ Ego Adalbertus Almeida Merino, ep. Zacatecensis.
✠ Ego Florentius Angelini, ep. tit. Messeniensis.
✠ Ego Ioel Bellec, ep. Elnensis.
✠ Ego Ioannes Carberry, ep. Columbensis.

✠ Ego Antonius Cece, ep. tit. Tamiathitanus.
✠ Ego Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis.
✠ Ego Carolus M. Cafferata, ep. S. Ludovici in Argentina.
✠ Ego Franciscus Vennera, ep. S. Nicolai de los Arroyos.
✠ Ego Franciscus Borgias Valenzuela Rios, ep. Antofagastensis.
✠ Ego Iesus Serrano Pastor, ep. tit. Hypselitanus.
✠ Ego Hieronymus Lingenheim, ep. tit. Thunudrumensis.
✠ Ego Petrus Rouanet, ep. Daloaensis.
✠ Ego Andreas Duirat, ep. Buakensis.
✠ Ego Maximilianus Valdes Subercaseaux, ep. Osornensis.
✠ Ego Ioseph Vázquez Diaz, ep. tit. Usulensis.
✠ Ego David Swamidoss Pillai, ep. Vellorensis.
✠ Ego Laurentius Glenn, ep. Crookstoniensis.
✠ Ego Andreas Iacobus Fougerat, ep. Gratianopolitanus.
✠ Ego Ioannes Farmer Healy, ep. Gibraltariensis.
✠ Ego Stephanus Kocisko, ep. Passaicensis.
✠ Ego Ioseph Schmondiuk, ep. Stanfordensis Ucrainorum.
✠ Ego Matthaeus Pothanamuzhi, ep. Kothamangalemensis.
✠ Ego Ioseph Petrus da Silva, ep. Visensis.
✠ Ego Franciscus Bougon, ep. Molinensis.
✠ Ego Ioseph Alí Lebrun Moratinos, ep. Valentinus in Venezuela.
✠ Ego Dantes Battaglierin, ep. Kulnensis.
✠ Ego Ioseph Bezerra Coutinho, ep. Stantianus.
✠ Ego Caelestinus Bezmalinovic, ep. tit. Hadrumetinus.
✠ Ego Marius Di Lieto, ep. Asculanus Apuliae et Ceriniolensis.
✠ Ego Odilo Etspüler, ep. tit. Fatensis.
✠ Ego Henricus Byrne, ep. tit. Lamianus.
✠ Ego Telesphorus Ioannes Cioli, ep. Arretinus.
✠ Ego Stephanus László, ep. Sideropolitanus.
✠ Ego Emmanuel Menéndez, ep. Foromartiniensis.
✠ Ego Carolus Villelmus Hartl, ep. tit. Stratonicensis in Caria.
✠ Ego Iacobus Freeman, ep. tit. Hermopolitanus minor.
✠ Ego Petrus Martin, ep. tit. Selinusiensis.
✠ Ego Arnoldus Bogaert, ep. Rosensis.
✠ Ego Germanus Villa Gaviria, ep. Barranquillensis.
✠ Ego Paulus Correa León, ep. Cucutensis.
✠ Ego Mauritius Otunga, ep. Kisiianus.
✠ Ego Franciscus Ricceri, ep. Drepanensis.
✠ Ego Ignatius Doggett, ep. tit. Mundinizensis.
✠ Ego Ioseph Gustavus Prévost, ep. tit. Ammaedarensis.
✠ Ego Franciscus Zak, ep. S. Hippolyti.
✠ Ego Geraldus Fernandes Bijos, ep. Londrinensis.
✠ Ego Ioannes M. Holterman, ep. Gulielmopolitanus.
✠ Ego Vincentius Kennally, ep. tit. Sassuritanus.
✠ Ego Carolus Arturus Brown, ep. tit. Vallitanus.
✠ Ego Iacobus Aloisius Coelho, ep. Maringaensis.
✠ Ego Ioseph Olivotti, ep. tit. Samiensis.
✠ Ego Ioannes M. Ogez, ep. Mbararaensis.

✠ Ego Severinus Marianus de Aguiar, ep. Pesqueirensis.
✠ Ego Ioseph Ludovicus Andreas Ouelette, ep. Montis Laurei.
✠ Ego Alexander Carter, ep. S. Mariae Ormensis.
✠ Ego Ioseph Alphonsus Tscherrig, ep. tit. Nephelidensis.
✠ Ego Franciscus Spanedda, ep. Bosanensis.
✠ Ego Gerardus Couturier, ep. Altaripensis.
✠ Ego Andreas Gregorius Grutka, ep. Gariensis.
✠ Ego Hilarius Hacker, ep. Bismarckiensis.
✠ Ego Radulfus Zambrano Camader, ep. Facatativensis.
✠ Ego Iustinus Iacobus Field, ep. S. Georgii in Insula Granada.
✠ Ego Secundus Tagliabue, ep. Anglonensis-Tursiensis.
✠ Ego Valerianus Ludovicus Arroyo, ep. tit. Gomphensis.
✠ Ego Carolus Gachet, ep. Castriesensis.
✠ Ego Rudolfus Koppmann, ep. tit. Dalisandensis in Pamphylia.
✠ Ego Ioannes Choi, ep. Pusanensis.
✠ Ego Henricus M. Janssen, ep. Hildeseiensis.
✠ Ego Marcellus Morgante, ep. Asculanus in Piceno.
✠ Ego Georgius Ioseph Biskup, ep. Desmoinensis.
✠ Ego Eugenius Ioseph Butler, ep. Mombasaensis.
✠ Ego Augustinus Herrera, ep. Franciscopolitanus.
✠ Ego Carmelus Canzonieri, ep. Calatayeronensis.
✠ Ego Hannibal Maricevich Fleitas, ep. tit. Diocletianopolis in Palaestina.
✠ Ego Michaël Raspanti, ep. Moronensis.
✠ Ego Antonius Baptista Fragoso, ep. Crateopolitanus.
✠ Ego Georgius Kemerer, ep. Posadensis.
✠ Ego Gabriel Champagne, ep. Tamalensis.
✠ Ego Horatius Semeraro, ep. Cariatensis.
✠ Ego Georgius Raimundus Chalup, ep. Gualeguaychensis.
✠ Ego Ioannes Ahern, ep. Cloynensis.
✠ Ego Gregorius Warmeling, ep. Joinvillensis.
✠ Ego Iacobus Vincentius Casey, ep. Lincolnensis.
✠ Ego Herminius Malzone Hugo, ep. Valadarensis.
✠ Ego Antonius M. Aguirre, ep. S. Isidori in Argentina.
✠ Ego Georgius Mayer, ep. S. Rosae in Argentina.
✠ Ego Albertus Deane, ep. Civitatis Mariae.
✠ Ego Franciscus Brustia, ep. Andriensis.
✠ Ego Aemilius Cinense, ep. S. Ferdinandi.
✠ Ego Renatus Boudon, ep. Mimatensis.
✠ Ego Henricus Bernardinus Hoffmann, ep. Gibutensis.
✠ Ego Ioseph Hasler, ep. S. Galli.
✠ Ego Hieronymus Mazzarotto, ep. tit. Arsinoitanus in Arcadia.
✠ Ego Theodulfus Domingo y Sabugal, ep. Tuguegaraoanus.
✠ Ego Stanislaus Jakiel, ep. tit. Tanagraeus.
✠ Ego Pacificus Scozzina, ep. Formosae.
✠ Ego Emmanuel Talamás Camandari, ep. Civitatis Juarezensis.
✠ Ego Ioseph Augustinus Marozzi, ep. Resistenciae.
✠ Ego Ioseph Petrus Costa, ep. Caetitensis.
✠ Ego Ioseph M. Pires, ep. Arasuahyensis.

✠ Ego Andreas Sana, ep. Akrensis.
✠ Ego Eduardus Ioseph Maginn, ep. tit. Curiensis.
✠ Ego Ioseph Stangl, ep. Herbipolensis.
✠ Ego Martinus Stanton, ep. tit. Citiensis.
✠ Ego Valterus Villelmus Curtis, ep. Bridgeportensis.
✠ Ego Ioannes Iacobus Rudin, ep. Musonensis.
✠ Ego Alfredus Stemper, ep. tit. Eleutheropolitanus in Palaestina.
✠ Ego Humbertus Lara Mejía, ep. tit. Traianopolitanus in Phrygia.
✠ Ego Raphaël Bidawid, ep. Amadiensis.
✠ Ego Bernardinus Mazzarella, ep. Comayoguensis.
✠ Ego Felix Leonardo, ep. Thelesinus.
✠ Ego Helmodus Hermannus Wittler, ep. Osnabrugensis.
✠ Ego Aloisius Carli, ep. Signinus.
✠ Ego Alfredus Atton, ep. Langrensis.
✠ Ego Arturus Elchinger, ep. tit. Antandrinus.
✠ Ego Ioannes Fearns, ep. tit. Geritanus.
✠ Ego Albertus Sanschagrin, ep. tit. Bagensis.
✠ Ego Iacobus Cunningham, ep. Hagulstadensis et Novocastrensis.
✠ Ego Philippus Aglialoro, ep. tit. Germenensis in Galatia.
✠ Ego Wilson Laus Schmidt, ep. Xapecoensis.
✠ Ego Dominicus Roa Perez, ep. Maracaibensis.
✠ Ego Ioannes B. Musty, ep. tit. Botrianensis.
✠ Ego Fridericus Villelmus Freking, ep. Crossensis.
✠ Ego Ioannes Vonderach, ep. Curiensis.
✠ Ego Ioannes Ioseph Iriarte, ep. Reconquistensis.
✠ Ego Andreas Wronka, ep. tit. Vatarbensis.
✠ Ego Theodorus Van den Tillaert, ep. Atambuensis.
✠ Ego Angelus Barbisotti, ep. tit. Cauniensis.
✠ Ego Reginaldus Ioannes Delargey, ep. tit. Hirinensis.
✠ Ego Leonardus Cowley, ep. tit. Pertusensis.
✠ Ego Alfonsus Schladweiler, ep. Novae Ulmae.
✠ Ego Henricus Principe, ep. tit. Abilenus Lysaniae.
✠ Ego Ioannes Jaroszewiez, ep. tit. Letopolitanus.
✠ Ego Vincentius Favé, ep. tit. Andedensis.
✠ Ego Victor Ioseph Reed, ep. Oklahomensis et Tulsensis.
✠ Ego Paulus Vignancour, ep. Valentinensis.
✠ Ego Franciscus Ferreira Arreola, ep. Texcocensis.
✠ Ego Laurentius Satoshi Nagae, ep. Urawaensis.
✠ Ego Camillus Vandekerckhove, ep. Bikoroensis.
✠ Ego Ioseph Ioachim Ribeiro, ep. tit. Aegeaensis.
✠ Ego Michaël Moloney, ep. Bathurstensis in Gambia.
✠ Ego Adolfus Hernández Hurtado, ep. Tapacolensis.
✠ Ego Renatus Toussaint, ep. Idiofaensis.
✠ Ego Camillus Chilouet, ep. Farafanganensis.
✠ Ego Ferdinandus Romo Gutierrez, ep. Torreonensis.
✠ Ego Bernardinus Piñera Carvallo, ep. Temucensis.
✠ Ego Antonius Barbosa, ep. Campi Grandis.
✠ Ego Ioseph de Aquino Pereira, ep. Prudentipolitanus.

✠ Ego Iacobus Ryan, ep. tit. Margensis.
✠ Ego Hyacinthus Gad, ep. tit. Gratianopolitanus.
✠ Ego Alfonsus Höfer, ep. tit. Thebanus in Phtiotide.
✠ Ego Alexander Schell, ep. Clivi Zamoerensis.
✠ Ego Walmor Battù Wichrowski, ep. tit. Phelbesianus.
✠ Ego David Ioannes Cashman, ep. Arundelliensis-Brichtelmestunensis.
✠ Ego Angelus Riesco Carbajo, ep. tit. Limisensis.
✠ Ego Raphaël Gonzalez Moralejo, ep. tit. Dardanius.
✠ Ego Franciscus Gómez Marijuan, ep. tit. Sinnensis.
✠ Ego Robertus Ludovicus Hodapp, ep. Belizensis.
✠ Ego Marianus Oblak, ep. tit. Flaviensis.
✠ Ego Ioannes Arnaud, ep. tit. Tintyritanus.
✠ Ego Ioseph Martenetz, ep. tit. Soldaiensis.
✠ Ego Nicolaus Riezzo, ep. Castellanetensis.
✠ Ego Ioseph Antonius Dammert Bellido, ep. Cajamarcensis.
✠ Ego Antonius Lima dos Santos, ep. Ilheosensis.
✠ Ego Alcides Mendoza Castro, ep. Abancaiensis.
✠ Ego Ioseph Emmanuel Piña Torres, ep. tit. Milevitanus.
✠ Ego Nemesius Rivera Meza, ep. tit. Diospolitanus superior.
✠ Ego Augustus Petrò, ep. Uruguaianensis.
✠ Ego Henricus Pachowiak, ep. tit. Phyteanus.
✠ Ego Henricus Tenhumberg, ep. tit. Thuburnicensis.
✠ Ego Ioannes Kabès, ep. tit. Cleopadritensis.
✠ Ego Ioannes Franciscus Fresno Larrain, ep. Copiapoensis.
✠ Ego Adolfus Aloisius Bossi, ep. tit. Parnassenus.
✠ Ego Horatius Gomez Davila, ep. Riojensis.
✠ Ego Ioseph Drzazga, ep. tit. Siniandenus.
✠ Ego Henricus Bartoletti, ep. tit. Myndiensis.
✠ Ego Henricus Murphy, ep. Limericiensis.
✠ Ego Ioseph Lecuona Labandibar, ep. tit. Vagadensis.
✠ Ego Eugenius Cornelius Arthurs, ep. Tangaensis.
✠ Ego Ioannes van Dodewaard, ep. Harlemensis.
✠ Ego Salvator Martinez Aguirre, ep. tit. Arcensis.
✠ Ego Iacobus Vincentius Pardy, ep. Cheongiuensis.
✠ Ego Eduardus Piana Agostinetti, ep. tit. Eureoensis in Phoenicia.
✠ Ego Hugo Poletti, ep. tit. Medelitanus.
✠ Ego Ioannes Prasko, ep. tit. Zygritanus.
✠ Ego Antonius Corso, ep. tit. Moglaenensis.
✠ Ego Villelmus Michael Fitzgerald, ep. tit. Zarnensis.
✠ Ego Antonius Pirotto, ep. Troianus.
✠ Ego Ioseph Germanus Benavides Morriberón, ep. Chachapoyasensis.
✠ Ego Paulus Ioseph Schmitt, ep. Metensis.
✠ Ego Georgius Stroba, ep. tit. Aradiensis.
✠ Ego Henricus Mazerat, ep. Andegavensis.
✠ Ego Wilfridus Emmet Doyle, ep. Nelsonensis.
✠ Ego Michaël Garcia Franco, ep. Mazatlanensis.
✠ Ego Iacobus Schuck, ep. tit. Avissensis.
✠ Ego Daniel Stuyvenberg, ep. tit. Dionysiensis.

✠ Ego Adulfus Fürstenberg, ep. Abercornensis.
✠ Ego Raphaël Bayan, ep. Alexandrinus Armenorum.
✠ Ego Richardus Finn, ep. Ibadanensis.
✠ Ego Ioseph Pintado, ep. tit. Phobenus.
✠ Ego Benignus Chiriboga, ep. Latacungensis.
✠ Ego Andreas Katkoff, ep. tit. Naupliensis.
✠ Ego Demetrius Mansilla Reoyo, ep. Civitatensis.
✠ Ego Albinus Luciani, ep. Victoriensis Venetorum.
✠ Ego Ioseph Gabriel Calderón, ep. Carthadensis in Columbia.
✠ Ego Ioannes Czerniak, ep. tit. Eudociatensis.
✠ Ego Georgius Modzelewski, ep. tit. Daoniensis.
✠ Ego Ioseph Quezada, ep. Acapulcanus.
✠ Ego Ioannes Cullinane, ep. tit. Flumentzeritanus.
✠ Ego Fidelis Cortès Pérez, ep. Chilapensis.
✠ Ego Ioannes Jobst, ep. Broomensis.
✠ Ego Stanislaus Alcaraz Figuerao, ep. Matamorensis.
✠ Ego Ioannes Villelmus Comber, ep. tit. Foratianensis.
✠ Ego Petrus Ioannes Antonius Moors, ep. Ruremondensis.
✠ Ego Iulius Angerhausen, ep. tit. Eminentianensis.
✠ Ego Iacobus Gerrard, ep. tit. Formensis.
✠ Ego Emmanuel Fernández-Conde, ep. Cordubensis.
✠ Ego Marcellus Mendiharat, ep. tit. Zertensis.
✠ Ego Ioseph Denning, ep. tit. Mallotanus.
✠ Ego Raimundus D'Mello, ep. Allahabadensis.
✠ Ego Leo Theobaldus Delaere, ep. Molegbensis.
✠ Ego Alfonsus Sánchez Tinoco, ep. Papantlensis.
✠ Ego Ioseph Thurler, ep. tit. Capitoliensis.
✠ Ego Franciscus Lehaen, ep. Sakaniensis.
✠ Ego Michaël Kien Samophithak, ep. tit. Octabensis.
✠ Ego Antonius Gogo Nwedo, ep. Umuahiaensis.
✠ Ego Ioannes Karroum, ep. Spinensis Syrorum.
✠ Ego Carolus Mulrooney, ep. tit. Valentianensis.
✠ Ego Iulius Gonzalez Ruiz, ep. Puniensis.
✠ Ego Seraphinus Fernandes de Araujo, ep. tit. Verinopolitanus.
✠ Ego Angelus Tarantino, ep. Aruaensis.
✠ Ego Angelus Zambarbieri, ep. Guastallensis.
✠ Ego Robertus Tracy, ep. Rubribaculensis.
✠ Ego Christianus Portela de Araújo Pena, ep. Divinopolitanus.
✠ Ego Plato Kornyljak, ep. tit. Castromartianus.
✠ Ego Alexander Duran Moreira, ep. S. Caroli Ancudiae.
✠ Ego Ioseph Nkongolo, ep. Lueboensis.
✠ Ego Eugenius Maillat, ep. Nzerekoreensis.
✠ Ego Paulus Savino, ep. tit. Caesariensis in Thessalia.
✠ Ego Didacus Parodi, ep. tit. Centenariensis.
✠ Ego Amandus Hubert, ep. tit. Saitanus.
✠ Ego Iacobus Guilhem, ep. Valleguidonensis.
✠ Ego Angelicus Melotto Mazzardo, ep. Sololensis.
✠ Ego Angelus Martinez, ep. Tsiroanomandidyensis.

✠ Ego Constantius Micci, ep. Larinensis.
✠ Ego Thomas Manning, ep. tit. Arsamosatenus.
✠ Ego Henricus Grondziel, ep. tit. Athribitanus.
✠ Ego Raimundus de Lemoureyre, ep. Muilaensis.
✠ Ego Ioseph Bonacini, ep. Brittinoriensis.
✠ Ego Ioseph Dalvit, ep. S. Matthaei.
✠ Ego Georgius Jacquot, ep. Vapincensis.
✠ Ego Franciscus Janssen, ep. tit. Coelianensis.
✠ Ego Edilbertus Dinkelborg, ep. Oeirensis.
✠ Ego Ioannes Lenhardt, ep. tit. Carystensis.
✠ Ego Mauritius Choquet, ep. tit. Diospolitanus inferior.
✠ Ego Michaël Henricus Canonne, ep. Tulearensis.
✠ Ego Bernardus Schräder, ep. tit. Scyrius.
✠ Ego Zeno Albinus Testa, ep. tit. Tinistensis.
✠ Ego Albertus Etges, ep. S. Crucis in Brasilia.
✠ Ego Carolus Buswell, ep. Pueblensis.
✠ Ego Iolanthes Nuzzi, ep. Campaniensis.
✠ Ego Alfredus Pichler, ep. Banialucensis.
✠ Ego Augustus Carvalho, ep. Caruaruensis.
✠ Ego Arnolfus Arcilla, ep. Sorsogonensis.
✠ Ego Ioseph Winkler, ep. tit. Dadimensis.
✠ Ego Honoratus Piazera, ep. Neo-Iguassuensis.
✠ Ego Stephanus Bello, ep. Aleppensis Chaldaeorum.
✠ Ego Petrus Rougé, ep. Nemausensis.
✠ Ego Renatus Luisi, ep. Neocastrensis.
✠ Ego Virgilius Copas, ep. tit. Bennefensis.
✠ Ego Samuel Ludovicus Gaumain, ep. Munduensis.
✠ Ego Franciscus Vollaro, ep. Ambatondrazakaensis.
✠ Ego Dominicus Yoshimatsu Noguchi, ep. Hiroshimaensis.
✠ Ego Samuel Ruiz Garcia, ep. Chiapasensis.
✠ Ego Ernestus Primeau, ep. Manchesteriensis.
✠ Ego Iacobus Hogan, ep. tit. Philomeliensis.
✠ Ego Vincentius Hines, ep. Norvicensis.
✠ Ego Ioseph de Solitudine Torres y Casteñeda, ep. Civitatis Obregonensis.
✠ Ego Henricus Gufflet, ep. tit. Calamensis.
✠ Ego Marius Maziers, ep. tit. Augustopolitanus in Phrygia.
✠ Ego Alfonsus Carolus Kempf, ep. tit. Limyrensis.
✠ Ego Raphaël Pellecchia, ep. Aliphanus.
✠ Ego Victorius Emmanuel Bonamin, ep. tit. Bitensis.
✠ Ego Marion Franciscus Forst, ep. Dodgepolitanus.
✠ Ego Iacobus Malone, ep. tit. Alabandensis.
✠ Ego Emmanuel Antonius Rodriguez Rozas, ep. Pinetensis ad Flumen.
✠ Ego Nicolaus Cavanna, ep. Reatinus.
✠ Ego Ioseph Goupy, ep. Blasensis.
✠ Ego Ioannes Dozolme, ep. Aniciensis.
✠ Ego Georgius Bernarding, ep. tit. Belabitenensis.
✠ Ego Melchior Ioachim da Silva Neto, ep. tit. Cremnensis.
✠ Ego Moyses Iulius Blanchoud, ep. Rivi Quarti.

✠ Ego Petrus Poreku Dery, ep. Vaensis.
✠ Ego Iacobus Flores Martin, ep. Barbastrensis.
✠ Ego Ioseph Busimba, ep. Gomaensis.
✠ Ego Thomas Villelmus Muldoon, ep. tit. Fesseitanus.
✠ Ego Ioannes Crawford, ep. tit. Caffenus.
✠ Ego Albertus Scola, ep. Nursinus.
✠ Ego Iacobus Hagan, ep. Makurdensis.
✠ Ego Albinus Mensa, ep. Eporediensis.
✠ Ego Villelmus Connare, ep. Greensburgensis.
✠ Ego Georgius Hammes, ep. Superiorensis.
✠ Ego Antonius Dionysius Galvin, ep. tit. Letaeus.
✠ Ego Mauritius Pourchet, ep. S. Flori.
✠ Ego Eduardus Thomas Boza Masvidal, ep. tit. Vindensis.
✠ Ego Humbertus Altomare, ep. Muranus.
✠ Ego Stephanus McGill, ep. Ergadiensis et Insularum.
✠ Ego Renatus Butibubage Lwamosa, ep. tit. Casiotanus.
✠ Ego Franciscus Xaverius Rajaonarivo, ep. Miarinarivensis.
✠ Ego Hector Rueda Hernández, ep. Bucaramanguensis.
✠ Ego Franciscus Planas Muntaner, ep. Ebusitanus.
✠ Ego Georgius Albertus Giraldo Restrepo, ep. Pastopolitanus.
✠ Ego Villelmus Eduardus Power, ep. Antigonicensis.
✠ Ego Angelus Pérez Cisneros, ep. Barcinonensis in Venezuela.
✠ Ego David Picâo, ep. tit. Thoitanus.
✠ Ego Ioseph M. Cirarda Lachiondo, ep. tit. Drusilianensis.
✠ Ego Arturus Antonius Szymanski Ramirez, ep. tit. S. Andreae de Tuxtla.
✠ Ego Bruno Pelaia, ep. Tricaricensis.
✠ Ego Clemens Ioseph Carolus Isnard, ep. Neo-Friburgensis.
✠ Ego Anastasius Granados Garcia, ep. tit. Cidramenus.
✠ Ego Paulus Cheng, ep. tit. Ucculensis.
✠ Ego Eligius Tato Losada, ep. tit. Cardicensis.
✠ Ego Antonius Fustella, ep. Tudertinus.
✠ Ego Macarius Tinti, ep. Fabrianensis et Mathelicensis.
✠ Ego Ioseph Zimmermann, ep. Morombensis.
✠ Ego Ioseph Melhado Campos, ep. tit. Hospitensis.
✠ Ego Aniger Franciscus M. Melillo, ep. Piracicabensis.
✠ Ego Eugenius Klein, ep. tit. Echinensis.
✠ Ego Arturus Rivera Damas, ep. tit. Legiensis.
✠ Ego Leo Lemay, ep. tit. Agbiensis.
✠ Ego Salvator Sorrentino, ep. tit. Gerasenus.
✠ Ego Stephanus Desmazières, ep. Bellovacensis.
✠ Ego Gentilis Diniz Barreto, ep. Mossorensis.
✠ Ego Ioseph Brandâo De Castro, ep. Propriensis.
✠ Ego Emmanuel Daddi, ep. Mausiliensis Chaldaeorum.
✠ Ego Ceslaus Sipović, ep. tit. Mariammitanus.
✠ Ego Basilius Cristea, ep. tit. Lebediensis.
✠ Ego Iulianus Groblicki, ep. tit. Philadelphiensis in Arabia.
✠ Ego Carolus Schmitt, ep. Auratopolitanus.
✠ Ego Humbertus Tonna, ep. Floridensis.

✠ Ego Orestes Iacobus Nuti, ep. Canalopolitanus.
✠ Ego Ioseph Brendan Houlihan, ep. Eldoretensis.
✠ Ego Garabed Amadouni, ep. tit. Amathusius in Cypro.
✠ Ego Franciscus Furey, ep. tit. Temnitanus.
✠ Ego Vladimirus Malanczuk, ep. tit. Epiphaniensis in Syria.
✠ Ego Eduardus Ioannes Harper, ep. tit. Heracleensis Ponticus.
✠ Ego Franciscus Bertoglio, ep. tit. Pariensis.
✠ Ego Ioseph Lenotti, ep. Fodianus.
✠ Ego Andreas Bontems, ep. Maurianensis.
✠ Ego Antonius Nguyen-van-Thien, ep. Vinhlongensis.
✠ Ego Benedictus Epiphanius Rodriguez, ep. tit. Arycandensis.
✠ Ego Thomas Patricius Collins, ep. tit. Sufetulensis.
✠ Ego Ioseph Raimundus Windle, ep. tit. Uzitensis.
✠ Ego Stephanus Barela, ep. Czestochoviensis.
✠ Ego Carolus Parteli, ep. Tacuarembianus.
✠ Ego Carolus Gnädinger, ep. tit. Celerinensis.
✠ Ego Franciscus Robertus Rush, ep. Rockhamptoniensis.
✠ Ego Ioannes M. Fortier, ep. Gaspesiensis.
✠ Ego Michaël Nguyen-khac-Ngu, ep. Longxuyensis.
✠ Ego Ioseph Tran-Van-Thien, ep. Mythoensis.
✠ Ego Vedastus M. Jacquier, ep. tit. Sufasaritanus.
✠ Ego Valentinus Vailati, ep. S. Severi.
✠ Ego Ioseph Costa Campos, ep. Valentinus in Brasilia.
✠ Ego Henricus Angelelli Carletti, ep. tit. Listrensis.
✠ Ego Abdul Ahad Sana, ep. Alquoshensis Chaldaeorum.
✠ Ego Titus Mancini, ep. tit. Vartanensis.
✠ Ego Elias Coueter, ep. tit. Tauitanus.
✠ Ego Leo Carolus Ioseph De Kesel, ep. tit. Synaitanus.
✠ Ego Henricus Laurentius Cabrera Urdangarin, ep. Mercedanianus.
✠ Ego Marcellus Gonzalez Martin, ep. Asturicensis.
✠ Ego Lambertus van Kessel, ep. Sintangensis.
✠ Ego Robertus Bézac, ep. Aturensis.
✠ Ego Ioannes Aloisius Jobidon, ep. Mzuzuensis.
✠ Ego Carmelus Zazinovic, ep. tit. Lebessenus.
✠ Ego Franciscus Kervéadou, ep. Briocensis.
✠ Ego Victor Ioannes Hermannus Ioachim Tielbeek, ep. tit. Tipasensis in Numidia.
✠ Ego Michaël Antonius Salas, ep. Calabocensis.
✠ Ego Geraldus Micheletto Pellanda, ep. de Ponta Grossa.
✠ Ego Albertus Malbois, ep. tit. Altavensis.
✠ Ego Archangelus Cerqua, ep. tit. Olbiatanus.
✠ Ego Ianuarius Prata, ep. tit. Hadrianiensis in Hellesponto.
✠ Ego Quintinus Carolus Olwell, ep. tit. Thabracensis.
✠ Ego Quirinus Adolfus Schmitz, ep. Otonipolitanus.
✠ Ego Ludovicus Sanchez-Moreno Lira, ep. tit. Nilopolitanus.
✠ Ego Gervasius Nkangala, ep. tit. Balburensis.
✠ Ego Vincentius McCauley, ep. Arcis Portal.
✠ Ego Villelmus Gomes, ep. tit. Parlaitanus.

✠ Ego Henricus Ioseph Soenneker, ep. Ovensburgensis.
✠ Ego Walfridus Teixeira Vieira, ep. tit. Larandensis.
✠ Ego Michaël González Ibarra, ep. Rivoriensis.
✠ Ego Caesar Gatimù, ep. Nyeriensis.
✠ Ego Hippolitus Berlier, ep. Niameyensis.
✠ Ego Michaël Vial, ep. Nivernensis.
✠ Ego Victorius Cecchi, ep. Forosemproniensis.
✠ Ego Marius Renatus Cornejo Radavero, ep. tit. Sanavensis.
✠ Ego Abraham François, ep. Asmarensis.
✠ Ego Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus.
✠ Ego Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis.
✠ Ego Petrus Tou, ep. Hsinchuensis.
✠ Ego Ioseph Cheng Tien-Siang, ep. Kaohsiungensis.
✠ Ego Angelus Cuniberti, ep. tit. Arsinoensis in Cypro.
✠ Ego Ioseph Almici, ep. Alexandrinus Statiellorum.
✠ Ego Ioseph Gomes, ep. Bagensis.
✠ Ego Erasmus Hinojosa Hurtado, ep. Piurensis.
✠ Ego Renatus Pailloux, ep. Arcis Rosebery.
✠ Ego Augustinus Farah, ep. Tripolitanus Melckitarum.
✠ Ego Godefridus Okoye, ep. Portus Harcurtensis.
✠ Ego Franciscus Austregesilo Mesquita, ep. Afogadensis de Ingazeira.
✠ Ego Ignatius Phakoe, ep. Leribensis.
✠ Ego Ioseph Hubertus Soudant, ep. Palembangensis.
✠ Ego Geraldus O'Keefe, ep. tit. Candybensis.
✠ Ego Ioannes Whealon, ep. tit. Andrapenus.
✠ Ego Antonius Mabutas y Lloren, ep. Laoagensis.
✠ Ego Aloisius Nganga, ep. Lisalaensis.
✠ Ego Villelmus McNaughton, ep. Inchonensis.
✠ Ego Benedictus Dominicus Coscia, ep. Jataiensis.
✠ Ego Franciscus Philippus Muguerza, ep. Novoraniensis.
✠ Ego Philippus Pocci, ep. tit. Jerichuntinus.
✠ Ego Ioannes Canestri, ep. tit. Tenediensis.
✠ Ego Ioannes Gugić, ep. tit. Bonustensis.
✠ Ego Caietanus Michetti, ep. tit. Irenopolitanus in Cilicia.
✠ Ego Ioseph Vairo, ep. Gravinensis et Montis Pelusii.
✠ Ego Georgius Gottau, ep. Anatuyanensis.
✠ Ego Vincentius Zazpe, ep. Raphaeliensis.
✠ Ego Ioseph de Iesu Sahagún de la Parra, ep. Tullanensis.
✠ Ego Mauritius Eugenius Magliano, ep. Rivogallaecensis.
✠ Ego Albertus Devoto, ep. Goyanensis.
✠ Ego Paulus Nordhues, ep. tit. Coensis.
✠ Ego Gerardus Ferreira Reis, ep. Leopoldinensis.
✠ Ego Petrus Bouckaert, ep. Popokabakaensis.
✠ Ego Alexander Mbuka-Nzundu, ep. tit. Cataquensis.
✠ Ego Ioseph Arneric, ep. Sibenicensis.
✠ Ego Renatus Kérautret, ep. Engolismensis.
✠ Ego Vido Riobé, ep. Aurelianensis.
✠ Ego Antonius Rossi, ep. Cervi Lusci.

✠ Ego Andreas Sapelak, ep. tit. Sebastopolitanus in Thracia.
✠ Ego Marcus Gregorius McGrath, ep. S. Iacobi Veraguensis.
✠ Ego Philippus Iacobus Benítez Avalos, ep. tit. Chersonesitanus in Europa.
✠ Ego Laurentius Michael Graziano, ep. tit. Limatensis.
✠ Ego Iaroslav Gabro, ep. S. Nicolai Chicagiensis Ucrainorum.
✠ Ego Augustinus Eugenius Hornyak, ep. tit. Hermonthitanus.
✠ Ego Romanus Arrieta Villalobos, ep. Pluviensis.
✠ Ego Paulus Ioseph Tavares, ep. Macaonensis.
✠ Ego Ioseph Weigl, ep. Ikelaensis.
✠ Ego Petrus Guichet, ep. tit. Stectorenus.
✠ Ego Ioseph Sibomana, ep. Ruhengeriensis.
✠ Ego Andreas Makarakiza, ep. Ngoziensis.
✠ Ego Iacobus Mbali, ep. Butaensis.
✠ Ego Ioannes B. Gahamanyi, ep. Butarensis.
✠ Ego Mauritius Rigaud, ep. Apamiensis.
✠ Ego Ioseph Maurus Ramalho de Alarcón Santiago, ep. Iguatuvinus.
✠ Ego Raimundus Caesar Bergamin, ep. Padangensis.
✠ Ego Paternus Nicolaus Ioannes Cornelius Geise, ep. Bogorensis.
✠ Ego Angelus Prinetto, ep. tit. Hadrianopolitanus.
✠ Ego Ioseph Ludovicus Buchkremer, ep. tit. Aggaritanus.
✠ Ego Ioannes Bluyssen, ep. tit. Aetensis.
✠ Ego Aloisius Oldani, ep. tit. Gergitanus.
✠ Ego Ioannes Wosinski, ep. tit. Abaradirensis.
✠ Ego Paulus Latusek, ep. tit. Aninetensis.
✠ Ego Hadrianus Ddungu, ep. Masakaensis.
✠ Ego Antonius Caillot, ep. Ebroicensis.
✠ Ego Geraldus Emmet Carter, ep. Londonensis.
✠ Ego Simon N'zita, ep. tit. Gindarensis.
✠ Ego Gerardus Huyghe, ep. Atrebatensis.
✠ Ego Hyacinthus Eccher, ep. tit. Garrianensis.
✠ Ego Petrus Saburo Hirata, ep. Oitaensis.
✠ Ego Henricus Véniat, ep. Arcis Archambault.
✠ Ego Gregorius Garavito, ep. tit. Cyparissiensis.
✠ Ego Ernestus Unterköfler, ep. tit. Latopolitanus.
✠ Ego Artemius Casas, ep. Imusensis.
✠ Ego Michaël Darmancier, ep. tit. Auguritensis.
✠ Ego Paulus Ghizzoni, ep. tit. Thenitanus.
✠ Ego Robertus Caceres, ep. Melensis.
✠ Ego Aloisius Lorscheider, ep. Angelopolitanus.
✠ Ego Andreas Charles de la Brousse, ep. Divionensis.
✠ Ego Georgius Ablewicz, ep. Tarnoviensis.
✠ Ego Leo Maher, ep. S. Rosae in California.
✠ Ego Ioseph Villelmus Regan, ep. tit. Isindensis.
✠ Ego Antonius Quarracino, ep. S. Dominici Novem Julii.
✠ Ego Petrus Filipak, ep. Jacarezinhoensis.
✠ Ego Marcus Caliaro, ep. Sabinensis et Mandelensis.
✠ Ego Ioannes Oblak, ep. tit. Abbiritanus.
✠ Ego Ioseph Villelmus Regan, ep. tit. Isindensis.

✠ Ego Aloisius Franco Caseón, ep. Nivariensis.
✠ Ego Ioannes de Cambourg, ep. tit. Eutymensis.
✠ Ego Ioseph Amihere Essuah, ep. Kumasiensis.
✠ Ego Augustus Azzolini, ep. Makenensis.
✠ Ego Iacobus Corboy, ep. Monzensis.
✠ Ego Gerardus Henricus De Vet, ep. Bredanus.
✠ Ego Iulius Barbetta, ep. tit. Pharanitanus.
✠ Ego Franciscus Tortora, ep. tit. Liviensis.
✠ Ego Hermannus Volk, ep. Moguntinus.
✠ Ego Ioannes Hoffmann, ep. Vestphalianus.
✠ Ego Cyprianus Urgel Villahermosa, ep. Calbayoganus.
✠ Ego Rudolfus Graber, ep. Ratisbonensis.
✠ Ego Villelmus Sillekens, ep. Ketapangensis.
✠ Ego Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Adramyttenus.
✠ Ego Iulius Victor Daem, ep. Antverpiensis.
✠ Ego Ioseph Carreras, ep. Fororaphaelensis.
✠ Ego Ernestus Segura, ep. tit. Carpitanus.
✠ Ego Emmanuel Augustus Cárdenas, ep. tit. Aulonensis.
✠ Ego Ignatius Strecker, ep. Campofonti-Capitis Girardeaunensis.
✠ Ego Cornelius Chizzini, ep. tit. Aegaeus.
✠ Ego Mauritius De Keyzer, ep. tit. Tiniensis.
✠ Ego Cornelius De Wit, ep. tit. Amisenus.
✠ Ego Iacobus Patria, ep. Petrocoricensis.
✠ Ego Sigfridus Kowalski, ep. tit. Assiensis.
✠ Ego Nicolaus Grimley, ep. tit. Thuburbitanus.
✠ Ego Aloisius Eduardus Henriquez Jimenez, ep. tit. Lamdiensis.
✠ Ego Aurelius Sorrentino, ep. Bovensis.
✠ Ego Ildefonsus M. Sansierra Robla, ep. tit. Oriensis.
✠ Ego Ioannes Shojiro Ito, ep. Niigataensis.
✠ Ego Daniel Catarzi, ep. Uviraensis.
✠ Ego Villelmus Franciscus Kupfer, ep. Taichungensis.
✠ Ego Petrus Magoshiro Matsuoka, ep. Nagoyaensis.
✠ Ego Ioannes Proni, ep. Thermularum.
✠ Ego Brennus Foley, ep. Lancastrensis.
✠ Ego Villelmus Ericus Grasar, ep. Salopiensis.
✠ Ego Iacobus Landriault, ep. Hearstensis.
✠ Ego Varnerius Boudreaux, ep. tit. Calyndensis.
✠ Ego Ioannes Marchesi, ep. tit. Coelenus.
✠ Ego Leonellus Berti, ep. tit. Germanicopolitanus.
✠ Ego Michaël D'Aversa, ep. tit. Macrensis in Mauretania.
✠ Ego Aloisius Liverzani, ep. Tusculanus.
✠ Ego Milo McKeon, ep. tit. Antipyrgensis.
✠ Ego Anselmus Zarza, ep. Linarenus.
✠ Ego Victorinus Alvarez Tena, ep. Apatzinganiensis.
✠ Ego Victorius M. Costantini, ep. Suessanus.
✠ Ego Franciscus Zayek, ep. tit. Callinicensis Maronitarum.
✠ Ego Owen Snedden, ep. tit. Acheloius.
✠ Ego Ioannes B. Przyklenk, ep. Januariensis.

✠ Ego Antonius Angioni, ep. tit. Hipponensis.
✠ Ego Franciscus Reh, ep. tit. Macrianensis in Mauritania.
✠ Ego Iulius Peeters, ep. Bueaensis.
✠ Ego Vincentius Baldwin, ep. tit. Bencennensis.
✠ Ego Ioseph Carranza Chévez, ep. S. Rosae de Copán.
✠ Ego Raimundus Lui, ep. Paracatuensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Thomas, ep. Geraldtonensis.
✠ Ego Raphaël Ayala y Ayala, ep. Tehuacaniensis.
✠ Ego Emmanuel Romero Arvizu, ep. tit. Dusensis.
✠ Ego Hugo Aufderbeck, ep. tit. Arcenus.
✠ Ego Ioannes Taylor, ep. Holmiae.
✠ Ego Petrus Boillon, ep. Virodunensis.
✠ Ego Michaël Ioseph Green, ep. tit. Trisipensis.
✠ Ego Geraldus Vincentius McDevitt, ep. tit. Tigiensis.
✠ Ego Ioseph Gonçalves da Costa, ep. tit. Rhodopolitanus.
✠ Ego Candidus Padin, ep. tit. Tremithusius.
✠ Ego Raimundus Hunthausen, ep. Helenensis.
✠ Ego Carolus Schmidt, ep. tit. Thasiensis.
✠ Ego Achilles Palmerini, ep. Aeserniensis et Venafranus.
✠ Ego Felicianus Gonzales Ascanio, ep. Maracayensis.
✠ Ego Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis.
✠ Ego Acacius Rodriguez Alves, ep. Palmonopolitanus.
✠ Ego Laurentius Trevor Picachy, ep. Jamshedpurensis.
✠ Ego Raimundus Ndudi, ep. tit. Mataritanus in Proconsulari.
✠ Ego Fortunatus Da Veiga Coutinho, ep. Belgaumensis.
✠ Ego Ioseph Mancuso, ep. Mazariensis.
✠ Ego Petrus Birch, ep. Ossoriensis.
✠ Ego Ioseph Esau Robles Jiménez, ep. Tulancingensis.
✠ Ego Patricius Ioseph Dalton, ep. Yolaensis.
✠ Ego Ioannes Mouisset, ep. Nicensis.
✠ Ego Leo Tigga, ep. Dumkaensis.
✠ Ego Augustinus Frotz, ep. tit. Coradenus.
✠ Ego Ericus Benjamin, ep. Darjeelingensis.
✠ Ego Aloisius Morstabilini, ep. Brixiensis.
✠ Ego Iulianus Barni, ep. tit. Coracesiotanus.
✠ Ego Dinus Tomassini, ep. Isclanus.
✠ Ego Andreas Bréheret, ep. Cadurcensis.
✠ Ego Thomas Kuba, ep. Mahagiensis.
✠ Ego Miltonius Corrêa Pereira, ep. tit. Coronensis.
✠ Ego Alanus Leroy, ep. Kilvaensis.
✠ Ego Alfredus Cavagna, ep. tit. Tianus.
✠ Ego Aloisius Civardi, ep. tit. Thespiensis.
✠ Ego Thaddaeus Prost, ep. tit. Frontensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Gillmore Stock, ep. tit. Auziensis.
✠ Ego Alfonsus Artega Yepes, ep. Ipialensis.
✠ Ego Andreas Collini, ep. tit. Zephyriensis.
✠ Ego Emmanuel De Almeida Trindade, ep. Aveirensis.
✠ Ego Climerius Almeida de Andrade, ep. Victoriensis de Conquista.

✠ Ego Ioannes Sauvage, ep. Anneciensis.
✠ Ego Hieronymus Ioseph Podestà, ep. Avellanediensis.
✠ Ego Symphorianus Lucas, ep. tit. Boriensis.
✠ Ego Marius Zanchin, ep. Fidentinus.
✠ Ego Constantinus Trapani, ep. Nicosiensis.
✠ Ego Ernestus Gonçalves da Costa, ep. Inhambanianus.
✠ Ego Ioseph Lamartine Soares, ep. tit. Fussalensis.
✠ Ego Michaël Balaguer, ep. tit. Castellominoritanus.
✠ Ego Hadrianus Hipolito, ep. tit. Diospolitanus in Thracia.
✠ Ego Raphaël Sarmiento Peralta, ep. Ocaniensis.
✠ Ego Remigius Ioseph De Roo, ep. Victoriensis in Insula Vancouver.
✠ Ego Thomas Villelmus Murphy, ep. Juazeiriensis.
✠ Ego Ioannes Gazza, ep. tit. Circesiensis.
✠ Ego Cyprianus Kihangire, ep. Hoimanus.
✠ Ego Ivo Georgius Renatus Ramousse, ep. tit. Pisitanus.
✠ Ego Ioannes Picco, ep. tit. Anaeus.
✠ Ego Henricus Clemens Donze, ep. Tutelensis.
✠ Ego Ioseph Arturus Costello, ep. tit. Chomatitanus.
✠ Ego Bernardus Ioseph Bueno Miele, ep. tit. Bararitanus.
✠ Ego Ioannes Ioseph Dougherty, ep. tit. Cotennensis.
✠ Ego Ioseph Nicomedes Grossi, ep. Spaeleopolitanus a Bono Iesu.
✠ Ego Aloisius Paro, ep. tit. Diocaesariensis in Isauria.
✠ Ego Pompaeus de Sá Leão y Seabre, ep. Malanjensis.
✠ Ego Stanislaus Arnoldus van Melis, ep. tit. Polemoniensis.
✠ Ego Gerardus Schaffran, ep. tit. Semneaensis.
✠ Ego Ioachim Segedi, ep. tit. Gypsariensis.
✠ Ego Clarencius Elwell, ep. tit. Conensis.
✠ Ego Ioseph Kurpas, ep. tit. Orisenus.
✠ Ego Antonius D'Erchia, ep. tit. Podaliensis.
✠ Ego Victorius Ottaviani, ep. Alatrinus.
✠ Ego Felix Niza Ribeiro, ep. Tetiensis.
✠ Ego Antonius de Saram, ep. Gallensis.
✠ Ego Villelmus Gran, ep. Osloensis.
✠ Ego Salamon Ferraz, ep. tit. Eleuthernensis.
✠ Ego Bernardus Nolker, ep. Paranaguensis.
✠ Ego Ignacius Leonorus Arroyo, ep. Tuxpaniensis.
✠ Ego Ioseph Guadalupe Padilla Lozano, ep. Verae Crucis.
✠ Ego Audenus McCoy, ep. Oyoensis.
✠ Ego Petrus Caelestinus Nkou, ep. Sangmelimaensis.
✠ Ego Clemens Carranza Lopez, ep. Esteliensis.
✠ Ego Ioseph M. Carrizo Villareal, ep. Chitrensis.
✠ Ego Marcellus Rosina, ep. tit. Aezanitanus.
✠ Ego Ildefonsus Rea, ep. tit. Coronensis.
✠ Ego Henricus Bolaños Quesada, ep. tit. Andropolitanus.
✠ Ego Georgius Henricus Speltz, ep. tit. Claniensis.
✠ Ego Andreas Rousset, ep. tit. Vagensis.
✠ Ego Gaugerius Leuliet, ep. Ambianensis.
✠ Ego Amedeus Gonzalez Ferreiro, ep. tit. Metrensis.

✠ Ego Emmanuel Lisboa De Oliveira, ep. Nazarensis.
✠ Ego Ioannes Höhne, ep. tit. Urimensis.
✠ Ego Dionysius Vincentius Durning, ep. Arushaensis.
✠ Ego Eduardus Macheiner, ep. tit. Seljensis.
✠ Ego Iesus Sison, ep. Tarlacensis.
✠ Ego Henricus Theissing, ep. tit. Minensis.
✠ Ego Franciscus Costa, ep. tit. Emmausensis.
✠ Ego Nivaldus Monte, ep. tit. Eluzanus.
✠ Ego Abel Conigli, ep. Biturgensis.
✠ Ego Philippus Broers, ep. Carabellensis.
✠ Ego Venceslaus Skomorucha, ep. tit. Zoarensis.
✠ Ego Henricus Alvear Urrutia, ep. S. Philippi.
✠ Ego Marianus Gaviola, ep. Cabanatuensis.
✠ Ego Antonius Cunial, ep. Lucerinus.
✠ Ego Salvator Nicolosi, ep. Liparensis.
✠ Ego Franciscus Rossi, ep. Derthonensis.
✠ Ego Lucianus Agboka, ep. Abomeiensis.
✠ Ego Altivus Pacheco Ribeiro, ep. Barrensis de Pirahy.
✠ Ego Thomas Ryan, ep. Clonfertensis.
✠ Ego Ioannes Hermil, ep. tit. Maridensis.
✠ Ego Ioseph a Iesu Tirada Pedraza, ep. Civitatis Victoriensis.
✠ Ego Alfonsus Gerardus Bannwarth, ep. Suessionensis.
✠ Ego Ioannes Melis Fois, ep. Ampuriensis et Templensis.
✠ Ego Laurentius Michael De Falco, ep. Amarillensis.
✠ Ego Adolfus Rodriguez Herrera, ep. Camagueyensis.
✠ Ego Hamletus De Angelis, ep. Vianensis.
✠ Ego Normannus Ioseph Gallagher, ep. tit. Adrasenus.
✠ Ego Ioseph Wilhelm, ep. tit. Saccaeotenus.
✠ Ego Laurentius Noël, ep. tit. Agathopolitanus.
✠ Ego Franciscus Esteves Dias, ep. Lusitanianus.
✠ Ego Thomas Vaquero, ep. S. Ioannis in Brasilia.
✠ Ego Basilius Petrus Carolus Habra, ep. tit. Bathnensis Syrorum.
✠ Ego Ioannes B. Mudartha, ep. tit. Idebessenus.
✠ Ego Stephanus Courtois, ep. Kayesensis.
✠ Ego Desiderius de Montclos, ep. Sikassensis.
✠ Ego Ioannes Zareba, ep. tit. Bityliensis.
✠ Ego Aloisius Ioannes Tomé, ep. Mercedensis.
✠ Ego Mesrob Terzian, ep. tit. Comanensis in Armenia.
✠ Ego Ioseph a Carmine Valle Gallardo, ep. tit. Germanicensis in Numidia.
✠ Ego Bohdan Bejze, ep. tit. Idassensis.
✠ Ego Hieronymus Hastrich, ep. tit. Gurzensis.
✠ Ego Aloisius Bettazzi, ep. tit. Thagastensis.
✠ Ego Arnoldus Radulfus Cotey, ep. Nachingweaensis.
✠ Ego Felicissimus Raeymaeckers, ep. tit. Aperlitanus.
✠ Ego Ioseph Khiamsun Nittayo, ep. tit. Obbensis.
✠ Ego Ioannes Carlos Ferro, ep. Ss.mae Conceptionis in Argentina.
✠ Ego Italus Severinus Di Stefano, ep. S. Rochi.
✠ Ego Albertus Thomas, ep. Bathurstensis.

✠ Ego Franciscus Hoenen, ep. Kengensis.
✠ Ego Victorinus Kong-hi Youn, ep. Suwonensis.
✠ Ego Ioseph Petralia, ep. Agrigentinus.
✠ Ego Henricus Pechuán Marin, ep. Crucis Axeatae.
✠ Ego Ioseph Stimpfle, ep. Augustanus Vindelicorum.
✠ Ego Eugenius Abissa Kwaku, ep. Abenguruensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Elkichi Tanaka, ep. Takamatsuensis.
✠ Ego Fridericus Sargolini, ep. tit. Lysiadensis.
✠ Ego Clemens Kabukasansha, ep. Kasamaensis.
✠ Ego Gerardus Tickle, ep. tit. Belensis.
✠ Ego Fridericus Kaiser, ep. tit. Berrhoeensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius de Piedade Rebello, ep. tit. Tipasitanus in Mauretania.
✠ Ego Eduardus Fedders, ep. tit. Antiochenus ad Meandrum.
✠ Ego Ioannes Iacobus Ward, ep. tit. Brianus.
✠ Ego Bartholomaeus Carrasco, ep. Huejutlensis.
✠ Ego Alfonsus Mathias, ep. Chikmagalurensis.
✠ Ego Matthias Fernandes, ep. Mysuriensis.
✠ Ego Radulfus Silva Silva, ep. tit. Eudoxiadensis.
✠ Ego Ignatius M. De Orbegozo y Goicoechea, ep. tit. Ariassensis.
✠ Ego Ioseph Daley, ep. tit. Barcaeus.
✠ Ego Victor Garaygordobil, ep. tit. Pudentianensis.
✠ Ego Vincentius Maya Guzman, ep. tit. Comanensis Ponticus.
✠ Ego Andreas Petrus Cornelius Sol, ep. Amboinaensis.
✠ Ego Ignatius Gopu, ep. tit. Feraditanus maior.
✠ Ego Bernardus Cazzaro, ep. tit. Pyrgensis.
✠ Ego Ambrosius Yeddanapally, ep. Bellaryensis.
✠ Ego Carolus Manziana, ep. Cremensis.
✠ Ego Ioannes Paulus M. Vincent, ep. Baionensis, Lascurrensis et Oloronensis.
✠ Ego Ioannes Kaldany, ep. tit. Gabenus.
✠ Ego Iacobus Martin, ep. tit. Neapolitanus in Palaestina.
✠ Ego Gabriel Diaz Cueva, ep. tit. Arensis in Numidia.
✠ Ego Daniel Sheehan, ep. tit. Capsensis.
✠ Ego Philippus a Iesu Cueto González, ep. Tlalnepantlanus.
✠ Ego Ioannes de Reeper, ep. Kisumaensis.
✠ Ego Leo Chambon, ep. Bossangoensis.
✠ Ego Georgius Hilarius Dupont, ep. Palaensis.
✠ Ego Aeneas Selis, ep. tit. Caesariensis in Mauretania.
✠ Ego Bogdan Marianus Vincentius Sikorski, ep. Plocensis.
✠ Ego Villelmus Gordon Wheeler, ep. tit. Theudalensis.
✠ Ego Ioannes Wiesen, ep. tit. Telmissensis.
✠ Ego Paulus Muñoz Vega, ep. tit. Ceramensis.
✠ Ego Antonius Maanicus, ep. Bangassuensis.
✠ Ego Albertus Ioseph Tsiahoana, ep. tit. Abtugnitanus.
✠ Ego Henricus Ioseph Cornelius De Cocq, ep. tit. Aquensis in Byzacena.
✠ Ego Valdirus Calheiros de Novais, ep. tit. Muliensis.
✠ Ego Franciscus Kuharić, ep. tit. Metensis.
✠ Ego Antonius de Castro Xavier Montiero, ep. tit. Ombitanus.
✠ Ego Ioseph Albertus Lopes de Castro Pinto, ep. tit. Hieropolitanus in Isauria.

✠ Ego Thomas Andreas Donnellan, ep. Ogdenburgensis.
✠ Ego Sanctus Quadri, ep. tit. Villanovensis.
✠ Ego Carolus Colombo, ep. tit. Victorianensis.
✠ Ego Lucas Olu Chukwuka Nwaezeapu, ep. Varriensis.
✠ Ego Ferdinandus Azcárate de Andrada, ep. tit. Cefalensis.
✠ Ego Carolus Oviedo Cavada, ep. tit. Beneventensis.
✠ Ego Eduardus Pironio, ep. tit. Caeciritanus.
✠ Ego Romulus Alberti, ep. Apucaranensis.
✠ Ego Patiens Redois, ep. Natatinguensis.
✠ Ego Lucianus Metzinger, ep. tit. Autentensis.
✠ Ego Paulus Verschuren, ep. tit. Aquaesirensis.
✠ Ego Pius Benincasa, ep. tit. Burunitanus.
✠ Ego Stanislaus Brzana, ep. tit. Cufrutensis.
✠ Ego Paulus Hnilica, ep. tit. Rusadicensis.
✠ Ego Hadrianus Gand, ep. tit. Macrianensis minor.
✠ Ego Edmundus Quaglia Martinez, ep. Jodinensis.
✠ Ego Leontius Albertus Van Peteghem, ep. Gandavensis.
✠ Ego Iulius Leguerrier, ep. tit. Bavagalianensis.
✠ Ego Ernestus Camagni, ep. tit. Suavensis.
✠ Ego Iulius Franco Arango, ep. Duitamensis.
✠ Ego Petrus Salmon, ep. tit. Jucundiana.
✠ Ego Ioannes Fallani, ep. tit. Partheniensis.
✠ Ego Albertus Cosme do Amaral, ep. tit. Tagariensis.
✠ Ego Ioseph Guerra Campos, ep. tit. Mutiensis.
✠ Ego Maximinus Romero Lema, ep. tit. Hortensis.
✠ Ego Daniel Henricus Nuñez, ep. Davidensis.
✠ Ego Marcellus Chauvin, ep. Fada Ngurmaensis.
✠ Ego Eduardus Lawton, ep. Sokotoensis.
✠ Ego Eugenius Iacobus Peyrou, ep. Rivadavia.
✠ Ego Albertus Ndongmo, ep. Nkongsambensis.
✠ Ego Ioannes Bianchi, ep. tit. Seleucianensis.
✠ Ego Ioseph Aurelius Plourde, ep. tit. Lapdensis.
✠ Ego Hubertus D'Rosario, ep. Dibrugarhensis.
✠ Ego Augustus Delisle, ep. Kabbaensis.
✠ Ego Maurus Rubio Repullès, ep. Salmantinus.
✠ Ego Ioannes Badré, ep. tit. Aquanovensis in Proconsulari.
✠ Ego Henricus Dias Nogueira, ep. Cabralopolitanus.
✠ Ego Brianus Patritius Ashby, ep. Christopolitanus.
✠ Ego Ianuarius Jenko, ep. tit. Acufidensis.
✠ Ego Petrus Paulus Koop, ep. Linensis.
✠ Ego Antonius Hacault, ep. tit. Mediensis.
✠ Ego Antonius Kühner y Kühner, ep. tit. Avioccalensis.
✠ Ego Franciscus Xaverius Nierhoff, ep. Florestensis.
✠ Ego Ioannes Fremiot Torres Oliver, ep. Poncensis.
✠ Ego Michaël Rusnak, ep. tit. Tzernicensis.
✠ Ego Renatus Spallanzani, ep. tit. Mazacensis.
✠ Ego Paulus Brezanóczy, ep. tit. Rotariensis.
✠ Ego Ioseph Bánk, ep. tit. Materianensis.

✠ Ego Ioseph Ijjas, ep. tit. Tagaratensis.
✠ Ego Ioseph Cserháti, ep. tit. Melzitanus.
✠ Ego Vedastus Hains, ep. tit. Belesasensis.
✠ Ego Iulianus Vaivods, ep. tit. Macrianensis maioris.
✠ Ego Marcus Libardoni, ep. tit. Africanus.
✠ Ego Leobaldus D'Souza, ep. tit. Caput Cillensis.
✠ Ego Ioseph Marafini, ep. Verulanus-Frusinatensis.
✠ Ego Petrus Augustus Boussard, ep. Venetensis.
✠ Ego Gabriel Matagrin, ep. tit. Florianensis.
✠ Ego Ioannes Vilnet, ep. S. Deodati.
✠ Ego Bernardus Oguki Atakjah, ep. Atakpamensis.
✠ Ego Marcellus Evaristus Van Rengen, ep. Mvekaensis.
✠ Ego Albertus Zambrano Palacios, ep. tit. Casensis in Numidia.
✠ Ego Laudislaus Rubin, ep. tit. Sertensis.
✠ Ego Daniel Donaldus Herlihy, ep. Fernensis.
✠ Ego Ioseph Perrot, ep. Sanensis.
✠ Ego Laurentius Moran, ep. tit. Caesareensis Philippi.
✠ Ego Bernardus Ratsimamotoa, ep. Morondanensis.
✠ Ego Ioseph Donnelly, ep. tit. Nabalensis.
✠ Ego Michaël Foylan, ep. Aberdonensis.
✠ Ego Georgius Biard, ep. Moptiensis.
✠ Ego Franciscus Brazys, ep. tit. Zellensis.
✠ Ego Thaddaeus Stanislaus Swagrzyk, ep. tit. Itensis.
✠ Ego Iacobus Odongo, ep. tit. Bahannensis.
✠ Ego Franciscus Thomson, ep. Matrisfontis.
✠ Ego Adolfus Proulx, ep. tit. Missuensis.
✠ Ego Raphaël Grovas, ep. Caguanus.
✠ Ego Justinus Pastorino, ep. tit. Babrensis.
✠ Ego Eduardus Herrera Riera, ep. tit. Sestensis.
✠ Ego Iacobus Ciona, ep. tit. Bacanariensis.
✠ Ego Jacobus Martin Hayes, ep. tit. Reperitanus.
✠ Ego Sylvius M. Dario, ep. tit. Oppidonovensis.
✠ Ego Iacobus Nguyen Ngoc Quang, ep. Canthoensis.
✠ Ego Basilius D'Souza, ep. Mangalorensis.
✠ Ego Franciscus Henricus Greteman, ep. tit. Vissalsensis.
✠ Ego Aloisius Clemens de la Vega Rodriguez, ep. Tulcanensis.
✠ Ego Ioannes B. Brunon, ep. tit. Vagalitanus.
✠ Ego Petrus Hoang Min Syeng, ep. Taeieonensis.
✠ Ego Urbanus Eugenius McGarry, ep. Bhagalpurensis.
✠ Ego Ioannes Martensen, ep. Hafniae.
✠ Ego Emmanuel Ferreira Cabral, ep. tit. Obbitanus.
✠ Ego Ioseph Carata, ep. tit. Praesidiensis.
✠ Ego Eugenius Franciscus Vroemen, ep. Ciquavana.
✠ Ego Gabriel Ukec, ep. Buniaensis.
✠ Ego Eduardus McCarthy, ep. tit. Tamascaniensis.
✠ Ego Martinus Legarra Tellechea, ep. tit. Lupercianensis.
✠ Ego Cyrillus Vogel, ep. Salinensis.
✠ Ego Alexander Piazza, ep. Albinganensis.

✠ Ego Antonius Columba McFeely, ep. Rapotensis.
✠ Ego Daniel Tji Hak Soun, ep. Woniuensis.
✠ Ego Alfredus Michael Watson, ep. tit. Nationensis.
✠ Ego Eugenius Polge, ep. tit. Thiavensis.
✠ Ego Bernardus Alix, ep. tit. Medianensis.
✠ Ego Alanus van Gaver, ep. tit. Nakornrasimaensis.
✠ Ego Ioseph a Trinitate Sepulveda Ruiz Velasco, ep. Tuxtlensis.
✠ Ego Nevin Villelmus Hayes, ep. tit. Novasinnensis.
✠ Ego Raimundus Gallagher, ep. Lafayettensis in Indiana.
✠ Ego Vincentius Puchol Montiz, ep. Santanderiensis.
✠ Ego Ioannes Navarro Ramirez, ep. Civitatis Altamirensis.
✠ Ego Franciscus Marcus Fernando, ep. tit. Olivensis.
✠ Ego Gabinus Diaz Merchán, ep. Guadicensis.
✠ Ego Iucundus Grotti, ep. tit. Thunigabensis.
✠ Ego Raphaël Angelus González Ramirez, ep. Barinensis.
✠ Ego Marcus Antonius Noronha, ep. el. Itabirensis.
✠ Ego Constantinus Maradei Donato, ep. Cabimensis.
✠ Ego Loras Ioseph Watters, ep. tit. Fidolomensis.
✠ Ego Theophilus A. Cadoux, ep. Kaolackensis.
✠ Ego Franciscus Arinza, ep. tit. Fissianensis.
✠ Ego Iesus M. Pellin, ep. tit. Aquensis.
✠ Ego Nicolaus Hajj, ep. tit. Tamiathitanus Melckitarum.
✠ Ego Ioannes da Silva Saraiva, ep. tit. Moptensis.
✠ Ego Georgius Benedictus Gassongo, ep. tit. Cubdensis.
✠ Ego Aloisius Maverna, ep. tit. Vannidensis.
✠ Ego Olympus Santiago Maresma, ep. tit. Gegitanus.
✠ Ego Firminus Martin Schmidt, ep. tit. Conanensis.
✠ Ego Petrus Bartholomaeus Hanrion, ep. Dapangensis.
✠ Ego Irenaeus Dud, ep. tit. Barcusenus.
✠ Ego Aloisius Gonzaga Fernandes, ep. tit. Mididitanus.
✠ Ego Christianus Bakpessi, ep. Sokode.
✠ Ego Henricus Beel, ep. tit. Sucardensis.
✠ Ego Iulius Taveres Rebimbas, ep. Pharaonensis.
✠ Ego Ismael Blasius Rolòn Silvero, ep. tit. el. Furnitanus maior.
✠ Ego Hieronymus Pechillo, ep. tit. el. Novasparsensis.
✠ Ego Terentius Iacobus Cooke, ep. tit. Summensis.
✠ Ego Fox Langton, ep. tit. Maurensis.
✠ Ego Theodoricus Worlock, ep. Portus Magni.
✠ Ego Paulus Tanner, ep. tit. Lamasbensis.
✠ Ego Carolus Henricus Lévesque, ep. tit. Guzabetensis.
✠ Ego Ioseph Eduardus Alvarez, ep. tit. Tabuniensis.

Ego Petrus Romualdus Zilianti, abbas nullius S. Mariae Oliveti Maioris.
Ego Martinus Michler, abbas nullius B. M. V. de Monteserrato Fluminis Ianuarii.
Ego Henricus Groner, abbas nullius B. M. V. Maris Stellae.
Ego Anselmus Ludovicus Tranfaglia, abbas nullius Montis Virginis.
Ego Raimundus Tschudy, abbas nullius Einsiedlensis.
Ego Valtherus Arturus Coggin, abbas nullius S. Mariae Auxiliatricis de Belmont.

Ego Hieronymus Ferdinandus Weber, abbas nullius S. Petri apud Münster.
Ego Theodorus Minisci, abbas nullius B. Mariae Cryptaeferratae.
Ego Aegidius Gavazzi, abbas Sublacensis.
Ego Gregorius Gomez, abbas nullius Novae Nurciae.
Ego Ioannes Franzoni, abbas nullius S. Pauli in Urbe.

Ego Marcellus Gerin y Boulay, prael. nullius Cholutensis.
Ego Servilius Conti, prael. nullius Roraimensis.
Ego Iacobus Carolus Burke, prael. nullius Chimbotiensis.
Ego Alquilius Alvarez Diaz, prael. nullius Maraiensis.
Ego Redemptus Gauci, prael. nullius Chuquibambensis.
Ego Franciscus McHugh, prael. nullius Itacoatiarensis.
Ego Florentinus Armas Lerena, prael. nullius Chotensis.
Ego Damianus Nicolau, prael. nullius Huamacucianus.
Ego Raimundus Salas Valdes, prael. nullius Aricensis.
Ego Angelus Rivato, prael. nullius Petrosi Culminis.
Ego Marius Robertus Anglim, prael. nullius Coaritanus.
Ego Ioannes Conway McNabb, prael. nullius Chulucanensis.
Ego Nicolaus D'Antonio Salza, prael. nullius Immac. Conc. B. M. V. in Olancho.
Ego Hadrianus Veigle, prael. nullius Borbensis.

Ego Petrus Moretti, praef. apost. Tungchovensis.
Ego Quintinus Pessers, praef. apost. Kiangchovensis.
Ego Matthias Buchholz, praef. apost. Shihtsienensis.
Ego Dominicus Desperben, praef. apost. Hainanensis.
Ego Hermenegildus da Losenstein, praef. apost. Khiamuszeensis.
Ego Petrus Maleddu, praef. apost. Hinganfuensis.
Ego Dominicus Ferrara, praef. apost. Mopoiensis.
Ego Eduardus Gabriel Quint, praef. apost. Veihaiveiensis.
Ego Henricus Vallejo, praef. apost. Tierradentroensis.
Ego Georgius Breen, praef. apost. Haflongensis.
Ego Iacobus Ireland, praef. apost. de Insulis Falkland seu Malvinis.
Ego Albanus de Blackburn, praef. apost. de Jullundur.
Ego Aloisius Dettmer, praef. apost. De Aarensis.
Ego Heribertus Correa Yepes, praef. apost. Mituensis.
Ego Clarentius Iacobus Duhart, praef. apost. Udonthanensis.
Ego Ioseph a Iesu Arango, praef. apost. Guapiensis.
Ego Felix Erviti, praef. apost. de Sahara Hispaniae et Ifni.
Ego Emmanuel Gomez Frande, praef. apost. S. Michaelis de Sucumbios.
Ego Ioannes Giordani, praef. apost. Paciensis in California Inferiori.
Ego Villelmus Van den Elzen, praef. apost. Dorumaensis.
Ego Attilius Previtali, praef. apost. Misuratensis.
Ego Urbanus Murphy, praef. apost. Bechuanalandensis.
Ego Rupertus Hillerich, praef. apost. Solwenziensis.
Ego Villelmus Mahony, praef. apost. Ilorinensis.
Ego Hermannus Gerardus Te Riele, praef. apost. Malakalensis.
Ego Edvinus Kinch, praef. apost. Ingwavumensis.
Ego Ioannes Thomas Durkin, praef. apost. de Louis Trichardt.
Ego Ioannes Boerkamp, praef. apost. Kashmirensis et Jammuensis.

Ego Antonius de Hornedo Correa, praef. apost. S. Francisci Xaverii.
Ego Angelus Romaniello, praef. apost. Kweilinensis.
Ego Henricus Hubertus Winkelmolen, praef. apost. Samensis.
Ego Iesus Coronado Caro, praef. apost. Ariariensis.
Ego Colin Davies, praef. apost. de Ngong.
Ego Emanuel de Baizama Labaca Ugarte, praef. apost. Aguaricoensis.
Ego Ioannes B. Coudray, praef. apost. Kankamensis.
Ego Petrus Malachias van Diepen, praef. apost. Manokwariensis.
Ego Gerardus Legeland, praef. apost. Veetebulaensis.
Ego Gerardus Deschamps, praef. apost. Daruensis.
Ego Iacobus Timotheus Cotter, praef. apost. Maiduguriensis.
Ego Edmundus Ioseph Fitzgibbon, praef. apost. Minnaensis.
Ego Paschalis Sweeney, praef. apost. Vanimo.
Ego Andreas Loucheur, praef. apost. Bafiensis.
Ego Ioseph Kantzian, ordinarius Armenorum Graeciae.
Ego Ianuarius Paul, ordinarius Chandaensis.

Ego Ioseph Soetemans, abbas gen. Congr. Ss.mi Salvatoris Lateranensis.
Ego Gebardus Koberger, abbas gen. Congr. Canonicorum Regularium S. Augustini Lateranensium Austriaca.
Ego Angelinus Lovey, praep. gen. Congr. Ss. Nicolai et Bernardi Montis Iovis.
Ego Norbertus Calmels, abbas gen. O. Praem.
Ego Villelmus Van Hees, magister gen. O.S.Cr.
Ego Benno Gut, abbas primas O.S.B.
Ego Albertus Clerici, abbas praeses Congr. Cassinensis O.S.B.
Ego Christophorus Butler, praeses Congr. Angliae O.S.B.
Ego Ioannes Hoeck, praeses Congr. Bavaricae O.S.B.
Ego Ioannes Prou, sup. gen. Congr. Gallicae O.S.B.
Ego Balduinus Dworschak, praeses Congr. Americanae Cassinensis O.S.B.
Ego Petrus Borne, praeses Congr. Beuronensis O.S.B.
Ego Petrus Caelestinus Gusi, abbas gen. Congr. Sublacensis O.S.B.
Ego David Melancon, praeses Congr. Helveto-Americanae O.S.B.
Ego Maurus Riha, praeses Congr. Austriacae ab Immaculata Conceptione.
Ego Henricus Brechter, archiabbas Congr. Ottiliensis O.S.B.
Ego Godefridus Dayez, praeses Congr. Belgicae ab Annuntiatione B.M.V.
Ego Maurus Verzich, praeses Congr. Slavae S. Adalberti.
Ego Aliprandus Catani, prior gen. Congr. Monachorum Eremitarum Camaldulensium O.S.B.
Ego Iacobus Del Rio, maior Congr. Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae.
Ego Alfonsus Salvini, abbas gen. Congr. Vallis Umbrosae O.S.B.
Ego Leo Cornelli, abbas gen. Congr. Silvestrinae O.S.B.
Ego Hemaiagh Ghedigian, abb. gen. Melch. Venet.
Ego Carolus Braunstorfer, abbas praeses Congr. Austriacae S. Ord. Cist.
Ego Theobaldus Moscatelli, abbas praeses Congr. S. Bernardi Italiae S. Ord. Cist.
Ego Ioannes Van Engelen, abbas praeses Congr. Belgicae S. Ord. Cist.
Ego Nivardus Buttarazzi, abbas praeses Congr. Casamari S. Ord. Cist.
Ego Emmanuel Chu-kim-Tuyen, abb. praeses Congr. S. Familiae S. Ord. Cist.
Ego Ignatius Gillet, abb. gen. ord. Cist. Ref.

Ego Georgius Tomzinski, prior gen. S. Paoli Primi Eremitae.
Ego Constantinus Koser, vic. gen. O.F.M.
Ego Basilius Heiser, min. gen. O.F.M. Conv.
Ego Clementinus a Vlissingen, min. gen. O.F.M. Cap.
Ego Ludovicus Secondo, min. gen. T.O.R.
Ego Augustinus Trapé, prior gen. O.E.S.A.
Ego Ioseph Torbey, sup. gen. Ordinis Antoniani Libanensis Maronitarum.
Ego Maroun Harika, sup. gen. Ordinis Antoniani S. Isaiae Maronitarum.
Ego Rabban Ablahad, sup. gen. Ord. Anton. S. Hormisdae Chaldaeorum.
Ego Athanasius Welyckj, sup. gen. Ordinis Basiliani S. Iosaphat.
Ego Athanasius Hage, sup. gen. Ordinis Basiliani S. Ioannis B. Melchitarum.
Ego Ioachim Saba, sup. gen. Ordinis Basiliani Ss.mi Salvatoris Melchitarum.
Ego Anicetus Fernandez Alonso, mag. gen. O.P.
Ego Angelus Almárcegui, prior gen. O.R.S.A.
Ego Gabriel dell'Addolorata Marinucci, prior gen. Ordinis Fratrum Eremitarum Discalceatorum S. Augustini.
Ego Kilianus Healy, prior gen. O. Carm.
Ego Anastasius a SS. Rosario, praep. gen. O.C.D.
Ego Michaël a Iesu, min. gen. Ordinis Ss.mae Trinitatis redemptionis captivorum.
Ego Bernardus Navarro Allende, mag. gen. O. de M.
Ego Ioseph Loftus, prior gen. O.S.M.
Ego Marianus Tumler, Magister Superior Ord. Teutonici.
Ego Antonius Sagrera, praep. gen. Ordinis Theatinorum.
Ego Ioannes Bernasconi, praep. gen. Congr. Barnabitarum.
Ego Petrus Arrupe, praep. gen. S.I.
Ego Ioseph Boeris, praep. gen. Ordinis C.R.S.
Ego Forsennius Vezzani, praef. gen. Ordinis Min. Inf.
Ego Florillus Piersanti, praep. gen. CC.RR.MM.
Ego Aloisius De Santis, rector gen. O.M.D.
Ego Vincentius Tomek, praep. gen. Sch. P.
Ego Octorinus Rolando, praep. gen. Congr. Presb. Doctr. Christ.
Ego Theodorus Foley, praep. gen. C.P.
Ego Villelmus Gaudreau, rector maior C.SS.R.
Ego Michaël Sudres, sup. gen. C.S.V.
Ego Ioseph Buckley, praep. gen. S.M.
Ego Cornelius Heiligers, sup. gen. S.M.M.
Ego Leo Deschâtelets, sup. gen. O.M.I.
Ego Leonardus Carrieri, sup. gen. M.SS.CC.
Ego Paulus Ioseph Hoffer, sup. gen. S.M.
Ego Ioannes Gaddo, praep. gen. I.C.
Ego Germanus M. Lalande, sup. gen. C.S.C.
Ego Vilfridus Ioseph Dufault, sup. gen. A.A.
Ego Rolandus Huot, sup. gen. S.S.S.
Ego Petrus Schweiger, sup. gen. C.M.F.
Ego Aloisius Ricceri, rector maior Societatis S. Francisci Salesii.
Ego Ioseph Van Kerckhoven, sup. gen. M.S.C.
Ego Villelmus Buckley, sup. gen. O.S.F.S.
Ego Conradus Blanchet, sup. gen. Miss. B. M. V. a La Salette.

Ego Ioannes Schütte, sup. gen. S.V.D.
Ego Villelmus Slattery, sup. gen. C.M.
Ego Mauritius Guéguiner, sup. gen. M.E.P.
Ego Villelmus Möhler, rector gen. S.A.C.
Ego Leo Volker, sup. gen. P.A.
Ego Henricus Mondé, sup. gen. S.M.A.
Ego Geraldus Mahon, sup. gen. M.H.M.
Ego Ioseph Antonius De Palma, sup. gen. S.C.I.
Ego Caetanus Briani, sup. gen. F.S.C.I.
Ego Omer Degrijse, sup. gen. C.I.C.M.
Ego Maurinus Rast, sup. gen. S.D.S.
Ego Maurus a Matre Perdolente, prior gen. C.M.I.
Ego Henricus Bliestle, sup. gen. M.S.F.
Ego Iacobus Alberione, sup. gen. S.S.P.
Ego Ioseph Zambarbieri, dir. gen. Don Orione.

PROCURATORES *

✠ Andreas Rohracher, arch. Salisburgensis, primas Germaniae (Adam Hefter, arch. tit Maximianopolitanus in Rhodope).
✠ Michaël Darius Miranda y Gomez, arch. Mexicanus, primas Mexici (Franciscus Orozco Lomelin, ep. tit. Vitensis).
✠ Michaël Darius Miranda y Gomez, arch. Mexicanus, primas Mexici (Ioseph Villalón Mercado, ep. tit. Hermianensis).
✠ Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia (Augustus Grimault, ep. tit. Maximianopolitanus in Palaestina).
✠ Ioannes Kodwo Amissah, arch. Littoris Capitis (Ioseph Bowers, ep. Accraensis).
✠ Hannibal Muñoz Duque, arch. Neo-Pampilonensis (Ioannes Ioseph Diaz Plata, prael. Bertraniae in Catatumbo).
✠ Franciscus Iachym, arch. tit. Maroneus (Iacobus Weinbacher, ep. tit. Thalensis).
✠ Gasto Mojaisky-Perelli, arch. ep. Nusanus (Christophorus Dominicus Carullo, arch. Composanus).
✠ Alexander Gonçalves do Amaral, arch. Uberabensis (Almirus Marques Ferreira, ep. Fertiliensis).
✠ Geraldus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus (Ioseph Mauritius da Rocha, ep. Brigantiensis in Brasilia).
✠ Theophilus Camomot Bastide, arch. tit. Marcianopolitanus (Iacobus Hayes, arch. Cagayanus).
✠ Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis (Andreas Leclerc, ep. tit. Haephestiensis)
✠ Ioseph Varani, ep. Jaboticaballensis (Lafayette Libânio, ep. Riopretensis).
✠ Albertus Conradus De Vito, ep. Lucknovensis (Ioannes Angelus Poli, ep. tit. Pergensis).

* Intra uncos refertur nomen Patris, qui repraesentatur.

✠ Reginaldus Ioannes Delargey, ep. tit. Hirinensis (Iacobus Michael Liston, ep. Aucopolitanus).
✠ Henricus Mazerat, ep. Andegavensis (Augustus Ioseph Gaudel, ep. tit. Nisyensis).
✠ Georgius Jacquot, ep. Vapicensis (Augustus Bonnabel, ep. tit. Zuritanus).
✠ Ioannes Theodorus Senner, ep. Cochabambensis (Petrus Franciscus Luna, ep. tit. Titoiolitanus).
✠ Andreas Van den Bronk, ep. Parakuensis (Ioseph Geraldus Holland, ep. tit. Cynopolitanus in Aegypto).
✠ Ioannes Carolus McCormick, ep. Altunensis-Johnstoniensis (Ioseph M. Yuen Cing Ping, ep. Ciumatiensis).
✠ Ioseph Emmanuel Piña Torres, ep. tit. Milevitanus (Anastasius Hurtado y Robles, ep. Tepicensis).
✠ Petrus Martin, ep. tit. Selinusiensis (Eduardus Bresson, ep. tit. Cestrenus).
✠ Mauritius Choquet, ep. tit. Diospolitanus inferior (Ioannes M. Jan, ep. tit. Edistianensis).
✠ Ioseph Germanus Bonavides Morriberón, ep. Chachapoyasensis (Ignatius Arbulú Pineda, ep. Huanucensis).
✠ Balthasar Alvarez Restrepo, ep. Pereiranus (Ioseph a Iesu Martinez Vargas, ep. Armeniensis).
✠ Alfonsus Niehues, arch. tit. Aptucensis (Ioachim Domingues de Oliveira, arch. Florianopolitanus).
✠ Alfonsus Niehues, arch. tit. Aptucensis (Daniel Hostin, ep. Lagensis).
✠ Paulus Carta, arch. Turritanus (Ambrosius Marchioni, arch. tit. Severianensis).
✠ Ioseph Bonacini, ep. Brittinoriensis (Angelus Calabretta, ep. Nepensis).
✠ Radulfus Silva Silva, ep. tit. Eudoxiadensis (Eduardus Larrain Cordovez, ep. Rancaguensis).
✠ Raphaël Bidawid, ep. Amadiensis (Ioseph Gogué, ep. Basrensis Chaldaeorum).
✠ Eduardus Jetté, ep. tit. Tabenus (Ioseph Arturus Papineau, ep. Joliettensis).
✠ Bernardus Ioseph Bueno Miele, ep. tit. Bararitanus (Paulus de Tarso Campos, ep. Caminensis.
✠ Nigellus Farren, ep. Derriensis (Ioannes McGinley, ep. tit. Croensis).
✠ Albertus Aloisius Fletcher, ep. Petriculensis (Iacobus Albertus Duffy, ep. tit. Silandensis).
✠ Albertus Aloisius Fletcher, ep. Petriculensis (Arturus Douville, ep. S. Hyacinthi).
✠ Carolus Villelmus Hartl, ep. tit. Stratonicensis in Caria (Pius Albertus Fariña Fariña, ep. tit. Citharizenus).
✠ Marius Paré, ep. Chicoutimiensis (Georgius Melançon, arch. tit. Esbonitanus).
✠ Carmelus Zazinović, ep. tit. Lebessenus (Ioseph Srebrnić, arch.-ep. Veglensis).
✠ Climerius Almeida de Andrade, ep. Victoriensis de Conquista (Florentius Sisenius Vieira, ep. Amargosensis).
✠ Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus (Alfonsus Toriz Cobián, ep. Queretarensis).
✠ Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus (Ioseph Salazar Lopez, ep. tit. Prusiensis).
✠ Vido Riobé, ep. Aurelianensis (Robertus Picard de la Vacquerie, arch. tit. Amidenus).

✠ Laurentius Michaël Graziano, ep. tit. Limatensis (Beniamin Barrera y Reyes, ep. S. Annae).
✠ Laurentius Michaël Graziano, ep. tit. Limatensis (Michaelangelus Machado y Escobar, ep. S. Michaelis).
✠ Raphaël Calabrìa, arch. Beneventanus (Ioannes Rizzo, arch. Rossanensis).
✠ Arturus Mery Beckdorf, arch. tit. Phasianus (Raimundus Munita Eyzaguirre, ep. tit. Maximianensis in Numidia).
✠ Ioseph Maria Cuenco, arch. Jarensis (Ioannes Nilmar, ep. tit. Zaparensis).
✠ Ioseph Alves de Sâ Trindade, ep. Montisclarensis (Jackson Berenguer Prado, ep. Fori S. Annae).
✠ Ioseph Bonfiglioli, arch. tit. Darnitanus (Hector Baranzini, arch. Syracusanus).
✠ Antonius Lopez Aviña, arch. Durangensis (Linus Aguirre Garcia, ep. Culiacanensis).
✠ Aemilius de Brigard Ortiz, ep. tit. Dystiensis (Hyacinthus Vasquez Ochea, ep. Espinalensis).
✠ Simon Hua Nguyen-van Hien, ep. Dalatensis (Ioannes Cassaigne, ep. tit. Gadarensis).
✠ Melchior da Silva Neto, ep. tit. Cremnensis (Emmanuel Nunes Coelho, ep. Luceatinus).
✠ Melchior da Silva Neto, ep. tit. Cremnensis (Ioannes Cavatti, ep. tit. Eucarpensis).
✠ Ioseph Ludovicus Andreas Ouelette, ep. Montis Lauri (Georgius Leo Pelletier, ep. Trifluvianensis).
✠ Raimundus Pastor Bogarin Argaña, ep. S. Ioannis Bapt. a Missionibus (Ioseph Reuss, ep. tit. Sinopenus).
✠ Alexander Menchaca Lira, ep. tit. Pinarensis (Hernandus Frias Hurtado, ep. tit. Baretensis).
✠ Aemilianus Pillai, ep. Iaffnensis (Thomas card. Cooray, arch. Columbensis in Ceylon).
✠ Carolus Herman Helmsing, ep. Kansanopolitanus-S. Ioseph (Paulus Clarentius Schulte, arch. Indianopolitanus).
✠ Franciscus Benedictus Cialeo, ep. Lyallpurensis (Aloysius Scheerer, ep. Multanensis).
✠ Warren Boudreaux, ep. tit. Calyndensis (Mauritius Schexnayder, ep. Lafayettensis).
✠ Donaldus Herlihy, ep. Fernensis (Thomas Keogh, ep. Darensis et Leighliensis).
✠ Raphaël Alvarez Lara, ep. Maioricensis (Bartholomaeus Pascual Marroig, ep. Minoricensis).
✠ Stanislaus Courbe, ep. tit. Castoriensis (Petrus Brot, ep. tit. Marcianensis).
✠ Franciscus Borgias do Amaral, ep. Taubatensis (Carolus Carmelus de Vasconcellos Motta, card. arch. Apparitiopolitanus).
✠ Vincentius de Araújo Matos, ep. Cratensis (Aurelianus Matos, ep. Limociensis).
✠ Daniel Chinnayan Arulswami, ep. Kumbakonamensis (Petrus Francia, ep. tit. Arabissenus).
✠ Carolus Garret Maloney, ep. tit. Capsitanus (Ioannes Alexander Floersh, arch. Ludovicopolitanus).
✠ Hubertus Newell, ep. Cheyennensis (Bernardinus Sullivan, ep. tit. Alicarnessensis).

✠ Andreas Collini, ep. tit. Zephyriensis (Ioannes B. Llosa, ep. Adiacensis).
✠ Virgilius Copas, ep. tit. Bennefensis (Ioannes Franciscus Doyle, ep. tit. Onuphitanus).
✠ Iacobus Flores Martin, ep. Barbastrensis (Linus Rodrigo Ruesca, ep. Oscensis).
✠ Ioannes Villelmus Comber, ep. tit. Foratianensis (Eduardus McGurken, ep. Shinyangaensis).
✠ Ioannes Villelmus Comber, ep. tit. Foratianensis (Raimundus Lane, ep. tit. Hypaepenus).
✠ Caelestinus Bezmalinović, ep. tit. Hadrumetinus (Michael Pušić, arch. ep. Pharensis).
✠ Hieronymus Mazzarotto, ep. tit. Arsinoitanus (Emmanuel da Silva d'Elboux, arch. Curitabensis).
✠ Ioseph de Aquino Pereira, ep. Prudentipolitanus (Rodericus Serra, ep. S. Caroli in Brasilia).
✠ Augustinus Rodriguez, ep. Villaricensis (Timotheus Georgius Raymondos, ep. tit. Chariopolitanus).
✠ Cyrillus Vogel, ep. Salinensis (Romeus Roy Blanchette, ep. tit. Massitensis).
✠ Iacobus Martin Hayes, ep. tit. Reperitanus (Ioseph Geraldus Berry, arch. Halifaxiensis).
✠ Ioseph Gabriel Anaya y Diez de Bonilla, ep. Zamorensis in Mexico (Albertus Mendoza Bedolla, ep. Campecorensis).
✠ Zaccharias Rolim de Moura, ep. Cajazeirasensis (Expeditus Eduardus de Oliveira, ep. Patosensis).
✠ Sanctes Quadri, ep. tit. Villanovensis (Gaudentius Binaschi, ep. Pineroliensis).
✠ Ioannes B. Costa, ep. tit. Scilitanus (Franciscus Xaverius Rey, ep. tit. Phacusiensis).
✠ Ioannes Picco, ep. tit. Anaeus (Franciscus Imberti, arch. Vercellensis).

Ianuarius Paul, ordinarius Chanda (Matthaeus Kavukatt, arch. Changanacherrensis.
Clementinus a Vlissingen, min. gen. ofm. cap. (Matthaeus Brans, ep. tit. Cornensis).
Petrus Rutten (Petrus Martinus Arntz, ep. Bandungensis).
Aloisius Sfeir (Genadius Adem, abb. sup. gen. Ord. Alepp. Maronitarum).
Ioseph Guérin (Ioannes B. Boivin, arch. tit. Viminiacensis).
Ioseph Guérin (Villelmus Thomas Porter, arch. tit. Lemnensis).
Marinus Verbaarschot (Martinus Lucas, arch. tit. Adulitanus).
Hermes Peeters (Prosper Durand, ep. tit. Girensis).
Petrus Abellan (Zeno Aramburu, ep. Uhuvensis).
Ioannes de Castro (Franciscus Prado Carrera, ep. Uruassuensis).
Gommarus De Pauw (Bertholdus Bühl, ep. tit. Methonensis).
Raimundus Henricus Pimentel (Ioseph Leo Rojas Chaparro, ep. Truxillensis in Venezuela).

Ego Ioseph Rossi
Ss. Concilii Notarius

Ego Franciscus Hannibal Ferretti
Ss. Concilii Notarius

Ego Pericles Felici
arch. tit. Samosatensis
Ss. Concilii Secretarius Generalis

6

Decretorum approbatio et proclamatio

Postquam paramenta Missae deposuerit, Summus Pontifex pluviale et mitram induit et, comitantibus em.mis DD. card. Diaconis Alfredo Ottaviani et Arcadio Larraona, ad sedem eminentem ante altare papale erectam venit et sedet.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, secretarius generalis Concilii, comitantibus duobus protonotariis de numero, scil. rev.mo P. D. Francisco Hannibale Ferretti, decano, et exc.mo D. Ioseph Rossi, ep. tit. Palmirensi, et duobus Advocatis Sacri Consistorii, DD. Francisco Parisi et Ioanne Baptista Ferrata, accedit ad Summum Pontificem ut ei referat de exitu suffragationum:

Secretarius generalis, genuflexus coram Pontifice:

Beatissime Pater, super constitutione dogmatica *de divina revelatione,*

Suffragia tulerunt Patres	. . . .	2.350
Quorum dixerunt	*placet*	2.344
	non placet	6

[*Plausus*]

Summus Pontifex Paulus VI:

In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Constitutio dogmatica *de divina revelatione,* quae in hac Sacrosancta et universali Synodo Vaticana Secunda legitime congregata modo lecta est, placuit Patribus.

Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illam, una cum venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus, et quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus. [*Plausus*].

Secretarius generalis:

Beatissime Pater, super decreto *de apostolatu laicorum,*

Suffragia tulerunt Patres	. . . .	2.307
Quorum dixerunt	*placet*	2.305
	non placet [1]	2

[*Plausus*].

[1] In computandis votis suffragationis 506 circa decretum *de apostolatu laicorum,* Officium sic dictum « Meccanografico » quemdam in errorem incidit, nam

Summus Pontifex Paulus VI:

In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Decretum *de apostolatu laicorum,* quod in hac Sacrosancta et universali Synodo Vaticana Secunda legitime congregata modo lectum est, placuit Patribus.

Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illud, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus, et quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus. [*Plausus*].

Secretarius generalis:

Beatissimus Pater pro novis legibus, quae in decreto *de apostolatu laicorum* modo promulgato continentur, statuit vacationem usque ad diem 29 mensis iunii anni 1966, nempe usque ad festum Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum anni proximi.

Interea Summus Pontifex normas edet ad praedictas leges exsequendas.

Nunc Summus Pontifex tradit tribus Auditoribus [1] et tribus Auditricibus [2] textum decreti modo promulgati *de apostolatu laicorum,* intendens illum tradere omnibus laicis qui, qua par est reverentia, illi obsequentur. [*Plausus*].

D. Ioannes Baptista Ferrata, advocatus consistorialis: Rogantur protonotarii apostolici hic praesentes, ut velint super constitutionem dog-

---

35 schedulae *placet,* quae admodum integrae non erant, a machinis ad computationes faciendas reiectae sunt. Propterea exitum sequens esse debebat:

Suffragatio 506:

Praesentes votantes	2.342
Dixerunt *placet*	2.340
non placet	2

Error detectus est postquam secretarius generalis exitus suffragationis publice coram Sanctissimo communicaverat.

(Ex declaratione a Scrutatoribus subsignata die 19 novembris 1965. Cuius erroris emendationem secretarius generalis communicavit Patribus in congregatione generali 165, diei 30 novembris 1965).

---

[1] Domini Mieczyslaw de Habicht, José Maria Hernandez et Eusèbe Adjakpley.

[2] Dominae Maria Pilar Bellosillo, Marie-Louise Monnet et Joseph McCarthy.

maticam et decretum nuper lecta et a Beatissimo Papa nostro Paulo VI adprobata una cum venerabilibus Concilii Patribus, unum vel plura instrumentum vel instrumenta conficere ad perpetuam rei memoriam.

Rev.mus Franciscus Hannibal Ferretti, decanus collegii protonotariorum apostolicorum: Conficiemus, vobis testibus.

7

Summi Pontificis allocutio *

Publica haec Sessio nostri Concilii Oecumenici Vaticani Secundi habetur viginti diebus ante eiusdem Concilii finem; atque adeo, praeterquam quod in hac maximi ponderis acta conciliaria, bene vobis cognita, promulgantur, praeterea occasionem eadem Nobis praebet vobiscum sermonem conferendi de quibusdam rebus in agendo positis, quae ad exitum pertinent gravissimi huius eventus ecclesiastici, quem ordinatim per quattuor temporis spatia, multi sane laboris, celebravimus.

Nihil hodie dicemus neque de huius Concilii permagno momento — ad religionem, ad doctrinas, ad bonum animorum, ad pastoralem sollertiam, ad vim historicam quod attinet —; neque de mysteriis sapientiae et gratiae, quae nobis nunc proponit et diu in posterum ad meditandum proponet; neque de rebus novis, quas Concilii deliberationes inducunt, sive in interiorem Ecclesiae vitam, sive in rationes et necessitudines, quas habet vel cum iis hominibus, vel cum iis rebus, quae ipsi circumfunduntur. Haec enim omnia uniuscuiusque nostrum haerent in animo, nosque cum ad considerandum, tum ad agendum salutariter movent. De his argumentis aliquid iam diximus in sermonibus superiore tempore expositis, vel recens in *Adhortatione Apostolica* die quarta huius mensis edita. Consilium Nobis hoc loco non est, ut rationem totius Concilii computemus; cum, summum, satis sit Nobis animadvertere ipsius iter et progressionem fuisse omni ex parte apte disposita, normis convenientia, libera, pacata, et, vobis praesentibus et operam conferentibus, sollemnia, sedula, frugifera et admodum salutaria. Nullum aliud Concilium, ex iis quae in Ecclesia Dei celebrata sunt, hoc fuit terrarum spatio amplius, labores suscepit operosiores et pacatiores, de argumentis egit vel magis variis, vel latius patentibus. Nam deliberavit et de propria Ecclesiae vita, et de Fratribus christianis adhuc a sua communione seiunctis, et de aliis religionibus non christianis, et generatim de hominum societate,

* *A.A.S.*, 57 (1965), pp. 978-984.

cuius nos in hoc Concilio didicimus implicitas et perdifficiles quaestiones planius cognoscere; quam nos vehementius amare didicimus, quod ad eius prosperitatem, ad eius pacem, ad eiusque salutem spectat. Laudes ergo Deo tribuantur, eique soli, Patri nostro optimo et summo, per Iesum Christum, nostrum unicum et amantissimum Dominum, in Spiritu Sancto, dulcissimo Paracleto, qui sua nos caritate alit, ducit, solatur. Laudes Deo tribuantur.

Satis in praesentia habemus mentem ad eas Concilii consecutiones intendere, quae, quemadmodum diximus, ad Synodi ipsius finem attinent. Quem finem potius multarum rerum initium appellaverimus; quod primum omnium constat et Consiliorum constitutione, quorum est Nobis sollertem navare operam ad praescripta definienda, Concilii decretis proposita. Huius generis Consilia est Nobis in animo quam primum condere, cum hoc intendamus, ut sacras huius Oecumenicae Synodi deliberationes sine cunctatione ad effectum adducamus. Tria Consilia post-conciliaria, quae dicunt, iam constituta sunt, quorum primum ad sacram Liturgiam pertinet, alterum ad Codicis Iuris Canonici recognitionem attinet, tertium denique eo spectat, ut praescripta serventur in Decreto habita, quod de instrumentis communicationis, uti vocant, socialis agit. Neque exspectavimus donec Decretum *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia* approbaretur, ut, optato, quod in eo inesset, respondentes, nuntiaremus Synodum Episcoporum constitutam esse. Hanc autem, Deo volente, primum Nos esse coacturos speramus — nisi id fieri poterit in proximum annum, multis curis tribuendum, cum celebrato Concilio coniunctis — in secuturum annum millesimum nongentesimum sexagesimum septimum. Eo enim tempore, iuxta praescriptum, centum abhinc annos, a Decessore Nostro ven. mem. Pio IX datum, sacra saecularia ob martyrium a Petro Apostolo factum agenda erunt.

Per idem vero tempus omnem curam adhibebimus, ut nulla mora Consilia condantur, quae Concilium condenda esse statuerit; aut ad normas Decretorum perficiendas, quae Concilium fecit, aut ad peculiares labores insumendos, qui earundem normarum effectioni necessarii sint.[1] Nova item Officia aperientur ad ea praestanda ministeria, quae sive huius Concilii leges, sive renovatae vitae Ecclesiae usus postulaverint. Ad Nos quod attinet, in proposito perstabimus ea, quae e celebratione Oecumenicae huius Synodi consequuuntur, ad effectum deducendi et, quorum ea initium fecit, opera persequendi, veluti trium « Secretariatuum », egregia navitate iam nunc insignium: quorum primus eo contendit, ut omnes Christiani in eiusdem Ecclesiae unitate componantur; alter ad rationes

[1] Cf. Decr. *De pastorali episcoporum munere in Ecclesia*, n. 44.

pertinet, quae nobis cum religionibus non christianis intercedunt; tertius non credentes studio et cura attingit. Deus igitur voluntates nostras confirmet nobisque vires et subsidia largiatur, quibus novis officiis satisfacere possimus.

Haec autem, Venerabiles Fratres, nonnihil temporis postulabunt; quodsi horum aliorumque supremorum institutorum ecclesiastici regiminis compositio gradatius, ut par est, eveniet, eaque ita perpendentur ac disponentur, ut nimia officialium multitudo et inutilia vitentur impendia, neutiquam censeatur proposita, quae enuntiamus, minus fideliter a Nobis servari.

Nolumus tamen munera, sacrae Hierarchiae propria, nova eaque artificiosa ratione in unum coacervare; sed volumus, hinc Episcopos partes habere in Concilii Oecumenici legibus exsequendis, hinc Nos, quantum fieri possit, eorum uti auxiliatrice opera, ut apostolico officio Nostro in universali Ecclesiae regimine aptius satisfacere valeamus. Nova autem efficacitas coetibus seu Conferentiis Episcopalibus attributa censenda est magni sane momenti eventum, quod attinet ad progredientes Iuris Canonici rationes; et, quemadmodum huius Instituti ortum libenter excepimus ac promovimus, ita fore confidimus ut illud conferat ad salutare dignumque catholicae Ecclesiae incrementum in variis terrarum orbis Nationibus ac regionibus; ac speramus etiam ut exinde membra Mystici Corporis, nedum invicem disiungantur ac separentur, magis magisque inter se cohaereant atque in concordem fraternamque unitatem coalescant. Haec Nos fovebimus; ac suprema ecclesiastici regiminis Instituta, imprimisque Romana Curia, sicut Nobis provido auxilio erunt, ita pariter in validum totius ecclesiasticae compaginis subsidium profecto cedent.

Ad Romanam autem Curiam quod attinet, sub exitum maximae huius Oecumenicae celebrationis, qua catholica Ecclesia suarum spiritualium virium ubertatem suaeque disciplinae robur probavit, liceat Nobis eam vostrae benevolentiae vestroque grato animo proponere. Iamvero, si catholica Ecclesia hodie iis florentibus pollet viribus, quas in ea, Dei beneficio, agnoscere gaudemus, hoc magna ex parte est tribuendum sollerti fidelique actioni, quam fieri contigit per hoc apostolici officii quasi instrumentum. Falso quis huiusmodi instrumentum existimet iam veterascens, ineptum, suae tantum utilitatis studiosum, vel corruptum; Nos vero de bene praestita opera testimonium ipsi debemus. Quae culpae olim reprehendebantur in hoc humano Instituto, quod apud Romanum Pontificatum in eiusque usum conditum est, hodie, divinae misericordiae beneficio, iam non sunt; sed religionis fervor, verus erga Christum Iesum amor, fidelitas et oboedientia, studium Ecclesiae sanctae iuvandae, atque alacritas in eius fovendis incrementis, totam Romanae Curiae navitatem

movent ac dirigunt, eamque efficiunt non solum gravissimo suo obeundo officio idoneam, sed dignam quoque, cui Ecclesia universa fidem habeat.

Haec tamen non ita sunt accipienda, quasi negemus Romanam Curiam in melius mutari posse; etenim quidquid humanum est, quidquid temporis vicibus est obnoxium, facile vitiosum et caducum evadere potest; immo eo magis manifesta ac vituperanda sunt vitia hominis, quo celsior est ipsius dignitas, et quo instantius eius officium postulat, ut ipse sibi constet et christianae sanctitatis testimonium exhibeat. Quare ad Nos quod attinet, primi omnium non modo haec agnoscimus, sed etiam operam dare cupimus, ut Romana Curia apte renovetur ad normam paragraphi nonae Decreti nuper promulgati, cui inscriptio *De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia;* ac prospiciemus, ut germano Iesu Christi spiritu magis magisque imbuantur et afficiantur ii omnes, quibus honori est Romanae Curiae operam navare.

Ad rem quod attinet, id quoque vos, Venerabiles Fratres, certiores facere cupimus, nempe Nos, etsi curarum magnitudine distentos, nihilominus per hoc tempus hac re non supersedisse. Nam inita iam sunt consilia et studia ad Romanam Curiam renovandam, eademque feliciter progrediuntur. Fatemur tamen, gravem non urgere necessitatem, ut structura ipsa immutetur; praeterquam quod officiales per vices mutentur oportet, necesse est etiam ut non pauca restaurentur, nonnulla in simpliciorem formam redigantur, alia perficiantur; at opera dabitur, ut normae potius, ad quas huiusmodi Institutum universe componendum erit, clarius proponantur ac statuantur. Fortasse optata haec renovatio lente procedere videbitur, atque ex parte tantum perfici; ita tamen fieri necesse est, ut erga viros ac traditos usus debita exhibeatur reverentia; at renovatio ipsa ad effectum tandem deducetur.

Ut autem verba Nostra exemplo aliquo comprobentur, iam in vestram notitiam perferre licet, mox prodituras esse normas quibus regenda erit prima omnium Sacrarum Romanarum Congregationum, hoc est Sanctum Officium.

Attamen, Venerabiles Fratres, minus in has utique necessarias mutationes emendationesque oportet mentes intendamus, quam in reformationem moralem et spiritualem, qua similiores efficiamur Divini Magistri, magisque idonei ad partes muneris cuique nostrum impositi implendas. Haec enim imprimis spectare debemus; scilicet veram germanamque sanctificationem nostram, et certam facultatem nuntium evangelicum inter homines nostrae huius aetatis disseminandi.

Plurimum vero, quemadmodum Nobis videtur, interest, ut perspectum habeamus, qui esse debeat mentis nostrae habitus eo tempore, quod Concilium subsequetur. Celebratio enim Concilii, Nostro quidem iudi-

cio, tres diversos animorum habitus ex ordine ostendit: quorum primus ad animorum inflammationem et ardorem pertinet; quod merito contigit. Nam convocationis nuntius cum stupore, laetitia, spe, et quasi cum visu messianici cuiusdam somnii exceptus est, exspectatus et simul non exspectatus; veluti vernus afflatus animos omnes permulsit. Alter deinde animorum habitus est insecutus, quo tempore Concilium ipsum agebatur, cui proprius erat multiplex quaestionum ac difficultatum numerus. Haec non fortuito in opus Concilii inciderunt, siquidem id fuit immensum; qua ex parte laudes tribuendae sunt praesertim sodalibus Consiliorum seu « Commissionum » et Coetuum minorum seu « Subcommissionum », in quibus Periti, quidam potissimum, impense ac sapienter elaboraverunt. Quos quasi remunerari cupientes, statuimus, ut saltem nonnulli ex iis Nobiscum sociarentur in hoc divino celebrando Sacrificio.

Sed eodem tempore a quibusdam, publicam opinionem vulgantibus, omnia in controversiam vocabantur vel talia existimabantur, ut eo possent vocari; omnia iis videbantur difficilia et implicata; omnium rerum iidem censuram faciebant, et animo impatienti rebus novis inhiabant; subortae sunt anxietates, inter se pugnantes sententiae, timores, audaciae, acta rerum arbitria; hic et illic dubitatio iniecta est de ipsis praeceptis veritatis et auctoritatis, donec Concilium vocem coepit proferre, leniter quidem, sed considerate et sollemniter. Nunc vero sub exitum suum, Concilium ipsum annuntiabit verbis brevibus et adhortationis plenis, quae esse debeat forma vitae Ecclesiae.

Itaque tertius iam mentium habitus sequitur; id est quo proposita ineuntur, quo Decreta Concilii accipiuntur et ad effectum deducuntur. Ad hoc ipsum unusquisque animum debet componere. Disceptationis finis imponitur; res incipiunt mente volvi et comprehendi. Arationem solum proscindentem sequitur agri cultura, quae ordinatim et utiliter fit. Ecclesia se ad novas normas a Concilio sibi traditas conformat: earum propria est fidelitas, eae insignes sunt novitate quasi adauctae conscientiae circa communionem in Ecclesia, circa admirabilem eius compagem, circa ardentiorem caritatem, qua communio Ecclesiae hierarchica debet conglutinari, exercitari, sanctificari.

Huius profecto temporis est vera illa ad novas necessitates accommodatio, a Ioanne XXIII, Decessore Nostro recolendae memoriae, praenuntiata. Ille autem huic verbo, consiliorum suorum iudicio, certe non eam vim subiecit, quam quidam ei indere sunt conati, quasi accommodatione illa liceret secundum « relativismi » placita et saecularem habitum mentis in Ecclesia omnia considerare: dogmata, leges, instituta, traditos usus; ille enim, quo erat ingenio acri et firmo, perspectam habebat stabilitatem doctrinae et compagis Ecclesiae, adeo ut in his eius

cogitatio et opera veluti in fundamento inniterentur. In posterum igitur eo verbo accommodationis ad novas necessitates hac significatione utemur, ut scilicet mens Concilii celebrati perspiciatur, et normae, ab eo feliciter sancteque editae, fideliter ad usum deducantur.

Arbitramur sane Ecclesiae, si nova eius psychologia respicitur, hac via esse procedendum. Clerus igitur et fideles praeclarum opus spirituale habent, quod insistant ad vitam et actionem secundum Christum Dominum renovandam. Ad hoc ipsum opus perficiendum Fratres et filios Nostros, hoc est eos qui Christum et Ecclesiam diligunt vocamus, ut una apertius Nobiscum profiteantur veritatem, quo sensu Christus et Apostoli doctrinam tradiderunt; et, praeter hanc, studium profiteantur disciplinae ecclesiasticae et unitatis, animos arcte ac suaviter coniungentis, quae ad fiduciam mutuamque necessitudinem, nos, utpote membra eiusdem corporis, confirmat.

Quo autem facilius ad huiusmodi christianae vitae renovationem excitemur omnes, Ecclesiae filios adhortamur, ut pia recordatione verba et exempla prosequantur duorum Summorum Pontificum, qui proxime ante Nos fuerunt: Pium XII et Ioannem XXIII dicimus, quibus Ecclesia, immo universi homines, tanta beneficia debent; atque hoc ducti consilio decernimus, ut canonici processus, qui dicuntur, rite instituantur, quibus incliti illi atque religiosissimi Ecclesiae Summi Pastores, quos tantopere colimus, in Beatorum Caelitum numerum referantur. Ita ii omnes voti compotes fient, qui, plurium vocum veluti concentu, postulaverunt, ut caelestes honores utrique tribuerentur; item eorum sacrae veluti hereditatis patrimonium posteritati tradetur integrum; itemque denique cautum erit, ne ullam aliam ob causam, praeter verae sanctitatis cultum, hoc est Dei gloriam eiusque Ecclesiae profectum, ipsorum germana et carissima imago et nobis et venientibus saeculis ad venerandum proponatur. Quodsi iudicium, ut omnibus patet, celeriter procedere non poterit, id tamen expeditum ordinatumque sane erit. Faxit Deus, ut ipsum nos eo perducat, quo pervenire exoptamus.

Proxima Oecumenici Concilii conclusio Nos moneret, ut omnium fructuum ducamus rationem, quos Concilium usque adhuc edidit, sive ad doctrinam quod attinet, cum illustria et luculenta veritatis ac vitae actionis documenta Ecclesiae universae dederit, sive ad caritatem quod spectat, quandoquidem nos omnes ab extremis terrarum finibus huc collegit, ut inter nos cognosceremus, ut omnes coniunctim Deum deprecaremur, ut Concilii rebus studeremus, ut de iisque deliberaremus, ut fidelitatem nostram erga Christum Iesum eiusque Evangelium una simul profiteremur, utque nostram augeremus amandi facultatem inter nos, et erga Fratres a nobis seiunctos, erga pauperes et animi corporisve

aegros, erga eos qui in mundo sive doctrinis sive operibus vacant, erga universam denique hominum societatem. Tempus tamen deficit, si tot argumenta in unum colligere velimus, sed nobis omnibus aliae pro certo suppetent ad huiusmodi studium opportunitates, suppetent posteris.

In praesentia, verborum Nostrorum finem facimus, propositum tantummodo aperientes, quod veluti invitatio censeatur ad Oecumenicae Synodi digne perpetuandam memoriam: propositum nempe Romae, ubi pastorales necessitates id expostulent, novi aedificandi templi in honorem Beatae Mariae Virginis, Ecclesiae Matris; Ecclesiae, dicimus, cuius ipsa pariter est prima filia benedicta, caelestibus muneribus unice donata.

Deinde nuntiamus, Nobis esse consilium in universa Ecclesia indicendi peculiare Iubilaeum, quod ab huius Concilii conclusione usque ad proximum Pentecostes festum habeatur, ut per sacras contiones veritatis et caritatis propagetur nuntium, quod a Concilio editum est, atque adeo Christifideles confirmentur in conscientia suae communionis et coniunctionis cum suae cuiusque dioecesis Pastoribus; qua occasione, omnes et singuli monebuntur, ut ex *ministerio reconciliationis*[2] fructum capiant ipsoque fruantur; quod sane ministerium omnibus bona voluntate praeditis hominibus quam uberrime patebit atque proponetur. Ad Iubilaeum spectantes nuntii et normae quam primum evulgabuntur.

Sed tempus est orationi huic Nostrae finem imponendi et sollemnem, quam celebramus, Sessionem iam concludendi; id vero facere nolumus, antequam vobis omnibus gratias ex animo agamus, qui augustis istis suavibusque sacris ritibus interfuistis praesentes, vosque in Domino salvere iubeamus, singulis in sanctissimo eius Nomine bene precantes.

8

Sessionis conclusio

Tunc Summus Pontifex omnibus praesentibus Apostolicam Benedictionem impertitur:

Summus Pontifex: Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Summus Pontifex: Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.

---

[2] Cf. *2 Cor.* 5, 18.

Summmus Pontifex: Benedicat vos Omnipotens Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

℟. Amen.

[*Plausus*].

Secretarius generalis: Proxima congregatio generalis: crastina, hora nona.

Post repositionem Sacrosancti Evangelii ab exc.mo D. Pericle Felici, secretario generali, factam, Summus Pontifex, assumptis mitra et baculo, de sede descendit et comitantibus em.mis DD. cardinalibus et rev.mis concelebrantibus e Basilica Vaticana egreditur, dum chorus Cappellae Sixtinae cantat modo gregoriano, alternatim cum Patribus, *Christus vincit* et psalmum 116 *Laudate Dominum, omnes gentes*; deinde *Tu es Petrus,* 7 vocibus, auctore Bartolucci.

CONGREGATIO GENERALIS CLXIV

19 novembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CLXIV

19 novembris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 164 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis-Frisingensis.

Patres venerabiles, communico piissimam mortem exc.mi D. Aegidii Lari, arch. tit. Tyrensis, olim Nuntii Apostolici. Oremus pro eo!

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te, Domine...* (et prosequitur alternatim cum Patribus).

Oremus. Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum Aegidium...

Secretarius generalis: In hac congregatione, Patres venerabiles, post relationem fient suffragationes circa modos schematis *de libertate religiosa.* Et post singulas suffragationes, proponetur « si et quatenus » suffragatio super integrum schema. In parvis intervallis cantabit chorus: « Sancta Maria Vallis Sublacensis ».

Durante relatione — audiatis bene, Patres! — distribuetur vobis donum Summi Pontificis: *La Divina Commedia* Dantis Aligherii. In initio voluminis haec verba dedicatoria leguntur:

« Paulus VI Pontifex maximus Patribus Oecumenici Concilii Vaticani II, ad exornandam memoriam VII pleni saeculi a Dantis Alighieri ortu, hoc exemplar divini poematis vatis summi vereque oecumenici, quod veritatem nos tam extollentem mirus mire concinit, IV Sessionis Sacrosanctae Synodi mnemosynon donat. Anno MCMLXV ». [*Plausus*].

Hoc donum, quod pretiosum est, uti scimus ex verbis dedicatoriis reservatum est Patribus. Habemus exemplaria pro omnibus Patribus, sed unum tantum pro unoquoque Patre. Quapropter rogo vehementer, vehementius, vehementissime ut unusquisque Pater suum exemplar habeat, et non plura, neque pro aliis accipiat. Qui forte hodie absens est potest petitionem nostrae secretariae porrigere et accipiet. Sed nemo petat plus quam unum exemplar. Miseremini assignatorum!

Aliud donum, scil. *Il viaggio di Paolo VI in India,* distribuetur in fine huius congregationis Patribus. Auditores et Observatores possunt accipere per secretariatum vel per adsessorem. Periti recipient non in nostro centro mechanographico, sed, uti solet, in nostra secretaria in palatio a Sancta Martha, quando illuc conveniunt numismatis recipiendi causa. Ergo omnia ex ordine fiant, rogo vos Patres.

Et nunc audiatis kalendarium ultimarum congregationum, quae sunt tantum quattuor.

Die 26 huius mensis, nos distribuemus modos schematis *de missionibus,* vel melius *de activitate missionali Ecclesiae,* in singulis domiciliis Patrum, uti iam fecimus. Attamen rogamus Patres qui habent domicilia privata ut velint ipsi convenire, per suos secretarios, uti patet, ad nostram secretariam, feria VI die 26, in via Serristori, vel Pfeiffer uti nunc vocatur, et accipere suum exemplar. Qui habitant in domiciliis communibus, in diversoriis, in domibus religiosis, etc., possunt accipere per nostros officiales.

Prima congregatio post has vacationes — a congregationibus generalibus sed non a commissionibus, uti patet — habebitur die 30 novembris, ergo feria III, in festo S. Andreae. In illa congregatione fiet suffragatio modorum schematis *de activitate missionali Ecclesiae,* et distribuetur fasciculus continens modos « de vita et ministerio presbyterorum ».

Die 1 decembris, congregatio vacat. Die 2 decembris, habebitur suffragatio modorum *de ministerio et vita presbyterorum,* et distribuentur modi quoad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Suffragatio circa hos ultimos modos fiet sabbato, die 4 decembris, et prosequetur, si necesse erit, in congregatione generali ultima, quae erit die 6 decembris. Ergo in toto sunt quattuor congregationes: die 30 novembris, die 2 decembris, die 4 et 6 decembris.

Audiatis, Patres nunc, dies et horas quibus Summus Pontifex coram admittet aliquos episcopatus.

Feria II, die 22 novembris, hora 19: Belgio, Francia, Lussemburgo, Monaco, Turchia.

Feria III, die 23 novembris, hora 18 — notetis horas, Patres venerabiles, ne confusio postea fiat —: integer episcopatus Americae Latinae.

Feria V, die 25 novembris, hora 19: Austria, Danimarca, Finlandia, Germania, Norvegia, Svezia, Svizzera.

Feria VI, die 26 novembris, hora 19: Spagna, Portogallo, et hic lego: « comprese le province d'Oltremare ».

Feria II, die 29 novembris, hora 19: Gibilterra, Gran Bretagna, Irlanda, Islanda, Malta.

In hac congregatione, Patres venerabiles, distribuitur etiam exemplar Litterarum Encyclicarum Summi Nostri Pontificis quibus a verbis *Mysterium Fidei* initium est. Est editio reservata Patribus conciliaribus, quam curavit nostra secretaria.

Audiatis denique exitus suffragationum ultimarum quoad schema constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Suffragatio 499:

Patres praesentes suffragantes		2.241
Dixerunt	*placet*	1.970
	non placet	54
	placet iuxta modum	210
Suffragia nulla		7

Suffragatio 500:

Patres praesentes votantes		2.242
Dixerunt	*placet*	2.081
	non placet	144
	placet iuxta modum	12
Suffragia nulla		5

Suffragatio 501:

Patres praesentes suffragantes		2.170
Dixerunt	*placet*	2.122
	non placet	43
	placet iuxta modum	1
Suffragia nulla		4

Suffragatio 502:

Patres praesentes et votantes		2.200
Dixerunt	*placet*	2.126
	non placet	65
	placet iuxta modum	3
et suffragia nulla		6

Suffragatio 503:

Patres praesentes votantes		2.218
Dixerunt	*placet*	2.165
	non placet	33
	placet iuxta modum	17
Suffragia nulla		3

Suffragatio 504 et ultima:

Patres praesentes votantes		2.227
Dixerunt	*placet*	1.656
	non placet	45
	placet iuxta modum	523
Suffragia nulla		3

Ergo omnes suffragationes exitum habuerunt positivum. Attamen modi examinabuntur, ut solet, et nova suffragatio fiet circa expensionem Modorum. Revera, Patres venerabiles, Modi pervenerunt ad nostram secretariam intra tempus statutum, nempe circiter circa mediam noctem feriae IV elapsae, et omnes Modi traditi sunt commissioni competenti.

Quoad titulum et qualificationem huius schematis, invitati estis, Patres, ut dicatis vestram sententiam. Illi quibus placet titulus iam constitutus, nempe *Constitutio pastoralis,* non est necesse ut aliquid scribant. Hi vero quibus placet aliqua mutatio hoc scribant in foliis reservatis Modis et dicant etiam novum titulum et qualificationem iuxta ea quae iam innuuntur in relatione exc.mi relatoris, ut iam dixi, et tradant hunc peculiarem modum nostrae secretariae in hac congregatione hodierna, ita ut nos possimus omnes Modos transmittere ad commissionem competentem in tempore. Et gratias!

Moderator: Proferat nunc relationem de Modis suffragandis schematis declarationis *de libertate religiosa* exc.mus D. Aemilius Ioseph De Smedt, ep. Brugensis.

1 – SCHEMA DECLARATIONIS DE LIBERTATE RELIGIOSA * [5]

*Textus denuo*** recognitus*

DE IURE PERSONAE ET COMMUNITATUM AD LIBERTATEM SOCIALEM ET CIVILEM IN RE RELIGIOSA

1. Dignitatis humanae personae homines hac nostra aetate magis in dies conscii fiunt,[1] atque numerus eorum crescit qui exigunt ut in agendo homines proprio suo consilio et libertate responsabili [2] fruantur et utantur, non coercitione commoti, sed officii conscientia ducti. *Itemque postulant iuridicam delimitationem potestatis publicae, ne fines honestae libertatis et personae et associationum nimis circumscribantur.* Quae libertatis exigentia in societate humana ea maxime respicit quae sunt animi humani bona, imprimis quidem ea, quae *liberum in societate* religion*is exercitium* spectant. Ad has animorum appetitiones diligenter attendens, sibique proponens declarare quantum sint veritati et iustitiae conformes, haec Vaticana Synodus sacram Ecclesiae traditionem doctrinamque scrutatur, *ex* quibus nova *semper cum* veter*ibus congruentia profert.*

Primum itaque profitetur ( ) Sacra Synodus Deum Ipsum via*m* generi humano nota*m* fecisse per qua*m*, Ipsi inserviendo, homines in Christo salvi et beati fieri possint. Hanc unicam veram Religionem subsistere credimus in catholica et apostolica Ecclesia, cui Dominus Iesus munus concredidit eam ad universos homines diffundendi, dicens Apostolis: « Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20). ( ) Homines *vero* cuncti ten*en*tur veritatem, praesertim in iis quae ( ) De*um Eiusque Ecclesiam* respiciunt, quaerere eamque *co*gnitam amplecti ac servare ( ).

Pariter vero profitetur Sacra Synodus officia haec hominum conscientiam tangere ac vincire, nec aliter *v*eritatem sese imponere nisi vi ipsius *v*eritatis, quae suaviter simul ac fortiter mentibus illabitur.

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali 163 die 17 novembris 1965.

** Est textus recognitus iuxta Modos a Concilii Patribus propositos et a Secretariatu ad Christianorum unitatem fovendam examinatos.

[5] *Porro,* quum libertas religiosa, quam homines in exsequendo officio Deum
colendi exigunt ( ), immunitatem a coercitione in societate civili respi-
ciat, ( ) integram relinqu*it traditionalem* doctrinam catholicam de morali
[6] hominum *ac societatum* officio erga ( ) vera*m* religione*m et* unica*m* Christi
Ecclesia*m*. Insuper, *de hac* libertate *religiosa agens* ( ), Sacra Synodus
recentiorum Summorum Pontificum doctrinam de inviolabilibus humanae
personae iuribus necnon de iuridica ordinatione societatis evolvere in-
tendit.

I. Libertatis religiosae ratio generalis

2. [*Libertatis religiosae obiectum et fundamentum*]. Haec Vaticana Synodus declarat personam humanam ius habere ad libertatem religiosam. Huiusmodi libertas in eo consistit quod omnes homines debent immunes esse a coercitione *ex parte* sive singulorum sive coetuum socialium et cuiusvis potestatis humanae, et ita quidem ut in re religiosa neque aliquis cogatur ad agendum contra suam conscientiam neque impediatur, quominus iuxta suam conscientiam agat privatim et publice, vel solus vel aliis consociatus, intra debitos limites. Insuper declarat ius ad libertatem religiosam esse revera fundatum in ipsa dignitate personae humanae, qualis et verbo Dei revelato et ipsa ratione cognoscitur.[3] Hoc ius personae humanae ad libertatem religiosam in iuridica societatis ordinatione ita est agnoscendum ut ius civile evadat.

Secundum dignitatem ( ) suam homines *cuncti,* quia personae sunt, ratione scilicet et libera voluntate praediti ideoque personali responsabilitate aucti, sua ipsorum natura impelluntur necnon morali tenentur obligatione ad veritatem quaerendam, illam imprimis, quae religionem spectat. Tenentur quoque veritati cognitae adhaerere atque totam vitam suam iuxta exigentias veritatis ordinare. Huic autem obligationi satisfacere homines, modo suae propriae naturae consentaneo, non possunt nisi libertate psychologica simulatque immunitate a coercitione externa fruantur. Non *ergo* in subiectiva personae dispositione sed in ipsa *eius* natura *ius ad* liberta*tem* religiosa*m* fundatur. Quamobrem ius ad *hanc* immunitatem perseverat etiam in iis qui obligationi quaerendi veritatem eique adhaerendi non satisfaciunt; *eiusque exercitium impediri nequit* dummodo *iustus* ordo publicus serve*tur* ( ).

3. [*Libertas religiosa et necessitudo hominis ad Deum*]. Quae clarius adhuc patent consideranti supremam humanae vitae normam esse ipsam legem divinam, aeternam, obiectivam atque universalem, qua Deus, consilio sapientiae et dilectionis suae mundum universum viasque communitatis humanae ordinat, dirigit, gubernat.[4] Huius suae legis

Deus hominem participem reddit, ita ut homo, providentia divina suaviter disponente, veritatem incommutabilem magis magisque agnoscere possit.[5] Quapropter unusquisque officium ideoque et ius habet veritatem in re religiosa quaerendi ut sibi, mediis adhibitis idoneis, recta *et vera* conscientiae iudicia prudenter efformet. [6]

Veritas autem inquirenda est modo dignitati humanae personae eiusque naturae sociali proprio, libera scilicet inquisitione, *ope* magisteri*i* seu institution*is,* communication*is* atque dialog*i*, quibus alii aliis exponunt veritatem quam invenerunt vel invenisse putant, ut sese invicem in veritate inquirenda adiuvent; veritati autem cognitae firmiter adhaerendum est assensu personali. [7]

Dictamina vero legis divinae homo percipit et agnoscit mediante conscientia sua; quam tenetur fideliter sequi in universa sua activitate, ut ad Deum, finem suum perveniat. Non est ergo cogendus ut contra suam conscientiam agat.[6] Sed neque impediendus est, quominus iuxta suam conscientiam operetur, praesertim in re religiosa. Exercitium namque religionis, ex ipsa eius indole, consistit *imprimis* in actibus internis ( ) voluntariis et liberis, quibus homo sese ad Deum directe ordinat: huiusmodi actus a potestate mere humana nec imperari nec prohiberi possunt.[7] Ipsa autem socialis hominis natura exigit ut homo internos religionis actus externe *exprimat,* cum aliis in re religiosa communicet, *suam* religionem modo communitario profiteatur.

Iniuria ergo humanae personae et ipsi ordini hominibus a Deo statuto fit, si homini denegetur liberum in societate religionis exercitium, *iusto* ordine publico servato.

Praeterea actus religiosi, quibus homines privatim et publice sese ad Deum ex animi sententia ordinant, natura sua terrestrem et temporalem rerum ordinem transcendunt. Potestas igitur civilis, *cuius finis proprius est bonum commune temporale curare, religiosam quidem civium vitam agnoscere eique favere debet, sed* limites suos excedere dicenda est si *actus religiosos* dirigere vel impedi*re praesumat.*

4. [*Libertas communitatum religiosarum*]. Libertas seu immunitas a coercitione in re religiosa, quae singulis personis competit, etiam *ipsis in communi agentibus* agnoscenda est. *Communitates enim religiosae* a sociali natura tum hominis tum ipsius religionis requiruntur.

His igitur communitatibus, *dummodo iustae* exigent*iae* ordinis publici non viol*entur,* iure debetur immunitas, ut secundum proprias *normas* sese regant, Numen supremum cultu publico honorent, membra sua in vita religiosa exercenda adiuvent et doctrina sustentent atque

[7] eas institutiones promoveant, in quibus membra cooperentur ad vitam propriam secundum sua principia religiosa ordinandam.

Communitatibus religiosis pariter competit ius, ne mediis legalibus vel actione administrativa potestatis civilis impediantur in suis propriis ministris seligendis, educandis, nominandis atque transferendis, in communicando cum auctoritatibus et communitatibus religiosis, quae in aliis orbis terrarum partibus degunt, in aedificiis religiosis erigendis, necnon in bonis congruis acquirendis et fruendis.

Communitates religiosae ius etiam habent, ne impediantur in sua fide ore et scripto publice docenda atque testanda ( ). In fide autem religiosa disseminanda et in usibus inducendis abstinendum semper est ab
[8] omni actionis genere, quod coercitionem vel suasionem inhonestam aut minus rectam sapere videatur, praesertim quando de rudioribus vel de egenis agitur. *Talis modus agendi ut abusus iuris proprii et laesio iuris aliorum considerari debet.*

Praeterea ad libertatem religiosam spectat quod communitates religiosae *non prohibeantur* libere ostendere singularem suae doctrinae virtutem in ordinanda societate ac tota vivificanda activitate humana. Tandem in sociali hominis natura atque in ipsa indole religionis fundatur ius quo homines, suo ipsorum sensu religioso moti, libere possunt conventus habere vel associationes educativas, culturales, caritativas, sociales constituere.

5. [*Libertas religiosa familiae*]. Cuique familiae, utpote quae est societas proprio ac primordiali iure gaudens, competit ius ad libere ordinandam religiosam vitam suam domesticam sub moderatione parentum. His autem competit ius ad determinandam rationem institutionis religiosae suis liberis tradendae, *iuxta suam propriam religiosam persuasionem. Itaque* a civili potestate agnoscendum est ius parentum deligendi, vera cum libertate, scholas vel alia educationis media, neque ob hanc electionis libertatem sunt eis iniusta onera *sive directe sive indirecte* imponenda. *Praeterea* ( ) iura parentum violant*ur,* si liberi ad frequentandas lectiones scholares cogantur quae parentum persuasioni religiosae non correspondeant vel si unica imponatur educationis ratio, ex qua formatio religiosa omnino excludatur.

6. [*Cura libertatis religiosae*]. *Cum societatis commune bonum, quod est summa earum vitae socialis condicionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possunt plenius atque expeditius consequi, maxime in humanae personae servatis iuribus et officiis consistat,*[8] cura iuris ad libertatem religiosam tum ad cives, tum ad coetus sociales *tum ad potestates civiles* tum ad Ecclesiam aliasque communitates religio-

sas spectat, modo unicuique proprio, *pro eorum erga bonum commune* [8] *officio*.

Inviolabilia hominis iura tueri ac promovere ad cuiusvis potestatis civilis officium essentialiter pertinet.[9] Debet igitur potestas civilis per iustas leges et per alia media apta efficaciter suscipere tutelam libertatis religiosae omnium civium, ac propitias suppeditare condiciones ad vitam religiosam fovendam, ut cives revera religionis iura exercere eiusdemque officia adimplere valeant et ipsa societas fruatur bonis iustitiae et pacis quae proveniunt ex fidelitate hominum erga Deum Eiusque sanctam voluntatem.[10]

Si attentis populorum circumstantiis *peculiaribus* uni communitati religiosae specialis civilis agnitio in iuridica civitatis ordinatione tribuitur, necesse est ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis [9] ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et observetur.

Denique a potestate civili providendum est, ne civium aequalitas iuridica, *quae ipsa ad commune societatis bonum pertinet,* unquam sive aperte sive occulte, laedatur propter rationes religiosas, *neve* inter eos descriminatio fiat.

Hinc sequitur nefas esse potestati publicae, per vim vel metum aut alia media civibus imponere professionem aut reiectionem cuiusvis religionis, vel impedire quominus quisquam communitatem religiosam aut ingrediatur aut relinquat. Eo magis contra voluntatem Dei et contra sacra personae et familiae gentium iura agitur, quando vis quocumque modo adhibeatur ad religionem ( ) delendam vel cohibendam sive in toto genere humano sive in aliqua regione sive in determinato coetu.

7. [*Limites libertatis religiosae*]. Ius ad libertatem in re religiosa exercetur in societate humana, ideoque eius usus quibusdam normis moderantibus obnoxius est.

In usu omnium libertatum observandum est principium morale responsabilitatis personalis et socialis: in iuribus suis exercendis singuli homines coetusque sociales lege morali obligantur ( ) rationem habere et iurium aliorum et suorum erga alios officiorum et boni omnium communis. Cum omnibus secundum iustitiam et humanitatem agendum est.

Praeterea *cum* societas civilis ius habet sese protegendi contra abusus, qui haberi possint sub praetextu libertatis religiosae, praecipue ad potestatem civilem pertinet huiusmodi protectionem praestare; *quod* tamen *fieri debet* non modo arbitrario aut uni parti inique favendo, sed secundum normas iuridicas, ( ) ordin*i* morali obiectivo *conformes,* ( ) *quae postulantur ab* efficac*i* iurium tutel*a* pro omnibus civibus eorumque pacific*a* compositione, *et a* sufficient*i* cur*a* istius honestae pacis publicae quae est ordi-

[9] nata conviventia in vera iustitia, et *a* debit*a* custodi*a* publicae moralitatis. *Haec omnia* part*em* boni communis fundamental*em constituunt* et ( ) *sub ratione* ord*inis* public*i veniunt*. Ceterum servanda est integrae libertatis consuetudo in societate, secundum quam libertas debet quam maxime homini agnosci, nec restringenda est nisi quando et prout est necessarium.[11]

8. [*Educatio ad libertatem exercendam*]. Nostrae aetatis homines varia ratione premuntur et in periculum veniunt ne proprio libero consilio destituantur. Ex altera autem parte non pauci ita propensi videntur, ut specie libertatis omnem subiectionem reiiciant ac debitam oboedientiam parvi faciant.

Quapropter haec Vaticana Synodus omnes hortatur, praesertim vero eos qui curam habent alios educandi, ut homines formare satagant, qui ordini morali obsequentes legitimae auctoritati oboediant et ge-
[10] nuinae libertatis amatores sint; homines nempe, qui proprio consilio res in luce veritatis diiudicent, activitates suas cum sensu responsabilitatis disponant, et quaecumque sunt vera atque iusta *pro*sequi nitantur, operam suam libenter cum ceteris consociando.

Religiosa igitur libertas *etiam* ad hoc inservire et ordinari debet, ut homines in sui ipsorum officiis adimplendis in vita sociali maiore cum responsabilitate agant.

II. Libertas religiosa sub luce Revelationis

9. [*Doctrina de libertate religiosa in revelatione radices tenet*]. Quae de iure hominis ad libertatem religiosam declarat haec Vaticana Synodus, fundamentum habent in dignitate personae, cuius exigentiae rationi humanae plenius innotuerunt per saeculorum experientiam. Immo haec doctrina de libertate radices habet in divina revelatione, quapropter eo magis a Christianis sancte servanda est. Quamvis enim revelatio non expresse affirmet ius ad immunitatem ab externa coercitione in re religiosa, tamen humanae personae dignitatem in tota eius amplitudine patefacit, observantiam Christi erga hominis libertatem in exsequendo officio credendi verbo Dei demonstrat, atque de spiritu nos edocet, quem discipuli talis Magistri debent in omnibus agnoscere et sequi. Quibus omnibus principia generalia illustrantur super quae fundatur doctrina huius Declarationis de libertate religiosa. Praesertim libertas religiosa in societate plene est cum libertate actus fidei christianae congrua.

[10] 10. [*Libertas actus fidei*]. Caput est ex praecipuis doctrinae catholicae, in verbo Dei contentum et a Patribus constanter praedicatum,[12] hominem debere Deo voluntarie respondere credendo; invitum proinde neminem esse cogendum ad amplectendam fidem.[13] Etenim actus fidei ipsa sua natura voluntarius est, cum homo, a Christo Salvatore redemptus et in adoptionem filiorum per Iesum Christum vocatus,[14] Deo Sese revelanti adhaerere non possit, nisi Pat*re* eum tra*hente*[15] rationabile liberumque Deo praestiterit fidei obsequium. Indoli ergo fidei plene consonum est ut, in re religiosa, quodvis genus coercitionis ex parte hominum excludatur. Ac proinde ratio libertatis religiosae haud parum confert ad illum rerum statum fovendum, *in* quo homines expedite possint invitari ad fidem christianam, *illam* sponte amplect*i* *atque* eam in tota vitae ratione actuose confite*ri*.

11. [*Modus agendi Christi et Apostolorum*]. Deus quidem homines ad inserviendum Sibi in spiritu et veritate vocat, unde ipsi in conscientia vinciuntur non vero coercentur. Rationem enim habet dignitatis personae humanae ab Ipso conditae, quae proprio consilio duci et libertate frui debet. Hoc autem *summe* apparuit in Christo Iesu, in quo Deus Seipsum [11] ac vias suas perfecte manifestavit. Etenim Christus, qui Magister et Dominus est noster,[16] idemque mitis et humilis corde,[17] discipulos patienter allexit et invitavit.[18] Miraculis utique praedicationem suam suffulsit et confirmavit, ut fidem auditorum *excitaret atque* comprobaret, non ut in eos coercitionem exerceret.[19] Incredulitatem audientium certe exprobravit, sed vindictam Deo in diem Iudicii relinquendo.[20] Mittens Apostolos in mundum dixit eis: « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur » (*Mc.* 16, 16). Ipse vero agnoscens zizaniam cum tritico seminatam, iussit sinere utraque crescere usque ad messem quae fiet in consummatione saeculi.[21] Nolens esse Messias politicus et vi dominans,[22] maluit se dicere Filium Hominis qui venit « ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis » (*Mc.* 10, 45). Sese praebuit ut perfectum Servum Dei,[23] qui « harundinem quassatam non confringit et linum fumigans non extinguit » (*Mt.* 12, 20). Potestatem civilem eiusque iura agnovit, iubens censum dari Caesari, clare autem monuit servanda esse iura superiora Dei: « Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo » (*Mt.* 22, 21). Tandem in opere redemptionis *in* cruc*e* complendo, quo salutem et veram libertatem hominibus acquireret, revelationem suam perfecit. Testimonium enim perhibuit veritati,[24] eam tamen contradicentibus vi imponere noluit ( ). Regnum enim eius non percutiendo vindicatur,[25] sed stabilitur testificando et audiendo veritatem, crescit

[11] autem amore, quo *Christus exaltatus* in cruce homines ad *Se*ipsum trahit.[26]

Apostoli, Christi verbo et exemplo edocti, eamdem viam secuti sunt. Ab ipsis Ecclesiae exordiis discipuli Christi adlaborarunt ut homines ad Christum Dominum confitendum converterent, non actione coercitiva neque artificiis Evangelio indignis, sed in primis virtute verbi Dei.[27] Fortiter omnibus nuntiabant propositum Salvatoris Dei, « qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 4); simul autem verebantur debiles etiamsi in errore versabantur, sic ostendentes quomodo « unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo » (*Rom.* 14, 12)[28] et intantum teneatur conscientiae suae oboedire. Sicuti Christus, Apostoli intenti semper fuerunt ad testimonium reddendum veritati Dei, abundantius audentes coram populo et principibus « loqui verbum cum fiducia » (*Act.* 4, 31).[29] Firma enim fide tenebant ipsum Evangelium revera esse virtutem Dei in salutem omni credenti.[30] Omnibus ergo spretis « armis carnalibus »,[31] exemplum mansuetudinis et modestiae Christi sequentes, verbum Dei praedicaverunt plene confisi divina huius verbi virtute ad potestates Deo adversas destruendas[32] atque homines ad fidem et obsequium Christi reducendos.[33] Sicut Magister ita et Apostoli auctoritatem legitimam civilem agnoverunt: « Non est enim potestas nisi a Deo » docet Apostolus, qui exinde iubet: « Om-
[12] nis anima potestatibus sublimioribus subdita sit...; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit » (*Rom.* 13, 1-5).[34] Simul autem non timuerunt contradicere potestati publicae se sanctae Dei voluntati opponenti: « Oboedire oportet Deo magis quam hominibus » (*Act.* 5, 29).[35] Hanc viam secuti sunt innumeri martyres et fideles per saecula et per orbem.

12. [*Ecclesia vestigia Christi et Apostolorum sequitur*]. Ecclesia igitur evangelicae veritati fidelis, viam Christi et Apostolorum sequitur quando rationem libertatis religiosae tamquam dignitati hominis et Dei revelationi consonam agnoscit eamque fovet. Doctrinam a Magistro et ab Apostolis acceptam, decursu temporum, custodivit et tradidit. Etsi in vita Populi Dei, per vicissitudines historiae humanae peregrinantis, interdum exstitit modus agendi, spiritui evangelico minus conformis immo contrarius, semper tamen mansit Ecclesiae doctrina neminem esse ad fidem cogendum.

Evangelicum fermentum in mentibus hominum sic diu est operatum atque multum contulit, ut homines temporum decursu latius agnoscerent dignitatem personae suae *et* maturesceret persuasio in re religiosa ipsam immunem servandam esse in civitate a quacumque humana coercitione.

13. [*Libertas Ecclesiae*]. Inter ea quae ad bonum Ecclesiae, immo [12]
ad bonum ipsius terrenae civitatis spectant et ubique semperque servanda sunt atque ab omni iniuria defendenda, illud certe praestantissimum est, *ut* Ecclesi*a* tanta perfru*atur* agendi libertate, quantam salus hominum curanda requirat.[36] Haec enim libertas sacra est, qua Unigenitus Dei Filius ditavit Ecclesiam acquisitam sanguine suo. Ecclesiae *sane* adeo propria est, ut qui eam impugnant, iidem contra Dei voluntatem agant. Libertas Ecclesiae est principium fundamentale in relationibus inter Ecclesiam et *potestates publicas totumque* ordinem civilem ( ).

In societate humana et coram quavis potestate publica Ecclesia sibi vindicat libertatem, utpote auctoritas spiritualis, a Christo Domino constituta, cui ex divino mandato incumbit officium eundi in mundum universum in Evangelium praedicandi omni creaturae.[37] Libertatem pariter sibi vindicat Ecclesia prout est etiam societas hominum qui iure gaudent vivendi in societate civili secundum fidei christianae praescripta.[38]

Iamvero si viget ratio libertatis religiosae non solum verbis proclamata neque solum legibus sancita, sed etiam cum sinceritate in praxim deducta, tunc demum Ecclesia stabilem obtinet et iuris et facti condicionem ad necessariam in missione divina exsequenda independentiam, quam auctoritates ecclesiasticae in societate presse pressiusque vindicarunt.[39] Simulque Christifideles, sicut et ceteri homines iure civili gaudent ne impediantur in vita sua iuxta conscientiam agenda. Concordia igitur viget inter libertatem Ecclesiae et libertatem illam religiosam, quae omnibus hominibus et communitatibus est tanquam ius agnoscenda et [13]
in ordinatione iuridica sancienda.

14. [*Munus Ecclesiae*]. Ecclesia Catholica, ut divino obtemperet mandato: « docete omnes gentes » (*Mt.* 28, 19-20), impensa cura adlaborare debet « ut sermo Dei currat et clarificetur (*2 Thess.* 3, 1).

Enixe igitur rogat Ecclesia ut a filiis suis « primum omnium fiant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 1-4).

Christifideles autem in sua efformanda conscientia diligenter attendere debent ad sacram certamque Ecclesiae doctrinam.[40] Christi enim voluntate Ecclesia Catholica magistra est veritatis, eiusque munus est, ut Veritatem quae Christus est enuntiet atque authentice doceat, simulque principia ordinis moralis, ex ipsa natura humana profluentia, auctoritate sua declaret atque confirmet. Insuper Christiani, in sapientia ambulantes ad eos qui foris sunt, « in Spiritu Sancto, in caritate non

[13] ficta, in verbo veritatis » (2 *Cor.* 6, 6-7), lumen vitae cum omni fiducia [41] et fortitudine apostolica, ad sanguinis usque effusionem, diffundere satagant.

Etenim discipulus erga Christum Magistrum gravi adstringitur officio, ( ) veritat*em* ab *Eo* recept*am* plenius in dies cognoscendi, annuntiandi fideliter, strenueque defendendi, *exclusis* mediis *spiritui* evangelic*o* *contrariis.* Simul tamen caritas Christi urget eum, ut amanter prudenter patienter agat cum hominibus, qui in errore vel ignorantia circa fidem versantur.[42] Respiciendum igitur est tum ad officia erga Christum Verbum vivificans quod praedicandum est, tum ad humanae personae iura, tum ad mensuram gratiae a Deo per Christum tributam homini, qui ad fidem sponte accipiendam et profitendam invitatur.

15. [*Conclusio*]. Constat igitur praesentis aetatis homines optare ut libere possint religionem privatim publiceque profiteri; *immo* libertatem religiosam in plerisque Constitutionibus iam ut ius civile declarari [43] et documentis internationalibus *sollemniter* agnosci.[44]

At non desunt regimina in quibus, etsi in eorum Constitutione libertas cultus religiosi agnoscitur, tamen ipsae publicae potestates conantur cives a religione profitenda removere et communitatibus religiosis vitam perdifficilem ac periclitantem reddere.

Illa fausta huius temporis signa laeto animo salutans, haec vero deploranda facta cum moerore denuntians, Sacra Synodus Catholicos hortatur, exorat autem homines universos, ut perattente considerent quantopere libertas religiosa necessaria sit in praesent*i* potissimum *familiae* humanae *condicione.*

[14] Manifestum est enim cunctas gentes magis in dies unum fieri, homines diversae culturae et religionis arctioribus inter se devinciri rationibus, augeri denique conscientiam propriae cuiusque responsabilitatis. Proinde ut pacificae relationes et concordia in genere humano instaurentur et firmentur, requiritur ut ubique terrarum libertas religiosa efficaci tutela iuridica muniatur atque observentur suprema hominum officia et iura ad vitam religiosam libere in societate ducendam.

Faxit Deus et Pater omnium ut familia humana, diligenter servata libertatis religiosae ratione in societate, per gratiam Christi et virtutem Spiritus Sancti adducatur ad sublimem illam ac perennem « libertatem gloriae filiorum Dei » (*Rom.* 8, 21).

NOTAE [14]

[1] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963, p. 279, ubi Summus Pontifex ad realitates hodiernas animadvertit: « At hae, de quibus diximus, animorum appetitiones illud etiam manifesto testantur, nostro hoc tempore homines magis magisque fieri dignitatis suae conscios, atque adeo incitari cum ad reipublicae administrationem participandam, tum ad poscendum, ut propria inviolabiliaque iura in publica civitatis disciplina serventur. Neque haec satis; nam homines nunc illud insuper poscunt, ut nempe civitatis auctoritates et ad normam publicae constitutionis creentur, et sua munera intra eiusdem terminos obeant ». Cf. *ibid.,* p. 265: « Illud praeterea humanae dignitas personae exigitur, ut in agendo homo proprio consilio et libertate fruatur. Quocirca, si de civium coniunctione agitur, est profecto cur ipse iura colat, officia servet, atque, in innumeris operibus exercendis, aliis sociam tribuat operam, suo praesertim impulsu et consulto; ita scilicet ut suo quisque instituto, iudicio, officiique conscientia agat, iam non commotus coercitione vel sollicitatione extrinsecus plerumque adductis; quandoquidem, si qua hominum societas una ratione virium est instituta, ea nihil humani in se habere dicenda est, utpote in qua homines a libertate cohibeantur, qui contra ad vitae progressus, ad perfectionemque assequendam apte ipsi incitandi sunt ».

Quod pertinet ad dignitatem illam civilem, secundum quam dignitas humana in publicum prodit; cf. PIUS XII, *Nuntiis radiophonicus,* 24 dec. 1944: *A.A.S.,* 37 (1945), p. 14: « In un popolo degno di tal nome il cittadino sente in se stesso la coscienza della sua personalità, dei suoi doveri e dei suoi diritti, della propria libertà congiunta col rispetto della libertà e della dignità altrui ». Hoc loco commendat Romanus Pontifex etiam illud « ideale di libertà e di uguaglianza » (*loc. cit.*), quod in Statu democratico, iuxta sana rationis principia ordinato, obtineat necesse est, quodque postulat, ut hominis ius in societate ad liberum exercitium religionis plene agnoscatur, colatur, defendatur.

[2] Cf. PAULUS VI, *Homilia* Dom. XIV post Pent., *L'Oss. Rom.,* 13-14 sept. 1965.

[3] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 260-161: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri ». Cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 24 dec. 1942: *A.A.S.,* 35 (1943). p. 19, ubi inter « iura fundamentalia personae » hoc etiam collocatur: « il diritto al culto di Dio privato e pubblico, compresa l'azione caritativa religiosa ». Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* 14 martii 1937: *A.A.S.,* [15]
29 (1937), p. 160: « Der gläubige Mensch hat ein unverlierbares Recht, seinen Glauben zu bekennen und in den ihm gemässen Formen zu betätigen. Gesetze, die das Bekenntnis und die Betätigung dieses Glaubens unterdrücken oder erschweren, stehen im Widerspruch mit einem Naturgesetz ». Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888: *Acta Leonis XIII,* 8 (1888), pp. 237-238: « Illa quoque magnopere praedicatur, quam conscientiae libertatem nominant; quae si ita accipiatur ut suo cuique arbitratu aeque liceat Deum colere, non colere, argumentis quae supra allata sunt, satis convincitur. Sed potest etiam in hanc sententiam accipi, ut homini ex conscientia officii Dei voluntatem sequi et iussa facere,

[15] nulla re impediente, in civitate liceat. Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas, quae humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi iniuriaque maior, eademque Ecclesiae semper optata ac praecipue cara ».

De conceptu libertatis religiosae, ut ab aliis Christianis intelligitur, cf. documenta Consilii Mundialis Ecclesiarum (World Council of Churches): « *Declaration on Religious Liberty* » (Assembly Amsterdam, 1948), « *Statement on Religious Liberty* » (Assembly New Delhi, 1961).

[4] Cf. S THOMAS, *Summa theologica,* I-II, q. 91, a. 1; q. 93, a. 1.

[5] Cf. *ibid.,* q. 93, a. 2.

[6] Quoad historiam huius quaestionis cf. J. LECLER, S. I., *Histoire de la tolérance religieuse au siècle de la Réforme,* Paris, Aubier, Edition Montaigne, 1955, tom. II, fere passim.

[7] Sf. S. THOMAS, *Summa theologica,* I-II, q. 91, a. 4 c: « De his potest homo legem ferre de quibus potest iudicare. Iudicium autem hominis esse non potest de interioribus actibus, qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui apparent »; cf. II-II, q. 104, a. 5 c: « In his quae pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini oboedire sed solum Deo ». Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 270: « Sed quoniam omnes homines in naturali dignitate sunt inter se pares, tum nemo valet alium ad aliquid intimis animi sensibus efficiendum cogere; quod quidem unus Deus potest, utpote qui unus arcana pectoris consilia scrutetur ac iudicet ». Cf. PAULUS VI, *Nuntius Radiophonicus,* 22 decembris 1964: *A.A.S.,* 57 (1965), p. 181.

[8] Descriptio hic allata *boni communis* invenitur in: IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* (1961), p. 417; *Pacem in terris*: *A.A.S.,* (1963), p. 273.

Verba quae sequuntur (« maxime ... officiis ») desumuntur etiam ex Litt. Encycl. *Pacem in terris,* infra in eadem p. 273.

[9] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 273-274: « Verum cum nostra hac aetate commune bonum maxime in humanae personae servatis iuribus et officiis consistere putetur, tum praecipue in eo sint oportet curatorum rei publicae partes, ut hinc iura agnoscantur, colantur, inter se componantur, defendantur, provehantur, illinc suis quisque officiis facilius fungi possit. Etenim "inviolabilia iura tueri, hominum propria, atque curare, ut facilius quisque suis muneribus defungatur, hoc cuiusvis publicae potestatis officium est praecipuum" ». Cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 1 iunii 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 200.

[10] Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.A.S.,* 18 (1885), p. 161: « Immortale Dei miserentis opus, quod est Ecclesia, quamquam per se et natura sua salutem spectat animorum adipiscendamque in caelis felicitatis, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures maioresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam huius vitae, quae in terris agitur, prosperitatem institutum ». Quod quidem thema, e S. Augustino derivatum, saepe saepius evolvere solebat LEO XIII.

[16] [11] Sic redditur aliis verbis nota regula iuris canonici, ex iure romano quoad sensum deprompta: « Odia restringi et favores convenit ampliari ». Cf. V. BARTOCCETTI, *De regulis iuris canonici* (Angelo Belardetti Editore, Roma 1955), p. 73.

[12] LACTANTIUS, *Divinarum Institutionum,* lib. 19: ed. S. Brandt et G.

Laubmann, CSEL 19, p. 463; *PL* 6, 614 (cap. 20): « Non est opus vi et iniuria, quia religio cogi non potest, verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas ». [16]

Op. cit.: CSEL 19, p. 464; *PL* 614: « Itaque nemo a nobis retinetur invitus — inutilis est enim Deo qui devotione ac fide caret — et tamen nemo discedit ipsa veritate retinente ».

Op. cit.: CSEL 19, p. 465; *PL* 6, 616: « Nihil est enim tam voluntarium quam religio, in qua si animus sacrificantis aversus est, iam sublata, iam nulla est ».

S. Ambrosius, *Epistola ad Valentinianum Imp.* Ep. 21: *PL* 16, 1047: « Dei lex nos docuit quid sequamur, humanae leges hoc docere non possunt. Extorquere solent timidis commutationem, fidem inspirare non possunt ».

S. Augustinus, *Contra litteras Petiliani,* lib. II, cap. 83: ed. M. Petschenig, CSEL 52, p. 112; *PL* 43, 315; cf. C. 23, q. 5, c. 33 (ed. Friedberg, col. 939): « Augustinus respondit: Ad fidem quidem nullus est cogendus invitus; sed per severitatem, immo et per misericordiam Dei tribulationum flagellis solet perfidia castigari ». Eandem sententiam illustris Doctor exprimit in *Ep.* 23 (*PL* 33, 98), in *Ep.* 34 (*PL* 33/132), et quoad sensum in *Ep.* 35 (*PL* 33/135).

S. Gregorius Magnus, *Epistola ad Virgilium et Theodorum Episcopos Massiliae Galliarum,* Registrum Epistolarum, I, 45: ed. P. Ewald et L. M. Hartmann, MGH *Ep.* 1, p. 72; *PL* 77, 510-11 (Lib. I, ep. 47): « Dum enim quispiam ad baptismatis fontem non praedicationis suavitate, sed necessitate pervenerit, ad pristinam superstitionem remeans inde deterius moritur, unde renatus esse videbatur ».

Epistola ad Iohannem Episcopum Constantinopolitanum, Registrum Epistolarum, III, 52: MGH *Ep.* 1, p. 210; *PL* 77, 649 (lib. III, ep. 53); cf. D. 45, c. 1 (ed. Friedberg, col. 160): « Nova vero atque inaudita est ista praedicatio, quae verberibus exigit fidem ».

Conc. Tolet. IV, c. 57: Mansi 10, 633; cf. D. 45, c. 5 (ed. Friedberg, col. 161-162): « De Iudaeis hoc praecepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre; *cui enim vult Deus miseretur, et quem vult indurat.* Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes; ut integra sit forma iustitiae: sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti oboediens periit, sic vocante gratia Dei, propriae mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed liberi arbitrii facultate, ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi... ».

Clemens III, *Litterae Decretales*: X., V, 6, 9, ed. Friedberg, col. 774: « ... Statuimus enim ut nullus Christianus invitos vel nolentes Iudaeos ad baptismum (per violentiam) venire compellat. Si quis autem ad Christianos causa fidei confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque calumnia efficiatur: quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire... ».

Innocentius III, *Epistola ad Arelatensem Archiepiscopum,* X., III, 42, 3: ed. Friedberg, col. 646: « ... Verum id est religioni Christianae contrarium, ut semper invitus et penitus contradicens ad recipiendam et servandam Christianitatem aliquis compellatur... ».

[13] Cf. C.I.C., c. 1351; cf. Pius XII, Alloc. ad Praelatos auditores caeterosque officiales et administros Tribunalis S. Romanae Rotae, 6 oct. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), p. 394, ubi citatur a R. P. *Pro Memoria* Secretariatus Status ad Legationem

[17] Yugoslaviae ad Sanctam Sedem: « D'après les principes de la doctrine catholique, la conversion doit être le résultat, non pas de contraintes extérieures mais de l'adhésion de l'âme aux vérités enseignées par l'Eglise catholique. C'est pour cela que l'Eglise catholique n'admet pas dans son sein les adultes, qui demandent à y entrer ou à y faire retour, qu'à la condition qu'ils soient pleinement conscients de la portée et des conséquences de l'acte qu'ils veulent accomplir ». Idem, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943: *A.A.S.,* (1943), p. 243; « At si cupimus non intermissam eiusmodi totius mystici Corporis comprecationem admoveri Deo, ut aberrantes omnes in unum Iesu Christi ovile quam primum ingrediantur, profitemur tamen omnino necessarium esse id sponte libenterque fieri, cum nemo credat nisi volens. Quamobrem si qui, non credentes, eo reapse compelluntur ut Ecclesiae aedificium intrent, ut ad altare accedant, sacramentaque suscipiant, ii procul dubio veri Christifideles non fiunt; fides enim, sine qua "impossibile est placere Deo" (*Hebr.* 11, 6) liberrimum esse debet "obsequium intellectus et voluntatis" (Conc. Vat., *Const. de fide catholica,* cap. 3). Si igitur aliquando contingat, ut contra constantem Apostolicae huius Sedis doctrinam ad amplexandam catholicam fidem aliquis adigatur invitus, id Nos facere non possumus quin, pro officii nostri conscientia, reprobamus ».

[14] Cf. *Eph.* 1. 5.

[15] Cf. *Io.* 6, 44.

[16] Cf. *Io.* 13, 13.

[17] Cf. *Mt.* 11, 29.

[18] Cf. *Mt.* 11, 28-30; Io. 6, 68.

[19] *Mt.* 9, 28-29; *Mc.* 9, 23-24; 6, 5-6.

Cf. Paulus VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam,* 6 aug. 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 642-43: « Adeo afuit ut quisquam vi cogeretur venire ad colloquium salutis, ut is magis amoris impulsione invitaretur. Qua invitatione, quamquam grave onus eius animo impositum est, ad quem pertinuit (cf. *Mt.* 11, 21), relicta tamen est ipsi potestas aut veniendi al colloquium, aut illud fugiendi; quin immo Christus, sive miraculorum numerum (*Ib.,* 12, 38 s.), sive eorumdem vim probativam cum ad condiciones tum ad voluntatem audientium aptavit (*Ib.,* 13, 13 s.); eo nimirum consilio, ut iidem iuvarentur ad libere assentiendum divinae revelationi, neque exinde suae assensionis praemio carerent ».

[20] Cf. *Mt.* 11, 20-24; *Rom.* 12, 19-20; *2 Thess.* 1, 8.

[21] Cf. *Mt.* 13, 30 et 40-41.

[22] Cf. *Mt.* 4, 8-10; *Io.* 6, 15.

[23] Cf. *Is.* 42, 1-4.

[24] Cf. *Io.* 18, 37.

[25] *Mt.* 26, 51-53; *Io.* 18, 36.

[26] Cf. *Io.* 12, 32.

[27] Cf. *1 Cor.* 2, 3-5; *1 Thess.* 2, 3-5.

[28] Cf. *Rom.* 14, 1-23; *1 Cor.* 8, 9-13; 10, 23-33.

[29] Cf. *Eph.* 6, 20.

[30] Cf. *Rom.* 1, 16.

[31] Cf. *2 Cor.* 10, 4; *1 Thess.* 5, 8-9.

[32] Cf. *Eph.* 6, 11-17.

[33] Cf. *2 Cor.* 10, 3-5.

[34] Cf. *1 Pt.* 2, 13-17.

[35] Cf. *Act.* 4, 19-20. [17]

[36] Cf. Leo XIII, Litterae *Officio sanctissimo,* 22 dec. 1887: *A.S.S.,* 22 (1887), p. 269: « In bonis autem Ecclesiae, quae Nos ubique semperque conservare debemus, ab omnique iniuria defendere, illud certe praestantissimum est, tantam ipsam perfrui agendi libertate, quantam salus hominum curanda requirat. Haec nimirum [18] est libertas divina, ab Unigenito Dei Filio auctore profecta, qui Ecclesiam sanguine fuso excitavit; qui eam perpetuam in hominibus statuit; qui voluit ipsi ipse praeesse. Atque adeo propria est Ecclesiae, perfecti divinique operis, ut qui contra eam faciunt libertatem, iidem contra Deum et contra officium ». Ut olim Gregorius VII sic temporibus modernis exstabat Leo XIII propugnator libertatis Ecclesiae. Cf. Litterae *Ex litteris,* 7 aprilis 1887: *A.S.S.,* 19 (1886), p. 465: « Nos quidem vel ab initio nostri pontificatus multo et serio cogitare de vobis instituimus, atque, ut ratio Nostri ferebat officii, consilium cepimus omnia conari, si qua ratione liceat, pacatam tranquillitatem cum libertate legitima catholico nomini restituere ». In sexaginta fere documentis, quae relationes inter rem sacram remque civilem tractant, octoginta vices occurrit formula verborum, « libertas Ecclesiae », vel formula aequipollens. Ipsi enim Leoni XIII, sicut toti traditioni catholicae, libertas Ecclesiae principium est fundamentale in iis, quae spectant ad relationem inter Ecclesiam et instituta omnia ordinis civilis.

[37] Cf. *Mc.* 16, 15; *Mt.* 28, 18-20.

Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.,* 31 (1939), pp. 445-46: « Quamobrem Nos, ut eius in terris vices gerimus, qui a sacro vate "Princeps pacis" appellatur (*Is.* 9, 6), civitatum rectores eosque omnes, e quorum opera quovis modo publica res pendet, compellamus vehementerque obtestamur ut Ecclesia plena semper libertate fruatur debita, qua suam possit educationis operam exsequi, ac veritatem impertire mentibus, animi inculcare iustitiam, eosque divina Iesu Christi refovere caritate ».

[38] Cf. Pius XI, Litterae *Firmissimam constantiam,* 28 martii 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 196: « Proposita eiusmodi aestimandarum rerum mensura, concedendum sane est, ad christianam vitam explicandam externa quoque praesidia, quae sensibus percipiuntur, esse necessaria, pariterque Ecclesiae tamquam hominum societati opus omnino esse, ad vitae usuram atque incrementum, iusta agendi libertate, ipsosque fideles iure gaudere in societate civili vivendi ad rationis conscientiaeque praescripta ».

[39] Cf. Pius XII, Allocutio *Ci riesce,* 6 dec. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), p. 802, ubi fines clare definiuntur, quos Ecclesia prae oculis habet in ineundis Concordatis: « I Concordati debbono quindi assicurare alla Chiesa una stabile condizione di diritto e di fatto nello Stato, con cui sono conclusi, e garantire ad essa la piena indipendenza nell'adempimento della sua divina missione ». Exinde insuper constat, nihil esse in doctrina de libertate religiosa, quod cum praxi hodierna Concordatorum quovis modo pugnat.

[40] Cf. Pius XII, *Nuntius radiophonicus*: *A.A.S.,* 44 (1952), pp. 270-78, de conscientia christiana efformanda.

[41] Cf. *Act.* 4, 29.

[42] Cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* pp. 299-300: « Omnino errores ab iis qui opinione labuntur semper distinguere aequum est quamvis de hominibus agatur, qui aut errore veritatis aut impari rerum cognitione capti sint, vel ad sacra ad optimam vitae actionem attinentium.

[18] Nam homo ad errorem lapsus iam non humanitate instructus esse desinit, neque suam umquam personae dignitatem amittit cuius ratio est semper habenda. Praeterea in hominis natura numquam facultas perit et refragandi erroribus et viam ad veritatem quaerendi. Neque umquam hac in re providentissimi Dei auxilia hominem deficiunt. Ex quo fieri potest, ut, si quis hodie vel perspicuitate egeat, vel in falsas discesserit sententias, possit postmodum, Dei collustratus lumine, veritatem amplecti ».

[43] GIANNINI A., *Le Costituzioni degli Stati del Vicino Oriente,* Roma 1931. -
[19] PEASLEE AMOS. S., *Constitutions of Nations,* New Jersey (USA) 1950. - MIRKINE-GUETZEVITCH B., *Le Costituzioni Europee,* Milano 1954. - ZAMORA A., *Digesto Costitutional Americano,* Buenos Aires 1958. - LAVROFF D. G. et PEISER G., *Les Constitutions Africaines,* Paris 1963. - STRAMACCI M., *Le Costituzioni degli Stati Africani,* Milano 1963. - PAVAN P., *Libertà Religiosa e Pubblici Poteri,* Milano 1965.

[44] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 295-296, ubi, quibusdam defectibus non obstantibus, commendatur Professio Universalis Iurium Humanorum, die 10 dec. 1948 a Foederatarum Nationum Coetu Generali rata habita: « Nihilominus Professionem eandem habendam esse censemus quemdam quasi gradum atque aditum ad iuridicialem politicamque ordinationem constituendam omnium populorum, qui in mundo sunt. Siquidem ea universis prorsus hominibus solemniter agnoscitur humanae dignitas personae, atque iura cuivis homini asseruntur veritatem libere quaerendi, honestatis sequendi normas, iustitiae officia usurpandi, vitam exigendi homine dignam, alia deinceps cum hisce coniuncta ».

[20]

2 – EXC.MUS P. D. AEMILIUS IOSEPH DE SMEDT
Episcopus Brugensis

RELATIO
DE MODIS A PATRIBUS PROPOSITIS

Venerabiles Patres,

Declaratio de libertate religiosa problemata tangit multa et gravia, quibus non solum historia Ecclesiae sed etiam eius praesens vita repletur. Documentum nostrum gravidum est magnae spei. Multum enim conferre potest ut inter societatem humanam et Ecclesiam Christi vigere incipiant relationes melius ordinatae, profundior concordiae voluntas, aperta et fructuosa collaboratio. Mirum inde non est vos omnes, prae vestra pastorali sollicitudine, singulas huius declarationis partes attentissime considerasse et in multis emendare voluisse.

Post acceptationem textus, vestris suffragiis probatam, Commissio nostra singulos modos propositos cum profunda reflexione et cum vero amore consideravit. Suffragia lata et modi introducti haec praeprimis ostendunt:

a) Aliqui Patres affirmant Declarationem non sufficienter ostendere quomodo nostra doctrina non opponatur documentis ecclesiasticis usque ad Summum Pontificem Leonem XIII. Ut in ultima relatione iam diximus, in futuris studiis theologicis et historicis haec materia in plena luce ponenda erit. Quoad substantiam problematis haec dicenda sunt: dum documenta pontificia usque ad Leonem XIII magis insistebant in officia moralia potestatis publicae erga veram religionem, ultimi Summi Pontifices, hanc doctrinam retinentes, ipsam complent illustrando aliud officium potestatis publicae, nempe officium observandi in re religiosa exigentias dignitatis personae humanae tamquam elementum necessarium boni communis. [20]

Textus hodie vobis *praesentatus* [1] officia potestatis publicae erga veram religionem clarius recolit (videre N. 1 et N. 3); ex quo patet hanc doctrinae partem non praetermitti. Obiectum tamen proprium nostrae Declarationis est enucleatio secundae partis doctrinae recentiorum Summorum Pontificum, agentis nempe de iuribus et officiis quae ex consideratione dignitatis personae humanae proveniunt. Ut hic duplex adspectus nitide appareat, in N. 1, pag. 5, linea 29, vocem « *traditionalem* (doctrinam catholicam) », et in pag. 6, linea 3 vocem « *recentiorum* (Summorum Pontificum) » adiunximus.

b) Patres nunc admittunt in hodiernis vitae populorum circumstantiis necessariam esse declarationem Ecclesiae Catholicae circa problema quod technice nuncupatur ...[2] « De libertate religiosa ».

c) Consensu unanimi accipitur *explicatio* [3] doctrinae facta a S. P. Pio XII: *bono communi exigitur* [4] ut in hodierna societate libertas religiosa ubique agnoscatur et iuridice stabiliatur.

I [21]

1. Unanimitas autem nondum datur circa ulteriorem explicitationem doctrinae, quae *in ultimis pontificiis documentis* [5] apparet et quae in schemate nostro exponitur ac stabilitur. Documentum nostrum affirmat libertatem religiosam esse verum ius personae, in eius dignitate humana fundatum et in societate civili tamquam ius civile agnoscendum.

Sunt Patres qui vellent ubique in textu delere affirmationem *iuris personae* ad libertatem religiosam quia admittunt tantummodo *ius positivum civile* in ordinanda hodierna societate stabiliendum. Vehementer dolemus nos his Patribus in expensione Modorum satisfacere non potuisse. Faveant hi Patres observare sequentia:

[21] *a*) Haec affirmatio iuris civilis tantummodo positivi mutaret substantiam textus, iam a multo plus quam duabus tertiis Patrum partibus probati, et sensum totius nostri documenti non servaret.

b) Pro libertate ipsius Ecclesiae Catholicae eiusque munere divino adimplendo haec affirmatio iuris unice positivi summe periculosa esset. Ius positivum civile a legislatore civili conditur. Si libertas Ecclesiae dependere dicitur a voluntate legislatoris, quid fiet in societatibus civilibus ubi legislator est Ecclesiae hostilis vel ubi non fit distinctio inter religionem (non-christianam) et statum? Nonne sic de facto libertas et sacra independentia Ecclesiae Christi committitur voluntati brachii saecularis? In declaratione conciliari ad bonum totius Ecclesiae est attendendum.

c) Si haec dicimus, exinde tamen non est concludendum quod haec Synodus libertatem religiosam propter solam Ecclesiae Catholicae utilitatem admittit. In nostra declaratione explicite affirmatur immunitatem ab externa coercitione exigi ipsa rei veritate i. e. ipsa hominis natura. Fundatur enim in dignitate humanae personae a Deo ad suam imaginem dotatae libero arbitrio et personali responsabilitate.

2. Quidam Patres modos proposuerunt circa partem secundam schematis, quorum nonnulli petunt ut expositio scripturistica non retineatur. Huic desiderio satisfacere non *potuimus* [6] cum textus substantialiter iam approbatus sit. Insuper, quamvis S. Scriptura de doctrina circa libertatem religiosam quae in schemate nostro exponitur directe non loquatur, principia tamen, ex quibus decursu saeculorum haec doctrina evoluta est, ex ipsa revelatione elucescunt. Nemo negabit revelationem christianam principio libertatis religiosae fundamentum remotum et fermentum praebuisse. Expositio scripturistica *etiam* [7] magni momenti est pro dialogo de hac re cum fratribus *seiunctis,* [8] quibus nobiscum S. Scriptura fons fidei christianae existit.

His de causis tantum aliquos modos positivos admittere potuimus qui textum in quibusdam locis accuratiorem reddunt.

[22] II

Alii Patres suis modis praecavere volunt pericula quae oriri possunt ex inexacte interpretata doctrina huius documenti. Hi modi ad capita sequentia reduci possunt.

1. Aliqui Patres timent ne *commate de officiis erga veram religionem* (pag. 5, lin. 14, ad pag. 6, lin. 4) schema reddatur minus intelligibile vel acceptabile pro christianis non-catholicis vel pro non-christianis. In re autem tanti momenti pro pastorali Ecclesiae officio, Vaticana Synodus

clare et sincere ostendere debet quomodo christifidelibus officia moralia [22] erga veram religionem implenda maneant quando libertas religiosa agnoscitur. Hac de causa praedictum comma integre servatum est; scopo autem intento magis conforme redditur admittendo aliquos modos propositos, inter quos duo sequentes maioris momenti sunt:

a) Pag. 5, lin. 21 ad 23 scribatur: « Homines vero cuncti tenentur veritatem praesertim in iis quae Deum Eiusque Ecclesiam respiciunt, quaerere eamque cognitam amplecti ac servare »;

b) Pag. 5, lin. 29, ad pag. 6, lin. 2 legatur: « ... integram relinquit traditionalem doctrinam catholicam de morali hominum ...[9] officio erga veram religionem et unicam Christi Ecclesiam » ...[10]

2. Aliqui Patres timent ne quaedam expressiones intelligantur ac si agnosceretur *ius ad falsum spargendum, vel saltem indifferentismus religiosus.* Quamquam rei sufficienter in textu recognito provisum *est,*[11] Commissio nonnullos modos accipiendos proponit, v. g. in pag. 6, linn. 38-39: « recta et vera conscientiae iudicia prudenter efformet »; in pag. 8, linn. 4-5: « Talis modus agendi ut abusus iuris proprii et laesio iuris aliorum considerari debet »; in pag. 8, lin. 7: « non prohibeantur libere ostendere »; in pag. 8, lin. 17: « iuxta suam propriam religiosam persuasionem ».

3. Sat multi Patres modos proponunt ne textus videatur affirmare *potestates publicas posse laicismo indulgere* ac si non deberent curare *bonum publicum* cuius pars est exercitium religionis ex parte civium.

Vobis ...[12] proponimus ut admittantur sequentes modi qui sunt ...[13] magni momenti pro exacta intellectione doctrinae:

a) in pag. 7, lin. 22 ad 25: « Potestas igitur civilis, cuius finis proprius est bonum commune temporale curare, religiosam quidem civium vitam agnoscere eique favere debet, sed limites suos excedere dicenda est si actus religiosos dirigere vel impedire praesumat ».

b) In pag. 8, lin. 25 ad 32 ...[14]: « Cum societatis commune bonum, quod est summa earum vitae socialis condicionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possunt plenius atque expeditius consequi, maxime in humanae personae servatis iuribus et officiis consistat, cura iuris ad libertatem religiosam tum ad cives, tum ad coetus sociales, tum ad potestates civiles, tum ad Ecclesiam aliasque communitates religiosas spectat, [23] modo unicuique proprio, pro eorum erga bonum commune officio ».

c) *In pag. 9, lin. 4*: « ... *quae ipsa ad commune societatis bonum pertinet,* ... ».

d) *In pag. 9, linn. 30-31*: « *Haec omnia partem boni communis fundamentalem constituunt et sub ratione ordinis publici veniunt* ».[15]

[23] 4. Aliqui Patres rogant vel ut expungatur vel ut prudentius describatur *ordo publicus* ubi adhibetur *tamquam norma limitans* (n. 7). Inter illos quidam proponunt limitationes ex bono communi. In hac difficillima quaestione Commissio maxime conscia fuit suae responsabilitatis ...[16] et omne verbum periculosum vitare conata est. Sequentia considerentur:

a) Bonum commune quidem sumitur in sua amplitudine ut norma, quando agitur de cura sive de promotione iuris ad libertatem in re religiosa. Quando vero agitur de limitatione, sumitur in sua parte fundamentali.

b) Haec pars ...[17] boni communis in hodierno iure civili et in pluribus publicis Constitutionibus hodie nominatur « ordo publicus ». Ut nostrum documentum intelligi possit a mundo moderno, debet uti termino technico prout hodie in societate adhibetur. Ad quid inserviret rem de qua agitur nominare « bonum commune », si hic terminus in hodierno iure civili in hoc sensu non adhibetur? Oriretur confusio maxima.

c) Synodus nostra multum conferre potest ad hanc delicatam quaestionem clarificandam, si accurate ...[18] indicat quid debeat esse contentum huius notionis « ordo publicus » ut legitime adhiberi possit tamquam norma limitans libertatis religiosae. Documentum nostrum hoc praestat ...[19] (pag. 9, lin. 25 ad 31) dicendo ordinem publicum violari tribus modis: vel laesione iurium aliorum eorumque pacificae compositionis, vel laesione pacis publicae, vel laesione publicae moralitatis.

Nunc autem Commissio nostra ad satisfaciendum desideriis Patrum sequentia fecit in emendatione textus:

a) In dirimenda hac quaestione conservavit substantiam textus iam approbati.

b) In ipsa expositione principii limitationis contentum ordinis publici conservavit, sed verba « ordo publicus » ...[20] non adhibuit. Hoc modo in textu nulla invenitur sententia qua potestates publicae « verbotenus » abuti possunt.

c) Hac expositione facta, adiungimus: « Haec omnia partem boni communis fundamentalem constituunt et sub ratione ordinis publici veniunt » (pag. 9, linn. 30-31).

Alii modi propositi in textum introducti sunt ut legenti patet. Sed praeterea dicere liceat multos alios modos, etsi quoad verba non acceptos, quoad sensum tamen adiuvasse ut integer textus in sua totalitate magis harmonice et lucide currat multisque difficultatibus obviam veniat.

* * * [24]

Venerabiles Patres, his omnibus peractis, Secretariatus noster sperat amplissimo consensu a vobis accipi posse hanc nostram de libertate religiosa Declarationem, quae in mundo moderno multum conferre potest ad profectum verae libertatis et ad bonum ipsius Iesu Christi Ecclesiae. Utinam nostra concordia, Deo adiuvante, hoc attingere valeamus.

In oratione: [1] propositus. [2] nunc. [3] explicitatio (non explicatio: est error). [4] qui dicit bono communi exigi. [5] nunc in ultimis pontificiis documentis Ioannis XXIII et Pauli VI. [6] possumus. [7] ceteroquin. [8] nostris christianis non-catholicis. [9] ac societatum. [10] (duo verba in typographia remanserunt, nempe « de morali hominum *ac societatum* », quod debet adiungi: « de morali hominum ac societatum officio erga veram religionem ac unicam Christi Ecclesiam »). [11] erat. [12] igitur et hac de causa. [13] revera. [14] scribitur definitio boni communis ex « Mater et Magistra » et « Pacem in terris ». [15] Patres venerabiles, hac elucidatione circa bonum commune multa in textu fiunt clariora et nonnulli modi propositi revera non retinendi redduntur. Liceat mihi unum exemplum dare. In n. 12 tangitur quaestio de modis agendi spiritui evangelico contrariis qui interdum in historia Populi Dei exstiterunt. Nunc aliqui Patres addere volunt in his defectibus diiudicandis rationem habendam esse de facto quod etiam in ipsa humana societate modi cogitandi et vivendi in diversis saeculis diversi sunt. Haec affirmatio vera est, sed est iam aequivalenter expressa quando asserimus normam curae religiosae esse bonum commune. Bonum commune, ut omnes sciunt, est quid relativum, cum evolutione culturali populorum connexum et secundum hunc progressum diiudicandum. [16] — praesertim erga venerabiles Patres qui in periculo versantur — suae responsabilitatis. [17] fundamentalis. [18] nempe. [19] et hoc facit. [20] hoc loco.

3 – EXPENSIO MODORUM [25]

Pars I

Exitus suffragationum die 26 octobris 1965 factarum de numeris 1-8

Prima suffragatio, de numero 1

Praesentes votantes	2.232
Placet	2.031
Non placet	193
Vota nulla	8

[25] *Secunda suffragatio, de numeris 2-3*

Praesentes votantes	2.234
Placet	2.000
Non placet	228
Vota nulla	6

Tertia suffragatio, de numeris 4-5

Praesentes votantes	2.236
Placet	2.026
Non placet	206
Vota nulla	4

Quarta suffragatio, de numeris 6-8

Praesentes votantes	2.223
Placet	2.034
Non placet	186
Vota nulla	3

Suffragatio quinta, de numeris 1-5 simul sumptis

Praesentes votantes	2.161
Placet	1.539
Non placet	65
Placet iuxta modum	534
Vota nulla	14

Suffragatio sexta, de numeris 6-8 simul sumptis

Praesentes votantes	2.161
Placet	1.715
Non placet	68
Placet iuxta modum	373
Vota nulla	5

[26] Prooemium ergo et integra Pars I cum omnibus suis partibus a Congregatione generali approbata sunt.

Omnes Modi a Patribus propositi in officio Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam ordinati, a Subcommissione diligenter examinati et in sessione plenaria Secretariatus Patrum iudicio submissi sunt. Post sessiones finales Secretariatus ad Christianorum unitatem foven-

dam, diebus 8 et 9 novembris 1965 habitas, in quibus Expensio Modorum absoluta et a Patribus Secretariatus approbata fuit, eidem Secretariatui a Secretariatu Generali plures adhuc Modi transmissi sunt. Quos in hac Expensione scripta Modorum recenseri non potuisse patet. [26]

Secretariatus sequentes responsiones dandas esse censuit.*

MODI GENERALES CIRCA TOTUM SCHEMA [27]

1 — Redeatur ad textum « reemendatum ».

R. — Hoc fieri nequit quia textus recognitus plus quam duabus tertiis partibus suffragiorum approbatus est.

2 — Textus conformetur postulatis Em. Cardinalium Ruffini, Siri, Florit, Ottaviani (17 sept. 1965): « Exponendum ius particulare Ecclesiae diffundendi veritatem quam ipsa sola possidet »; « verum et falsum non possunt habere idem ius diffusionis ». Idem Pater affirmat: « Oportet vim dare obligationi omnium hominum quaerendi veritatem », « non est libertas contra veritatem obiectivam », « admittenda est plena potestas magisterii et gubernii ecclesiastici eiusque facultas applicandi poenas spirituales suis subditis ».

R. — Omnia haec, quatenus scopum Declarationis spectant, sufficienter proponuntur in textu. Cf. n. 1, 10, 13 et 14. Praeterea observetur textum approbatum affirmare ius cuius obiectum est immunitas a coercitione et non contentum alicuius religionis. Huiusmodi immunitas ab ipsa dignitate personae exigitur. Nullibi affirmatur nec affirmare licet (quod evidens est) dari ius ad errorem diffundendum. Si autem personae errorem diffundunt, hoc non est exercitium iuris, sed abusus eius. Hic abusus impediri potest et debet si ordo publicus graviter laeditur, prout in textu pluries affirmatur et sub n. 7 explicatur. Si haec fundamentalia elementa prae oculis habentur, multi modi propositi inacceptabiles apparent. Quod si ius ita intellectum negatur, tunc modus est contra substantiam textus a Patribus approbati ideoque admitti nequit.

3 — Deleatur quidquid affirmatur de fundanda libertate, in sensu schematis intellecta, in dignitate personae humanae (2 Patres).

R. — Cf. resp. ad Modum praecedentem.

---

* In hac Expensione Modorum paginae et lineae referuntur ad « textum recognitum », id est ad columnam dexteram prioris fasciculi, pro suffragatione praeparati.

[27] 4 — Doctrina Declarationis eatenus vera est quatenus aliae religiones, praeter catholicam, ad religionem naturalem referuntur (2 Patres).

R. — Cf. resp. ad Mod. Gen. 2.

5 — Schema favet saecularisationi vitae, quia obliviscitur gubernium ut tale, nationem et societatem civilem, cultum et obsequium Deo praestare debere.

[28] R. — Considerentur ea quae in ultima paragrapho n. 3 nunc leguntur et ea quae in n. 6 de cura libertatis religiosae habentur.

6 — Terminus « ius » adhibeatur solummodo in unico sensu vero et proprio, sc. ut « ius ad libertatem », libertas autem ad bonum et verum tantum.

R. — Cf. resp. ad Mod. Gen. 2.

7 — Notio libertatis in toto textu restringatur ad « libertatem socialem et civilem in re religiosa », sicut legitur in subtitulo.

R. — Textus videtur clarus. Cf. resp. ad Modum pro titulo, 2, a.

TITULUS

1 — Diversae formulae proponuntur:

a) « Schema Declarationis de Libertate Religiosa seu de iure civili ad libertatem in re religiosa » (209 Patres).

b) « De iure civili ad libertatem religiosam » (3 Patres).

c) « De libertate civili in re religiosa » (2 Patres).

d) « De libertate religiosa in vita civili » (1 Pater).

e) « De libertate religiosa sociali et civili » (2 Patres).

f) « ... ad libertatem civilem in re religiosa » (2 Patres).

g) « De iure personae et communitatum ad liberum in societate exercitium religionis » (3 Patres).

R. — ad *a*) Non plene concordat cum substantia textus. Libertas religiosa est quidem vel potest esse ius civile positivum, sed prout est agnitio iuris personae. Praeterea si affirmaretur esse tantum ius civile mere positivum, hoc verteretur in damnum Ecclesiae.

b) Ratio pastoralis exigit ut S. Synodus utatur expressis verbis « De libertate religiosa » eaque explanet, quia sunt verba hodie usitata.

c) Cf. resp. ad *a*); subtitulus etiam respiciendus est.

d) Cf. resp. ad *a*).

e) Necessaria est mentio iuris, secundum ea quae dicuntur ad Mod. Gen. 2; quae mentio pertinet ad substantiam Declarationis.

f) Immunitas a coercitione observanda est non tantum a potestate civili, sed etiam ab individuis et coetibus socialibus. [28]

g) Cf. resp. ad *b*).

Omnibus itaque perpensis, servetur titulus « textus recogniti ».

2 — Redeatur ad subtitulum textus reemendati, sc. « De iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa ».

R. — Ex rationibus pastoralibus subtitulus textus reemendati amplificatus est. [29]

AD NUMERUM 1

1 — Pag. 3, linn. 1-15, proponitur nova redactio (2 Patres).

R. — Cum textus iam approbatus sit, magnae immutationes admitti nequeunt, quantummodo considerationis dignae.

2 — Pag. 3, linn. 1-7, redeatur ad textum reemendatum.

R. — Consulto textus introducit doctrinam expositione factorum hodiernorum, quin statim de iisdem iudicium proferatur.

3. — Pag. 3, linn. 1-7, proponitur nova redactio.

R. — Cf. resp. ad 1.

4 — Pag. 3, linn. 1-7, proponitur ut sermo fiat iam ab initio de servitute quae existit in nationibus marxisticis.

R. — Opportunius providetur in n. 15.

5 — Pag. 3, linn. 2-3, loco « conscii fiunt » dicatur « conscii fieri nituntur » et loco « atque numerus eorum crescit qui » dicatur « et crescenter ».

R. — Mutationes non videntur textum meliorem reddere.

6 — Pag. 3, linn. 3 et 7, loco « exigunt » dicatur « postulant » et loco « exigentia » dicatur « postulatio ».

R. — Adhibetur « exigunt », « exigentia », quia a nonnullis Patribus postulata.

7 — Pag. 3, linn. 5-7, loco « non coercitione commoti, sed officii conscientia ducti » dicatur « officii conscientia ducti et non coercitione commoti ».

R. — Inversio debilitaret affirmationem.

8 — Pag. 3, linn. 5-10, proponitur novus textus (2 Patres).

R. — Admittitur inde a lin. 7 « ... commoti. *Itemque postulant iuridicam limitationem potestatis publicae, ne fines honestae libertatis et personae et associationum nimis circumscribantur.* Quae

[30] libertatis exigentia... ea, quae ad *liberum in societate religionis exercitium* spectant ».

Sic textus melius cohaeret cum iis quae leguntur in n. 7.

9 — Pag. 3, lin. 12, loco « quantum » dicatur « quousque » vel « in quantum » vel « quo modo » (5 Patres).

R. — Non apparet ratio sufficiens mutandi verbum.

10 — Pag. 3, linn. 14-15: 1 Pater dubium movet de usu verbi «indesinenter » in lin. 15; alius rogat ut verba « in quibus... invenit » deleantur; alius pro « traditionem » vult ut adhibeatur « praxim »; 211 Patres proponunt ut in lin. 14 s. scribatur: « ... ex quibus nova semper cum veteribus profert »; unus Pater, denique, vult ut tollantur linn. 13-15, quia hoc schema contradicit pluribus assertionibus magisterii.

R. — Accipitur « *ex quibus nova semper cum veteribus profert* », et sic magis manifestatur cohaerentia inter traditionem et progressum doctrinalem, ut dicunt 211 Patres, et insuper aliae propositiones saltem ex parte accipiuntur.

Ad assertam contradictionem inter doctrinam huius Declarationis cum assertionibus magisterii quod attinet: non semel de hac re sermo fuit in relationibus; 9/10 partes circiter Patrum illas explicationes sufficientes iudicare videntur eo quod textum approbarunt.

11 — Pag. 3, lin. 16, ad pag. 4, lin. 2, redeatur ad textum reemendatum. Alius Pater pro textu a pag. 3, lin. 16, ad pag. 4, lin. 18, proponit omnino novam redactionem.

R. — Admitti nequeunt iuxta normas expensionis. Delentur tamen verba « et asseverat » utpote redundantia et modo loquendi Conciliorum non correspondentia.

12 — Pag. 3, lin. 17, loco « vias... notas... quas » scribatur « via*m*... nota*m*... qua*m* ».

R. — Accipitur.

13 — Pag. 3, linn. 19-24, loco « Hanc unicam... dicens Apostolis » dicatur:

a) « Hoc unicum salutiferum Evangelium cui debetur fides concreditum esse credimus catholicae et apostolicae Ecclesiae, ut ad omnes homines diffundatur, dicente Domino: Euntes, etc. », (22 Patres).

[31] *b*) Vel « Hanc unicam salutiferam Revelationem cui debetur fides, concreditam esse credimus catholicae et apostolicae Eccle-

siae ut eam fideliter servet et ad omnes homines diffundat, dicente Domino: ... » (1 Pater). [31]

c) Vel « Hoc Evangelium salutis et beatitudinis Ecclesiae Catholicae traditum esse credimus, cui... » (1 Pater). Et sunt aliae formulae huic similes.

d) Pro « unicam veram » (linn. 19-20) legatur « unicam rectam vel legitimam » (1 Pater).

e) In lin. 20 pro « credimus » dicatur » « declaramus » vel « profitemur » vel « firmiter tenemus », vel « firmiter credimus » (4 Patres).

f) Post « veram religionem » (lin. 20) addatur « plene » vel « in sua plenitudine » (2 Patres).

g) In lin. 21, post verbum « cui » addatur « uni ».

R. — ad *a*), *b*) et *c*): Periculum adest ne his redactionibus sensus nimis restrictus tribuatur. Cf. infra ad *f*).

ad *d*) Textus approbatus fortior est, quia de veritate agit. Cf. infra ad *f*).

ad *e*) Textus videtur sufficiens.

ad *f*) Non admittitur, quia textum nimis restringit et duriorem reddit.

ad *g*) Non videtur additio necessaria.

14 — Pag. 3, linn. 23-27, citatio *Mt.* 29, 19-20 deleatur et tantum referentia retineatur (1 Pater). Alii 2 Patres volunt, ut citetur *Mc.* 16, 16. Alius, ut addatur « Qui crediderit etc. ».

R. — Servetur citatio ut in textu, propter rationes pastorales. *Mc.* 16, 16 citatur in n. 11.

15 — Pag. 3, lin. 27, ad pag. 4, lin. 2, Patres sat multi quaestionem movent de hac phrasi. Duo Patres postulant, ut tota haec phrasis expungatur; alii 23 formulam omnino novam proponunt; alius proponit textum e Const. « Lumen Gentium » desumptum, alius pro lin. 29 rogat, ut scribatur « in iis quae Deum respiciunt »; alius rogat, ut in lin. 28, post « cuncti » addatur « graviter »; 3 volunt, ut expungantur verba « prout eam agnoscere potuerunt », alius vero, ut legatur « prout eam credendam agnoscere potuerunt »; est qui in lin. 30 post « sacro » vult ut addatur « proinde ». Denique, 16 Patres proponunt, ut scribatur post cit. *Mt.* 18, 19-20: « Homines vero cuncti tenentur veritatem, praesertim in iis quae cultum Dei respiciunt, quaerere, eamque cognitam amplecti ac servare », reliquis omissis.

[32] R. — Ultima formula accipitur, quia est brevior, vitat repetitiones et omnem substantiam retinet, si confertur cum iis quae nunc leguntur in pag. 4, linn. 10-13. Sic ergo nunc scribitur: « Homines *vero* cuncti tenentur veritatem, praesertim in iis quae *Deum Eiusque Ecclesiam* respiciunt, quaerere eamque *co*gnitam amplecti ac servare ».

16 — Pag. 4, lin. 7, addantur quaedam circa officium societatis qua talis, Deum colendi.

R. — Non videtur necessarium; cf. novam redactionem ultimae paragraphi n. 3.

17 — Pag. 4, lin. 7, dicatur quod qui fidem catholicam impugnant, iidem contra Dei voluntatem agunt (5 Patres).

R. — Non videtur necessarium; cf. n. 13, pag. 15, lin. 27 s.

18 — Pag. 4, lin. 2, post « profitendique » citetur Vat. I (DENZ. 3014) ut integra servetur doctrina illius Concilii (244 Patres).

R. — Nemo dubitat de assertione Vat. I, et res aliis verbis, huic contextui magis accomodatis, satis exprimitur.

19 — Pag. 4, linn. 3-7, expungantur verba « nec aliter... illabitur » (13 Patres); aliquid de gratia dicatur (3 Patres); referentia ad magisterium inseratur (4 Patres). Inducatur distinctio inter fideles et fide carentes (2 Patres). Loco « *V*eritatem » (« *V*eritatis ») scribatur « *v*eritatem » (« *v*eritatis »).

R. — Textus non dicit « vi solius veritatis », gratia ergo non excluditur; neque agitur tantum de veritate revelata. Ideo, ut sensus generalis clarius percipiatur, nunc scribitur « *v*eritatem », « *v*eritatis ».

20 — Pag. 4, linn. 5-18, omnia deleantur (1 Pater); proponitur nova redactio iuxta textum reemendatum (2 Patres).

R. — Hae propositiones secundum regulas accipi nequeunt; nam textus approbatus est.

21 — Pag. 4, lin. 5, loco « Itaque » dicatur « Cum ergo » (1 Pater) vel « Porro » (2 Patres).

R. — Accipitur « *Porro* ».

22 — Pag. 4, lin. 5, post « quum » addatur « genuina » (2 Patres).

[33] R. — Sensus huius libertatis in ipsa phrasi sufficienter ostenditur verbis « immunitatem a coercitione... ».

23 — Pag. 4, linn. 5-6, loco « libertas religiosa » scribatur « libertas civilis in re religiosa... » ne transitus fiat de libertate morali ad libertatem civilem (229 Patres).

R. — Talis transitus non fit: textus semper manet in ordine libertatis prout est ius, cuius obiectum est immunitas a coercitione, ut legitur in linn. 7 et 8. [33]

24 — Pag. 4, linn. 6-7, tollantur verba « quam... et ».

R. — Verba sunt necessaria ad determinandum sensum phraseos.

25 — Pag. 4, linn. 7-8, deleantur verba « et de qua... intendit ».

R. — Accipitur; verba enim non sunt necessaria et onerant phrasim.

26 — Pag. 4, lin. 9, post « civili » addatur « et in singulorum hominum relationibus ».

R. — Non videtur necessaria additio.

27 — Pag. 4, lin. 10, post « eam » addatur « cultui in spiritu et veritate consentaneam esse et ideo... ».

R. — Additio non videtur necessaria.

28 — Pag. 4, linn. 11-13, loco « de unica... officio » dicatur « *de morali hominum ac societatum officio erga veram religionem et unicam Christi Ecclesiam* ».

R. — Accipitur quia clarius.

29 — Pag. 4, lin. 13, addatur aliquid de societatum officio erga Ecclesiam (5 Patres).

R. — Sufficienter provisum est admissione Modi praecedentis.

30 — Pag. 4, lin. 12, pro « hominum » scribatur « christifidelium », quia hi tenentur speciali officio (cf. DENZ. 3014).

R. — Non apparet ratio restringendi sensum textus.

31 — Pag. 4, lin. 12, in nota referentia fiat ad expositionem huius doctrinae in Const. « Lumen Gentium », in Decreto de oecumenismo et in Declaratione de Ecclesiae habitudine ad religiones non christianas.

R. — Generatim non est mos huius Concilii, ut se referat ad seipsum. Ceterum patet quae hic dicuntur omnino interpretanda esse secundum illa documenta. [34]

32 — Pag. 4, linn. 13-18, loco « Insuper... intendit » dicatur « Hanc revera libertatem, uti ius civile positivum a publica agnoscendum auctoritate, Sacra Synodus, hisce praesertim adiunctis, valde commendat atque sancit » (3 Patres). Alius Pater formulam alteram proponit valde similem.

R. — Modus admitti nequit, quia est contra substantiam textus iam approbati; cf. resp. ad Mod. Gen. 2. Ceterum ea quae sunt « iuris civilis positivi » non « agnoscuntur », sed « conduntur » ab auctoritate.

[34] 33 — Pag. 4, linn. 13-14, omittantur verba « ut ius humanae personae proprium ».

R. — Admittitur, ad vitandas repetitiones.

34 — Pag. 4, lin. 15, pro « Summorum Pontificum » scribatur « catholicam » (1 Pater), vel « Ecclesiae » (1 Pater), vel « traditionis catholicae » (1 Pater).

R. — Insistendum est in conformitate doctrinae schematis cum documentis Summorum Pontificum.

35 — Pag. 4, lin. 17, post « societatis » addatur « ad normam iuris naturalis sancita ».

R. — Providetur in n. 7.

36 — Pag. 4, lin. 17, post « societatis » addatur « in re religiosa ».

R. — Accipitur hac mutatione in lin. 13: « Insuper, *de hac* libertate *religiosa agens,* Sacra Synodus... ».

37 — Pag. 4, lin. 17, loco « evolvere » dicatur « exponere » vel « elucidare » (2 Patres).

R. — Consulto retinetur verbum « evolvere », nam agitur de progressu in explicitatione doctrinae, ut alii 214 Patres affirmant in ratione allata pro Modo supra ad num. 1, 10 admisso.

38 — Pag. 4, linn. 13-18, retineatur textus reemendatus, pag. 4, linn. 4-10, ad vitandum periculum indifferentismi (233 Patres).

[35] R. — Omnia quae in textu reemendato modo negativo dicebantur, in textu approbato inveniuntur, modo tamen positivo. Ceterum cum textus iam sit approbatus, additio tam ampla admitti nequit.

AD NUMERUM 2

1 — Pag. 4, lin. 19, ad pag. 5, lin. 6: 222 Patres proponunt novam redactionem, sat brevem, et rogant ut cetera omnia quae in hoc numero habentur, omittantur. Alius Pater idem proponit, formula tamen aliquatenus diversa.

R. — Hi modi sunt contra substantiam textus iam approbati et mutationem notabilem inducunt.

2 — Pag. 4, lin. 19, ad pag. 5, lin. 6, in hoc numero damnentur omnes qui mala fide agunt ad seducendos rudes et ignaros.

R. — Non est iuxta morem huius Concilii per damnationes procedere. Quoad substantiam rei, sufficienter providetur in n. 4.

3 — Pag. 4, linn. 22-23, proponitur longissima pericopa hic inserenda.

R. — Propositio tam ampla et quidem substantiae textus non conformis iuxta normas accipi non potest. [35]

4 — Pag. 4, linn. 20-22, tres Patres tres diversas formulas proponunt pro prima phrasi n. 2, quae vel stylisticas modificationes continent, vel verbum « ius » omittunt. 44 Patres volunt, ut deleatur; quibus fere accedit alius qui putat sententiam esse falsam et proponit, ut dicatur « ad hanc libertatem ». 209 Patres denique postulant, ut dicatur « ad libertatem civilem in re... »; quibus accedit unus Pater qui vult, ut dicatur « ad libertatem socialem et civilem in... ».

R. — Cf. resp. ad Mod. Gen. 2.

5 — Pag. 4, linn. 20 ss., determinetur notio libertatis religiosae modo positivo, scilicet ex eo quod homines facultatem habere debent ad vitam suam ad Deum dirigendam.

R. — Textus approbatus non agit de libertate in hoc sensu, sed praecise de immunitate a coercitione. Cf. resp. ad Mod. Gen. 2.

6 — Pag. 4, lin. 22, post « libertas » addatur « in re religiosa ». [36]

R. — Contextus satis clarus est; dicitur enim « Huiusmodi... ».

7 — Pag. 4, lin. 23, post « homines » addatur « fruunt propitiis conditionibus ad vivendam suam religionem semper et ubique atque sunt... ».

R. — Additio hic non videtur necessaria. Cf. novam redactionem partis finalis n. 3.

8 — Pag. 4, linn. 23-24, post « coercitione » addatur « a parte ».

R. — Admittitur, propter latinitatem, hoc modo: « *ex parte* ».

9 — Pag. 4, linn. 24-25 deleatur « sive coetuum socialium », quia nemo potest sese subtrahere a « pressione » sociali.

R. — Etiam coercitio proveniens ex parte coetuum socialium reicienda est. Ceterum coercitio non est idem ac « pressio » socialis.

10 — Pag. 4, linn. 24-25, post « socialium » addatur « ut et Deum ad rectam conscientiae suae normam possint et religionem privatim publice ex conscientia officii profiteri ».

R. — Non accipitur, quia textum oneraret sine necessitate.

11 — Pag. 4, lin. 25, post « potestatis » addatur « mere » (1 Pater), vel « civilis » (11 Patres).

R. — Propositio est nimis restrictiva.

12 — Pag. 4, linn. 27-29, ubivis sermo est de conscientia clare dicatur agi de vera vel genuina conscientia (1 Pater).

[36] Linn. 28-29, loco « iuxta suam conscientiam » dicatur « iuxta praescripta conscientiae suae » (2 Patres).

R. — Prima propositio non admittitur, quia est contra textum approbatum (cf. pag. 5, linn. 19-26); secunda non videtur necessaria; in textu conscientia connotat etiam responsabilitatem.

13 — Pag. 4, linn. 27-29, duo Patres putant non esse cohaerentiam inter hunc textum et textum in pag. 5, linn. 22-24, eo quod in primo loco agitur de conscientia tamquam norma, in secundo vero de iis qui obligationi suae morali non satisfaciunt.

R. — Datur cohaerentia; nam sunt aspectus diversi eiusdem conscientiae. Porro in secundo textu agitur de externis, cum de internis iudicare non liceat.

[37] 14 — Pag. 4, linn. 29-30, deleatur « vel solus vel cum aliis consociatus » (8 Patres) immo omnia inde a « et publice » usque ad « limites » (1 Pater).

R. — Propositio admitti nequit, quia contradicit textui, immo et subtitulo ipsius documenti.

15 — Pag. 4, lin. 30, deleatur « intra debitos limites » (1 Pater); diversae formulae proponuntur ad illos limites clarius exprimendos (4 Patres).

R. — Sufficit hic limitationem affirmare, quae postea magis determinatur in n. 7.

16 — Pag. 4, lin. 30, post « ius » addatur « civile positivum... » (44 Patres); omittatur in linn. 30-31 « personae humanae » (1 Pater); in lin. 2, pag. 5 dicatur: « in quo (iure civili) limites stabiliantur ut quis suam conscientiam socialiter et publice manifestare liceat » (1 Pater).

R. — Hae propositiones sunt contra textum approbatum. Cf. Mod. Gen. 2. Insuper valde periculosum pro ipsa Ecclesia esset, si ius ad immunitatem a coercitione in re religiosa in solo iure positivo civili fundaretur.

17 — Pag. 4, lin. 30, ad pag. 5, lin. 2, phrasis « hoc ius ... evadat » transferatur ad lin. 6, pag. 5, post verbum « cognoscitur ».

R. — Accipitur, ut melior evadat cursus idearum.

18 — Pag. 5, linn. 2-6, expungatur phrasis « Insuper ... cognoscitur » (45 Patres); expungantur tantum verba « qualis ... cognoscitur » (1 Pater); pag. 5, linn. 2-4, loco « Insuper declarat ... fundatum » dicatur « Hoc ... fundatur » (1 Pater).

R. — Integer textus necessarius est in loco ubi invenitur: est quasi punctum centrale Declarationis. Porro quando sermo est de fun-

damento, non agitur eo ipso de argumentis. Cf. quoque resp. ad Modos immediate infra recensitos. [37]

19 — Pag. 5, lin. 6, inseratur transitio hoc modo: « Doctrinam declaratam paucis illustrare licet », ut non videatur argumentatio auctoritative a S. Synodo proponi (1 Pater). Deleatur verbum « enim » in lin. 7 (44 Patres).

R. — Ut clarius appareat quod argumentatio non auctoritate proponitur, deletur in lin. 7 verbum « enim ».

20 — Pag. 5, linn. 7-26 ita emendentur ut clarius affirmetur obligatio quaerendi veram religionem et ius Ecclesiae praedicandi omnibus Evangelium. [38]

R. — Sufficienter providetur in nn. 1, 13 et 14. Ceterum propositio concreta a Patre non praebetur.

21 — Pag. 5, linn. 7-15 corrigantur, ne videantur sententiam acatholicorum confirmare circa parvulos non baptizandos.

R. — Sufficienter providetur in n. 5.

22 — Pag. 5, linn. 7-13, novae redactiones proponuntur, quarum una continet definitionem personae humanae (3 Patres).

R. — Propositionibus bene examinatis, necessitas non apparet mutandi textum. Neque mos est conciliaris definitiones philosophicas proponere.

23 — Pag. 5, lin. 8, loco « omnes » dicatur « *cuncti* », propter assonantiam.

R. — Admittitur.

24 — Pag. 5, lin. 9, post « personali » addatur « plena ».

R. — Affirmatio textus est generalis. Cf. quoad institutionem n. 3.

25 — Pag. 5, lin. 12, deleatur « imprimis », ne videatur textus inculcare obligationem quaerendi quamcumque veritatem.

R. — Illo verbo sublineatur tantum momentum veritatis in re religiosa.

26 — Pag. 5, linn. 13-19, proponitur nova redactio, quae varia elementa nova continet (2 Patres). Dicunt hi Patres textum approbatum non esse clarum.

R. — Propositio non videtur clarior.

27 — Pag. 5, lin. 17, pro « naturae » legatur « dignitati ».

R. — Expressio « naturae » videtur accuratior.

28 — Pag. 5, lin. 28 pro « psychologica » legatur « religiosa » (1 Pater) vel « interna » (4 Patres).

[38] R. — Formula textus accuratior videtur. Voces « religiosa » et « interna » hic nimis late patent.

[39] 29 — Pag. 5, linn. 19-26 expungantur (2 Patres), deleantur tantum linn. 19-21 (44 Patres). 21 Patres proponunt diversas formulas ad textum clariorem reddendum. Alii 2 rogant ut pro « tamen » scribatur « ergo ».

R. — Integer textus expungi nequit, iuxta normas. Ad maiorem perspicuitatem, ad sensum propositionis plurium Patrum, nunc scribitur: « Non *ergo* in dispositione subiectiva personae, sed in ipsa *eius* natura libertas religiosa fundatur ». Quae formula optime cohaeret cum dictis in resp. ad Mod. Gen. 2.

30 — Pag. 5, lin. 21, post « libertas » addatur « civilis in re » (religiosa).

R. — Admitti nequit ob rationem iam indicatam in responsione ad Mod. Gen. 2.

31 — Pag. 5, linn. 22-26, deleatur integra phrasis « Quamobrem ... laedant » (3 Patres). 45 alii Patres novam formulam inducunt, in qua de iure civili positivo et de pluralismo agitur; 7 alii postulant determinationes circa limitationem; alius postulat ut legatur « hanc immunitatem » (lin. 22), alius ut expungantur verba « dummodo ... laedant » (linn. 24-26), alius ut loco « legitimo » dicatur « iusto » (lin. 25).

R. — Integra sententia expungi nequit, quia elementum continet magni momenti. Formula nova proposita non admittitur, quia non est secundum lineam documenti approbati.

Admittitur ut scribatur « *hanc* immunitatem ». Cum vero abusus non tollat ius, ut aliquis Pater recte notat, ultimae lineae sic sonent: « *eiusque exercitium impediri nequit* dummodo *iustus* ordo public*us* serv*etur* ». Et omittuntur reliqua.

AD NUMERUM 3

1 — Unus Pater proponit ut n. 3-8 (pagg. 5-11) expungantur, cum rationes pro libertate religiosa non sint ex ordine ontologico et religioso desumendae, sed ex ordine sociali et civili.

R. — Textus iam approbatus est. Rationes adhibitae sunt contra textum; nam libertas, quatenus immunitatem a coercitione implicat, fundamentum habet ontologicum, sc. dignitatem personae humanae, ratione et libera voluntate praeditae ideoque personali responsabilitate auctae.

2 — Pag. 5, lin. 27, ad pag. 6, lin. 35, deleatur totus textus (1 Pater), vel expungantur saltem linn. 28-29, pag. 5 (1 Pater). [40]
R. — Approbatus est textus.

3 — Pag. 5, lin. 31, post « Deus » addatur « Creator ».
R. — Additio non videtur necessaria.

4 — Pag. 5, lin. 38, post « Quapropter » addatur « hac dignitate pollens » (4 Patres).
R. — Additio proposita textum oneraret.

5 — Pag. 6, lin. 2, post « quaerendi » addatur « vel magis magisque eandem veritatem cognoscendi ». Ratio est quia catholicus non habet officium veritatem catholicam quaerendi, quia eam iam possidet.
R. — Additio non apparet necessaria. Ceterum cf. linn. 11 et 12 eiusdem paginae, ubi hoc sufficienter dicitur.

6. — Pag. 6, linn. 1-2, loco « veritatem... quaerendi » dicatur « habet hanc veritatem diligenter quaerendi » et in lin. 3 pro « recta » scribatur « vera » (1 Pater). Alius Pater rogat ut in lin. 3 scribatur « ad rectam conscientiae normam iudicia... ».
R. — Accipitur in lin. 3 hoc modo: « recta *et vera* conscientiae... » agitur enim de formatione conscientiae.

7 — Pag. 6, linn. 4-5, loco « modo dignitati personae humanae eiusque naturae sociali » dicatur: « modo naturae rationali hominis et necessario consequenti indoli sociali personae ».
R. — Mutatio non accipitur, quia textum clariorem non reddit.

8 — Pag. 6, linn. 4-10, proponitur nova redactio valde abbreviata.
R. — Admitti nequit, quia affirmationes magni momenti supprimit.

9 — Pag. 6, linn. 4-35, proponitur novus textus, in quo, praeter mutationes minoris momenti, quaedam affirmationes magni momenti textus approbati expunguntur (1 Pater). Alius Pater vult ut linn. 4-10, pag. 6, deleantur.
R. — Admitti nequit, iuxta normas.

10 — Pag. 6, linn. 6-8, loco « per Magisterium seu institutionem, per communicationem atque dialogum » dicatur « *ope* etiam magister*ii* seu institution*is,* communication*is* atque dialo*gi* ». [41]
R. — Accipitur, omisso tamen « etiam ».

11 — Pag. 6, linn. 9-10: Unus Pater affirmat verba « vel invenisse putant » contradicere praecedentibus, et postulat additionem de illiceitate perturbandi fidem catholicam. Alius Pater vult ut haec verba deleantur.

[41] R. — Verba impugnata sunt necessaria ad innuendam conditionem personalem. Additio non admittitur, quia sufficienter providetur in textu, sub n. 4.

12 — Pag. 6, lin. 11, post « adiuvent » addatur « demum humili acceptatione Revelationis a Deo factae ».

R. — Additio non videtur necessaria. Cf. n. 1.

13 — Pag. 6, lin. 11, proponitur post « adiuvent » additio sat longa de momento magisterii.

R. — Sufficienter provisum tam in linn. 6 et 7 huius numeri, quam in integro n. 14.

14 — Pag. 6, lin. 11, loco « veritati autem cognitae » scribatur « cognitio autem tamquam veritatem ».

R. — « Veritas » in textu sumitur quatenus cognitio ut vera a cognoscente reputatur.

15 — Pag. 6, lin. 12, post « personali » proponitur additio circa necessitatem acquirendi propriam conscientiam religiosam, praesertim pro pueris et iuvenibus.

R. — Sufficienter provisum in n. 8.

16 — Pag. 6, linn. 14-15: unus Pater movet difficultatem quoad veritatem dictorum, cum conscientia non sufficiat ad cognitionem veritatis.

R. — Integer numerus 3 considerandus est per modum unius; cf. pag. 6, lin. 4 et ss.

17 — Pag. 6, lin. 16: 4 Patres diversas formulas proponunt: « quam recte et prudenter formatam ... » vel « tenetur, dummodo sit certa ... » vel « quam, si certa sit », vel « quam tenetur recte ef-
[42] formare veritate ac legem diligenter inquirendo, eamque dein fideliter ... ».

R. — Additiones hae non videntur necessariae. Cf. pag. 6, linn. 3 et 11 s.

18 — Pag. 6, lin. 17, post « Deum » addatur « Creatorem et ... ».

R. — Additio non videtur necessaria.

19 — Pag. 6, lin. 19, ad pag. 7, lin. 10, proponitur nova redactio.

R. — Admitti nequit, iuxta normas. Quoad finem Status providetur infra nn. 6 et 7.

20 — Pag. 6, linn. 18-21, deleantur integrae phrases « Non est ... agat. Sed ... religiosa », cum sint repetitiones dictorum in pag. 4, linn. 25-30 (17 Patres). Deleatur phrasis « Sed ... religiosa », cum limites hic non memorentur (1 Pater).

R. — Expunctio nequit admitti, quia linn. 18-21 sunt conclusio praecedentium. Ad limites quod attinet, cf. n. 7. [42]

21 — Pag. 6, lin. 19, post « conscientiam » addatur « unquam » (12 Patres); post « agat » adiungatur « in re religiosa » (1 Pater).

R. — Textus sufficienter clarus videtur.

22 — Pag. 6, lin. 19, post « agat » addatur « Immo, ad ius civile positivum libertatis religiosae quod attinet ».

R. — Admitti nequit, quia notionem libertatis religiosae restringit ad ius civile positivum. Cf. resp. ad Mod. Gen. 2.

23 — Pag. 6, lin. 20, post « conscientiam » addatur « dummodo recta sit » (1 Pater); dicatur potius de praescriptis conscientiae (2 Patres).

R — Non pertinet ad alios de rectitudine conscientiae alicuius iudicare. Mutatio in « praescripta conscientiae » non est necessaria.

24 — Pag. 6, lin. 23, loco « primario » legatur « *imprimis* » (1 Pater); deleatur in eadem linea « *prorsus* » (1 Pater).

R. — Admittuntur ambo proposita.

25 — Pag. 6, lin. 25, pro « Deum » scribatur « Numen supremum » vel « aliquam doctrinam tanquam veritatem apprehensam ».

R. — Non videtur necessaria mutatio. Ceterum prima expressio proposita iam invenitur in pag. 7, lin. 31. [43]

26 — Pag. 6, lin. 26, loco « mere humana » dicatur « mere iuridica » vel « praesertim iuridica ».

R. — Consulto adhibentur verba « mere humana », ne praeiudicetur quaestio disputata circa potestatem Ecclesiae imperandi actus internos.

27 — Pag. 6, lin. 27, post « autem » addatur « corporalis et » (4 Patres).

R. — Additio non apparet necessaria. Textus non affirmat manifestationem externam tantum ex natura sociali profluere.

28 — Pag. 6, linn. 27-28, loco « Ipsa ... exigit » dicatur « Naturae autem sociali hominis congruit ut homo ... » (186 Patres).

R. — Propositio non servat substantiam textus.

29 — Pag. 6, lin. 29, loco « manifestet » dicatur « manifestari possit » (1 Patres) vel scribatur « exprimat ».

R. — Scribitur « *exprimat* ».

[43] 30 — Pag. 6, lin. 29: Unus Pater rogat ut post « manifestet » addatur « dummodo veritati obiectivae respondeant », et asserit haereticos errores latere in textu approbato.

R. — Admitti nequit, quia non est conformis cum criteriis in n. 7 admissis circa limitationem libertatis religiosae. Circa qualificationem additam, dicendum est eam non esse fundatam. Cf. resp. ad Mod. Gen. 2.

31 — Pag. 6, lin. 30, loco « ipsam suiipsius » scribatur simplicius ac brevius « *suam* » (3 Patres).

R. — Accipitur, quia verbum propositum magis accuratum est et vitat periculum falsae interpretationis.

32 — Pag. 6, linn. 32-35, phrasis ita mutetur: « Convenit ergo ut Status liberum in societate religionis exercitium agnoscat, vero ordine publico firmiter servato ».

R. — Propositio non admittitur, quia textum debilitat, « ius » expungit et libertatem religiosam ad solum Statum refert, quod est insufficiens.

[44] 33 — Pag. 6, lin. 34, post « societate » addatur « civili ».

R. — Additio non est necessaria, quia contextus clarus est.

34 — Pag. 6, lin. 34, ante « denegatur » addatur « verum ordinem publicum servanti », deleto in lin. 35 « vero ... servato ».

R. — Emendatio non videtur textum clariorem reddere.

35 — Pag. 6, lin. 35, loco « vero ordine publico servato » dicatur:

a) « iusto ordine servato » (2 Patres) vel « vero ordine naturali servato » (1 Pater);

b) « bono communi servato » (4 Patres) vel post « servato » addatur « et ratione habita exigentiarum veri boni communis » (1 Pater);

c) « morali ordine communique omnium utilitate servatis » (5 Patres).

R. — ad *a*) Accipitur « *iusto* ordine publico servato ».

ad *b*) Bonum commune ut criterium adhibetur, quando agitur de iuribus promovendis; quando vero de limitationibus agitur, tunc criterium est ordo publicus, nam secus restrictiones plus aequo multiplicari possent et modo quidem arbitrario.

ad *c*) Propositio est nimis indeterminata et periculosa. Ad sensum vero de ipsa ratio habetur in verbis nunc infra immediate sequentibus. Cf. etiam ea quae in n. 7 dicuntur.

36 — Pag. 7, linn. 3-10, omnia deleantur. Ratio: ex dictis sequi videtur, quod Status non possit impedire actus religiosos verum ordinem publicum perturbantes, vel possit discernere, qualis sit vera religio (8 Patres). [44]

R. — De limitibus libertatis religiosae iam immediate supra aliquid dictum est et postea, fusiore quidem modo, in n. 7 dicitur. De agnitione religionis ex parte societatis civilis dissertis verbis agitur in n. 6, pag. 9, linn. 20-25. Porro necessaria est paragraphus ad tutandam libertatem ipsius catholicae Ecclesiae.

37 — Pag. 7, linn. 3-10, proponitur novus textus (1 Pater); textus approbatus recognoscatur, ne sensus et valor transcendentiae personae humanae enerventur (1 Pater).

R. — Textus novus propositus valde differt a textu schematis, tamen quoad nonnulla eorum, quae proponuntur, in emendationibus de quibus infra, saltem ad sensum, providetur.

38 — Pag. 7, lin. 3, pro « quibus » legatur « quatenus ope eorum ». [45]

R. — Distinctio, quae introducenda proponitur, difficulter in concretis adiunctis in praxim deducitur, immo et periculosa videtur pro ipsa Ecclesiae libertate.

39 — Pag. 7, lin. 5, post « ordinant » addatur « in quibusdam ».

R. — Dicitur « natura sua ... transcendunt », quia aliter vix dici possent actus religiosi.

40 — Pag. 7, lin. 7, post verbum « Potestas » deleatur « igitur ».

R. — Hoc fieri nequit, quia quae sequuntur praecedentia supponunt.

41 — Pag. 7, linn. 8-10, plura vota proponuntur:

a) Expungatur incisum, nam in quibusdam circumstantiis falsa esse potest (1 Pater).

b) Post verbum « civilis » (lin. 7) addatur « cuius est finis proprius bonum commune temporale tueri, religiosam civium vitam agnoscere et ei favere debet, sed limites... » (1 Pater) vel dicatur « limites suos excedere dicenda est, si ea, quae natura sua terrestrem et temporalem rerum ordinem transcendunt, dirigat, quamvis ad cultum publicum erga Deum obstringatur », ceteris a lin. 3 ad 6 omissis (1 Pater).

c) In linn. 8-10 scribatur « ... si in ea, quae in re religiosa terrestrem et temporalem rerum ordinem transcendunt, se immisceat » (1 Pater).

d) Ibidem scribatur « ... si actus religiosos quatenus natura sua terrestrem et temporalem rerum ordinem transcendunt, vel regere vel impedire praesumat » (1 Pater).

[45] *e*) Dicatur « si illos actus vel impediat vel dirigat » (1 Pater).

f) In lin. 10, scribatur « ... vel coacte dirigat vel imperet » (1 Pater) aut « vel imponat » aut « vel regat » (1 Pater); alius Pater proponit « indebite vel impediat vel dirigat »; alius rogat ut scribatur « tamquam sua propria competentia tractat »; 234 Patres proponunt ut scribatur « vel impediat vel indebite dirigat ».

R. — Ad *a*) Phrasis expungi nequit, quia eius substantia necessaria est ut iura quoque Ecclesiae protegantur. Emendabitur tamen: cf. infra.

Ad *b*) Accipitur prima propositio fere ad litteram, quia bene innuit positivam responsabilitatem potestatis civilis ad rem religiosam quod attinet. Et sic quoque secundae ad sensum satisfit.

Ad *c*) Non accipitur, quia repetit eadem verba phrasis imme-
[46] diate anterioris, quia verbum « immisceat » parum determinatum est.

Ad *d*), *e*) et *f*): scribitur nunc in lin. 8 « si actus religiosos dirigere vel impedire praesumat ».

Phrasis ergo sic mutatur: « Potestas igitur civilis, *cuius finis proprius est bonum commune temporale curare, religiosam quidem civium vitam agnoscere eique favere debet, sed* limites suos excedere dicenda est *si actus religiosos* dirig*ere* vel imped*ire praesumat* ».

Et sic simul et accuratius providetur, in quantum est possibile, diversis suggestionibus horum Patrum.

42 — Pag. 7, lin. 10, post « dirigat » addatur: « ea vero, quae multum conferunt ad ordinandam societatem et vivificandas humanas activitates civium, adiuvare et promovere debet ».

R. — Provisum in n. 41.

43 — Pag. 7, lin. 10, post « dirigat » addatur: « ... dummodo bonum commune non laedant ».

R. — De bono communi ut criterio limitationis iam supra dictum est. Insuper, de limitibus agitur in extenso in n. 7, quod, ut patet, pro schemate valet, quin sit necessarium eadem ubique reassumere.

44 — Pag. 7, lin. 10, fiat additio, secundum formulam propositam, de possibilitate agnitionis religionis catholicae ex parte potestatis civilis, tanquam principii suarum ordinationum legalium.

R. — De hac re sufficienter agitur in n. 6, pag. 9, linn. 20-25.

AD NUMERUM 4 [46]

1 — Pag. 7, lin. 24, post « libertas » addatur « civilis » (213 Patres); lin. 25 post « quae » addatur « uti ius civile positivum... » (44 Patres). Unus Pater idem proponit alio tamen ordine.

R. — Nequeunt accipi, nam, uti iam supra dictum est, non agitur de asserendo mero iure civili et multo minus de iure civili positivo. Cf. resp. ad Mod. Gen. 2 et ad Mod. circa titulum 2 a.

2 — Pag. 7, lin. 26, exprimatur limitatio iuris communitatum, et post « communitatibus » addatur « intra normas boni communis ».

R. — Saepius iam dictum est criterium pro limitatione esse ordinem [47] publicum. Ceterum hic non videtur inserenda clausula; res enim satis exprimitur in n. 7.

3 — Pag. 7, linn. 26-28 deleantur (1 Pater); post verbum « est » (lin. 26) addatur « legitime in societate admissis » (1 Pater).

R. — Neutrum accipi potest, nam prima propositio est contra substantiam num. 4 (de facto hic Pater vult fere integrum numerum 4 delere), et secunda recidit in postulatum de « iure civili positivo », quod est iterum contra substantiam textus approbati. Cf. resp. ad 1.

4 — Pag. 7, linn. 27-28, verba « a sociali ... requiruntur » transferantur ad lin. 29, post verba « communitatibus ».

R. — Cf. emendationem infra inducendam (n. 5).

5 — Pag. 7, lin. 26, post « etiam » addatur « ipsis in communi (vel in communitate) agentibus » (2 Patres).

Alius Pater proponit ut scribatur « Quia libertas ... competit, pariter communitatibus agnoscenda est ».

R. — Accipitur hoc modo: « competit, etiam *ipsis in communi agentibus* agnoscenda est. *Communitates enim religiosae a sociali* ... requiruntur ».

6 — Pag. 7, lin. 24, ad pag. 8, lin. 24, totus n. 4 deleatur, excepta prima paragrapho (2 Patres). Deleantur linn. 29-36, pag. 7 (1 Pater).

R. — Propositiones sunt contra normas expensionis.

7 — Pag. 7, lin. 30, dubium movetur de verbo « leges ».

R. — Admittitur. Scribatur « *normas* ».

8 — Pag. 7, lin. 29, deleatur « iure ».

R. — Non admittitur. Cf. resp. ad Mod. Gen. 2.

9 — Pag. 7, lin. 31, pro « Numen » scribatur « Deum » (1 Pater) deleatur « supremum » (1 Pater).

[47] R. — Servetur « Numen », quia consulto haec vox adhibetur, ut ratio habeatur diversarum notionum circa Deum. Servetur quoque « supremum », quia cultus religiosus ultimatim ad Deum dirigitur.

[48] 10 — Pag. 7, lin. 37, ad pag. 8, lin. 4, redeatur ad textum reemendatum.

R. — Immutationes quae in textu recognito leguntur postulatae sunt a pluribus Patribus praecise in favorem Ecclesiae catholicae.

11 — Pag. 7, lin. 41, post « transferendis » addatur « vitato proselytismo et quovis animarum scandalo » (5 Patres).

R. — Sufficienter providetur in pag. 8, linn. 8-14. Cf. etiam additionem infra, in resp. ad modos sub n. 18 recensitos, inducendam.

12 — Pag. 8, lin. 1, fiat inversio verborum « auctoritatibus et communitatibus ».

R. — Non adest ratio sufficiens ad hanc transpositionem admittendam.

13 — Pag. 8, lin. 3, movetur difficultas circa verba « in aedificiis religiosis erigendis ».

R. — Additio facta fuit rogantibus nonnullis Patribus.

14 — Pag. 8, lin. 4, apponatur declaratio circa naturam civilem huius iuris.

R. — Saepe iam ad hanc propositionem aliis locis responsum datum est. Cf. resp. ad Mod. Gen. 2, et ad Mod. circa titulum 2 a.

15 — Pag. 8, linn. 5-14, retractetur integra paragraphus (2 Patres).

R. — Haec paragraphus, prout in textu approbato invenitur, est summi momenti pastoralis; nam directe agit de exclusione « proselytismi ».

16 — Pag. 8, linn. 5-8, ita legatur: « Communitatibus religiosis ius etiam agnoscatur fidem suam ore et scripto publice docendi atque testandi legitimis exigentiis ordinis publici non violatis, nec populo renuente » (1 Pater). Vel dicatur « Communitates religiosae intra debitas limites ius civile etiam habent... » (228 Patres). Alius Pater proponit formulam « Communitatibus religiosis ius ab auctoritate civili concedatur ad suam fidem ore... ».

R. — In memoriam revocetur quod textus schematis non agnoscit ius ad falsa publice docendum, sed affirmat ius ad immunitatem a coactione. Aliis verbis, obiectum iuris est immunitas a coactione, quae ius mere civile dici nequit. Stet ergo textus, sed ut clarius appareat limitationem, de qua in linn. 7-8, totum n. 4 afficere, transferantur verba « legitimis ... non violatis » ad pag. 7, lin. 29 hoc modo:

« His igitur communitatibus, *dummodo* legitim*ae* exigent*iae* ordinis publici non viol*entur,* iure... ». [49]

17 — Pag. 8, lin. 7, post « testanda » addatur « super ius naturae fundati » (2 Patres).

R. — Hic est sensus textus. Additio non videtur necessaria.

18 — Pag. 8, linn. 7-8, proponuntur diversae formulae pro verbis « legitimis ... violatis » vel « dignitate et libertate religiosa aliorum semper salva et morali ordine communique omnium utilitate servatis » (3 Patres), vel « exigentiis boni communis servatis », vel « exigentiis ... et verae religionis non violatis » (1 Pater). Post « exigentiis » addatur « iusti » (1 Pater).

R. — Accipitur hoc modo « *iustae* exigent*iae* ordinis publici ». Praeterea additur nunc post lin. 14 « *Talis modus agendi ut abusus iuris proprii et laesio iuris aliorum considerari debet* ». Sic etiam providetur desideriis Patrum qui locutionem clariorem de proselytismo rogant. Ceterum de limitibus agit n. 7.

19 — Pag. 8, linn. 12-14, expungantur verba « praesertim ... agitur » (2 Patres).

R. — Phrasis videtur sufficienter prudens et agit praecise de mediis inhonestis.

20 — Pag. 8, linn. 12-14, postulatur additio circa educationem.

R. — Providetur infra, in n. 5, ubi de familia agitur.

21 — Pag. 8, lin. 14, in fine addatur « Nemini ergo ius agnoscitur suadendi christifideles ut viam salutis deserant ».

R. — Additio non est necessaria, quia res patet.

22 — Pag. 8, lin. 14, in fine addatur « Pastores autem animarum diligenter pervigilent ne fideles in errorem inducantur neque eorum fidei thesaurus laedatur ».

R. — Additio non est necessaria, nam res evidens est.

23 — Pag. 8, linn. 15-25 deleantur, nam praetextum praebere possunt ad actionem politicam sub specie religionis, vel ad eversionem fidei catholicae (5 Patres).

R. — Est de natura ipsius religionis ut totam vitam informet. Ad secundam rationem, cf. additionem supra introductam (Mod. 18). Scribitur tamen nunc « ... communitates religiosae *non prohibeantur* libere ostendere ... » (lin. 16), ut magis servetur linea documenti quod fundatur in immunitate a coactione. [50]

24 — Pag. 8, lin. 17, pro « ostendere » scribatur « contribuere » (2 Patres). Post « ostendere » addatur « illam, quam habeant » (1 Pater).

[50] R. — Ad primam propositionem: cautius adhibetur verbum « ostendere » quod pertinet ad ambitum idearum. Ad secundam: nemo ostendere potest quod non habet.

25 — Pag. 8, linn. 19-21, scribatur « Tandem a libertate religiosa requiritur ut homines... » (44 Patres). Vel scribatur « Tandem homines suo ... » (2 Patres). Vel « Tandem a libertate religiosa exposcitur ut homines ... » (1 Pater).

R. — Cum hae propositiones verbum « ius » excludant; non possunt admitti quia substantiae textus approbati contrariae.

26 — Pag. 8, lin. 21, loco « suo ipsorum sensu religioso » scribatur « sua ipsorum conscientia ».

R. — Sensus religiosus non exhibetur ut fundamentum ut putat proponens. Insuper cautius est hic non loqui de conscientia.

27 — Pag. 8, linn. 19-24 deleantur, cum supponant proselytismum acatholicorum inter catholicos.

R. — Textus non iudicat de conditionibus concretis. Principia generalia de proselytismo enuntiantur supra, in lin.8 et ss.; cf. etiam textum additum post lin. 14. Cf. resp. ad Modos supra sub n. 18 recensitos.

28 — Pag. 8, lin. 24, in fine addatur « pro suis asseclis » vel « membris ».

R. — Agitur hic de iure singulorum.

AD NUMERUM 5

1 — Pag. 8, lin. 25-41, n. 5 ponatur ante n. 4, quia ius familiae praecedit iuri communitatum.

R. — Servetur ordo schematis, quia obiectum documenti directe respicit ius personarum et communitatum in re religiosa. Ius familiae indirecte tangitur.

[51] 2 — Pag. 8, lin. 28, loco « suam » dicatur « liberorum eorum nondum adultorum ».

R. — Consulto abstrahitur in textu ab hoc intricato problemate.

3 — Pag. 8, lin. 31, post « tradendae » addatur « iuxta propriam eorum religiosam persuasionem ».

R. — Admittitur: « *iuxta suam propriam religiosam persuasionem* ».

4 — Pag. 8, lin. 31, proponitur sat longa additio post lin. 31 circa obligationem parentum praeparandi filios ad fruendam libertatem conscientiae.

R. — Propositio non cadit directe intra scopum documenti. Ceterum formula proposita de « libertate conscientiae » non est conformis doctrinae schematis. [51]

5 — Pag. 8, lin. 32, pro « Insuper » scribatur « *Itaque* », quia agitur de consequentia ex praecedentibus.

R. — Admittitur.

6 — Pag. 8, lin. 35, ante « eis » addatur « sive directe sive indirecte » (7 Patres). Alius Pater idem proponit pro lin. 36. Alius Pater proponit formulam, in qua expresse sermo est de oneribus pecuniariis non imponendis iis qui catholicas scholas pro suis liberis eligunt.

R. — Admittitur post « onera » additio « *sive directe, sive indirecte* ».

7 — Pag. 8, lin. 36, ante verbum « Potestas » addatur « A fortiori». Post « civilis » addatur « exempli gratia ».

R. — Sensus textus evidenter est assertivus, non exclusivus. Cf. tamen emendationem postea inducendam (resp. ad 8).

8 — Pag. 8, linn. 36-37, pro « Potestas ... violat » scribatur « Iura parentum violantur ».

R. — Admittitur, quia expressio est amplior et prudentior. Ratione habita dictorum in n. praecedenti, scribatur « *Praeterea* iura parentum violan*tur,* si ... ».

9 — Pag. 8, lin. 36, post « iura » addatur « naturalia » (45 Patres).

R. — Additio non est necessaria, nam si de iure positivo sermo esset, phrasis contradictionem ostenderet.

10 — Pag. 8, lin. 37, post « frequentandas » addatur « *scholas vel* » (2 Patres). [52]

R. — Verba « lectiones scholares » sunt ampla, sufficiunt pro scopo huius Declarationis. Ceterum de educatione christiana iam aliud documentum promulgatum est, ubi fusius de hac re agitur.

11 — Pag. 8, lin. 41, in fine adiungantur haec verba « vel si libertatem electionis diminuit oneribus pecuniariis ».

R. — Provisum supra in resp. ad Mod. 6.

12 — Pag. 8, lin. 41, in fine addatur « Insuper, iura familiae in educatione religiosa filiorum per adiutorium societatis fovenda sunt, atque a civili potestate sunt protegenda contra eos qui istud educationis opus perturbant, in ipsum absque iure se ingerentes » (2 Patres).

R. — Huic propositioni providetur quoad sensum verbis generalioribus, in textu emendato post expensionem Modorum ultimae paragraphi n. 3. Ceterum cf. supra resp. ad Mod. 10.

[52] 13 — Pag. 8, lin. 41, in fine addatur: « De cetero et ipsi liberi libertate in re religiosa fundamentaliter dotantur, cuius eorum parentes tutores naturales sunt, usque dum rationabiliter liberi ea uti possint » (1 Pater). Alius Pater fere idem proponit: « ... liberi iure naturali ad institutionem religiosam fundamentaliter ... ».

R. — Cf. supra responsum ad Mod. 2.

14 — 2 Patres rogant ut ad calcem in n. 5 addatur nota « (8) Cf. Declarationem de Educatione christiana, n. 5 ».

R. — Generaliter non est mos Concilii seipsum citare.

AD NUMERUM 6

1 — Pag. 9, linn. 1-6, in initio huius paragraphi indicetur novus conceptus boni communis verbis desumptis ex Litt. Encycl. *Pacem in terris* (*A.A.S.*, 55 [1963], p. 273) (3 Patres).

R. — Scribitur nunc secundum propositionem Patrum, addita descriptione boni communis prout invenitur in Litt. Encycl. *Mater et Magistra* et *Pacem in Terris* (cf. *A.A.S.*, 53 [1961], p. 417 et *A.A.S.*, 55 [1963], p. 273): « *Cum societatis commune bonum quod est summa eorum vitae socialis conditionum quibus homines suam ipsorum perfectionem possent plenius atque expedi-*
[53] *tius consequi, maxime in humanae personae servatis iuribus et officiis consistat,* cura iuris ad libertatem religiosam tum ad cives tum ad coetus sociales tum ad Ecclesiam aliasque communitates religiosas spectat, modo unicuique proprio, *pro eorum erga bonum commune officio.* Inviolabilia hominis iura ... ».

2 — Pag. 9, lin. 3, post verba « coetus sociales » addatur « *tum ad potestates civiles* » (4 Patres).

R. — Modus accipitur.

3 — Pag. 9, lin. 3, post verbum « Ecclesiam » addatur « Catholicam ».

R. — Additio non videtur necessaria. Ex contextu patet quod agitur de Ecclesia Catholica.

4 — Pag. 9, lin. 3, loco « tum ad Ecclesiam » dicatur « et potissima de causa ad Ecclesiam ».

R. — Non videtur necessarium.

5 — Pag. 9, linn. 3-4, post verba « ad Ecclesiam » addatur aut « tum, salvis iuribus veritatis et iustitiae » aut « tum, intra limites debitos » aut verba similia (2 Patres).

R. — Haec additio ad hunc textum non pertinet, sed aliis locis sermo fit de servandis exigentiis veritatis et iustitiae.

6 — Pag. 9, linn. 3-4, deleantur verba « tum ad Ecclesiam aliasque communitates religiosas ». [53]

R. — Cura libertatis civilis et socialis, inquantum spectat rem religiosam, pertinet etiam ad Ecclesiam.

7 — Pag. 9, linn. 6-8, deleatur tota phrasis (47 Patres).

R. — Haec affirmatio ad ipsam substantiam schematis pertinet.

8 — Pag. 9, linn. 6-7, loco « ac promovere » dicatur « eiusque dignitatem colere et fovere ».

R. — Additio non est necessaria.

9 — Pag. 9, linn. 8-17, proponitur haec inversio in phrasi: « Debet igitur potestas civilis per iustas leges et per alia media apta propitias suppeditare condiciones ad vitam religiosam fovendam, ut cives ... erga Deum Eiusque sanctam voluntatem, et efficaciter suscipere tutelam libertatis religiosae omnium civium ».

R. — Inversio phraseos non videtur necessaria ad sensum intelligendum.

10 — Pag. 9, linn. 8-9, loco « Debet igitur potestas civilis » dicatur « Debet quaelibet potestas » (47 Patres). [54]

R. — Mutatio non videtur necessaria.

11 — Pag. 9, linn. 8-10: Unus Pater movet *a*) difficultatem contra vocem « debet », quo imponi videretur potestati civili nova obligatio a Concilio, et petit *b*) substitui obligationem directe suscipiendi tutelam libertatis religionis falsae principio merae tolerantiae.

R. — *a*) Vox « debet » est declarativa officii Status et nihil novi imponit.

b) Textus approbatus non est substantialiter restringendus.

12 — Pag. 9, lin. 9, post verbum « civilis » addatur « reiecto quovis laicismo atheistico et agnostico ».

R. — Additio videtur superflua in hoc contextu; cf. supra expensionem Mod. pro n. 3, resp. ad 40.

13 — Pag. 9, lin. 9, post verba « media apta » addatur « et iusta ».

R. — Additio videtur superflua post verba « per iustas leges ».

14 — Pag. 9, linn. 13-17, omnia deleantur (2 Patres).

R. — Hae lineae pertinent ad explicationem ipsius substantiae textus approbati.

15 — Pag. 9, linn. 13-14, phrasis ita mutetur: « cives revera suae cuiusque religionis officia adimplere valeant » (47 Patres).

R. — Textus prout iacet sufficienter hanc determinationem exprimit.

[54] 16 — Pag. 9, lin. 14, post verbum « societas » addatur « etiam aliquando per publicam observantiam religiosam ».

R. — Haec determinatio videtur nimis particularis in hac phrasi; sufficienter providetur in linn. 20-25 huius pag.

17 — Pag. 9, lin. 15, loco « fruatur bonis iustitiae et pacis quae ... » dicatur « fruatur, in iustitia et pace, bonis quae ... ».

R. — Non videtur adesse ratio sufficiens mutandi textum.

18 — Pag. 9, linn. 20-25, deleatur totum incisum (3 Patres).

R. — Incisum pertinet ad substantiam textus approbati.

[55] 19 — Pag. 9, linn. 20-25, in textu attendantur praeprimis Concordata vel Modi Vivendi qui nunc in vigore sint (22 Patres). Unus ex iisdem Patribus post verbum « observetur » (lin. 25) addere vult « quin Romani Pontificis iura stabiliendi conventiones cum Statibus vel publicis auctoritatibus laedantur ».

R. — Textus non est contra Concordata, immo expresse loquitur de speciali civili agnitione.

20 — Pag. 9, linn. 20-25, tollatur forma phrasis hypothetica (« Si ... »), ubi agitur de speciali agnitione alicui religioni tributa (28 Patres).

R. — Forma hypothetica iuxta desiderium multorum Patrum introducta est; cf. relationem ad textum recognitum pag. 28 et 77.

Forma hypothetica retinenda est secundum textum approbatum, cum nihil deroget situationi de facto existenti.

21 — Pag. 9, linn. 20-25, loco « tribuitur » (lin. 23) dicatur « tribui potest », et loco « necesse est » (eadem lin.) dicatur « ita tamen ut simul » (7 Patres). Unus ex iisdem Patribus etiam proponit post « tribui potest » additionem verborum « et nonnunquam tribui oporteret ».

R. — Textus approbatus non est debilitandus.

22 — Pag. 9, linn. 20-25, proponitur mutatio ordinis commatis: « Necesse est ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et observetur, si attentis populorum circumstantiis ... ordinatione tribuatur » (10 Patres).

R. — Mutatio ordinis nihil substantiale addit, dum minus harmonice cum contextu totius numeri componitur.

23 — Pag. 9, linn. 20-25, loco « si attentis » dicatur « etiamsi attentis » et loco « ordinatione tribuitur » dicatur « ordinatione adhuc tribuatur » (3 Patres).

R. — Textus approbatus non est debilitandus.

24 — Pag. 9, linn. 20-21, deleatur « attentis populorum circumstantiis historicis » (1 Pater). Omittatur solummodo « historicis » (3 Patres). Loco « historicis » dicatur « peculiaribus », vel aliud simile (1 Pater). [55]

R. — Accipitur hoc modo, ut vox « historicis » substituatur voce « *peculiaribus* ».

25 — Pag. 9, linn. 20-24, proponitur haec mutatio textus: « Si attentis populorum circumstantiis historicis, potiores partes una communitas religiosa in ordinanda societate ostenderit vel habere possit, ei specialis civilis agnitio in iuridica ordinatione civitatis tribuenda est, ita tamen ut simul omnibus civibus ... ». [56]

R. — Determinatio est nimis particularis.

26 — Pag. 9, lin. 21, loco « specialis » dicatur « particularis ».

R. — Non videtur necessarium.

27 — Pag. 9, lin. 23. Unus Pater petit ut loco « necesse est » dicatur « bonum commune etiam exigit ».

R. — Non est intrandum in rationes huius necessitatis.

28 — Pag. 9, lin. 24. Duo Patres proponunt ut loco « ius » dicatur « plenum ius ».

R. — Additio non est necessaria.

29 — Pag. 9, lin. 24, post verbum « ius » addatur « civile ».

R. — Non potest admitti, cf. resp. ad Mod. Gen. 2 ad Mod. circa titulum 2, a.

30 — Pag. 9, linn. 24-25, loco « ius ad libertatem » dicatur « iusta eorum libertas » et addatur post « observetur » sequens ratio: « Licet enim ad potestates publicas de vera religione discernere non pertinet, cum tamen homines rite exculti et rectores civitatis ad ipsam cognoscendam pervenire valeant, potestas civilis potest ut veram aliquam religionem agnoscere, ipsamque publice profiteri ac fovere » (2 Patres).

R. — Ratio quae forsan non accipitur ab omnibus in textum approbatum non est introducenda.

31 — Pag. 9, lin. 25, in fine addatur « prout suadeant circumstantiae temporum, locorum et personarum ».

R. — Libertas religiosa est ius personae humanae qua talis.

32 — Pag. 9, lin. 25, post verbum « observetur » addantur verba relationis: « Hac autem sua iuridica humana immunitate homo uti debet modo honesto, i. e. exigentiis legis moralis obiective con-

[54] 16 — Pag. 9, lin. 14, post verbum « societas » addatur « etiam aliquando per publicam observantiam religiosam ».

R. — Haec determinatio videtur nimis particularis in hac phrasi; sufficienter providetur in linn. 20-25 huius pag.

17 — Pag. 9, lin. 15, loco « fruatur bonis iustitiae et pacis quae ... » dicatur « fruatur, in iustitia et pace, bonis quae ... ».

R. — Non videtur adesse ratio sufficiens mutandi textum.

18 — Pag. 9, linn. 20-25, deleatur totum incisum (3 Patres).

R. — Incisum pertinet ad substantiam textus approbati.

[55] 19 — Pag. 9, linn. 20-25, in textu attendantur praeprimis Concordata vel Modi Vivendi qui nunc in vigore sint (22 Patres). Unus ex iisdem Patribus post verbum « observetur » (lin. 25) addere vult « quin Romani Pontificis iura stabiliendi conventiones cum Statibus vel publicis auctoritatibus laedantur ».

R. — Textus non est contra Concordata, immo expresse loquitur de speciali civili agnitione.

20 — Pag. 9, linn. 20-25, tollatur forma phrasis hypothetica (« Si ... »), ubi agitur de speciali agnitione alicui religioni tributa (28 Patres).

R. — Forma hypothetica iuxta desiderium multorum Patrum introducta est; cf. relationem ad textum recognitum pag. 28 et 77.

Forma hypothetica retinenda est secundum textum approbatum, cum nihil deroget situationi de facto existenti.

21 — Pag. 9, linn. 20-25, loco « tribuitur » (lin. 23) dicatur « tribui potest », et loco « necesse est » (eadem lin.) dicatur « ita tamen ut simul » (7 Patres). Unus ex iisdem Patribus etiam proponit post « tribui potest » additionem verborum « et nonnunquam tribui oporteret ».

R. — Textus approbatus non est debilitandus.

22 — Pag. 9, linn. 20-25, proponitur mutatio ordinis commatis: « Necesse est ut simul omnibus civibus et communitatibus religiosis ius ad libertatem in re religiosa agnoscatur et observetur, si attentis populorum circumstantiis ... ordinatione tribuatur » (10 Patres).

R. — Mutatio ordinis nihil substantiale addit, dum minus harmonice cum contextu totius numeri componitur.

23 — Pag. 9, linn. 20-25, loco « si attentis » dicatur « etiamsi attentis » et loco « ordinatione tribuitur » dicatur « ordinatione adhuc tribuatur » (3 Patres).

R. — Textus approbatus non est debilitandus.

24 — Pag. 9, linn. 20-21, deleatur « attentis populorum circumstantiis historicis » (1 Pater). Omittatur solummodo « historicis » (3 Patres). Loco « historicis » dicatur « peculiaribus », vel aliud simile (1 Pater). [55]

R. — Accipitur hoc modo, ut vox « historicis » substituatur voce « *peculiaribus* ».

25 — Pag. 9, linn. 20-24, proponitur haec mutatio textus: « Si attentis populorum circumstantiis historicis, potiores partes una communitas religiosa in ordinanda societate ostenderit vel habere possit, ei specialis civilis agnitio in iuridica ordinatione civitatis tribuenda est, ita tamen ut simul omnibus civibus ... ». [56]

R. — Determinatio est nimis particularis.

26 — Pag. 9, lin. 21, loco « specialis » dicatur « particularis ».

R. — Non videtur necessarium.

27 — Pag. 9, lin. 23. Unus Pater petit ut loco « necesse est » dicatur « bonum commune etiam exigit ».

R. — Non est intrandum in rationes huius necessitatis.

28 — Pag. 9, lin. 24. Duo Patres proponunt ut loco « ius » dicatur « plenum ius ».

R. — Additio non est necessaria.

29 — Pag. 9, lin. 24, post verbum « ius » addatur « civile ».

R. — Non potest admitti, cf. resp. ad Mod. Gen. 2 ad Mod. circa titulum 2, a.

30 — Pag. 9, linn. 24-25, loco « ius ad libertatem » dicatur « iusta eorum libertas » et addatur post « observetur » sequens ratio: « Licet enim ad potestates publicas de vera religione discernere non pertinet, cum tamen homines rite exculti et rectores civitatis ad ipsam cognoscendam pervenire valeant, potestas civilis potest ut veram aliquam religionem agnoscere, ipsamque publice profiteri ac fovere » (2 Patres).

R. — Ratio quae forsan non accipitur ab omnibus in textum approbatum non est introducenda.

31 — Pag. 9, lin. 25, in fine addatur « prout suadeant circumstantiae temporum, locorum et personarum ».

R. — Libertas religiosa est ius personae humanae qua talis.

32 — Pag. 9, lin. 25, post verbum « observetur » addantur verba relationis: « Hac autem sua iuridica humana immunitate homo uti debet modo honesto, i. e. exigentiis legis moralis obiective con-

[56] formi et servatis normis iuridicis quas postulant necessitates ordinis publici ».

[57] R. — Hoc explicite dicitur ubi agitur de limitibus libertatis religiosae, sub n. 7.

33 — Pag. 9, linn. 28-31, hoc incisum aut supprimatur aut in finem n. 3 transferatur.

R. — Haec periodus pertinet ad explicationem substantiae textus approbati et cum contextu n. 3 harmonice componi nequit.

34 — Pag. 9, lin. 29, post verbum « iuridica » addatur « ad ius civile positivum libertatis quod attinet » (49 Patres).

R. — Additio restrictiva debilitaret textum approbatum; cf. resp. ad Mod. Gen. 2 et ad Mod. circa titulum 2, a.

35 — Pag. 9, lin. 29, post verbum « iuridica » addatur « *quae ipsa ad commune societatis bonum pertinet* » (3 Patres).

R. — Modus accipitur.

36 — Pag. 9, lin. 30, post verbum « occulte » addatur « sive per se sive per alios ».

R. — Determinatio hic nimis particularis est. Provisum est in n. 2.

37 — Pag. 9, linn. 30-31: Plures Patres proponunt additionem unius alteriusve verbi ad in tuto ponendum rationale exercitium huius iuris potestatis publicae. Loco « laedatur propter rationes religiosas » dicatur « iniuste laedatur propter solas rationes religiosas » (218 Patres) vel « unice » (1 Pater), vel « mere religiosas » (1 Pater).

R. — Additio non est necessaria: textus non respicit nisi rationes religiosas et nihil de aliis rationibus dicere intendit ne quidem indirecte. Ceterum periculosum esset agnoscere ius ad laedendam aequalitatem iuridicam, quod contra ipsam Ecclesiam verti posset.

38 — Pag. 9, linn. 30-31, post « occulte » dicatur « iniuste » et post « inter eos » « illegitima », aut « iniusta ».

R. — Non sunt necessariae additiones: non reddunt textum magis stringentem, et vox « discriminatio » sensum peiorativum iam habet.

39 — Pag. 9, lin. 31, post verbum « fiat » addatur « nisi agatur de activitatibus ex quibus ipsa religio catholica laedi possit » (5 Patres).

R. — Non pertinet ad contextum, quia alibi de limitibus sermo fit.

[58] 40 — Pag. 9, lin. 31, omittatur « necnon inter eos discriminatio fiat ».

R. — Haec omissio debilitaret textum approbatum.

41 — Pag. 9, lin. 31, loco « neque » dicatur « *neve* ». [58]
R. — Admittitur Modus.

42 — Pag. 9, lin. 31, post « fiat » addatur « quod etiam in Concordatis perficiendis et reformandis sedulo est attendendum ».
R. — Hic tantum principium generale et universale enuntiatur.

43 — Pag. 9, lin. 32, loco « publicae » dicatur « civili ».
R. — Mutatio in hoc contextu non videtur necessaria.

44 — Pag. 9, lin. 33, post verbum « media » addatur « conscientiam coercitiva ».
R. — Verbum « imponere » in contextu sufficienter coercitionem talem insinuit.

45 — Pag. 9, lin. 35, post verbum « religionis » addatur « vel adimpletionem alicuius praecepti religiosi ».
R. — Determinatio nimis particularis est; includitur in professione religionis.

46 — Pag. 9, lin. 38, verbum « sacra » omittatur.
R. — Vox « sacer » apte innuit momentum horum iurium.

47 — Pag. 10, lin. 1-2, loco « quocumque modo » dicatur « iniuste ».
R. — Mutatio insinuaret vim quandoque iuste adhiberi posse ad religionem delendam; quod nequit admitti.

48 — Pag. 10, lin. 2, deleatur verbum « quamlibet » (2 Patres).
R. — Accipitur Modus.

49 — Pag. 10, lin. 7, omittatur verbum « ius ».
R. — Vox « ius » retinenda est, quia pertinet ad substantiam textus. Agitur, ut patet, de iure negativo, i. e. de immunitate.

AD NUMERUM 7 [59]

1 — Pag. 10, lin 7, post verbum « ius » addatur « civile ».
R. — Textus approbatus non est restringendus. Cf. resp. ad Mod. Gen. 2.

2 — Pag. 10, lin. 9, post « obnoxius est » addatur « Error reiiciendus est, veritas propaganda; in societate observandum est hoc principium, scilicet veritatem iura exclusiva habere, errorem vero nulla ».
R. — Exigentiae veritatis iam pluries sufficienter in textu exprimuntur. Cf. quoque resp. ad Mod. Gen. 2.

3 — Pag. 10, lin. 9, post « obnoxius est » addatur: « Conari autem debent christiani praesertim vero catholici, ut ius naturae, quod

[59] ab ipsis perfectius et firmius agnoscitur, ab omnibus admittatur et revereatur, et actuosa participatione in vita civili et politica obtinere ut legibus civitatis promulgetur et protegatur, etiam, quatenus fieri potest, in rebus quae cum cultu et externa religionis professione connectuntur ».

R. — Haec longior amplificatio non requiritur in hoc contextu, neque admitti potest secundum normas expensionis.

4 — Pag. 10, lin. 10, loco « In societate » dicatur « In omni societate, non exceptis religionis societatibus ».

R. — Agitur formaliter in schemate de libertate religiosa in societate civili tantum.

5 — Pag. 10, lin. 10, loco « In societate » dicatur « *In usu omnium libertatum* » (3 Patres).

R. — Modus accipitur.

6 — Pag. 10, lin. 11, post verbum « principium » deleatur verbum « morale » (2 Patres).

R. — Iustitia obiectiva includitur in principio morali. Ideo vox « moralis » est necessaria.

7 — Pag. 10, lin. 14, post « obligantur » omittantur verba « et in vita sociali praesertim tenentur » (3 Patres).

R. — Modus accipitur.

[60] 8 — Pag. 10, lin. 14, post « sociali » addatur « ex iustitia ».

R. — Textus mutandus supprimitur secundum Modum n. 7.

9 — Pag. 10, lin. 17, post « omnibus » addatur « igitur » (2 Patres).

R. — Haec sententia est explicatio, non vero conclusio.

10 — Pag. 10, lin. 18, post « agendum est » addatur « et sic in lucrum ipsius societatis insuper vertitur iustum exercitium religiosae libertatis ».

R. — Haec consequentia quamvis in se vera non necessario in textu inserenda videtur.

11 — Pag. 10, linn. 19-27, textus (« Praeterea ... obiectivo fundati ») substituatur verbis « Pertinet praecipue ad potestatem civilem huiusmodi principii iuridicae consequentiae in tuto ponere, ideoque protectionem praestare societati contra abusus, qui haberi possint, sub praetextu libertatis religiosae ».

R. — Munus societatis civilis sufficienter et clare exponitur in textu approbato.

12 — Pag. 10, lin. 19, loco « Praeterea societas » dicatur « Omnes cives et communitates societasque » (2 Patres).

R. — Societas concrete sumpta comprehendit omnes cives et communitates. [60]

13 — Pag. 10, lin. 21, post « libertatis religiosae » addatur « inter quos abusus perniciosissimum quaecumque res publica considerabit atheismi et materialismi propagationem quacum verus ordo moralis coexistere nequit ».

R. — Explicatio non est necessaria ubi agitur de principiis.

14 — Pag. 10, lin. 24, omittantur verba « aut uni parti inique favendo ».

R. — Vox « inique » excludit iniustitiam, ideo quando potestas civilis secundum iustitiam distributivam uni parti favet non agit inique. Ceterum haec verba expresse rogata fuerunt.

15 — Pag. 10, linn. 19-37. Plures Patres movent difficultatem cum notione ordinis publici. Unus Pater iudicat hanc expressionem periculosam et non sufficientem ad propositum huius paragraphi. Unus Pater postulat ut substituatur notione boni communis. Unus Pater petit ut saltem lin. 30 omittatur « quod est ordo pu- [61]
blicus ». Duo Patres proponunt ut loco « ordinis publici » (lin. 27) dicatur « boni publici ». Duo Patres vellent ut addatur verbum « iustitia », ut constet etiam exigentiae iustitiae commutativae una cum exigentiis ordinis publici exprimi debere (lin. 26). Unus Pater petit ut stabiliantur natura et exigentiae boni communis ut clarius appareret principium morale quod totum n. 7 illustrare deberet.

Quattuor Patres proponunt novum textum praetermittendo notionem ordinis publici quia in praxi omnem religionem adversantium maximis iniustitiis ansam praeberet. Qui textus definitionem seu descriptionem boni communis continet et simul applicationem ad eam partem boni communis qui in textu approbato ordo publicus nominatur. Ideo loco textus pag. 10, linn. 25-37. scribatur:

« ... sed secundum normas iuridicas quas postulant exigentiae boni communis. Inter alias res, hoc bonum commune, requirit efficacem iurium tutelam pro omnibus civibus eorumque pacificam compositionem, sufficientem curam istius honestae pacis publicae, quae est ordinata conviventia in vera iustitia, et debitam custodiam publicae moralitatis. Ceterum numquam obliviscendum est exercitium libertatis religiosae limitari non licere nisi in quantum graviter et manifeste contradicit fini societatis, seu ipsi bono communi. Quod bonum commune definiri non potest nisi in

[61] relatione ad personam humanam: complectitur summam earum vitae socialis condicionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possent plenius atque perfectius consequi (*). Inde sequitur exercitium libertatis religiosae in societate a coercitiva interventione potestatis civilis immune esse, nisi in quantum hoc exercitium graviter et manifeste noceret dignitati personae humanae aut legi morali ».

R. — De bono communi in tota sua amplitudine loquitur in textu mutato n. 6 ubi agitur de bono societatis promovendo. Ibi intellegitur bonum commune expressis verbis secundum descriptionem factam a Papa Ioanne XXIII in Litt. Encycl. *Mater et Magistra* et *Pacem in terris* (cf. n. 6, lin. 1 ss.).

Ubicumque apparet expressio « bonum commune » intelligenda est in sensu a S. P. Ioanne XXIII adhibito.

Quantum ad expressionem « ordo publicus » sequentia sunt notanda:

[62] *a*) « Ordo publicus » est notio sat divulgata in Constitutionibus Nationum et in documentis internationalibus. Est expressio vere technica in iure publico hodierno.

b) Propter hanc rationem, nullo modo est negligenda sed e contrario cum accurata praecisione describenda et praecipue in relatione cum notione boni communis prout in hac declaratione (iuxta S. P. Ioannem XXIII) nunc clare apparet.

c) Certo certius gubernia possunt notione ordinis publici abuti eamque a proprio sensu detorquere. Sed nullo modo est novum. Idem enim factum est 30 annos abhinc ab aliquo gubernio totalitario circa notionem boni communis. Ex hoc patet quemvis terminum periculo detorsionis obnoxium esse et proinde necessitatem alicuius definitionis vel descriptionis praecisae terminorum urgeri. Nihil aliud in textu declarationis fecimus.

Hisce consideratis, modi quoad eorum essentiam, accipiuntur prout apparet in textu sequenti:

« Praeterea *cum* societas civilis ius habet sese protegendi contra abusus, qui haberi possint sub praetextu libertatis religiosae, praecipue ad potestatem civilem pertinet huiusmodi protectionem praestare; *quod* tamen *fieri debet* non modo arbitrario aut uni parti inique favendo, sed secundum normas iuridicas ( ) ordin*i*

(*) IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 1961, p. 417; *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 1963, p. 273.

morali obiectivo *conformes,* ( ) quae postulantur *ab* efficac*i* iurium tutel*a* pro omnibus civibus eorumque pacific*a* composition*e,* *et a* sufficient*i* cur*a* istius honestate pacis publicae, quae est ordinata conviventia in vera iustitia et *a* debit*a* custodi*a*, publicae moralitatis. *Haec omnia* parte*m* boni communis fundamenta*lem* *constituunt* et *sub ratione* ordinis publici *veniunt.* Ceterum servanda est integrae libertatis consuetudo in societate, secundum quam libertas debet quam maxime homini agnosci, nec restringenda est nisi quando et prout necessarium ». [62]

16 — Pag. 10, linn. 33-37, omittatur tota phrasis, et lin. 41 post verbum « necessarium » addatur: « Sed cum bonum commune uniuscuiusque nationis cum bono communi totius familiae populorum sit connexum, oportet etiam ut potestas publica in illo existimanda rationem ipsius connexionis cum toto ordine internationali habeat ».

R. — Textus propositus est omnino bonus; non autem videtur hic inserendum ubi de limitibus libertatis religiosae agitur. Aliunde haec idea iam sufficienter exprimitur (in n. 15).

17 — Pag. 10, linn. 36-37, loco « reprimendi » dicatur « merito reprimantur » vel « merito reprimi possint ».

R. — Textus secundum Modum 15 iam mutatus est.

18 — Pag. 10, linn. 37-41, tota phrasis omittatur. [63]

R. — Textus retinendus est. Eadem inspiratio invenitur in Litt. Encycl. Papae Ioannis XXIII *Pacem in terris* (*A.A.S.,* 1963, p. 226): « Ordo autem, qui in hominum consortione viget, totus incorporali est natura; siquidem in veritate idem nititur, secundum iustitiae praecepta ad effectum perducendus est, mutuo amore animari perficique poscit, postremo, libertate integra, ad aequabilitatem cotidie humaniorem est componendus ».

AD NUMERUM 8

1 — Pag. 11, linn. 1-26, clarius ponatur vitandum esse falsam interpretationem libertatis religiosae, indifferentismum et relativismum religiosum. Inculcari debeat obligatio quaerendi unicam veram religionem et in ea manendi.

R. — Quod hic postulatur iam alibi clare dicitur in schemate: cf. n. 1 textus.

2 — Pag. 11, lin. 7, post « parvi faciant » addatur: « aut indifferentismo religioso indulgeant ».

[63] R. — Hic agitur de harmonica compositione spiritus libertatis cum spiritu oboedientiae.

3 — Pag. 11, linn. 16-17, post verbum « auctoritati » addatur « etiam propter conscientiam (*Rom.* 13, 4) ».

R. — Provisum est in n. 11.

4 — Pag. 11, lin. 20, post « disponant » dicatur « qui discant firmitatem propriae convictionis religiosae coniungere cum honorem personae aliam religionem profitendi debito ».

R. — Determinatio in se bona, sed nimis particularis.

5 — Pag. 11, lin. 21, loco « persequi » dicatur « sequi ».

R. — Accipitur Modus, sed dicatur melius « *pro*sequi ».

6 — Pag. 11, lin. 23, post verbum « libertas » addatur verbum « etiam ».

R. — Modus accipitur.

[64]

Pars II

Exitus suffragationum die 27 octobris 1965 factarum de numeris 9-15

Suffragatio septima, de num. 9-10

Praesentes votantes	2.238
Placet	2.087
Non placet	146
Vota nulla	5

Suffragatio octava, de num. 11-12

Praesentes votantes	2.238
Placet	1.979
Non placet	254
Vota nulla	5

Suffragatio nona, de num. 13-15

Praesentes votantes	2.239
Placet	2.107
Non placet	127
Vota nulla	5

Suffragatio decima, de num. 9-12 simul sumptis [64]

Praesentes votantes	2.236
Placet	1.751
Non placet	60
Placet iuxta modum	417
Vota nulla	8

Suffragatio undecima, de num. 13-15 simul sumptis

Praesentes votantes	2.202
Placet	1.843
Non placet	47
Placet iuxta modum	307
Vota nulla	5

Pars II ergo integra cum omnibus suis partibus a Congregatione Generali approbata est.

De examine Modorum cf. dicta in pag. 26.

MODI GENERALES A N. 9 AD N. 12 (PAG. 11-15) [65]

7 Patres postulant integram omissionem horum quattuor numerorum. Nam argumentum de Revelatione desumptum non tangit homines qui Revelationem non accipiunt (unus Pater). Declaratio, secundum titulum suum, tantum e iure et ordine civili et sociali rationes sumere potest (6 Patres).

R. — Hi numeri omitti non possunt, quia a Concilio recepti sunt. Etiamsi homines Revelationem non accipiunt, Ecclesia ius et officium habet hanc Revelationem semper declarandi.

AD NUMERUM 9

1 — Pag. 11, linn. 28-33, loco phraseos « Quae ... experientiam » dicatur « Quae ... in dignitate naturali et supernaturali personae nobis in Revelatione plene manifestata et cuius exigentiae ... experientiam ». Integer numerus ad haec reduci debet.

R. — Finis huius numeri necessarius est ad integrum argumentum.

2 — Pag. 11, linn. 28-33, loco phraseos « Quae ... experientiam » scribatur: « Exigentiae iuris hominis ad libertatem religiosam in

[65] dignitate personae fundati rationi humanae plenius innotuerunt per saeculorum experientiam ».

R. — Intentio principalis textus non est de exigentiis.

3 — Pag. 11, lin. 28, post « de iure » addatur « civili » (205 Patres).

R. — Non est ius civile, sed ius fundatum in dignitate personae. Cf. resp. ad Mod. Gen. 2 et ad Mod. circa titulum 2, a.

4 — Pag. 11, linn. 30-31, loco « fundamentum habent in dignitate personae » dicatur « fundamentum habent in exigentiis boni communis » (unus Pater); « plane congruunt cum dignitate personae » (unus Pater).

R. — Hoc contrarium est Declarationis sensui.

5 — Pag. 11, lin. 31, post « personae » addatur: « intime connexa cum bono communi societatis ».

R. — Iam provisum est supra, nn. 6 et 7.

[66] 6 — Pag. 11, lin. 35, post « servanda est » addatur: « Libertas haec naturalis ad libertatem religionis Christi ordinetur quae est finis omnis intentionis animi humani ad veritatem ».

R. — Haec additio multis ambiguitatibus laborat et mutaret sententiae intentionem.

7 — Pag. 11, lin. 37, post verbum « coercitione » addatur « ex parte auctoritatis civilis ».

R. — Sunt etiam aliae causae coercitionis: cf. pag. 4, linn. 24-25.

8 — Pag. 11, lin. 35 ad pag. 12, lin. 1, « quamvis ... tamen » deleantur.

R. — Haec sententia essentialis est in argumento.

9 — Pag. 12, linn. 9-11, pro phrasi « Praesertim ... congrua » reassumatur textus reemendatus circa Ecclesiae libertatem in sua divina missione exsequenda.

R. — De re proposita agitur in n. 3 textus.

AD NUMERUM 10

Modus generalis:

Libertas actus fidei non pertinet ad rem et confusionem inducit; nam implicat immunitatem a coactione interna, dum libertas religiosa dicit immunitatem a coactione externa et quidem ex parte auctoritatis civilis, et maxime (3 Patres).

R. — Libertas religiosa in n. 10 consideratur ut conditio externa fidei

actus libertatis, ut consona indoli fidei, sicut dicitur lin. 24 ss. Insuper actus fidei non est mere relatio ad Deum. [66]

1 — Pag. 12, linn. 15-16 et 17-18, loco « voluntarie » scribatur « libere » (2 Patres).

R. — E contextu nulla adest ambiguitas. Vox « voluntarius, voluntarie » sumitur ex Conciliis Trid. et Vat. I (Denz. 797 et 1814) et ex schemate Constitutionis De Divina Revelatione, n. 5, Conc. Vat. II.

2 — Pag. 12, lin. 22, loco « Pater traxerit eum, et homo » dicatur « *Patre eum trahente* ».

R. — Modus accipitur: nam, quamvis sine hac tractione homo adhaerere Deo revelanti non possit, haec tractio non est ratio voluntarietatis actus fidei.

3 — Pag. 12, linn. 22-26, loco « et homo rationabile liberumque ... fidei obsequium. Indoli ... religiosa, quodvis genus coercitionis ex parte hominum excludatur » dicatur: « ... et ipse homo rationabilem liberamque ... fidei oboedientiam. Indoli ... religiosa, unusquisque quavis iniusta coactione immunis, suae conscientiae dictamen sequatur ». [67]

R. — Non adest necessitas prioris phraseos verba mutandi. Altera phrasis proposita ambiguitatem gignere potest: nam in hoc n. 10 agitur de ingressu ad fidem et non directe de exercitio. Insuper coactio erga adultos et in societate et civitate, in re religiosa, in sensu in prima parte huius Declarationis expresso, de se iniusta est. Poenae ecclesiasticae actum delictuosum sancientes sunt ex coercitiva potestate Ecclesiae erga membra sua, sed non sunt coactio. De limitibus libertatis religiosae n. 7 provisum est.

4 — Pag. 12, lin. 25, post « genus » addatur « iniustae ».

R. — Cf. supra, ad n. 6, Mod. 37 ad 47.

5 — Pag. 12, linn. 26-31, phrasis « Ac proinde ... confitendam » deleatur, nam quod dictum est, verum est ubi Ecclesia libertate non gaudet, non est verum ubi viget, quia hic esset libertas spargendi errores.

R. — Haec phrasis intelligenda est secundum quae dicuntur in prima parte Declarationis, et speciatim n. 4, par. 4. Haec sententia fundamentalis est in argumento.

6 — Pag. 12, lin. 27, post « libertatis » addatur « civilis ».

R. — E contextu non adest ambiguitas, cf. resp. ad Mod. Gen. 2 et ad Mod. circa titulum 2, a.

[67] 7 — Pag. 12, linn. 28-31, loco verborum « fovendum, quo ... confitendam » dicatur « fovendum *in* quo homines expedite possint invitari ad fidem christianam, illam sponte amplec*ti* et in tota vitae ratione actuose confite*ri* » (2 Patres).

R. — Modus accipitur. Nam ille status rerum non est aliquid quo, sed in quo homines non tantum invitari ad fidem, sed etiam illam amplecti et confiteri possunt. Scribatur tamen « ... amplecti *atque eam* in ... ».

[68] AD NUMERUM 11

Modi generales:

1) Tota Scripturae doctrina in hoc numero exposita, quia incomplete, unilateraliter, aliquantulum infantiliter exposita videatur, vel denuo corrigatur vel penitus omittatur (177 Patres).

2) Tres Patres huic iudicio addunt haec: Quod revera auctores schematis debuissent non textus S. Scripturae in favorem libertatis religiosae adducere, sed potius explicare quomodo sua doctrina cum fere toto Vetere Testamento et innumeris in Novo textibus componi potest. Sub diversis formulis eadem sentiunt 17 ceteri Patres.

3) Hic numerus exhibet figuras Christi et Apostolorum maxime falsificatas, quia solummodo textus loquitur de mansuetudine eorum.

4) Hi textus S. Scripturae non tractant de iure civili ad libertatem religiosam (3 Patres).

5) Textus continet quidem novas etiam magni momenti citationes ex S. Scriptura, quae tamen inseruntur atque exponuntur, ut per successivam propositionem in sua vi extenuentur ac veluti corrigantur.

6) Unus Pater indicat 5 citationes non pertinentes ad rem: pag. 13, linn. 8. 24-25. 29-33. 42; pag. 14, linn. 28-31.

R. — 1) Quia a Concilii Patribus secundum requisitam maioritatem acceptus est, textus non omittendus est. Secundum Modos concretos positivos a Patribus propositos recognitus est.

2) Argumentum contra textum ex Vetere Testamento desumptum non valet; faveamus legere verbi gratia orationem Christi in monte apud *Mt.* 5-7, et legem talionis, odium erga inimicos et alia similia superata esse cognoscemus a caritatis lege, regula aurea: « Omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis » (*Mt.* 7, 12).

Exempla et verba allata contra textum, ex Novo Testamento (et etiam plura ex Vetere Testamento) sumpta, aut vitam religiosae communitatis Israël internam, in qua Iesus et Apostoli vixerunt, aut vitam intra-ecclesialem primaevae communitatis christianae spectant. De qua vita non agitur in Declaratione. [68]

3) Sufficienter provisum est de incredulitatis audientium a Christo exprobratione, pag. 13, linn. 7-15.

4) Declaratio dicit: « radices habet », et n. 9, pag. 11, lin. 33 usque ad pag. 12, lin. 6 hoc explanatur. Notandum est S. Scripturam non ut iuridicum codicem legendam esse.

5) De hoc sententiae diversae esse possunt.

6) Lin. 8, non agitur de citatione ad verbum. [69]

Linn. 24-26, citatio ad rem pertinet, in contextu.

Linn. 29-33, sententia linn. 29-31 remanere debet; sed citatio S. Petri epistolae (linn. 31-33) non est ad rem: nam directe loquitur de constantia in persecutionibus; vide ad Mod. 12.

Lin. 42, non est citatio: textus servandus est.

Pag. 14, linn. 28-31: hoc est necessarium, connexum cum linn. 22-27 et in sensu n. 3 a pag. 6, lin. 22 ad pag. 7, lin. 10.

1 — Pag. 12, lin. 36: ne dicatur Deum habere rationem hominis.

R. — Non adest difficultas in hac locutione.

2 — Pag. 12, linn. 37-38, loco « ab Ipso conditae quae proprio ... debet » dicatur: « ab Ipso ita conditae ut pro ipsa proprio... debe*at* » (2 Patres).

R. — Haec mutatio, de qua non datur ratio, non apparet evidens.

3 — Pag. 12, lin. 38, post verbum « autem » dicatur « *summe* ».

R. — Modus accipitur. Vox « summe » accidentaliter omissa est.

4 — Pag. 13, linn. 3-5, loco « Miraculis ... comprobaret, non » dicatur: « In revelatione Evangelii, utique signa miraculorum cum verbis praedicationis coniunxit, sed eo consilio ut homines ad liberum assensum fidei duceret, non ... » (3 Patres). Eamdem ideam assumunt tres alii Patres.

R. — Modus accipitur, in quantum declarat miracula excitare ad fidem et sic scribatur: « ... auditorum *excitaret atque* comprobaret ... ».

5 — Pag. 13, lin. 7, post « exprobravit » dicatur « quia qui veritatem cognitam non accipit et non sequitur a salute se avertit ».

R. — Haec additio non est necessaria in hoc loco.

6 — Pag. 13, lin. 8: loco « vindictam » scribatur « condemnationem » aut « sortem ».

[69] R. — Vindicta est vox biblica in Novo Testamento adhibita quando agitur de iudicio eorum qui Evangelio non oboediunt. In notula 19 adduntur: *Rom.* 12, 19. 20; *2 Thess.* 1, 8; ex quibus elucet iudicium Dei iam in hoc tempore incipere.

[70] 7 — Pag. 13, lin. 8, post verbum «Deo» deleantur verba «in diem Iudicii» (13 Patres).

R. — Iam initium cepit dies Iudicii, quia ab exaltatione Christi in novissima tempora ingressi sumus.

8 — Pag. 13, linn. 12-15, phrasis «Ipse ... saeculi» omittatur (2 Patres).

R. — Textus verba ipsius Christi solummodo dat, extra exegeticam disputationem. Pius XII, in Alloc. 6-12-1953, in hoc sensu parabola hac utitur.

9 — Pag. 13, lin. 18, post «(*Mc.* 10, 45)» addatur citatio *Mt.* 5, 44-48, collata Lucae 6, 27-36.

R. — Haec citatio non de agendi modo Christi et Apostolorum tractat.

10 — Pag. 13, linn. 24-26, omittatur «Reddite ... Deo», et tantum detur referentia ad *Mt.* 22, 21.

R. — Non adest ratio.

11 — Pag. 13, lin. 27, loco «super crucem» dicatur «*in* cruc*e*».

R. — Modus accipitur, latinitatis causa.

12 — Pag. 13, linn. 31-33, omittatur citatio: «"qui ... comminabatur" (*1 Petr.* 2, 23)».

R. — Modus accipitur: haec enim citatio affirmationem linn. 29-31 non illustrat.

13 — Pag. 13, linn. 34-35, loco «testificando ... veritatem» dicatur «cum fideles audientes veritatem de ea testimonium ferunt».

R. — E contextu patet Regnum non esse subiectum actionis testificandi vel audiendi.

14 — Pag. 13, linn. 36-37, loco «qui manifestatus ... trahit» dicatur «secundum a Domino dictum: si exaltatus a terra omnia traham ad meipsum».

R. — Modus accipitur, cum emendatione: «amore *quo Christus exaltatus* in ...*Se*ipsum trahit», claritatis causa.

15 — Pag. 14, linn. 2-9, omittatur tota phrasis «Fortiter ... oboedire».

R. — Pertinet ad substantiam textus; praeterea *Rom.* 14, 12 non de idolothytis loquitur, sed principium generale exprimit: quod valet hic.

16 — Pag. 14, lin. 5, mutetur vox: «verebantur». [71]
R. — Non adest ambiguitas.

17 — Pag. 14, lin. 9, post «oboedire» proponitur linearum commentarium de praecedenti phrasi.
R. — Hoc textui non affert aliquid utile; additio est contra normas generales.

18 — Pag. 14, linn. 13-16: distinguendum est inter libertatem religiosam et proselytismum erroris qui nullum ius habet.
R. — In illo loco hoc non est ad rem. Iam provisum est n. 4, pag. 8, linn. 5-14.

19 — Pag. 14, lin. 29, post «potestati» addatur «civili».
R. — Hic agitur de potestate publica opposita Dei voluntati. Additio proposita non est necessaria.

AD NUMERUM 12

1 — Integer numerus deleatur et textus reemendatus assumatur (244 Patres). 4 Patres novam redactionem textus proponunt: «Ecclesia igitur evangelicae veritati fidelis, viam Christi et Apostolorum sequens, decursu temporum semper custodivit et tradidit doctrinam neminem esse ad fidem cogendum».
R. — Hoc esset contra normas generales; nam textus a Concilio acceptus est.

2 — Tres Patres animadversiones sequentes faciunt:

1) E textu reemendato assumenda sint aliquot asserta: «Fideles ad maiorem in dies libertatem spiritus instituit... Potestatum saecularium oppressioni restitit» (cf. pag. 14, lin. 40 ad pag. 15, lin. 3).

2) In novo textu nimis premitur auto-confessio.

3) Dicendum esset solummodo nonnullos ex illo Populo Dei secutos esse alias vias spiritui evangelico minus conformes.

4) Si Populus Dei significat Ecclesiam, sententia est iniuria theologica et historica gravissima erga Sponsam Christi.

Sub diversis formulis, 18 Patres eadem dicunt.

8 Patres e contrario fortiorem textum cupiunt, ut magis respondeat veritati historicae.

R. — In textu distinctio clare tenetur inter agendi modum qui defici [72]
potuit in vita Populi Dei et doctrinam quam a Domino et Apostolis Ecclesia custodivit et tradidit. Facta praeterita consideran-

[72] tur, non modo absoluto, sed attentis vicissitudinibus historiae humanae. Admittere facta (et historice in casu denegari non possunt, sicut agnoscunt plures Patres) doctrinam non debilitat.

3 — Pag. 14, linn. 33-38, phrasis « Ecclesia... fovet » omittatur, nam fit illegitimus transitus a libertate actus fidei et mansuetudine Christi (n. 11) ad fundamentum Declarationis quod in dignitate personae humanae residet.

R. — N. 11 agitur non tantum de libertate actus fidei, sed imprimis de modo agendi Christi et Apostolorum, initium textus n. 12 solummodo dicit rationem libertatis religiosae tanquam consonam Dei revelationi.

4 — Pag. 15, lin. 1, loco « Populi Dei », scribatur « Ecclesiae » (4 Patres), quia agitur de institutione et est magni momenti pro dialogo cum non-catholicis.

R. — Idem potest dici de locutione « Populus Dei ».

5 — Pag. 14, lin. 40; pag. 15, lin. 5, tota phrasis « Etsi... cogendum » omittatur, nam opportunius videtur mentem ponere ad futurum quam ad praeteritum.

R. — Utique, sed sinceritas erga praeteritum futurum praeparat.

6 — Pag. 14, lin. 40, ad pag. 15, lin. 5, mutentur, quia culpae aliquorum non possunt adscribi vitae Populi Dei.

R. — Textus hoc non dicit.

7 — Pag. 15, linn. 2-3, loco « peregrinantis... conformis » dicant « et in conditionibus particularibus peregrinantis... agendi, praesenti libertatis rationi non conformis ».

R. — Prima additio nihil addit sensui; phraseos finis mutatio textum debilitat.

8 — Pag. 15, linn. 2-4, loco « peregrinantis... semper » dicatur « peregrinantis, et communibus miseriis obnoxii, interdum... agendi non solum spiritui... sed etiam prorsus contrarius, qui, Deo adiuvante, nunquam reiteraturum iri declaratur, semper » (7 Patres).

R. — Quod vult exprimere haec additio satis indicatur.

[73] 9 — Pag. 15, lin. 4. Omittantur voces « immo contrarius ».

R. — Veritas historica illas exigit.

10 — Pag. 15, linn. 4-5. Historicae veritatis causa, deleantur voces: « semper mansit Ecclesiae doctrina neminem esse ad fidem cogendum ».

R. — Praxis aliquando deficit, sed doctrina mansit.

11 — Pag. 15, lin. 16, loco « a quacumque humana » dicatur « ab iniusta et illegitima ». [73]

R. — Iam pluries responsum est.

12 — Pag. 15, lin. 16, post verbum « coercitione » addatur « quae utrumque cogat ad aliquid faciendum contra suam conscientiam ».

R. — Haec additio ambigua est.

AD NUMERUM 13

1 — In hoc numero (et in toto schemate) efferri deberet responsabilitas hominis quoad fidem et officium Ecclesiae in praedicando Evangelio (2 Patres).

R. — Sufficienter provisum videtur: cf. num. 1, 2, 13, 14.

2 — Pag. 15, lin. 18, loco « bonum ipsius » dicatur « bonum commune ».

R. — Non admittitur, quia libertas religiosa non fundatur in bono communi.

3 — Pag. 15, linn. 21-22, loco « Ecclesiam tanta perfrui » dicatur « *ut* Eccle*sia* tanta perfru*atur* » (7 Patres).

R. — Accipitur, ut idea clarius exprimatur.

4 — Pag. 15, lin. 26, loco « Ecclesiae autem adeo propria est, ut » dicatur « Quapropter ».

R. — Loco « autem » dicitur nunc « *sane* », ut nexus melius appareat et simul insistatur in libertate Ecclesiae.

5 — Pag. 15, lin. 27, post « contra » addatur « positivam » (2 Patres).

R. — Additio distinctiva non videtur necessaria.

6 — Pag. 15, linn. 28-30, *a*) loco « principium fundamentale », dicatur « conditio fundamentalis » (3 Patres); *b*) loco « ordinem civilem » dicatur « Statum ordinemque civilem », vel « ordinem societatemque civilem » (2 Patres). [74]

R. — Ad *a*) Non admittitur, quia agitur de vero principio;

Ad *b*) Admittitur hoc modo « *potestates publicas totumque* ordinem civilem », quia ordo civilis complectitur etiam potestates publicas.

7 — Pag. 15, lin. 32, post « publica » addatur « in iis quae propriae sunt competentiae suae » et lin. 39 omittatur « in societate civili ».

[74] R. — Non apparet ratio sufficiens additionis et omissionis, cum ex contextu satis eluceat, in quibus Ecclesia sibi vindicet libertatem.

8 — Pag. 15, lin. 33, post « spiritualis » addatur « super omnes baptizatos ».
R. — In contextu additio non videtur necessaria.

9 — Pag. 15, lin. 34, post « cui » addatur « uni ».
R. — Satis provisum videtur in n. 1.

10 — Pag. 15, lin. 37, post « Pariter » addatur « eandem » (2 Patres).
R. — Textus sine addito retinetur, ut appareat diversa ratio libertatis quoad originem.

11 — Pag. 15, lin. 38, loco « qui iure gaudent » dicatur, « quae (scil. societas) iure gaudet », et
lin. 39, post « secundum » addatur « propria ».
R. — Formula textus retinetur, ut clare appareat hic alium fontem indicari, ex quo fluit libertas Ecclesiae.

12 — Pag. 16, linn. 1-15, omnia expungantur.
R. — Nequit admitti, quia textus a Concilio approbatus est.

13 — Pag. 16, linn. 1-2, loco « ratio libertatis religiosae » dicatur « ratio libertatis civilis in re religiosa ».
R. — Mutatione proposita textus non videtur clarior reddi, praesertim si consideratur substantia doctrinae Declarationis a Concilio approbata.

[75] 14 — Pag. 16, linn. 6-7, loco « necessariam independentiam in missione divina exsequenda » dicatur ordine verborum inverso « *necessariam in missione divina exsequenda independentiam* » (2 Patres).
R. — Accipitur, rectitudinis grammaticalis causa.

15 — Pag. 16, lin. 9, loco « Christifideles » dicatur « Catholici ».
R. — Expressio non est coarctanda, ne videamur separare alios christianos a catholicis.

16 — Pag. 16, lin. 10, post « homines » addatur « intra debitos limites ».
R. — Non accipitur, quia additio hic non est necessaria. Ceteroquin rationes a proponente adductae ex falso supposito procedunt, in schemate scil. affirmari errorem idem ius habere ac veritatem.

17 — Pag. 16, lin. 11, loco « conscientiam » dicatur « praescripta conscientiae ».

R. — « Conscientiam » retinendum est, cum sit terminus amplior quam « praescripta conscientiae », indicans propriam persuasionem. [75]

18 — Pag. 16, lin. 11, post « iuxta » addatur « rectam » (2 Patres).

R. — Additio non admittitur. Ius hic affirmatum fundatur in obiectiva dignitate personae. Societas nequit iudicare de rectitudine conscientiae. De limitibus libertatis agitur in num. 7.

19 — Pag. 16, lin. 11, post « agenda » addatur « salvo tamen bono communi ».

R. — Additio hic non requiritur, cum praesens enuntiatio evidenter intelligenda sit ad mentem dictorum in num. 7.

20 — Pag. 16, linn. 11-15, omnia deleantur.

R. — Deletio esset contra sensum Declarationis.

21 — Pag. 16, lin. 14, post « ius » addatur « civile » (225 Patres).

R. — Nequit admitti, cum esset contra Declarationem, quae affirmat ius naturale, non tantum civile.

22 — Pag. 16, lin. 15, post « sancienda » addatur « Attamen ut illa concordia magis efficax evadat magisque propitia sit, gubernia civilia, praesertim catholica, regimen concordatarium cum Ecclesia inire non dedignentur ». [76]

R. — Additio non videtur necessaria, quia Declaratio non intendit exponere applicationes particulares principiorum, praesertim si quaestiones complexas secum ferunt.

AD NUMERUM 14

1 — Pag. 16, lin. 17, loco «ut divino obtemperet mandato» dicatur « divino obtemperare volens (cupiens, cupida, satagens, sollicita) mandato ».

R. — Formula proposita potius debilitat id quod formula textus exprimitur.

2 — Pag. 16, linn. 17 et 32, omittatur « Catholica » (2 Patres).

R. — Melius standum videtur textui, qui expressionem in n. 1 adhibitam assumit.

3 — Pag. 16, linn. 29-30, loco « in sua efformanda conscientia diligenter attendere debent ad » dicatur « suam conscientiam efforment iuxta ».

R. — Formula proposita nimis restrictiva apparet. Obligatio fideles obstringens in textu sufficienter exprimitur.

4 — Pag. 16, lin. 33, post « veritatis » addatur « salutaris » (2 Patres).

[76] R. — Additio non videtur necessaria, cum ex contextu eluceat, de quanam veritate agatur.

5 — Pag. 16, lin. 33, post « eiusque » addatur « Magisterii » vel « Pastorum ».

R. — Non apparet ratio sufficiens additionis distinctivae. Est Ecclesia quae authentice docet, utique per Magisterium suum.

6 — Pag. 16, lin. 33, « *V*eritatem » scribatur cum maiuscula V.

R. — Accipitur, quia sequitur « quae Christus est ».

7 — Pag. 16, lin. 34, post « doceat » addatur « erroresque reprobet vel damnet ».

R. — Non apparet ratio sufficiens additionis explicitae, cum res per se intelligatur.

[77] 8 — Pag. 16, lin. 35, post « moralis » addatur « sive supernaturalis sive naturalis ».

R. — Affirmatio proposita, in se vera, hic non quadrat contextui.

9 — Pag. 16, lin. 37, post « confirmet » addatur « Insuper non solum ius, sed etiam officium habet Ecclesia iis qui ei libere subiecti sunt doctrinam suam et disciplinam imponere vi auctoritatis et cum sanctionibus. Haec coactio genuinae libertati minime opponitur, potius favet; ita enim agebat Christus, dum saepe saepius dure reprehendebat, quod non crederent, eos qui debebant veritatem agnoscere: « Qui vero non crediderit condemnabitur » (*Mc.* 16, 16).

R. — Non admittitur, cum hic non agatur de officio, sed de iure Ecclesiae neque de quaestione libertatis in ipsa Ecclesia. Praeterea actio descripta Ecclesiae non est vocanda coactio.

10 — Pag. 16, lin. 41, post « fiducia » intra parentheses ponatur « Cf. *Act.* 4, 29 » (loco Notae 40).

R. — Secundum regulam observatam intra parentheses indicantur tantum illi textus Scripturae, quae inter uncos ad verbum citantur.

11 — Pag. 17, lin. 5, loco « receptae » dicatur « recepti ».

R. — Scribatur: « ... officio verita*tem* ab *Eo* recept*am* ... ».

12 — Pag. 17, lin. 7, ante « evangelicis » addatur « solis » (8 Patres).

R. — Admittitur hoc modo « *exclusis* mediis *spiritui* evangelico *contrariis* », quia adhibenda sunt etiam media in Evangelio non indicata, sed eius spiritui non contraria (v. g. radio, televisio, etc.).

13 — Pag. 17, lin. 9, loco « patienter » dicatur « patienterque ».

R. — Formula textus melius sonat.

14 — Pag. 17, linn. 10-16, tota phrasis « Respiciendum igitur ... profitendam invitatur » deleatur. [77]
R. — Textus a Concilio approbatus est. Problema praedestinationis, quod proponens hic tangi putat, commemoratione diversae gratiae a Deo tributae revera non tangitur.

15 — Pag. 17, lin. 13: « personae humanae iura » ita determinetur, ut ius ad diffundendos errores inter catholicos excludatur.
R. — Ex toto textu schematis satis apparet, de quibus iuribus hic agatur. Nullibi affirmatur ius ad diffundendos errores. Cf. ad Mod. Gen. 2. [78]

AD NUMERUM 15

1 — Pag. 17, lin. 17, omittatur « igitur ».
R. — Non apparet ratio sufficiens omissionis. Verbum « igitur » indicat nexum Conclusionis cum toto textu schematis.

2 — Pag. 17, linn. 17-35, omnia deleantur.
R. — Textus a Concilio approbatus nequit omitti. Non fit, ut proponens praetendit, argumentatio ex Constitutionibus et documentis internationalibus. Horum tamen commemoratio non est omittenda, hac etiam ratione, ut postea (lin. 23 ss.) dici possit ea in praxim esse deducenda. Ceteroquin proponens in argumentatione sua procedit ex theoria tolerantiae, quae cum doctrina schematis non plene concordat.

3 — Pag. 17: *a*) lin. 18, post « homines » addatur « iuste »,
b) lin. 20, loco « libertatem autem religiosam » dicatur « *immo* libertatem religiosam »,
c) lin. 22, post « internationalibus » addatur « *sollemniter* ».
R. — Ad *a*) non apparet ratio sufficiens additionis;
Ad *b*) admittitur, quia aliquid novi adducitur;
Ad *c*) admittitur, cum desumatur ex Litt. Encycl. *Pacem in terris.*

4 — Pag. 17, lin. 20, loco « religiosam » dicatur « in re religiosa ».
R. — Expressio non videtur mutanda, cum eius sensus ex tota Declaratione eluceat.

5 — Pag. 17, lin. 21, post « Constitutionibus » addatur « Nationum ».
R. — Ex contextu evidens esse videtur agi de Constitutionibus nationum, ita ut additio non necessaria appareat.

6 — Pag. 17, lin. 25, post « potestates » addatur « contumeliosa falsae philosophiae praeiudicia, religionem scientiae ac progressui humano contraria esse, civibus imponere nituntur eosque conan-

[78] tur a religione... », ut denuntientur asseclae materialismi dialectici (4 Patres).

[79] R. — Additio non apparet opportuna, quia restringeret denuntiationem hic faciendam ad regimina supprimentia libertatem religiosam ex materialismo dialectico.

7 — Pag. 17, lin. 35, loco « vitae humanae » dicatur « totius consortionis humanae ».

R. — Admittitur hoc modo « ... potissimum *familiae* humanae *condicione* », ut melius exprimatur libertatem religiosam postulari etiam ab exigentiis vitae internationalis.

8 — Pag. 18, linn. 4-6, loco « requiritur ut » dicatur « optandum est ut » et expungatur « ubique ... muniatur atque » (2 Patres).

R. — Talis mutatio, cum essentialiter debilitaret Declarationem, admitti nequit.

9 — Pag. 18, linn. 4-8, textus ita mutetur, ut proselytismus acatholicorum inter catholicos non permittatur.

R. — Textus non permittit proselytismum. Qui ceteroquin verbis pag. 8, linn. 8-14, clare excluditur.

10 — Pag. 18, linn. 5-6, loco « libertas religiosa » dicatur « libertas civilis in re religiosa » et deleatur « iuridica ».

R. — Mutatio proposita non redderet sensum enuntiationis hic intentae. Cf. resp. ad Mod. Gen. 2, et ad Mod. circa titulum 2, a.

11 — Pag. 18, lin. 8, post « ducendam » addatur « Exoptant denique Sacri Concilii Patres, ut peculiaris Secretariatus vel simile Officium Centrale apud Sedem Apostolicam instituatur ad libertatem religiosam in universo mundo convenienter provehendam et, prout res postulat (ab iniquis persecutionibus) efficaciter defendendam » (2 Patres).

R. — Propositio talis, etsi in se bona esse possit, extra competentiam alicuius « Modi » esse videtur.

12 — Pag. 18, in ultima paragrapho invocetur intercessio Beatae Mariae Virginis.

R. — Talis additio in documento praesenti non videtur opportuna.

[80] 13 — Pag. 18, linn. 9-14, conclusio mutetur, quia textus *Rom.* 8, 21 non pertinet ad rem et confusionem parit.

R. — Textus *Rom.* 8, 21 convenienter hic ponitur, quia indicat finem, cui libertas religiosa inservire debet.

14 — Pag. 18, linn. 10-11, loco « libertatis religiosae ratione in societate » dicatur « hac libertate ».

R. — Non apparet ratio sufficiens mutationis, cum formula textus satis clara videatur.

MUTATIONES TEXTUS INTRODUCTAE IUXTA MODOS A PATRIBUS PROPOSITOS ET QUAESITA [81]

(Loca indicantur per referentiam ad columnam dexteram fasciculi pro suffragatione praeparati, id est ad « textum recognitum »).*

AD NUMERUM 1

1) Pag. 3, lin. 7, post « ducti » addatur: « *Itemque postulant iuridicam delimitationem potestatis publicae, ne fines honestae libertatis et personae et associationum nimis circumscribantur* ».

2) Pag. 3, lin. 9, scribatur: « ... quae *liberum in societate* religion*is* *exercitium* spectant ».

3) Pag. 3, linn. 14-15, scribatur: « *ex* quibus nova *semper cum* veteribus *congruentia profert* ».

4) Pag. 3, lin. 16, omittantur verba « et asseverat ».

5) Pag. 3, linn. 17-18, scribatur « ... via*m* ... nota*m* ... qua*m* ... ».

6) Pag. 3, lin. 27 usque ad pag. 4, lin. 2. Scribatur: « Homines *vero* cuncti tene*n*tur veritatem, praesertim in iis quae *Deum Eiusque Ecclesiam* respiciunt, quaerere eamque *co*gnitam amplecti ac servare ». Et omittantur reliqua.

7) Pag. 4, linn. 3 et 4, scribatur « *v*eritatem », « *v*eritatis ».

8) Pag. 4, lin. 5, scribatur « *Porro* quum libertas... ».

9) Pag. 4, linn. 7-8, deleantur verba « et de ... intendit ».

10) Pag. 4, linn. 10-13, omittatur « constat eam » et, inversione verborum facta, scribatur « integram relinqu*it* *traditionalem* doctrinam catholicam de morali hominum *ac societatum* officio erga vera*m* religione*m* et unica*m* Christi Ecclesi*am* ».

11) Pag. 4, linn. 13-14, scribatur: « Insuper, *de hac* libertat*e* *religiosa agens,* Sacra Synodus *recentiorum* Summorum Pontificum... ».

AD NUMERUM 2

1) Pag. 4, lin. 24, scribatur « ... *ex parte* sive singulorum... ».

2) Pag. 4, lin. 30 usque ad pag. 5, lin. 2, phrasis « Hoc ius ... evadat » transferatur ad pag. 5, lin. 5, post « ... cognoscitur ».

3) Pag. 5, linn. 7-8, omittatur « enim » et scribatur « ... homines [82] *cuncti,* ... ».

* [*Cf. vol. IV, pars V, pag. 77*].

[82] 4) Pag. 5, linn. 19-21, scribatur, inversione verborum facta, « Non *ergo* in subiectiva personae dispositione sed in ipsa *eius* natura *ius ad* liberta*tem* religios*am* ... ».

5) Pag. 5, lin. 22, scribatur « ... ad *hanc* immunitatem ... ».

6) Pag. 5, lin. 24, scribatur « ...; *eiusque exercitium impediri nequit* dummodo *iustus* ordo public*us servetur* ». Et omittantur cetera.

AD NUMERUM 3

1) Pag. 6, lin. 3, scribatur « recta *et vera* conscientiae ... ».

2) Pag. 6, linn. 6-8, scribatur « *ope* magisteri*i* seu institution*is*, communication*is* atque dialog*i* ».

3) Pag. 6, linn. 23-24, scribatur « consistit *imprimis* in actibus internis voluntariis ... ».

4) Pag. 6, lin. 29, scribatur « ... externe *exprimat* ».

5) Pag. 6, lin. 30, scribatur « *suam* religionem ».

6) Pag. 6, lin. 35, scribatur « *iusto* ordine publico ».

7) Pag. 7, linn. 7-10, scribatur: « Potestas igitur civilis, *cuius finis proprius est bonum commune temporale curare, religiosam quidem civium vitam agnoscere eique favere debet, sed* limites suos excedere dicenda est si *actus religiosos* dirig*ere* vel impe*dire praesumat* ».

AD NUMERUM 4

1) Pag. 7, linn. 25-27, scribatur « ... competit, etiam *ipsis in communi agentibus* agnoscenda est. *Communitates enim religiosae* a sociali natura ... ».

2) Pag. 7, lin. 29, post « communitatibus » addatur: « *dummodo iustae* exigenti*ae* ordinis publici non viol*entur, ...* ».

3) Pag. 7, lin. 30, scribatur « secundum proprias *normas* ».

4) Pag. 8, linn. 7-8, deleantur verba « legitimis exigentiis ordinis publici non violatis ».

5) Pag. 8, lin. 14, addatur « *Talis modus agendi ut abusus iuris proprii et laesio iuris aliorum considerari debet* ».

6) Pag. 8, lin. 16, scribatur « communitates religiosae *non prohibeantur* libere ostendere... ».

AD NUMERUM 5

1) Pag. 8, lin. 31, addatur « ... tradendae, *iuxta suam propriam religiosam persuasionem* ».

2) Pag. 8, lin. 35, addatur: « ... onera *sive directe sive indirecte* [83]
imponenda ».

3) Pag. 8, lin. 36, scribatur « *Praeterea* iura parentum violent*ur*... ».

QUAESITUM I

An placeat expensio Modorum facta a Secretariatu ad Christianorum unitatem fovendam circa Modos respicientes numeros 1-5.

AD NUMERUM 6

1) Pag. 9, linn. 1-5, scribatur « *Cum societatis commune bonum, quod est summa earum vitae socialis condicionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possunt plenius atque expeditius consequi, maxime in humanae personae servatis iuribus et officiis consistat,* cura iuris ad libertatem religiosam tum ad cives, tum ad coetus sociales *tum ad potestates civiles* tum ad Ecclesiam aliasque communitates religiosas spectat, modo unicuique proprio, *pro eorum erga bonum commune officio.*

2) Pag. 9, linn. 20-21, scribatur « ... circumstantiis *peculiaribus* ».

3) Pag. 9, lin. 29, addatur post « iuridica » « *quae ipsa ad commune societatis bonum pertinet,* unquam... ».

4) Pag. 9, lin. 31, scribatur « *neve* inter eos... ».

5) Pag. 10, lin. 2, omittatur « quamlibet ».

AD NUMERUM 7

1) Pag. 10, lin. 10, scribatur « *In usu omnium libertatum* observandum est ... ».

2) Pag. 10, lin. 14, omittatur « et in vita sociali praesertim tenentur ».

3) Pag. 10, linn. 19-37, scribatur ordine verborum partim inverso: « Praeterea *cum* societas civilis ius habet sese protegendi contra abusus, qui haberi possunt sub praetextu libertatis religiosae, praecipue ad potestatem civilem pertinet huiusmodi protectionem praestare; *quod* tamen *fieri debet* non modo arbitrario aut uni parti inique favendo sed secundum normas iuridicas, ordin*i morali* obiectivo *conformes,* quae postulant*ur ab* efficac*i* iurium tutel*a* pro omnibus civibus eorumque pacific*a* compositione*, et a* sufficient*i* cur*a* istius honestae pacis publica*e* quae est ordinata conviventia in vera iustitia, et *a* debita custodi*a* publicae moralitatis. *Haec omnia* part*em* boni communis fundamental*em constituunt* et *sub ratione* ordin*is* public*i veniunt* ».

[84] AD NUMERUM 8

1) Pag. 11, lin. 21, scribatur « *pro*sequi nitantur ».
2) Pag. 11, lin. 23, addatur post « libertas »: « *etiam* ».

QUAESITUM II

An placeat expensio Modorum facta a Secretariatu ad Christianorum unitatem fovendam circa Modos respicientes numeros 6-8.

AD NUMERUM 10

1) Pag. 12, lin. 22, scribatur « nisi Pat*re* eum tra*hente* rationabile liberumque... ».

2) Pag. 12, linn. 28-31, scribatur « ... fovendum, *in* quo homines expedite possint invitari ad fidem christianam, *illam* sponte amplect*i* *atque* eam in tota vitae ratione actuose confite*ri* ».

AD NUMERUM 11

1) Pag. 12, lin. 38, scribatur « Hoc autem *summe...* ».
2) Pag. 13, lin. 5, scribatur « ut fidem auditorum *excitaret atque* comprobaret ».
3) Pag. 13, lin. 27, scribatur « *in* cruce complendo ».
4) Pag. 13, linn. 31-33, expungatur citatio.
5) Pag. 13, linn. 36-37, scribatur « amore, qu*o* *Christus exaltatus* in cruce homines ad *S*eipsum trahit ».

QUAESITUM III

An placeat expensio Modorum facta a Secretariatu ad Christianorum unitatem fovendam circa Modos respicientes numeros 9-12.

AD NUMERUM 13

1) Pag. 15, linn. 21-22, scribatur « praestantissimum est, *ut* Ecclesi*a* tanta perfru*atur* agendi libertate ».
2) Pag. 15, lin. 26, scribatur « Ecclesiae *sane* adeo... ».
3) Pag. 15, linn. 29-30, scribatur « ... inter Ecclesiam et *potestates publicas totumque* ordinem civilem ». Et omittatur « vitae humanae ».

AD NUMERUM 14 [85]

1) Pag. 16, lin. 33, scribatur « ... *Veritatem* quae Christus est ».

2) Pag. 17, linn. 4-5, scribatur « ... officio veritat*em* ab *E*o recept*am*... ».

3) Pag. 17, linn. 6-7, scribatur « ... defendendi, *exclusis* mediis *spiritui* evangelico *contrariis* ».

AD NUMERUM 15

1) Pag. 17, lin. 20, scribatur « *immo* libertatem religiosam... ».

2) Pag. 17, lin. 22, scribatur « ... *sollemniter* agnosci ».

3) Pag. 17, linn. 34-35, scribatur « in praesent*i* potissimum *familiae* humanae *condicione* ».

QUAESITUM IV

An placeat expensio Modorum facta a Secretariatu ad Christianorum unitatem fovendam circa Modos respicientes numeros 13-15.

QUAESITUM GENERALE

An placeat Patribus expensio facta a Secretariatu ad Christianorum unitatem fovendam circa Modos integrum schema Declarationis de libertate religiosa respicientes.

EXC.MUS P. D. AEMILIUS IOSEPH DE SMEDT
Episcopus Brugensis

RELATIO

[*Cf. pag. 718-723*].

Moderator: Gratias maximas exc.mo relatori pro relatione sua definitiva agimus ac simul membris competentis secretariatus pro opere feliciter finito. Nunc dicatur textus primae suffragationis.

Secretarius generalis: Videatis, Patres, pag. 83 [*cf. pag. 775* Quaesitum I]. Est suffragatio 507. Non est necesse omnia legere, Patres, quia audivimus iam relationem explicativam. Responsio duplex tantum esse potest: *placet, non placet.*

Nunc schola cantat: *Exsultate iusti* Viadanae.

Chorus exsequitur motetum: *Exsultate iusti,* 4 vocibus disparibus, auctore T. Viadana.

Secretarius generalis: Proponitur suffragatio 508. Videatis pag. 84 [*cf. pag. 776* Quaesitum II]. *Placet* an *non placet*?

Nunc schola exsequitur motetum: *Tu es Petrus,* 4 vocibus disparibus, Armandi Antonelli.

Chorus exsequitur motetum: *Tu es Petrus,* 4 vocibus disparibus, auctore Armando Antonelli.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, Summus Pontifex coram admittet episcopatus Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis et Canadiae, hoc vespere, hora 7.

Proponitur tertia suffragatio. Videatis pag. 84. Quaesitum III. Suffragatio est 509 [*cf. pag. 776*]. *Placet* an *non placet*?

Et schola cantat motetum: *Ave Maria,* 4 vocibus disparibus Thomae a Victoria.

Chorus exsequitur motetum: *Ave Maria,* 4 vocibus disparibus, auctore Thoma L. a Victoria.

Secretarius generalis: Nunc chorus cantat motetum: *Super flumina Babylonis,* quatuor vocibus mixtis, Petri Aloisii a Palestrina.

Chorus cantat: *Super flumina Babylonis.*

Secretarius generalis: Suffragatio 510. Pag. videatis 85 Quaesitum IV [*cf. pag. 777*]. *Placet* an *non placet*?

Patres venerabiles, sequens suffragatio, quae post aliquod tempus fiet, erit de integro schemate.

Nunc audiatis motetum: *Vergine chiara,* 5 vocibus mixtis, Petri Aloisii a Palestrina.

Chorus cantat: *Vergine chiara.*

Secretarius generalis: Audiatis nunc, Patres venerabiles, motetum: *Nigra sum sed formosa,* 5 vocibus disparibus, Petri Aloisii a Palestrina.

Chorus cantat: *Nigra sum sed formosa.*

Moderator: Audiatur nunc secretarius generalis de ultimo quaesito.

Secretarius generalis: Proponitur suffragatio 511, i. e. de integro schemate declarationis, introductis nempe Modis « si et quatenus » approbati sint. Videatis pag. 5 [*cf. pag. 703-712*].

Hoc schema, Patres venerabiles, quod pro toto lectum habendum est, *placet* vobis an *non placet*? Est ultima suffragatio in congregatione generali.

Rogamini, Patres venerabiles, ut aliquantisper exspectetis donec schedae auferantur.

Exitus suffragationum hodiernarum poteritis videre in ephemeride cui titulus *L'Osservatore Romano,* in notitia officiali quam dabimus.

Interea, audiatis motetum quatuor vocibus mixtis Petri Aloisii a Palestrina: *O bone Iesu!*

Chorus cantat: *O bone Iesu!,* 4 vocibus mixtis, auctore Petro Aloisio a Palestrina.

Secretarius generalis: Schola nunc ultimo canit: *Loda il Signore,* choralis quatuor vocibus mixtis Ioannis Sebastiani Bach.

Chorus cantat: *Loda il Signore.*

Moderator: Gratias agimus musicis pro canticis et hymnis tam bene datis nobis. Loquatur nunc secretarius generalis.

Secretarius generalis: In sequentibus reliquis congregationibus generalibus, hora initii erit semper hora nona.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit die 30 novembris, feria III, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

* * *

Exitus suffragationum circa Modos expensos a secretariatu ad Christianorum unitatem fovendam et respicientes schema declarationis *de libertate religiosa* inveniuntur iuris publici facti in ephemeride cui titulus *L'Osservatore Romano,* CV, n. 268, die sabbato 20 novembris 1965, pag. 1:

Suffragatio 507 (circa Modos respicientes nn. 1-5):

Patres praesentes votantes	2.242
Dixerunt *placet*	1.989

non placet	246
placet iuxta modum	3
Suffragia nulla	4

Suffragatio 508 (circa Modos respicientes nn. 6-8):

Patres praesentes votantes	2.200
Dixerunt *placet*	1.957
non placet	237
placet iuxta modum	2
Suffragia nulla	4

Suffragatio 509 (circa Modos respicientes nn. 9-12):

Patres praesentes votantes	2.210
Dixerunt *placet*	1.989
non placet	217
placet iuxta modum	2
Suffragia nulla	2

Suffragatio 510 (circa Modos respicientes nn. 13-15):

Patres praesentes votantes	2.228
Dixerunt *placet*	2.033
non placet	190
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	4

Suffragatio 511 (de integro schemate declarationis, introductis Modis approbatis):

Patres praesentes votantes	2.216
Dixerunt *placet*	1.954
non placet	249
placet iuxta modum	7
Suffragia nulla	6

APPENDIX

APPENDIX

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
INTER III ET IV PERIODUM CONCILII

I - QUOAD SCHEMA DECLARATIONIS DE EDUCATIONE CATHOLICA

1
EXC.MUS P. D. ANDREAS BONTEMS
Episcopus Maurianensis

Introduction. Le Saint Concile œcuménique considère attentivement l'importance capitale de l'éducation ainsi que son influence grandissante dans la vie humaine et la place de plus en plus large qui lui est faite dans le monde moderne. Le progrès de la démocratisation, la part de plus en plus active que les citoyens doivent prendre aux affaires publiques,[1] celle que les travailleurs sont appelés à assumer dans les entreprises,[2] le développement de la socialisation,[3] la multiplication des échanges internationaux de toute sorte,[4] l'importance croissante des loisirs dans la vie de beaucoup d'hommes, et la mise à la portée de tous, grâce aux techniques modernes de diffusion, des informations et de la culture, permettent et requièrent, tout à la fois, le progrès incessant de l'éducation de la jeunesse au sens de la responsabilité, à l'esprit de service, à l'ouverture aux autres, au goût du vrai, du beau et du bien, à l'esprit critique, au sens des valeurs et leur hiérarchie.[5]

L'impulsion du progrès scientifique et technique, la modernisation profonde et le renouvellement à un rythme accéléré des systèmes de production rendent plus nécessaire que par le passé l'acquisition d'une formation professionnelle de base vraiment de qualité,[6] tandis qu'elles requièrent également de la société humaine un effort d'éducation permanente de ses membres.

Aussi, voit-on s'accroître rapidement le nombre des élèves et des étudiants, soit parce que la scolarisation s'établit et devient obligatoire là où elle n'existait pas, soit parce que sont prolongées, en de nombreux pays, les années destinées à l'éducation générale et à la formation professionnelle des jeunes.[7] Les Institutions scolaires se multiplient et se développent, tandis qu'apparaissent ou grandissent d'autres formes ou moyens d'instruction et d'éducation.

---

[1] JEAN XXIII, Lettre Enc. *Pacem in terris*: *A.A.S.* (1963), pp. 278-279; JEAN XXIII, Lettre Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 413.

[2] *Mater et Magistra*: *op. cit.*, p. 424.

[3] « Socialium rationum incrementa », *Mater et Magistra*: *op. cit.*, pp. 415-416.

[4] *Mater et Magistra*: *op. cit.*, p. 413.

[5] *Id.*, p. 443.

[6] *Id.*, pp. 424-425.

[7] *Id.*, p. 427.

Pour toutes ces raisons, et à cause également de l'accroissement rapide de la population sur tous les continents, on assiste ici et là à la constitution d'un véritable monde social de la jeunesse, ayant ses manières propres de juger, de sentir, de réagir, et exerçant, de ce fait, sur la marche du monde une influence plus grande que dans le passé.

Il faut reconnaître, par ailleurs, que des insuffisances multiples persistent et que des menaces continuent de peser sur l'éducation de la jeunesse. L'analphabétisme demeure une plaie ouverte en de larges secteurs du monde, et beaucoup d'hommes restent dans l'impossibilité pratique de profiter, même d'une manière très restreinte, des biens de la culture. Les enseignants et les éducateurs font défaut en bien des endroits, et cette profession n'est pas partout l'objet de l'estime qu'elle mérite tandis que ceux qui l'exercent n'ont pas toujours reçu la préparation que requiert son exercice. Insuffisamment pris en charge, avec amour, par les adultes, le monde de la jeunesse court parfois le risque de se clore sur lui-même, de se durcir, de se révolter, de se corrompre, ou encore de devenir la proie facile d'idéologies fausses plus soucieuses d'exploiter la jeunesse à des fins partisanes que de l'aider à grandir et à se développer.

Aujourd'hui, comme pour le passé, c'est en vertu de sa mission divine que l'Eglise s'intéresse à la croissance de l'homme, à la transformation du monde, et par conséquent au développement et au progrès de l'éducation.

Elle souhaite, en effet, avec ardeur que les hommes grandissent toujours davantage dans la connaissance de la vérité, dans l'authentique liberté et dans l'amour, afin de réaliser sur eux le dessein de Dieu qui les a créés à son image (*Gen.* I, 27). Elle désire aussi que l'humanité soit en mesure de s'acquitter toujours mieux de la vocation qu'elle a reçu du Seigneur, lequel, dans sa sagesse a formé l'homme pour dominer sur les créatures sorties de ses mains, pour gouverner le monde en sainteté et justice, et exercer l'empire avec une âme droite (*Sag.* IX, 1-3; *Gen.* X, 2; *Ps.* VIII, 6-9).

Elle sait, en outre, que l'efficacité de son œuvre apostolique requiert normalement le développement des facultés de l'homme et que l'éveil et la croissance de la foi sont liés habituellement, selon le dessein de Dieu, au perfectionnement des qualités humaines.

Ayant reçu du Seigneur la mission d'offrir à tous les hommes le salut du Christ, elle se soucie d'annoncer à tous la Bonne Nouvelle pour les amener à la foi et, après les avoir fait accéder à la vie nouvelle dans le Christ, par le Sacrement de la régénération, elle se préoccupe de les aider à grandir dans la vie selon l'Esprit, à mener leur existence terrestre individuelle, familiale, sociale, professionnelle et culturelle dans l'esprit de la Création Nouvelle, accomplie dans le Christ, et de laquelle le Baptême les a rendus participants.

Bien que sa mission ne soit pas d'ordre terrestre et qu'elle n'ait ni la charge ni la possibilité d'apporter aux hommes le bonheur terrestre, l'Eglise, à l'imitation de son divin Fondateur, s'intéresse cependant à la prospérité et au progrès de tous les peuples,[8] sachant, du reste, que le développement et le progrès terrestre de l'homme ont besoin d'être rectifiés et sauvés par l'action guérissante du Christ qu'elle a mission de poursuivre à travers les siècles et au sein des civilisations diverses.

---

[8] Cf. *Mater et Magistra*: *op. cit.*, p. 402; PAUL VI, Lettre Enc. *Ecclesiam suam*: *A.A.S.*, 56 (1964), pp. 649-650.

C'est dans cet esprit que le Saint Concile formule les principes fondamentaux qui suivent. Ils devront être développés plus largement par les soins d'une Commission spéciale post-conciliaire, laquelle devra inclure des membres de la Hiérarchie ainsi que des hommes et des femmes, religieux ou laïcs, spécialistes en matière d'éducation, de tous les continents et civilisations, représentant les formes diverses que revêt aujourd'hui l'œuvre de l'éducation des jeunes. Ces principes devront, en outre, être appliqués par les Conférences épiscopales selon les conditions diverses des différentes régions.

1. *Le droit de tous à l'éducation.* Le Saint Concile reconnaît tout d'abord que tous les hommes, quels que soient leur race, leur condition et leur âge, en raison de la dignité de la personne humaine, ont à égalité le droit inaliénable à une éducation normale de toutes leurs facultés, ainsi qu'à l'accession aux biens de la culture et de la civilisation propres au peuple auquel ils appartiennent.[9]

Il reconnaît, en conséquence, à tous les enfants et adolescents le droit d'être aidés, par l'action de leurs éducateurs, à réaliser le plein épanouissement de leur personnalité, d'être amenés progressivement à prendre en mains la responsabilité de leur existence, d'être guidés dans la culture harmonieuse de leurs qualités physiques, intellectuelles et morales et dans l'effort de libération de tout ce qui fait obstacle, en eux et autour d'eux, à la croissance de leur être dans la vérité et l'unité, d'être conduits à s'intégrer à la communauté humaine à laquelle ils appartiennent, d'être préparés à s'ouvrir aux autres par le dialogue et l'amour et orientés vers le service du bien commun.

Le Saint Concile reconnaît de même leur droit à recevoir la formation de base qui leur fournit les instruments nécessaires à l'intelligence du monde, de l'homme et de la vie, et les initie aux différentes formes du langage par lesquelles l'homme exprime le monde et s'exprime lui-même, ainsi que la formation civique, sociale et professionnelle qui leur confère la possibilité de tenir dans la société humaine, et le développement du monde, une place en rapport avec leurs aptitudes personnelles et les besoins de la communauté des hommes.[10]

Il affirme enfin que tous les enfants et adolescents ont droit à être éveillés, par l'action de leurs éducateurs, au respect des valeurs morales, au sens du sacré, à la connaissance et à l'amour du Dieu Vivant.

Aussi le Concile invite-t-il instamment les Catholiques à se préoccuper d'une question aussi importante et à travailler, selon leurs possibilités, dans le domaine de l'éducation, de manière à ce que les fils de chaque peuple reçoivent une formation bien adaptée à leur génie et à leur culture propres non moins qu'à leurs traditions ancestrales, et qu'en même temps soient favorisées, grâce à l'ouverture des esprits et des cœurs au sens de l'universel, l'amitié et la compréhension entre nations et civilisations diverses pour le progrès de la paix entre les hommes.

Il les appelle en outre, très instamment, à collaborer avec générosité et désintéressement aux efforts déployés dans le monde afin que ceux qui n'en disposent pas encore effectivement puissent bénificier bientôt de l'exercice de leur droit à l'éducation.

---

[9] *Pacem in terris*: *op. cit.,* p. 260; cf. PIE XII, Radiomessage de Noël 1942, *A.A.S.,* 35 (1943), pp. 9-24.

[10] Lettre de la Secrétairerie d'Etat à la 45e Semaine sociale de France, 28 juin 1958, *Oss. Rom.,* 13 juillet 1958.

2. *Les divers agents de l'Education.* Le Saint Concile reconnaît que, selon l'ordre naturel des choses, expression de la pensée de Dieu, c'est la famille qui constitue le premier et principal agent éducatif, au sein de la communauté humaine responsable tout entière de l'éducation progressive des jeunes.[11] C'est de la qualité du climat familial fait d'amour vrai, de respect du sacré, d'ouverture aux autres et à Dieu que dépendent en tout premier lieu l'éveil des enfants, le développement harmonieux de leurs facultés, la construction de leur personnalité dans l'unité et l'équilibre, leur initiation progressive au sens des autres et à l'esprit de service. C'est donc d'abord aux parents qu'appartiennent le privilège et la responsabilité de créer ce milieu favorable dont l'influence sur la vie entière de l'homme est décisive.

C'est également aux parents qu'appartient le devoir de donner à leurs enfants la possiblité de s'ouvrir aux hommes et au monde, soit en les faisant bénificier de l'action des autres agents éducatifs, indispensables à la formation complète des jeunes, que la famille ne peut remplacer [12] mais avec lesquels elle doit collaborer: institutions scolaires, associations de jeunes, organismes professionnels de toutes sortes, groupes multiples ayant pour but des activités intellectuelles ou corporelles; soit en les aidant à profiter des techniques d'information et de culture qui exercent une telle influence dans le monde moderne.

Quant aux pouvoirs publics, ils ont le devoir et le droit à la fois de favoriser la liberté de l'initiative privée sous ses différentes formes nécessaires pour offrir à la jeunesse une formation aussi riche, diversifiée et adaptée que possible et d'harmoniser ces efforts multiples en les ordonnant au bien commun.[13]

3. *Importance de l'école.* L'Eglise a toujours reconnu que, dans l'éducation de la jeunesse, le rôle de l'école revêt une importance particulière. De nos jours, cette importance demeure très grande, en dépit de la multiplication des autres agents éducatifs et leur influence grandissante. En effet, dans le développement de la personne humaine, l'éducation des facultés intellectuelles — fonction spécifique, bien que non exclusive, de l'école, laquelle n'en a pas non plus le monopole — tient une place capitale; en s'initiant au savoir humain et à la culture du peuple auquel ils appartiennent, les jeunes deviennent capables de s'insérer, d'une manière plus consciente et plus volontaire, dans leur communauté humaine; l'enseignement joue un grand rôle dans l'éducation de l'esprit critique, du sens des valeurs, du respect du sacré; en de nombreux cas, l'école est appelée à tenir une place considérable dans la formation professionnelle des adolescents; [14] en outre, l'école peut constituer elle-même une communauté humaine où se côtoient des jeunes d'origines, de conditions familiales et sociales différentes, et au sein de laquelle, sous la conduite d'adultes, ils peuvent s'éduquer les uns par les autres à la compréhension d'autrui, au dialogue, à l'esprit de service et au souci du bien commun. Enfin, l'école reste le centre de convergence où se rencontrent — et peuvent donc dialoguer — pour le plus grand bien des jeunes, les agents divers de leur éducation. Dans la mesure, en effet, où la formation qu'elle donne et les

---

[11] PIE XI, Lettre Enc. *Divini illius Magistri*: *A.A.S.*, 22 (1930), pp. 58-59.

[12] *Divini illius Magistri*: *op. cit.*, pp. 52-53.

[13] Lettre de la Secrétairerie d'Etat à la 45° Semaine sociale de France, 28 juin 1958, *Oss. Rom.*, 13 juillet 1958.

[14] *Id.*

connaissances qu'elle transmet sont ordonnées à l'activité présente et future des jeunes dans la profession et la société, l'école dépend de la communauté humaine dans laquelle elle est insérée et qui lui manifeste ses besoins et ses exigences, par des individus, des groupes organisés, des institutions culturelles ou religieuses qui se proposent comme fin propre la formation des jeunes gens à la vie familiale, professionnelle, civique ou religieuse.[15]

Aussi l'enseignement apparaît-il de nos jours comme un problème social de première importance. En raison de cette importance de l'école, l'Eglise a toujours reconnu et le Saint Concile réaffirme le caractère sacré de la fonction d'enseignant en elle-même, la grandeur et la dignité de cette profession que l'ampleur et la délicatesse des tâches qu'elle comporte élèvent à la dignité d'une vraie mission [16] dont l'exercice requiert une authentique vocation, des aptitudes particulières, une sérieuse formation préalable, et le souci permanent de renouvellement et d'adaptation, tant sur le plan technique de la culture et du savoir que dans le domaine des relations avec la jeunesse qui se renouvelle sans cesse, ainsi qu'avec ses autres éducateurs.

4. *Rôle des parents et de l'Etat en matière scolaire.* Le Saint Concile souhaite que soit reconnue partout, en matière scolaire, la mission éducatrice primordiale de la famille qui fait d'elle plus qu'une simple collaboratrice occasionnelle de l'école.[17] C'est aux parents, en effet, qu'incombe en premier lieu le devoir d'assurer à leurs enfants le bienfait d'une éducation scolaire conforme à leurs aptitudes et capable de les préparer à la vie professionnelle, civique, humaine. Corrélativement, les parents ont le droit de fonder et de choisir librement les écoles auxquelles ils confient le soin de contribuer à l'éducation de leurs enfants.

Responsable du bien commun de la Nation, l'Etat doit veiller à ce que tous les citoyens acquièrent la culture minimum suffisante eu égard aux conditions de temps et de lieu.[18] Il a la charge d'aider les parents à accomplir leur devoir et à exercer leur droit en imposant l'obligation scolaire et en assurant la gratuité effective, pour tous, de l'enseignement obligatoire. Au besoin, il lui appartient de protéger le droit de l'enfant à l'éducation scolaire, en cas de déficience de la famille. En outre, il lui appartient spécialement de veiller à la formation civique des jeunes, plus nécessaire que jamais dans les Etats démocratiques.[19] Il est également de son ressort d'exiger, de contrôler la compétence des enseignants, d'intervenir dans l'établissement des programmes, le contrôle des études et la sanction des examens.

Pourtant, le Saint Concile rappelle que l'Eglise est opposée à tout monopole scolaire étatique, parce que contraire au droit naturel de la personne humaine,

---

[15] *Id.*: Lettre de la Secrétairerie d'Etat à la 28e Semaine sociale d'Italie, sept. 1955, *Oss. Rom.,* 28 septembre 1955.

[16] Jean XXIII, Allocution au 7e Congrès national de l'Union catholique italienne de l'enseignement secondaire, 19 mars 1960, *Oss. Rom.,* 21 mars 1960; Pie XII, Allocution pour le 2e Centenaire de la Béatification de saint Joseph Calasanz, 22 novembre 1948, *Oss. Rom.,* 22-23 novembre 1948.

[17] Lettre de la Secrétairerie d'Etat à la 45e Semaine sociale de France, 28 juin 1958, *Oss. Rom.,* 13 juillet 1958.

[18] *Divini illius Magistri*: *op. cit.,* pp. 63-64.

[19] Lettre de la Secrétairerie d'Etat à la 45e Semaine sociale de France, 28 juin 1958, *Oss. Rom.,* 13 juillet 1958.

nuisible au progrès de l'éducation et de la diffusion de la culture, qui requiert la liberté, et donc opposé au Bien commun. L'Eglise est également opposée à toutes les formes de discrimination scolaire basée sur la race, la classe, la condition sociale.[20]

5. *Collaboration des catholiques à la bonne marche des écoles.* Le Saint Concile invite instamment les fils de l'Eglise à participer activement au développement et au bon fonctionnement des écoles de leur pays, soit en apportant leur concours actif à l'amélioration de leur valeur pédagogique par la recherche de méthodes d'enseignement plus efficaces, de programmes mieux adaptés, le développement des sciences et des techniques psychologiques et sociologiques, soit en aidant de toutes leurs forces à la formation de maîtres capables d'éduquer les jeunes en les instruisant dans les diverses disciplines du savoir humain.

Aux parents catholiques, elle rappelle, en outre, qu'ils ne doivent pas se désintéresser de la bonne marche des établissements scolaires de leur pays, et qu'il leur appartient de se préoccuper des principes que l'on inculque à leurs enfants pour les préparer à la vie, leur donner une juste notion des véritables valeurs et discipliner leur volonté dans la poursuite du bien, et qu'ils ont également une responsabilité et un droit tout particulier à exercer en ce qui concerne l'orientation professionnelle de leurs enfants.[21] Aussi le Saint Concile les invite-t-il à être membres actifs des associations familiales qui dialoguent avec les pouvoirs publics et les enseignants pour l'amélioration des écoles, et il approuve volontiers tout ce qui est mis en œuvre pour faciliter et rendre plus efficace la collaboration entre l'école et la famille.[22]

L'éducation scolaire devant chercher, comme toute éducation, à préparer les jeunes à prendre en charge personnellement leur existence et le service du bien commun, le Saint Concile engage les élèves-mêmes, surtout les plus âgés, à se considérer comme responsables de leur propre formation ainsi que de la bonne marche des établissements scolaires qu'ils fréquentent. Il souhaite donc que s'instaure, dans la confiance et le respect mutuels, un véritable dialogue entre enseignants et étudiants, en vue de la meilleure formation des jeunes, soit sur le plan intellectuel, soit dans le domaine de la vie affective et sociale.[23]

Si importante qu'elle soit, l'école n'a pas sa fin en elle-même et elle ne peut suffire, à elle seule, à assurer toute l'éducation, ni même la simple formation intellectuelle. Elle doit s'ouvrir à la communauté humaine tout entière, à laquelle elle a, pour sa part, mission d'intégrer mieux les jeunes qu'elle éduque. Il lui faut également tenir compte des moyens modernes d'éducation et de culture, soit pour les utiliser elle-même soit surtout pour éduquer les élèves à s'en servir avec discernement et sens critique. Par son esprit, son organisation, son climat, elle doit leur permettre de collaborer de plus en plus activement eux-mêmes à leur propre édu-

---

[20] *Divini illius Magistri*: *op. cit.*, p. 64; cf. *Id.*, pp. 59-60; PIE XI, Lettre Enc. *Non abbiamo bisogno*: 29 juin 1931, *A.A.S.*, 23 (1931), p. 305; *Id.*, pp. 302-303; Lettre de la Secrétairerie d'Etat pour la 28° Semaine sociale d'Italie, septembre 1955, *Oss. Rom.*, 28 septembre 1955; Lettre de la Secrétairerie d'Etat à la 45° Semaine sociale de France, 28 juin 1958, *Oss. Rom.*, 13 juillet 1958.

[21] Lettre de la Secrétairerie d'Etat à la 45° Semaine sociale de France, 28 juin 1958, *Oss. Rom.*, 13 juillet 1958.

[22] *Id.*

[23] JEAN XXIII, Allocution au 7° Congrès national de l'Union catholique italienne de l'enseignement secondaire, 19 mars 1960, *Oss. Rom.*, 21 mars 1960.

cation et leur faciliter l'appartenance à des mouvements extra-scolaires d'éducation. C'est ainsi que, « par son insertion dans la communauté humaine et par les répercussions de son enseignement, l'école offre au pays de réelles possibilités de santé civique et de paix sociale ».[24]

6. *L'éducation des chrétiens dans la Foi vivante.* Dieu qui a créé toutes choses dans le Christ (*Jn.* I, 3; *Col.* I, 16) a restauré en Lui son œuvre déréglée par le péché, se réconciliant les hommes par le sang de la Croix (*Col.* I, 20; *1 Cor.* V, 18; *Rm.* V, 10) et la victoire de la résurrection, et les appelant à devenir, par l'Esprit-Saint, une nouvelle créature en Jésus-Christ (*2 Cor.* V, 17). L'Eglise, envoyée de Dieu pour annoncer à tous les hommes l'Evangile du salut par le Christ, donne à ceux qui croient en Lui de renaître de l'eau et de l'Esprit (*Jn.* III, 5) et devenir réellement enfants de Dieu dans le Christ Jésus (*Jn.* 3, 1).

Les ayant ainsi engendrés à la vie nouvelle selon l'Esprit (*Rm.* VIII, 5; *Gal.* V, 16-23), l'Eglise doit aider ses fils à vivre selon la vérité et dans la charité, grandissant de toutes manières dans le Christ (*Eph.* IV, 15) afin que se constitue peu à peu « l'homme parfait dans la force de l'âge qui réalise la plénitude du Christ » (*Eph.* IV, 13).

La mission éducatrice de l'Eglise a donc pour but d'affermir les chrétiens dans la foi, pourqu'ils ne se laissent pas ballotter et emporter à tout vent de doctrine comme des enfants (*Eph.* IV, 14), mais qu'ils grandissent, au contraire, dans la connaissance des fils de Dieu (*Eph.* IV, 13; cf. III, 19), de les aider à dépouiller le vieil homme pour se renouveler, par la transformation spirituelle de leur jugement, et revêtir l'homme nouveau créé selon Dieu, dans la justice et la sainteté de la vérité (*Eph.* II, 22-24), s'acheminant ainsi vers la vraie connaissance, en se renouvelant à l'image de Dieu (*Col.* III, 10).

En un mot, de même que, dans l'ordre naturel l'éducation a pour but de développer l'enfant et l'adolescent afin qu'il devienne un homme complet, l'éducation chrétienne a pour but la formation du nouvel être humain régénéré par le Baptême, pour en faire un parfait chrétien.[25]

Cette mission éducatrice de l'Eglise atteint l'homme tout entier, car c'est toute son existence que le chrétien doit vivre selon l'homme nouveau, sous la lumière de la foi et la motion de l'amour. A travers l'homme, elle atteint la société, à la régénération de laquelle le chrétien est appelé à collaborer, afin que se réalise par l'action de ses membres l'œuvre de réconciliation et de paix entre les hommes accomplie par le Chef (*Eph.* II, 14-18). Elle atteint l'univers lui-même, au développement duquel le chrétien participe selon la place providentielle qui lui est assignée, afin de lui apporter le salut du Christ et de contribuer à la consécration du monde à Dieu (cf. *Col.* 1, 20).

C'est tout au long, de l'existence de l'homme et par toute son action pastorale que l'Eglise s'acquitte de sa mission éducatrice. Cependant, de tous les temps, elle a attaché une importance spéciale à la première initiation chrétienne de ceux qu'elle engendre au Christ en leur conférant le Baptême. Après leur avoir annoncé la Bonne Nouvelle, elle explicite pour eux le contenu du message chrétien afin de

---

[24] Lettre de la Secrétairerie d'Etat à la 45° Semaine sociale de France, 28 juin 1958, *Oss. Rom.*, 13 juillet 1958.

[25] Pie XII, Radiomessage à la clôture de la *Journée de la famille en Italie*, 23 mars 1952, *A.A.S.*, 44 (1952), pp. 270-271.

nourrir leur foi; elle leur apprend à prier Dieu leur Père en esprit et en vérité et à participer à sa prière publique; elle les initie progressivement aux mœurs d'enfant de Dieu, à la vie selon l'Esprit dans la sainteté, la justice, la liberté véritable et la charité, les préparant à devenir témoins de la vie nouvelle, et capables de rendre raison, devant les hommes, de l'espérance qui est en eux (*1 Pt.* III, 15) et de travailler ainsi au rayonnement de l'Evangile.

Tous les Baptisés introduits dans la Nouvelle Création par le ministère de l'Eglise et le don de l'Esprit-Saint ont le droit d'être éduqués ainsi à cette existence nouvelle et de bénéficier, à cette fin, de la catéchèse par laquelle l'Eglise assume leur initiation chrétienne, c'est-à-dire leur éducation dans la foi vivante et la charité.

La catéchèse est l'œuvre de toute l'Eglise. C'est l'Eglise, en effet, qui est dépositaire de la Parole du salut, qui célèbre les mystères et guide les hommes dans la vie nouvelle selon l'Esprit, et c'est dans la réalité vécue de l'Eglise que les nouveaux croyants rencontrent soit dans l'assemblée liturgique, soit dans les communautés chrétiennes présentes au sein même de leurs milieux de vie, le signe principal qui accompagne la prédication de l'Evangile et lui permet d'être efficace.[26]

Lorsqu'il s'agit de la foi des enfants, l'Eglise qui refuse de baptiser les enfants des infidèles ou de disposer de leur éducation contre la volonté de leurs parents,[27] a toujours professé que c'est au sein du foyer familial qu'ils font normalement la première expérience de l'Eglise vivante qu'ils découvrent comme une communauté de foi et de charité où Dieu est connu et aimé comme un Père et où l'amour fraternel est vécu dans les relations des membres de la famille entre eux et avec les autres hommes. Aussi, c'est par la famille que s'exerce en premier lieu la mission éducatrice de l'Eglise vis-à-vis des enfants baptisés.[28] C'est pourquoi, par l'enseignement de son Magistère [29] et de sa législation,[30] comme par celui des Pères de l'Eglise et de ses Docteurs,[31] la tradition de l'Eglise a toujours affirmé que les parents chrétiens reçoivent immédiatement de Dieu la mission d'élever leurs enfants dans la foi vivante, et qu'ils doivent, selon l'expression de saint Augustin « se considérer comme investis en quelque sorte d'une charge épiscopale pour ce qui concerne la foi des leurs ».[32]

---

[26] Concile Vatican I, Constitution *De fide catholica,* c. 3, MANSI, 51 col. 337-338.

[27] *Divini illius Magistri*: *op. cit.*, pp. 59-60.

[28] PIE XII, Radiomessage à la clôture de la *Journée de la famille en Italie,* 23 mars 1952, *A.A.S.,* 44 (1952), p. 271.

[29] *Divini illius Magistri*: *op. cit.*, p. 60; LÉON XIII, Lettre Enc. *Officio Sanctissimo,* 22 décembre 1887, *Leonis XIII Pontificis Maximi Acta,* VII, pp. 219 ss.; PIE XI, Lettre Enc. *Dilectissima Nobis,* 3 juin 1933, *A.A.S.* (1933), p. 271; PIE XII, Radiomessage au 4° Congrès interaméricain d'éducation catholique, 5 août 1951, *A.A.S.,* 43 (1951), p. 596; Allocution aux mères de famille italiennes, 26 octobre 1941, *A.A.S.,* 33 (1941), pp. 450 ss.; Allocution aux jeunes époux, 31 janvier 1940, *Discorsi e Radiomessaggi,* I, p. 503; *Id.,* 15 janvier 1941, *op. cit.,* II, 378-379; Allocution aux maîtres catholiques italiens, 4 novembre 1945, *op. cit.,* VII, p. 264; Allocution à l'Association italienne des maîtres d'école catholiques, 8 sept. 1946, *op. cit.,* VIII, p. 219; Allocution à l'Union catholique italienne de l'enseignement secondaire, 5 janvier 1954, *op. cit.,* XV, pp. 554-555; Radiomessage à la clôture de la *Journée de la famille en Italie,* 23 mars 1952, *A.A.S.* 44 (1952), pp. 270-271.

[30] C.I.C., cc. 1013, § 1; 1113; 1335; 1372, § 2; cf. cc. 854, § 4 et 860.

[31] S. AUG., *Tract. 51 in Joann. Evang.,* c. XIII, n. 13, *P.L.* 35, col. 1768-1769; S. J. CHRYS., *Adv. oppugn. vit. mon.,* lib. III, *P.G.* t. 47, col. 557; *Hom. in illud vidua, P.G.* t. 52, col. 330; S. THOMAS D'A. 2-2^{ae}, q. 102 a. 1.

[32] S. AUG., *op. cit.,* loc. cit.

Les parents ont donc la mission de présenter eux-mêmes à leurs enfants, notamment dans leur premier âge, et d'une manière progressive, adaptée et concrète, le message du salut en leur apprenant en même temps à en vivre.

Pour assurer la croissance de leurs enfants dans la vie nouvelle à la lumière de la foi, les parents chrétiens ont également la mission de chercher à les insérer progressivement dans l'Eglise, en leur faisant recevoir l'enseignement religieux, en les faisant participer à la Liturgie, en leur permettant de bénéficier de l'action éducative, sous ses formes diverses, de la Hiérarchie et de la communauté chrétienne, et en collaborant alors avec ceux auxquels ils confient leurs enfants.

Enfin, le but de l'éducation de la foi vivante étant d'amener les jeunes à devenir adultes dans le Christ, à se sentir eux-mêmes responsables de la réponse qu'ils donnent à l'appel de Dieu, agents actifs de la croissance du Royaume en eux et, par eux, dans la société et dans le monde, c'est dans cette foi personnelle, active et engagée que les parents et les différents éducateurs chrétiens doivent chercher à faire grandir les jeunes.

Mère de ceux qu'elle engendre à la vie nouvelle, l'Eglise, épouse immaculée du Christ, ne peut pas ne pas se soucier de cette éducation de la foi vivante. Elle le fait notamment par la catéchèse au cours de laquelle elle explicite progressivement pour les jeunes le contenu du message chrétien, se souciant d'en manifester le lien avec la vie, et leur apprenant ainsi à envisager et à vivre toutes les réalités de leur existence à la lumière de la foi et de la charité, et à se considérer comme membres responsables de l'Eglise. Dans ce but, elle fait appel aux prêtres, aux religieux et aux laïcs et leur donne mission de catéchèse: le Saint Concile se plaît à les louer de leur participation active à l'exercice de sa tâche éducatrice, il les invite à s'en acquitter avec toujours plus de foi, de zèle et de compétence, et il appelle des membres plus nombreux du peuple chrétien à apporter volontiers leur concours à cet apostolat essentiel.

Et comme cette période d'éducation chrétienne de la jeunesse coïncide avec celle de la fréquentation scolaire, comme surtout le progrès dans la connaissance humaine doit aller de pair avec l'avancement dans la connaissance de Dieu et de son dessein de salut, l'Eglise attache une importance particulière à ce que sa mission éducatrice puisse s'exercer au cours de la scolarisation des enfants et des adolescents.

Beaucoup de jeunes baptisés, le plus grand nombre même en certaines régions, sont élevés dans des écoles où, en raison de la diversité d'opinions et de croyances, est observée la neutralité religieuse. L'Eglise reconnaît pour siens tous ces baptisés, elle se sait responsable de leur croissance dans la foi vivante, et elle les aime d'une égale affection.

Elle se préoccupe de leur offrir la catéchèse, et cherche, pour cette raison, à être présente dans ce milieu scolaire. Elle le fait par l'action directe de ceux, prêtres ou laïcs, auxquels elle confie la mission d'enseigner à ces jeunes baptisés la doctrine du salut, de les former à la prière liturgique et à l'existence selon l'Esprit, en essayant spécialement, à mesure qu'ils progressent dans le champ du savoir profane, de les aider à unifier leur vision de l'homme et du monde par la confrontation de la culture humaine et de la Parole de Dieu, et en se préoccupant aussi de les éduquer à l'apostolat, à l'esprit missionnaire et au dialogue.

L'Eglise assure également sa présence dans ce milieu scolaire par le signe que constitue soit le témoignage de vie, parfois silencieux mais efficace, rendu par

ceux de ses fils qui s'engagent dans ce secteur d'enseignement afin d'y contribuer, d'une manière originale et que l'Eglise considère comme très actuelle et nécessaire, à l'accomplissement de sa tâche apostolique,[33] soit le témoigne et l'action exercée par les élèves chrétiens, surtout les plus âgés, groupés au sein de petites communautés de vie chrétienne et d'apostolat, et qui prenant en charge leur milieu scolaire de vie, travaillent à y faire régner plus de justice, de loyauté, de pureté, d'amour, de respect des autres et de souci des pauvres.

Le Saint Concile rappelle aux parents chrétiens qu'il est de leur mission, par leur action dans la cité, de rendre possible la présence de l'Eglise dans le monde scolaire neutre, et qu'il leur appartient aussi de favoriser la participation de leurs enfants à cette catéchèse, et de collaborer avec ceux qui assument cette tâche. Il loue les pouvoirs publics qui favorisent l'exercice de la mission de l'Eglise, dans le respect de la liberté religieuse des non-chrétiens, comme de celle des catholiques.

Enfin, le Saint Concile invite de plus nombreux ouvriers de la vigne du Seigneur, laïcs comme prêtres, à apporter leur collaboration à cette forme si importante d'action catéchétique. Il se réjouit des efforts déployés à cette fin, en diverses régions, par des organismes spécialisés et il appelle les religieux et les religieuses à se préoccuper aussi de ce champ d'apostolat, soit en y apportant leur propre concours, soit en travaillant à la préparation de catéchistes pour ces écoles.

7. *Les Ecoles Chrétiennes.* L'Eglise assure sa présence dans le monde scolaire et travaille à l'éducation de la foi vivante des jeunes baptisés, d'une manière privilégiée, par l'école chrétienne.

La fonction spécifique des institutions scolaires chrétiennes, nées dans l'Eglise d'un propos d'évangélisation, est de manifester dans les faits que l'Eglise se soucie d'être présente à toutes les réalités humaines, et spécialement à celles de la culture, que, responsable de l'éducation des jeunes selon la vie nouvelle, elle ne se désintéresse ni de la dimension humaine présente à toute réalité d'ordre éducatif, ni de la préparation des jeunes à leur avenir temporel, étroitement lié à leur vie chrétienne et à leur salut.[34]

Par ailleurs, la forme de présence de l'Eglise au monde scolaire réalisée dans l'école chrétienne manifeste aussi que c'est *dans* le Christ que toutes choses ont été créées dans les cieux et sur la terre, les visibles et les invisibles, que c'est *pour* le Christ qu'elles ont été créées (*Col.* I, 15-18) et que c'est en Lui qu'elles trouvent leur sens ultime et leur consistance plénière (*1 Cor.* VIII, 6; *Jn.* I, 3), que la puissance de la Résurrection et la force de l'Esprit-Saint sont à l'œuvre dans le monde de la première création pour l'aider à se libérer de la servitude du péché et à entrer dans la liberté de la gloire des enfants de Dieu (*Rm.* VIII, 18-22) que la vocation de l'homme, chef de l'univers qu'il a mission de développer (*Gen.* I, 26-31) ne s'achève et ne prend tout son sens que dans la mesure où, par le Christ, il s'efforce de consacrer ce monde à Dieu, de le faire retourner au Père de qui procède tout bien (*1 Cor.* III, 22-23), que l'homme régénéré dans le Christ doit grandir dans l'unité selon l'être nouveau qu'il est devenu par le Baptéme, que

[33] PIE XII, Allocution à l'union catholique de l'enseignement public, 26 mars 1951, *A.A.S.,* 43 (1951), pp. 211-212.

[34] Lettre de la Secrétairerie d'Etat au Congrès du Bureau Intern. catholique de l'Enfance, 26 juin 1959, *L'Enfance dans le monde,* Bull. d'Inform. et de Document. B.I.C.E., juillet août 1959.

la compénétration de la foi et du savoir humain est appelée aussi bien par l'effort de l'homme pour comprendre le monde que par l'exigence interne de rayonnement qui caractérise la foi vivante. Ainsi, l'école chrétienne constitue une forme privilégiée de dialogue entre l'Eglise et le monde, dans le respect mutuel, la confiance et la prudence.[35]

C'est d'abord en étant cette présence de l'Eglise au cœur du monde scolaire et par le témoignage chrétien qu'elle porte de l'unité vivante et dynamique entre le savoir humain et la foi en Jésus-Christ, que l'école chrétienne contribue efficacement à l'éducation dans la foi vivante des jeunes qui viennent à elle. Aussi, selon l'enseignement traditionnel du Magistère, c'est le maître authentiquement chrétien qui constitue l'élément essentiel de l'école chrétienne et pour ainsi dire son âme.[36] L'école chrétienne ne peut donc être fidèle à sa vocation que si les maîtres vivant profondément de leur foi et de la charité du Christ, la manifestent à travers leurs relations entre eux, avec les parents, les élèves, les autres éducateurs, la traduisant pratiquement soit dans l'organisation et les structures de l'école, soit au cœur même de leur enseignement profane, et annonçant explicitement la Parole de Dieu par l'enseignement religieux qu'ils assurent, portent ainsi le témoignage vivant de l'unité recherchée entre la foi au Christ et l'engagement terrestre, entre les exigences intellectuelles et celles de la vie chrétienne, et entretiennent dans leur être même, pour ainsi dire, ce dialogue inlassablement poursuivi entre l'Eglise et le monde.

C'est pourquoi le Saint Concile tient à proclamer la grandeur de la vocation des enseignants chrétiens et la noblesse de leur mission qui fait d'eux des collaborateurs de Dieu et des ministres de l'Eglise dans l'exercice de sa mission éducatrice. Ainsi comprise et vécue, cette vocation constitue une forme authentique d'apostolat extrêmement approprié et nécessaire à notre époque, en même temps qu'un véritable service rendu à la société civile.[37]

Il tient à souligner tout particulièrement la valeur du témoignage ainsi porté dans le monde scolaire, soit par des religieux enseignants, spécialement laïcs, qui témoignent par leur vie même que la consécration totale à Dieu est féconde en fruits de salut et en bienfaits même temporels, que l'Eglise n'est pas indifférente au bien de la cité terrestre et qu'elle reconnaît le caractère sacré de la fonction enseignante en portant en leur personne, la consécration à l'enseignement jusqu'au niveau d'une consécration totale de l'être à Dieu, et aussi que la véritable vie de la cité terrestre et son authentique progrès ne peuvent se réaliser qu'en acceptant de mourir au péché — soit par les laïcs engagés dans le monde, et dont la présence et l'activité au sein de l'école chrétienne rappelle à l'Eglise elle-même qu'elle ne peut se désintéresser de la cité terrestre, que, pour être entendue d'eux, la Parole de Dieu doit se soucier d'atteindre les hommes au cœur même de leur existence et de leurs intérêts humains, et que le dialogue entre l'Eglise et le monde demande

---

[35] PAUL VI, Lettre Enc. *Ecclesiam suam, A.A.S.*, 56 (1964), pp. 644-645.

[36] *Divini illius, op. cit.*, pp. 80-81; PIE XII, Lettre au 3° Congrès Intern. des enseignants cathol., 5 août 1957, *A.A.S.*, 49 (1957), p. 859; JEAN XXIII, Allocution au 7° Congrès de l'Union catholique italienne de l'enseignement secondaire, 19 mars 1960, *Oss. Rom.*, 21 mars 1960.

[37] JEAN XXIII, Allocution au 7° Congrès de l'Union catholique italienne de l'enseignement sec., 19 mars 1960, *Oss. Rom.*, 21 mars 1960; PIE XII, Lettre au 3° Congrès des Enseignants cath., 5 août 1957, *A.A.S.*, 49 (1957), p. 859; Allocution à l'Institut Marcantonio Colonna, 22 mai 1951, *Discorsi e Radiomessaggi*, XIII, p. 116.

que chaque interlocuteur s'efforce de comprendre vraiment la signification du langage de l'autre.

Puisque c'est entre les mains des enseignants chrétiens que se trouve pour ainsi dire la réalité même de l'école chrétienne, le Saint Concile rappelle l'importance essentielle de leur formation sur les différents plans: celui de la culture profane, de la préparation pédagogique, de la connaissance des techniques modernes, comme celui de la formation doctrinale et spirituelle. Il demande tout spécialement aux Instituts religieux enseignants de se mettre volontiers au service de cette formation complète et unifiée de tous les enseignants chrétiens. Il invite tous ces enseignants à se renouveler avec foi, espérance et dynamisme dans leur mission au bénéfice de la cité terrestre et de la croissance du Royaume de Dieu.

C'est à travers toute la vie scolaire que l'action de la communauté enseignante — âme de l'école chrétienne — tend à exprimer la foi de l'Eglise, poursuit son dialogue avec le monde et contribue à l'éducation totale des jeunes dans la foi vivante et la charité. L'institution scolaire chrétienne doit se caractériser de la sorte par le climat évangélique fait de respect et de recherche de la vérité, du sens du sacré, d'attention aux personnes et de souci des pauvres, qui imprègne toute la vie scolaire et se traduit dans les relations interpersonelles, l'organisation des études, l'esprit de l'enseignement, le régime disciplinaire. Elle doit se caractériser également par la place centrale qu'elle donne à la Catéchèse, cherchant à conduire les élèves à une vie chrétienne plus personnelle et plus consciente, par l'enseignement religieux qui les aide à pénétrer mieux le sens intime du Mystère chrétien en même temps qu'ils progressent dans le savoir humain,[38] par l'initiation progressive à la Liturgie de l'Eglise, par l'éducation à la vie de charité fraternelle, à l'esprit apostolique, au souci missionnaire, ainsi que par le souci de promouvoir toujours plus leur engagement personnel, leur collaboration active à leur propre éducation chrétienne.[39]

Enfin, l'école chrétienne doit se caractériser par l'attention particulière qu'elle apporte à l'ouverture des esprits et à la formation des intelligences en vue de l'éducation de la foi vivante, ainsi que par son effort pour illuminer par la foi la vision que le jeune se donne progressivement du monde, de l'homme, de la vie terrestre.

Considérant donc que l'école chrétienne est dans la logique de la foi vivante qu'elle exprime et qu'elle éduque, le Saint Concile rappelle aux parents chrétiens que c'est à ceux que la responsabilité de cette institution chrétienne incombe en premier lieu, soit parce qu'il leur revient souvent de la fonder, de la soutenir, de défendre son droit à l'existence, soit parce qu'ils ont le devoir de confier leurs enfants aux écoles catholiques quand ils le peuvent, soit parce qu'ils doivent collaborer avec les institutions scolaires chrétiennes auxquelles ils confient leurs enfants, sans se décharger sur elles de leurs propres responsabilités éducatives,

---

[38] PIE XII, Allocution aux Elèves des Lycées de Rome, 24 mars 1957, *Discorsi e Radiomessaggi,* t. 19, p. 65; JEAN XXIII, Lettre Enc. *Princeps Pastorum, A.A.S.,* 51 (1959), p. 858; PIE XII, Allocution aux Lauréats du Concours Veritas, 30 sept. 1953. *Discorsi e Radiomessaggi,* t. 15, pp. 324-325.

[39] PIE XII, Radiomessage au Congrès Interaméricain d'éducation catholique, 6 octobre 1948, *A.A.S.* (1948), p. 446; Allocution au Convitto Nazionale maschile di Roma, 20 avril 1956, *Oss. Rom.,* 21 avril 1956; JEAN XXIII, Allocution 7° Congrès national de l'Union catholique italienne de l'Enseignement secondaire, 19 mars 1960, *Oss. Rom.,* 21 mars 1960.

soit enfin parce qu'ils ont à aider l'école chrétienne à demeurer fidèle à sa fonction scolaire, par la qualité des études profanes et leur adaptation aux nécessités présentes, ainsi qu'à sa fonction apostolique, par le souci primordial qu'elle accorde en fait à l'éducation chrétienne des jeunes.

8. *Les responsabilités des chrétiens en matière d'écoles chrétiennes.* En outre, le Saint Concile confie aux chrétiens des différentes nations le soin de chercher à adapter toujours plus leurs écoles aux besoins particuliers de leurs pays, faisant preuve sur ce point d'esprit d'initiative, d'élan généreux et d'espérance chrétienne, au service du bien commun engagé avec lucidité. Il souhaite particulièrement que, pour l'établissement, le développement, l'évolution des écoles chrétiennes, ils soient attentifs aux nécessités nationales, travaillant notamment au service des plus déshérités des biens de la culture, s'efforçant de promouvoir autant qu'ils le peuvent la collaboration avec les autres enseignants.

Il invite également les chrétiens, et spécialement les responsables directs des institutions scolaires chrétiennes à s'efforcer de répondre aux besoins les plus importants de l'Eglise, dans leur pays, en matière scolaire, cherchant en particulier à aller aux plus pauvres, travaillant à former leurs élèves à l'esprit missionnaire, se préoccupant de préparer à l'Eglise des apôtres, consacrés à Dieu dans le sacerdoce ou la vie religieuse, ou engagés dans l'Action Catholique et l'apostolat des laïcs. De la sorte, l'école chrétienne sera au service de l'Eglise tout entière.

Enfin, le Saint Concile invite instamment les responsables des institutions scolaires chrétiennes à travailler en collaboration avec les autres agents de l'action pastorale et éducative de l'Eglise, parents chrétiens, clergé, mouvements d'action catholique, sous la conduite des évêques et des conférences épiscopales, contribuant de la sorte à apporter au monde scolaire le témoignage vivant de l'Eglise et à mieux assurer l'insertion de leurs élèves dans la communauté chrétienne.

2

Exc.mus P. D. ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrinus, coad. Argentoratensis

I - *Critique du schéma.*

A) Le texte du schéma souffre de deux faiblesses: 1) Le rôle éducatif de l'Eglise est insuffisamment mis en relation avec sa mission apostolique. 2) La justification de l'Education Chrétienne est centrée sur les droits de l'Eglise et de la famille, trop peu, sinon pas du tout, sur les droits de l'enfant.

Le prooemium affirme bien que l'attention portée par l'Eglise aux tâches éducatives prend sa source dans la mission divine dont elle est investie; dans la suite de l'exposé, cet aspect disparaît presque totalement.

Il semblerait normal, outre la proclamation du droit naturel de l'éducation, de présenter la place et le rôle de l'Eglise ainsi que les critères de son activité dans ce domaine en référence à sa mission essentielle.

Ne pourrait-on reprende l'expression si heureuse « Mater et Magistra » pour montrer que l'Eglise est, parce que mère, maîtresse de vérité?

Cette vocation à la proclamation de la vérité, sa mission par excellence, l'Eglise l'exerce: soit par les institutions scolaires chrétiennes; soit par l'action des chrétiens, parents et enseignants, qui assurent des tâches éducatives; soit par la prédication immédiate des vérités religieuses et l'éducation de la foi; soit médiatement, à travers les disciplines profanes enseignées dans la lumière de la foi qui y discerne plus facilement la trace de Dieu. « Depuis la création du monde, en effet, ses œuvres rendent visibles à l'intelligence ses attributs invisibles, sa puissance et sa divinité » (*Rom.* 1, 20).

Mais c'est toujours l'unique souci de révéler Dieu aux hommes qui pousse l'Eglise à promouvoir l'enseignement profane pour affirmer concrètement l'harmonie de la raison et de la foi. (On pourrait se référer au schéma XIII).

B) Le schéma expose des principes fondamentaux concernant l'école. Le but de l'éducation chrétienne y est excellemment exprimé (§ 1).

De même affirme-t-on le droit inaliénable pour tout homme de recevoir une éducation adéquate (§ 2). Malheureusement les paragraphes suivants se perdent dans des voies secondaires ou se contentent d'affirmer les droits des uns et des autres sans en montrer le lien avec ce principe initial.

C'est pourtant du droit de chaque homme à être ce qu'il a vocation d'être que découlent les devoirs — et partant les droits — des groupes auxquels il appartient et qui ont pour raison d'être de promouvoir son bien.

C'est donc à partir du principe exprimé au § 2 qu'il faudrait définir les règles applicables à la famille, à l'Etat et à l'Eglise dans leur activité éducative.

II - *Propositions concrètes.*

A) A la suite du § 2, ne pourrait-on remplacer les § 3, 4, 5, 7 par un texte tel que celui-ci: « Le fondement et la norme de toute éducation est la vocation personnelle, humaine et surnaturelle de chaque homme que Dieu appelle à la plénitude de la vie et à la connaissance de son amour. Le but de toute éducation ne peut être que de favoriser cette vocation.

La famille, l'Etat, les institutions de l'Eglise trouvent dans le respect et le service de cette vocation de l'enfant la règle de leur tâche éducative, en même temps que sa justification.

Les parents qui ont, à un titre premier et inaliénable, le devoir et le droit d'assurer l'éducation de leurs enfants se rappelleront que l'enfant, avant d'appartenir à la famille est le sujet d'une vocation personnelle devant Dieu.

La société civile, quand elle relaie ou supplée la famille dans sa tâche éducative doit prendre pour règle de son activité le bien naturel et spirituel de chacun. C'est par là qu'elle assure le bien de l'ensemble. Elle ne saurait le faire sans tenir compte des exigences familiales dans le domaine de l'éducation de la foi, et plus généralement sans assurer à tous ceux qui fréquentent ses écoles le droit d'entendre l'annonce du salut.

Suivant les circonstances et les besoins, l'Eglise elle-même, en collaboration avec les familles et la société civile, ou de sa propre initiative — en vertu de son devoir d'annoncer aux hommes le salut — crée, dirige ou anime des écoles selon l'esprit de l'Evangile pour témoigner aux yeux du monde que l'éducation chrétienne assure l'épanouissement des personnes et les prépare au meilleur service de la communauté ».

B) S'il était impossible d'insérer dans la nouvelle rédaction *tout* le texte cidessus, qu'on veuille au moins, à la suite du § 2, insérer ce qui suit: « Le fondement et la norme de toute éducation est la vocation personnelle, humaine et surnaturelle de chaque homme que Dieu appelle à la plénitude de la vie et à la connaissance de son amour. Le but de toute éducation ne peut être que de favoriser cette vocation.

La famille, l'Etat, les institutions de l'Eglise trouvent dans le respect et le service de cette vocation de l'enfant la règle de leur tâche éducative, en même temps que sa justification ».

N.B. Cette référence à la vocation et aux droits de l'enfant devrait permettre le dialogue avec des secteurs de l'opinion publique qui sont heurtés par une affirmation trop unilatérale du droit des familles.

3

EXC.MUS P. D. IOANNES POHLSCHNEIDER
Episcopus Aquisgranensis

a) Revera nimia *brevitas schematis deploranda* est. Non totum mutandum est, sed diversae enuntiationes essentiales fusius et clarius tractari possunt et debent.

b) Brevis *fundatio theologica* et *biblica* valde optanda esset (cf. meam interventionem in aula - Animadversiones pag. 37).

c) Quoad *titulum* retraho meam propositionem et commendo tamquam titulum: *De educatione christiana, in specie de scholis*; vel: *De educatione christiana in scholis.*

d) Encyclicae *Divini illius Magistri,* si possibile est, mentio fieri deberet.

Forsitan exprimi potest principia fundamentalia ibi statuta etiam pro mundo hodierno adhuc esse maximi momenti.

e) Modus n. 11 propositus (*Modi,* pag. 5) pro primo inciso prooemii bonus esse videtur.

Ad n. 1: *a*) Mihi placeret, si in initio huius numeri statueretur tamquam principium fundamentale ius omnis hominis ad adaequatam educationem (cf. *Modi,* pag. 9, Adnotatio 9).

b) Etiam modus 3 (*Modi,* pag. 7) placet.

c) Quia in interventionibus in Aula Patres saepe saepius de spiritu apostolico in scholis catholicis fovendo locuti sunt, utiliter in *Declaratione,* pag. 12, lin. 2 post verba « ... vocationis conscii » interponi potest: « et spiritu apostolico imbuti consecrationi... ».

Ad n. 2: Modi ad hunc numerum traditi examinatione digni sunt.

Ad n. 3: Aliquo modo exprimatur familiam in educatione iuventutis primum locum tenere.

Ad nn. 4 et 5: Melius esset ex nn. 4 et 5 facere quattuor numeros. Sermo fiat:

1. de iure et officio *parentum* circa filiorum educationem (nonnulla ex Encyclica *Divini illius Magistri* vel similia breviter dici possunt: cf. DENZ. 3690. Deinde adiungatur id quod legitur in Declaratione, pag. 12, n. 4: « His enim primum... adversatur »).

2. De *iure Ecclesiae* (cf. DENZ. 3686-3689: cf. etiam *Animadversiones* in Aula vel in scriptis propositas, pp. 28, 36, 66, 83, 114, 127).

3. De *iure et officio societatis civilis* (cf. DENZ. 3691 ss.: cf. etiam *Animadversiones,* pp. 30 et 115).

4. Hic dicantur ea vel similia quae in Declaratione sub n. 5 leguntur.

Deinde adiungatur: « Iustitia distributiva postulat, ut societas civilis omnes scholas, etiam sic dictas privatas, si aequi valoris sint, aequali modo ac scholas proprias seu publicas pecunia et aliis subsidiis adiuvet.

In omnibus Respublica connexionem et subordinationem finium consequendorum, diversam naturam auctoritatis exercendae et *principium subsidiaritatis* prae oculis habeat » (cf. *Modi,* pag. 12 - Adnot. 7 c, pag. 13, Adnot. 2, *Animadversiones,* pp. 1, 6, 27, 34, 35, 122, 123, 130).

Ad n. 6: In fine primae paragraphi n. 6 post verba « temporumque condicione » addatur: « Etiam Scholae status, i. e. scholae publicae, nequaquam e natura rei debent esse laicisticae nempe a religione eiusque veritatibus et principiis moralibus abstrahentes. Quamquam societas civilis externas conditiones materiales et organisatorias pro re scholastica praebet, tamen principia interna educationis et praeprimis fundamenta religiosa secundum conscientiam genitorum statuenda sunt.

Ideo Respublica pluralitatem societatis humanae respiciens etiam pro pueris catholicis, in quantum numerus discipulorum sufficiens habetur, proprias scholas erigat, nisi iam huiusmodi scholae sic dictae privatae adsint.

Ubicumque tamen pueri catholici nonnisi scholas acatholicas visitare possunt, Ecclesia illos pari affectu diligit et pro eis curam habet. Tunc imprimis parentibus solemniter recolit grave officium quod eis competit omnia disponendi vel etiam exigendi ut filii sui magistros religionem catholicam docentes adire possint et formatione christiana eodem gressu ac profana progrediantur. Propterea illas auctoritates et societates civiles dilaudat, quae familias in hoc munere explendo adiuvant » (cf. *Modi,* pag. 14, Adnot. 3, *Animadversiones,* pp. 6, 22, 71).

Ad n. 7: *a*) Ius Ecclesiae condendi scholas hic expresse declaretur, nisi iam antea (cf. animadversionem meam ad nn. 4 et 5) exprimebatur.

b) In pag. 13, lin. 1, post verbum « fovet » dicatur: « in quibus alumni in omnibus profanis disciplinis sub *lumine fidei* edoceantur eamque *formationem* humanam simul et christianam assequantur qua... » (cf. *Modi,* pag. 17, Adnot. 4 b et 4 c).

c) Nonnulla ex adnotatione 4 d (*Modi,* pag. 18) forsitan adiungi possunt.

d) Linn. 7-9 in Declaratione, pag. 13 (de officio parentum liberos concredendi scholis catholicis) *nequaquam* delendae sunt, sicut in *modo* 6 b optatur.

Ad n. 9: *a*) In initio huius numeri utiliter dici potest: « Superiores pariter scholas, *praesertim ad formandos futuros magistros,* et Universitates ac Facultates Ecclesia sedula... ».

b) Ad hunc numerum addatur: « Ad novam synthesim culturalem iuxta catholicam doctrinam fovendam in omnibus Universitatibus catholicis habeatur Facultas Sacrae Theologiae, quae totius Universitatis veluti centrum sit et sine qua vera universalitas scientiarum non habetur » (cf. schema prius confectum *De scholis catholicis,* sub n. 12, pag. 13, et *Animadversiones,* pag. 86 s., et *Modi* pag. 22, Adnot. 5).

c) Addatur: « Etiam in civiles Universitates inducantur, ubi fieri possit, Facultates theologicae aut saltem Theologiae Instituta vel Cathedrae, cum sacra Theologia sit omnium scientiarum regina et culmen » (cf. *Modi,* pag. 9, Adnot. 6 a).

d) Restituantur verba in schemate *De scholis catholicis* (pag. 8, linn. 27-30): « Iuvenes praeclarioris ingenii sive catholicarum sive aliarum Universitatum, qui ad docendum et investigandum aptiores videantur, peculiari cura excolantur et ad magisteria suscipienda promoveantur » (cf. *Animadversiones,* pag. 87).

Ad n. 11: Utiliter addi potest: « In omni dioecesi constituatur aliqua commissio scholaris quae quaestiones educationis studeat, collaborationem cum paroeciis, parentibus, magistris scholarum et, in quantum possibile est, etiam cum personis gubernii civilis promoveant, dialogum cum religiosis congregationibus instituat ad completam insertionem scholarum dioecesis in communi missione apostolica » (cf. *Modi,* pag. 23, Adnot. 3).

Ad conclusionem. Conclusionem sequentem vel similem propono: « Schola catholica nascitur, vivit et exstinguitur cum suo magistro. Ideo quoque educatio magistrorum est maximi et essentialis momenti et secundum voluntatem Sanctae Synodi instituenda est supra fundamentum religiosum. Solus magister, qui ipse fidem christianam in tota eius plenitudine et pulchritudine cognovit et propriam suam vitam ex hac fide format, homines revera christianos formare et educare poterit.

Ecclesia gratissimam se profitetur erga sacerdotes, fratres religiosos, moniales, sorores et innumeros laicos, qui evangelica sui deditione in immensum educationis et scholarum cuiusvis generis et gradus opus incumbunt, et eos enixe rogat, ut ex amore Dei in suscepto munere generose perseverent et tum in alumnos spiritu Christi imbuendo tum in arte paedagogica necnon in scientiarum studio ita excellere nitantur, ut non solum internam renovationem Ecclesiae promoveant, sed etiam eius beneficam praesentiam in mundo moderno servent et augeant.

Semper memores sint verbi ex libro Danielis prophetae: "Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates " (*Dan.* 12, 3) » (cf. *Modi* pag. 24, Adnot. 3 et 4; cf. *Animadversiones,* pp. 39, 77, 115, 121).

4

Exc.mus P. D. IOANNES SAUVAGE
Episcopus Anneciensis

J'ai voté iuxta modum pour le schéma de déclaration sur l'*Education chrétienne.* Je vous fais part, pour que vous le communiquiez à qui de droit, de ma profonde insatisfaction concernant ce schéma.

Cette insatisfaction a pour cause première que le schéma ne peut être publié tel quel sans amener de la part de tous ceux qui s'intéressent à l'Ecole chrétienne une profonde déception. Ceci ne serait rien si l'on ne devait craindre, dans les régions où l'on se pose des questions, des lassitudes et des abandons regrettables. Il me semble que le Concile doive faire plus et mieux qu'il n'a fait.

Cette insatisfaction s'accroît quand je me remémore comment la discussion et les votes sur ce texte sont venus à un moment où nous avions d'autres et plus graves soucis, et, qui plus est, en fin de Session.

En relation étroite avec les Frères Enseignants, spécialement avec les Frères des Ecoles Chrétiennes, je me permets de faire mien le projet de refonte ci après. Le temps me manque pour monnayer celà en Modi qui puissent s'introduire dans

le texte existant et l'améliorer. Mais je suis persuadé que les Periti qui doivent travailler à ce texte trouveraient bien moyen d'apporter ces améliorations. J'espère qu'ils ne reculeront pas devant le travail important que celà demande. L'enjeu en vaut la peine.

En vous remerciant d'avance, Excellence, de l'obligeance avec laquelle vous voudrez bien transmettre cette requête à laquelle j'attache un grand prix, je vous prie d'agréer l'hommage de mon meilleur et fraternel respect en Notre Seigneur.

* * *

Cf. pag. 783-792 Introduction. 1-6.

7. *Les Ecoles Chrétiennes.*

L'Eglise assure sa présence dans le monde scolaire et travaille à l'éducation de la foi vivante des jeunes baptisés, d'une manière privilegiée, par l'école chrétienne.

La fonction spécifique des institutions scolaires chrétiennes, nées dans l'Eglise d'un progrès d'évangélisation, est de manifester dans les faits que l'Eglise veut être présente à toutes les réalités humaines, et spécialement à celles de la culture, que, responsable de l'éducation des jeunes selon la vie nouvelle, elle ne se désintéresse ni de la dimension humaine présente à toute réalité d'ordre éducatif, ni de la préparation des jeunes à leur avenir temporel, étroitement lié à leur vie chrétienne et à leur salut.[32]

Par ailleurs, la forme de présence de l'Eglise au monde scolaire réalisé dans l'école chrétienne manifeste aussi que c'est dans le Christ que toutes les choses ont été créées dans les cieux et sur la terre, les visibles et les invisibles, que c'est pour le Christ qu'elles ont été créées (*Col.* 1, 15-18) et que c'est en Lui qu'elles trouvent leur sens ultime et leur consistance plénière (*1 Cor.* 8, 6; *Jn.* 1, 3), que la puissance de la Résurrection et la force de l'Esprit sont à l'œuvre dans le monde de la première création pour l'aider à se libérer de la servitude du péché (cf. *Rom.* 8, 12-22) et que la vocation de l'homme, chef de l'Univers qu'il a mission de développer (*Gen.* 1, 26-31), ne s'achève et prend son sens que dans la mesure où par le Christ, il s'efforce de consacrer ce monde à Dieu, de le faire retourner au Père de qui procède tout bien (*1 Cor.* 3, 22-23).

Enfin l'école chrétienne offre un terrain privilégié au dialogue entre l'Eglise et le monde, dans le respect mutuel, la clarté, la confiance et la prudence.

C'est d'abord par sa présence même au cœur de leur monde scolaire et par le témoignage chrétien qu'elle porte d'unité vivante et dynamique entre le savoir humain et la foi en Jésus-Christ que l'école chrétienne contribue efficacement à l'éducation dans la foi vivante des jeunes qui viennent à elle. Aussi, selon l'enseignement traditionnel du Magistère, c'est le maître authentiquement chrétien qui constitue l'élément essentiel de l'école et pour ainsi dire son âme.[33] L'Ecole chrétienne ne peut donc être ce qu'elle doit être que lorsque les maîtres vivant profondément de leur foi et de la charité du Christ, la manifestant à travers leurs relations entre eux, avec les parents, les élèves, les autres éducateurs, la traduisent pratiquement soit dans l'organisation et les structures de l'école, soit au cœur même

[32] Cf. nota 34 pag. 792.

[33] Cf. nota 36 pag. 793.

de leur enseignement profane, et annonçant explicitement la Parole de Dieu par l'enseignement religieux qu'ils assurent, portent ainsi le témoignage vivant de l'unité vécue entre la foi au Christ et l'engagement terrestre, entre les exigences intellectuelles et celles de la vie chrétienne et entretiennent dans leur être même, pour ainsi dire, ce dialogue inlassablement poursuivi entre l'Eglise et le monde.

C'est pourquoi le Saint Concile tient à proclamer la grandeur de la vocation des enseignants chrétiens et la noblesse de leur mission qui fait d'eux des collaborateurs de Dieu et des ministres de l'Eglise dans l'exercice de sa mission éducatrice. Ainsi comprise et vécue, cette vocation constitue une forme authentique d'apostolat extrêmement approprié et nécessaire à notre époque, en même temps qu'un véritable service rendu à la société humaine.[34]

Il est à souligner tout particulièrement la valeur du témoignage ainsi porté dans le monde scolaire, soit par les religieux enseignants, spécialement laïcs, qui témoignent par leur vie même que la consécration totale à Dieu est féconde en fruits de salut et en bienfaits même temporels, que l'Eglise n'est pas indifférente au bien de la cité terrestre et que la véritable vie de cette cité et son authentique progrès ne peuvent se réaliser qu'en acceptant de mourir au péché, soit par les laïcs engagés dans le monde dont la présence dans l'école rappelle à l'Eglise elle-même qu'elle ne peut se désintéresser de la cité terrestre, que, pour être entendue d'eux, la Parole de Dieu doit se soucier d'atteindre les hommes au sein de leur existence et de leurs intérêts humains, et que la dialogue entre l'Eglise et le monde demande que chaque interlocuteur s'efforce de comprendre vraiment la signification du langage de l'autre.

Puisque c'est entre les mains des enseignants chrétiens que se trouve pour ainsi dire la réalité même de l'école chrétienne, le Saint Concile rappelle l'importance essentielle de leur formation sur les différents plans: celui de la culture profane, de la préparation pédagogique, de la connaissance des techniques modernes, comme celui de la formation doctrinale et spirituelle. Il demande tout spécialement aux Instituts religieux enseignants de se mettre volontiers au service de cette formation complète de tous les enseignants chrétiens. Il invite enfin tous les enseignants à se renouveler avec foi, espérance et dynamisme dans leur mission au bénéfice de la cité terrestre et du progrès du Royaume de Dieu.

J'assume ce projet refondu de déclaration, et demande que la commission compétente fasse l'impossible pour qu'il en soit tenu compte.

5

Rev.mus P. D. VILLELMUS VAN HEES

Magister generalis Ordinis Sanctae Crucis

N. 2 (pag. 5, lin. 21): loco « utpote anima spirituali et immortali praeditum », legatur: « ..., utpote intellectu penetrante et ratione praeditum et ad libertatem interiorem vocatum, ... etc. ». *Ratio* est: cum philosophi inveniuntur, qui negant immortalitatem animae demonstrari posse, magis congruum videtur ut ratiocinatio sequatur, quae etiam ab ipsis admitti posset.

N. 11 (pag. 7, lin. 22): post « concordiam » inseretur: « ..., atque ad perfectam illam synthesin elaborandam, cuius ... etc. ». *Ratio* est: quaeri potest, num sola

[34] Cf. nota 37 pag. 793.

concordia sufficiat. Synthesis fortior sonat quam concordia, quae perfectam independentiam inter duas vitae regiones innuere videtur. Sed *finaliter* omnia ad unitatem coalescere debent. Propterea quaeri potest numquid non modo adhuc fortiori synthesis illa exprimenda esset, in luce videlicet realitatis eschatologicae. Tunc a lin. 21 textus componi posset prout sequitur: « ... ad testandam plenam illam fidei cum ratione concordiam, cuius magister exstitit S. Thomas Aquinas, atque ad perfectam illam synthesim praeparandam et elaborandam, qua quodammodo ipsum regnum Dei in terris exprimitur ».

Ulterior explicatio: quaestio hic tangitur, quae finaliter in schemate XIII solvi debet. Si Concilium non superficialiter sed profunde res tractare desiderat, tunc etiam hoc loco realitatem eschatologicam praetermittere non potest! Est quaestio, quae ipsam Ecclesiae essentiam tangit.

N. 17 (pag. 9, lin. 16): loco « et ad altiorem veritatis naturalis et supernaturalis cognitionem perducantur », legatur: « ... et ad altiorem totius veritatis cognitionem perducantur ». *Ratio* est: expressio ista tam supernaturalem quam naturalem cognitionem includit, sed non credentes non scandalizat.

6

EXC.MUS P. D. HONORATUS M. VAN WAEYENBERGH

Episcopus tit. Gilbensis, aux. Mechliniensis-Bruxellensis

Hucusque, complures ob rationes, diligentissime opportunum duxi me personalem et directam partem in decursu sollemnium sessionum huius Concilii vitare. Persuasum nam mihi erat sat multis Patribus maxima auctoritate fruentibus etiam ex Belgio facultatem datam esse ut nobis sententias suas traderent. Praeterea in memoriam revocare placet magnas partes quas habent exc.mi ac rev.mi episcopi Belgii necnon eruditissimi viri periti qui in nostris Facultatibus docent. Iste honor nostro veteri Instituto tributus nos utique gaudio sed etiam periculosa superbia replere posset.

Cum autem per annos fere viginti quinque munere rectoris magnifici Universitatis Catholicae Lovaniensis functus sim et cum, ab anno 1949, i. e. a creatione Foederationis Internationalis Universitatum Catholicarum, per undecim annos, annuente Summo Pontifice Pio XII venerabilis memoriae, eius praeses fuerim, congruens credidi quasdam animadversiones proprio nomine sed cum consensu plurium episcoporum circa schema *de scholis catholicis* ad cap. III, *de Universitatibus Catholicis,* proponere posse. Et eo maiore libertate quod exc.mi episcopi Belgii, approbante Summo Pontifice, me nuper, ob legem aetatis, ab omni officio in Universitate liberarunt.

Sane primum membris commissionis gratulari velim laborem praestitum; nam hunc textum, mea humili opinione, uberiorem duco quam credi posset. Principia enim revocat quae continentur Litteris Encyclicis, Iure Canonico, recentibus declarationibus Summorum Pontificum, nempe: uniuscuiusque ius ad institutionem mentis et animi; iura parentum et missionem Ecclesiae; momentum Catholicae Universitatis et eius diffusionem ab Ecclesia per totum orbem terrarum, dummodo adsint opes et viri periti; momentum sacrarum facultatum in Universitate et earum salutaris influxus in ceteras facultates humanas et etiam sic dictas positivas; officium subsidiarium Status bene et efficaciter recognoscendi et adiuvandi institutiones liberas, condendi talia instituta ubi deficerent, et stimulandi investigationem scientifi-

cam; mutuum auxilium Universitatum Catholicarum et generalem cooperationem earum etiam cum non-catholicis institutionibus praesertim in alta investigatione scientifica; etc. Quae omnia dilucide ordinantur cum voto suscepto ut in Codice Iuris Canonici pressius et clarius exprimantur.

Utique omnes legimus documenta de hac materia publicata a Summis Pontificibus inde a Leone XIII usque ad Paulum VI in *Ecclesiam suam.*

Utile est et textus inde excerptos hic citare sed ad hoc tempus deest. Refero tamen ad illam Encyclicam quam prae oculis habetis; ex alia parte iuvat me illas eloquentes litteras revocare missas ab illo magno Papa Pio XII conventibus « Pax Romana » annis 1952 et 1958 ex quibus paucas sententias in lingua authentica praelegam: « Cette mission de l'Université qui rapproche les hommes et les peuples dans une pacifique collaboration des intelligences, serait décevante si elle ne s'achevait en une progressive coordination des connaissances entre elles. La communion des esprits pourrait-elle se faire utilement hors de l'unité de la vérité?

« Université », observions-nous naguère, ne dit pas seulement juxtaposition de facultés étrangères les unes aux autres, mais synthèse de tous les objets du savoir ... Et les progrès modernes, les spécialisations toujours plus poussées rendent cette synthèse plus nécessaire que jamais » (Discours à l'Institut Catholique de Paris, 21 sept. 1950). A vrai dire, ils le rendent aussi plus difficile et plus fragile et l'Université se doit de la préserver de deux écueils contraires. Le premier serait l'ingérence indue de l'Etat qui, outrepassant ses pouvoirs, prétendrait imposer à l'enseignement, pour des fins politiques ou idéologiques, l'unité factice d'une philosophie arbitraire. Mais, à l'inverse, l'Université servirait mal sa mission en s'abandonnant au pluralisme ou à un syncrétisme superficiel; au seul plan de la connaissance naturelle, il lui appartient de dépasser la diversité des disciplines, de promouvoir une sagesse et de former la personnalité intellectuelle de l'étudiant: qu'elle se garde donc de faillir à sa plus haute mission, qui est de donner à de jeunes esprits le respect de la vérité, de les guider vers les libres démarches indispensables à leur maturité intellectuelle.

Mission délicate, toute de fermeté et de discrétion, à laquelle nous convions spécialement nos Universités catholiques, illuminées dans leur tâche par les splendeurs de la foi; elles seules peuvent poursuivre l'effort de synthèse jusqu'à la clef de voûte de l'édifice, car « cette unité ne tendra vers sa perfection que dans la mesure où elle se cherchera en Dieu, dans la charité éclairée par la science, selon la vérité unique de l'Evangile, sous la conduite de l'Eglise une et sainte ». Au service de la jeunesse étudiante, de telles Universités, couronnées par l'enseignement de la philosophie chrétienne et de la théologie, seront des écoles de vérité; elles seront aussi des maîtresses de vie chrétienne, morale, civique et sociale » (*Acta Pii XII,* 12-8-1952, p. 729) vel etiam (*Osservatore Romano,* 31-8-1958, p. 1: Message au 24ème Congrès): « Il est bon de proclamer les véritables libertés de l'esprit et d'en assurer la protection contre toutes formes abusives de pressions politiques, sociales et philosophiques. Vous aimerez, ce faisant, à montrer à quel point l'Eglise sert les progrès du savoir humain, quand, fidèle à la mission de son divin fondateur de rendre témoignage à la Vérité (*Jo.* 18, 37) elle garde tantôt ses fils de funestes abus de la liberté, et tantôt revendique pour eux les justes franchises de la vie intellectuelle et le droit de connaître et de répandre ce qui est vrai ... C'est un fait que par l'autorité que vous confèrent votre culture et la compétence acquise dans votre profession, vous constituez pour votre entourage une question

et une réponse (Discours du 27 avril 1957, *A.A.S.,* t. 49, p. 298)... Et si l'on vous questionne, sachez répondre de votre foi. Que votre culture religieuse soit proportionnée à vos connaissances profanes, que votre charité soit toujours disponible aux besoins de vos frères ».

Puis-je ajouter moi-même que la science reconnaît ses erreurs et se corrige, parce qu'elle sait qu'« errare humanum est, perseverare autem diabolicum » et que ce n'est, en cette matière, pas seulement l'Eglise qui peut se tromper et se redresser, comme elle l'a toujours fait. La science expérimentale n'oserait plus enseigner aujourd'hui ce qu'elle a soutenu il y a soixante ans, lorsque l'usage des forces électriques commençaient à trouver des applications pratiques. Que dira-t-on dans un demi-siècle de l'énergie nucléaire? Nous la connaissons telle qu'elle se trouve employée dans des proportions réduites mais assez puissantes dans la propulsion du cargo américain « Savannah » que j'ai été autorisé à visiter en tous les détails lors de son passage à Anvers en octobre.

Oblivisci non possum nonnullos venerabiles Patres in sessione diei 4 novembris, in qua tractabatur problema de Ecclesia coram cultura, dilucide attentos nos fecisse de variis adspectibus investigationis scientificae. Inter eos nominari possunt exc.mi ac rev.mi DD. Talamas, episcopus mexicanus, de Provenchères, ep. Aquensis, Zoa, ep. Yaundensis in Cameroun, Elchinger, ep. Argentoratensis, Proaño, ep. Rivibambensis in Ecuador; qui locuti sunt de natura indagationum, de prudentia deque libertate necessaria, de possibilitatibus diffusionis, de analphabetismo in Africa et in America Latina, de sic dicto « imperialismo dogmatico ».

Nihil prorsus aliud facere possum nisi illis gratias agere quam maximas: itaque ipse ego urgere non debeo. Item schema *de institutione sacerdotali* refert de studiis universitatis (n. 18).

Et in hac disceptatione em.mus card. Léger et exc.mus D. Daem mentionem fecerunt de Foederatione Internationali Universitatum Catholicarum.

Ipse Summus Pontifex Paulus VI feliciter regnans, die 3 octobris Sessioni Academiae Pontificiae officium investigationis scientificae praescripsit ut in omnibus rebus veritatem detegeret simulque suggessit apertam ac sinceram cooperationem cum Institutis etiam non confessionalibus. Quae mens absque dubio viget in selectione sodalium, in compositione et in activitate istius Academiae. Talem conceptionem investigationis scientificae etiam exposuit Summus Pontifex cum recenter recepit delegationem Congressus Canceriologici.

1. Prima animadversio mea spectat ordinem ac tenorem textus quem mallem clariorem, breviorem, magis concretum. Sed, si adsunt iterationes, quaedam momentosae considerationes deficiunt. Iura e. g. et officia Status, etsi in relatione nominentur, minus dilucide exprimuntur quam in Litteris Encyclicis. Praeterea liceat mihi dolere quod, in proposito textu, ne mentio quidem facta sit de Foederatione Internationali Universitatum Catholicarum de qua supra. Et tamen, plus quam quodvis aliud institutum, nata est illa ut per orbem terrarum in re scientifica contactus habeat cum non-catholicis, immo cum non-christianis. Possit etiam, ut clare exposuit em.mus cardinalis Léger, Commissiones Concilii adiuvare et illis utilis esse. Quare, in votis est ut magis libera — non dico independens — agere possit quin inutilibus restrictionibus refringatur. Vera et efficaci fiducia quae ei convenit maior fiet proventus eius in apostolatu scientifico qui differt ab inopportuno proselytismo. Experientia docet econtra imponderabilia etiam apostolice agere posse.

Perutile puto in memoriam revocare efficacem auctoritatem quam ob firmitudinem veritate nixam, nostri sodales sibi conciliaverunt in Congressu Internationalis Associationis Universitatum in civitate Mexicana anno 1950 habito.

2. Deinde optarem ut clarius exprimatur ius Ecclesiae, de facto nomine primaevi iuris parentum agentis sed missione innitentis Illi a Domino nostro Iesu Christo data: « Ite, docete omnes gentes ». Ex qua missione oritur illius ius instituendi, fruendi (testimoniis recognitis, subventionibus, libertate), libere docendi, dum in omnibus rebus et ubique efficiat ut cognoscatur et ametur Ille qui dixit « Ego sum veritas » et quem S. Ioannes in initio Evangelii sui nobis ostendit « plenum gratiae et veritatis ».

3. Si optamus ut sint sane Universitates Catholicae numerosae, magis in votis est ut sint verae, authenticae, omnimodo dignae et seriae. Institutionis universitariae cor et medulla semper est ipse labor absconditus, probus, protractus inquisitionis acutissimae et perscrutationis indefessae realitatis, cuiusvis generis sit in ordine physico, historico, sociali-humano, immo divino. Si nostrae universitates non intendunt alumnos serie et probe instruere et formare ad personalem investigationem, ad considerationem fidelem et possessionem criticam realitatis et veritatis, ad conscientiam plenam professionis exercendae, non fient nisi scholae secundariae, absque spiritu, absque methodo verae universitatis. Quos verteret in magnum detrimentum pro Ecclesia quae illas institutiones ut sua commendaret. Tales econtra educi debent alumni ut vere respondeant descriptioni iam allatae, a Pio XII propositae: « Par l'autorité de votre culture et la compétence acquise dans votre fonction, vous constituez pour votre entourage une question et une réponse » (Pie XII, Discours du 27 avril, *A.A.S.,* t. 49, p. 298). Et si, rebus sic stantibus et mediis vel professoribus deficientibus, impossibile videtur universitatem condere, consilium dare audeo quod, iam ante paucos annos, em.mo card. Frings et em.mo card. Cerejeira suggessi, de creatione Instituti, extra Universitatem sed ei coniuncti, pro scientiis religiosis, pro scientiis socialibus ad mentem encyclicarum, ac pro philosophia, ad instar institutorum in quibusdam universitatibus catholicis iam existentium. Id etiam loquitur, in schemate, art. 25.

Labores in officinis in rebus quae pertinent ad scientias positivas, itemque disceptationes in scientiis sic dictis humanis, interdum efficere valent ut, per errores qui saepe illis investigationibus proprii sunt, aliquo modo mysteria quae nos circumdant revelentur.

Em.mus D. card. Mercier, clarissimum exemplar vitae interioris, eruditissimus professor invitatus a Summo Pontifice Leone XIII, ut partes sumeret in restauranda philosophia ad mentem divi Thomae, amantissimus Patriae in rebus asperis defensor, laudem tribuit errori quem vir scientiarum evertere et restituere conatur, ubi primum conversionem necessariam suspicatur.

Quod supponit libertatem mentis in omni serena probitate et proinde necessitatem moralem cooperandi cum aliis doctis viris quin nimis strictae normae suffocent illos qui proprio nomine aliquid novi exquirere audent.

Illa libertas agnoscit auctoritatem alienam et observantiam opinionum quae nituntur recta conscientia. Ex caritate christiana Universitates nostrae tenentur eamdem libertatem observare dum beneficiis fruuntur quae ipsa vitae morali veri indagatoris praebet.

Id decet cunctas veras Universitates. En sensus exclamationis altissimi angoris

S. Augustini: « Inquietum est cor meum donec acquiescat in te, Domine » (*Confess.* I, 1). Inde vera caritas scientifica hac norma, saepe S. Augustino tributa, exprimitur: « In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas ».

Summus Pontifex feliciter regnans Paulus VI illam libertatem laudavit in Litteris Encyclicis suis *Ecclesiam suam,* cum locutus est de dialogo cum christianis.

Antiqua nostra Universitas per plus quam quinque saecula, praesertim temporibus persecutionis, tribulationis vel destructionis, semper Ecclesiam defendit. Haec tamen firmitudo numquam impedivit quominus perpetuo contactus haberet in isto spiritu verae caritatis quem oecumenicitas suadet. Qua in re, Universitas non debet considerari nec regi ut seminarium, et haec distinctio semper prae oculis habenda est.

In decursu nostrae historiae amplissimas distinctiones academicas contulimus eminentissimis viris, regibus ac principibus, summis Ecclesiae dignitatibus ac eruditissimis professoribus, in re politica praeclarissimis viris ac exercituum ducibus, immo et benefactoribus multis; tamen numquam ab illis praevia fidei professio fuit expetita.

Cum anno praeterito, in conventu publico ac sollemni, archiepiscopum anglicanum Cantuariensem, Doctorem Ramsay, in Universitate nostra excepimus, non dubitavi illum ex corde salutare et, meo nomine verba facere potuissem quae ille nobis fecit.

Nonne hoc nuperrime hic laudavit in libertate scholarum in Britannia Reverendissimus Dominus Heenan, archiepiscopus Westmonasteriensis?

Mihi liceat nunc, in spiritu universitatis in memoriam revocare quae em.mus D. card. Wyszyński hic dixit de obligatione quae incumbit societatibus scientificis et Ecclesiae (i. e. ergo Seminariis et Universitatibus) ut studiis et commentariis melius intellegantur magnae Litterae Encyclicae Sociales Summorum Pontificum, praesertim novissimorum temporum. Satis dictum erit in aula de caritate christiana, sed minus dictum est eam caritatem christianam praesupponere iustitiam socialem et internationalem. Quae iustitia socialis implicat non solum saniorem repartitionem bonorum propriorum vitae decentis, sed etiam — nec minus — ex amore veram observantiam dignitatis humanae in persona eorum hominum qui sunt pauperrimi et eheu miserrimi. Quem amorem nuper actu generosissimo exaltavit Summus Pontifex.

Si, in actione sociali ut vocatur, mihi licet evocare quae mihi propria fuerunt, liquido scio quanti momenti fuerint activitates ut v. g. « Iuventus Operaria Christiana » (J.O.C.) de qua hic locutus est eius Praeses Internationalis, et Actio « Patronorum Christianorum ». Quibus operibus nascentibus in nostra patria adesse et incipientibus operam praestare mihi feliciter contigit. Si de iis loqui audeo, memorare volo conditores harum consociationum ut sunt vel erant v. g. pro J.O.C. Reverendissimus Dominus Cardijn et amicissimi mei, qui in Dachau martyrium subierunt, Fernandus Tonnet et Paulus Garcet; ut, ex altera parte, promotores Patronorum Catholicorum, v. g. Leo Bekaert defunctus. Illi auctores operum ut fundamentum ponere intenderunt vitam spiritualem interiorem tamquam animum omnis apostolatus, « L'âme de tout apostolat » ut scripsit Dom Chautard.

Eodem spiritu duci debet vera Catholica Universitas et puto, pro Universitate Catholica Lovaniensi et pro Universitate Lovanium ab ipsa in Leopoldville (Congo) fundata, sicut pro aliis Catholicis Universitatibus, confirmare posse se magis ma-

gisque spiritu veritatis, sub tutela Patronae suae « Sedis Sapientiae », nullam molestiam invenire si, ut agricola et operarius, clare et firmiter proclamant fiduciam et fidem in protectionem et directionem Sancti Spiritus per Providentiam ut hic asseruit em.mus card. Döpfner; in Ecclesiam unam, sanctam, catholicam et apostolicam; in antiquam traditionem adorationis, receptionis quotidianae atque respectuosae Sacramenti, non tamen quasi absconditi in quadam ignota parte ecclesiae; in venerationem B. Mariae Virginis per non ridiculam, ut quidam moderni fideles asserere audent, recitationem Rosarii, quam nobis pro Polonia etiam expostulavit recenter em.mus card. Wyszyński; in veram caritatem christianam quam Ecclesia tam « ad intra quam ad extra » coli vult ab omnibus per totum orbem terrarum. Recordari mihi sit adhuc venia quia tam facile obliviscimur, exemplum totius sacrificii datum a viginti sociis congregationis Sancti Spiritus ex nostra regione, inhumaniter die 1 ianuarii 1962 in Kongolo interfectis. Gratia et honor a Deo mihi datus est ut duobus ex illis presbyteratus ordinem conferrem. Iuvat me illorum episcopum, quondam meum alumnum, exc.mum ac rev.mum D. Bouve fraterne et reverenter, hic praesentem, consalutare.

Recordor etiam illos duos Patres Passionistas Belgas nuperrime, die 23 octobris, in Katako-Kombe trucidatos.

Recordor tantos et tantas in Congo et in aliis regionibus terrae crudeliter interfectos.

Nimis fortasse hic in aula mensura amoris erga Deum et erga Beatam Mariam Virginem explorata fuit: ipsi et ipsae actibus suis proclamare potuerunt quod asseruit S. Augustinus: « Mensura amoris est amare absque mensura ».

Noster amor oecumenicus pro fratribus sic dictis separatis vel immo non christianis in « oratione et ieiunio » extendatur et, si a nobis requiritur, usque ad vitae sacrificium ut eos lux veritatis illuminet.[1]

Ob illum amorem Dei et animarum vere et sincere Sanctae Sedi devotissimus, petimus et rogamus ut Concilium in indagatione cuiusque scientiae consecrare dignetur hanc libertatem qua animus frui debet qui, bonum quaerens, vera apostolica sollicitudine ducitur, qua indagatio veritatis in omnibus rebus ornetur.

Venerabiles Patres Conciliares, vobis locutus sum mente libera ac recta verecundia. Quae hic protuli meo nomine et unica mea parva auctoritate dixi.

* * *

Lecto schemate *de institutione sacerdotali* et auditis quibusdam emendationibus et animadversionibus inde exortis, anxie animus mihi movetur.

Mirandum mihi videtur quod, praeter nonnullos venerabiles Patres qui iam locuti sunt, aut minima aut nulla mentio facta fuit de influxu Spiritus Sancti, B. M. V. et religiosarum traditionum quae inde a Sacrosancto Concilio Tridentino tam multas generationes efformarunt. At valere videtur reiectio traditionum quae etiam in Instructionibus de Liturgia magnam plagam effecit praeter constitutionem a nostro Concilio approbatam.

---

[1] Quae dicta fuerunt in aula die 19 novembris ante saevam inhumanamque ferocitatem sequentis hebdomadae qua morte crudeli affecti fuerunt tot Patres Missionarii, viri, mulieres et immo infantuli.

Insuper quasdam animadversiones addere cupio:

1. Credo etiam nunc doctrinae sanae quam em.mus card. Mercier in vita sua et per institutionem seminaristis et sacerdotibus suis datam laudavit in operibus suis spiritualibus « A mes Séminaristes », « Retraite pastorale », « Vie intérieure ». Non minuit partem S. Thomae Aquinatis nec magnum momentum meditationis, orationis et mortificationis, spiritus recollectionis, « l'âme de tout apostolat », unionis cum Deo, communionis spiritualis, orationis coram SS. Sacramento, stationum Viae Crucis.

2. Non video quare institutio practica iam in vita normali in Seminariis et durante curriculo studiorum effici debeat. Nos, seniores, potuimus tempus feriarum operibus paroecialibus utile reddere et credo formationem et educationem nostram non tam deficientem fuisse; magis crederem nos omnes seminariorum studia et efformationem iterum inire debere, si tirocinium nostrum insufficiens fuisset.

3. Gratias quam maximas venerabilibus Patribus agere cupio qui valorem S. Thomae praedicabant et puto solidam institutionem impossibilem esse si pars ei reservata minuatur.

Sane debent sacerdotes evolutionem studiorum in rebis philosophicis et theologicis sequi, sed sincere metuo expositiones modernae philosophiae quas tam pauci intellegere valent. In memoriam revoco non solum existentialismum sed etiam scholam phenomenologicam Husserl et Heidegger et aliorum.

4. Si seminaristae onera Seminarii ferre non valent, quam citissime Seminarium relinquant. Sed quaerere debemus, cum Seminarium reliquerint via ad sacerdotium dimissa, quid postea facere possint.

Me iuvat hic indicare in Belgio in tali casu multos effugium invenire in Schola Scientiarum Religiosarum in nostra Universitate Catholica Lovaniensi creata, ubi instituuntur ad licentiam Studiorum religiosorum qua magistri in scholis gradus medii fieri possunt.

5. Timeo educationem seminaristarum in sic dictis communitatibus parvis quae multas difficultates gignere debent quoad spiritum sacerdotalem et apostolicum, caritatem vere fraternam, occasiones dissensionum ex aemulatione, spiritum humilitatis.

6. In votis est plures sacerdotes et seminaristas adire Universitatem Catholicam. Sed ibi caveatur ut vita ecclesiastica et usus sacerdotibus proprii cum dignitate habitus et morum protegantur.

7. Historia Ecclesiae inducere debet studentes ut evolutionem communitatum seiunctarum addiscant, sed impossibile et inutile mihi videtur huic studio singillatim vel omnibus ex partibus nimium incumbere.

8. Cavendum est ne in seminariis educatio vertatur in « self-government » aut in « americanismum » qui ineunte hoc saeculo a Summo Pontifice Leone XIII condemnatus est.

7

CONFERENTIA EPISCOPORUM APULIAE

Attenta doctrina constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* clare indicanda est *dimensio apostolica,* quae cuivis catholicae educationi necessario danda est.

II - Quoad schema declarationis de libertate religiosa

Exc.mus P. D. THOMAS COORAY
Archiepiscopus Columbensis

I. *Animadversiones generales*:

1. Clare dicatur alicubi in loco apto: « quod dum persona humana gaudet iure Libertatis, error nullum habet ius, sed tolerari tantum potest ». Secus, doctrina allata est incompleta.

2. Ad n. 4 d, pag. 8, lin. 29: loco « salvo ordine publico », dicatur: « salvo *recto et vero* ordine publico ».

Ad n. 5 b, pag. 9, lin. 27: loco « exigentiis ordinis publici », dicatur: « exigentiis *recti et veri* ordinis publici ». *Ratio*: Verba « ordo publicus » non eodem modo ab omnibus intelligitur: v. g. apud Communistas, « ordo publicus » est bonum Status (immo Partitae politicae) etiam quando Status agit contra mores.

II. *Animadversiones particulares*:

1. Saepesaepius, loco verborum « potestas publica » dicendum est « potestas civilis »; nam, « potestas ecclesiastica » etiam est « potestas publica ». Quaedam exempla: pag. 4, linn. 7-8; pag. 5, lin. 36; pag. 6, lin. 4; pag. 9, lin. 24; pag. 10, lin. 3; etc.

2. Pag. 4, lin. 14: inter verba « humana » et « falsum » inserantur verba « sibi lex esset et ... ».

3. Pag. 4, lin. 17: inter verba « arbitrario » et « statuere » inserantur verba « proprio et subiectivo ».

4. Pag. 4, lin. 37: post verbum « serviat » addatur: « eumque ut finem ultimum habeat ».

5. Pag. 6, linn. 21-24: omittatur: « Veritas enim evangelica est in societate humana fermentum, quod plura honestae libertatis beneficia per saecula protulit ». *Ratio*: non est ad rem et obscurat sensum.

6. Pag. 6, lin. 34: inter verba « principiis » et « rationis » inseratur verbum « rectae ».

7. Pag. 7, lin. 4: loco « interiore » scribatur « personali ».

Pag. 7, linn. 9-10: loco « interiorem » scribatur « personalem ».

Pag. 7, lin. 14: loco « interiorem » scribatur « personalem ».

8. Pag. 7, lin. 17: post verba « quaerendi veritatem » addatur « obiectivam ».

9. Pag. 7, lin. 22: inter « invenitur » et « per magisterium » inseratur « generatim ».

10. Pag. 8, lin. 4: inter « natura » et « sociali » addantur verba « tam personali quam sociali ».

Linn. 6-7: inter « publice » et « exercenda » addantur verba « vel solus vel cum aliis in coetu communi ».

11. Pag. 9, lin. 5: loco « ordinis publici » dicatur « ordinis publici recti et veri ».

Similiter ad lin. 27, inter verba « exigentiis » et « ordinis ». Cf. etiam ad lin. 34 inter « noceat » et « ordini ».

12. Pag. 9, lin. 7: « necessarium » est ambiguum, nisi qualificetur; nam, potest esse etiam quid mere subiectivum.

13. Pag. 11, lin. 9: inter « adiuvent » et « et doctrina » addatur « et protegant ».

14. Pag. 11, lin. 18: inter « communicando » et « cum auctoritatibus » addatur « in re religiosa ».

15. Pag. 12, lin. 2: post verbum « dirigenda » addatur: « salvo semper iure aliorum et simul bono communi recto et vero ».

16. Pag. 15, lin. 16: ante « sed per virtutem » addatur: « nec vi et armis ».

17. Pag. 16, lin. 24: inter « usque » et « effusionem » inseratur verbum « proprii ».

III - Quoad schema declarationis de Ecclesiae habitudine ad Religiones non-christianas

1

Beat.mus P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1) L'on ne voit pas très bien le lien qui existe entre le fait que l'humanité marche de plus en plus vers l'unité et le fait que l'Eglise étudie sa relation aux religions non-chrétiennes (p. 5, 1-5).

Il y a pourtant un lien réel qu'il faudrait faire ressortir. L'unité de l'humanité qui est l'une des obligations que l'Eglise doit réaliser, et à laquelle elle a toujours travaillé, l'Eglise veut qu'elle ne soit pas faite en dehors d'Elle et en dehors des valeurs spirituelles que peuvent recéler les religions non-chrétiennes. Elle fait appel à ces religions pour que toutes les forces soient unies dans le service commun à rendre à l'humanité: la véritable unité ne se fera qu'à travers les principes spirituels opposés à l'athéisme moderne qui travaille à « unifier » l'humanité sur des bases surtout économiques.

2) Il y aurait peut-être danger que quelques-uns pensent que l'Eglise n'affirme ce lien avec les religions non-chrétiennes que poussée par un fait extérieur observé par elle et non par une vitalité propre qui la porte à être toujours dans le monde le sacrement du Christ qui est, lui, principe d'unité de tous les enfants des hommes. Pour éviter cette mauvaise interprétation possible, je proposerai le texte suivant: « Nostra aetate ... Ecclesia, *cuius missio est omnes homines in unum redigere,* considerat quae sit ... » (p. 5, 1-5).

3) Dans les lignes 21-30 de la page 6, l'on pourrait introduire avantageusement, me semble-t-il, le texte de *Phil.* 4, 8: quaecumque sancta ... quaecumque vera ... etc. Peut-être après la ligne 22.

4) Tout le paragraphe de la page 6, 21-30 est à refaire. Le lien entre la première phrase (lignes 21-22: Ecclesia Catholica...) et la seconde phrase (Annuntiat

enim ...) est un peu vague. Voici ce que je propose: « Ecclesia ... reiicit. De variis salutis ... Homines. Etenim Ecclesia annuntiat indesinenter Christum qui est via, veritas et vita (*Io.* 14, 6) ».

5) Tout le paragraphe sur l'Islam a dû être fait par un auteur qui, consciemment ou inconsciemment s'est mis dans des perspectives chrétiennes pour en parler:

a) la foi des musulmans se réfère-t-elle à Abraham, de la même façon que se réfère à elle la foi des chrétiens? Et pouvons-nous appeler les musulmans fils d'Abraham dans le sens des chrétiens, fils d'Abraham (p. 7, 5-6). Les musulmans eux-mêmes auraient peut-être à nous dire ce qu'ils pensent de cela. Pouvons-nous nous adjuger le droit de donner notre point de vue sur les dogmes musulmans indépendamment de ce que en pensent les auteurs musulmans eux-mêmes. Il me semble qu'il leur revient de nous éclairer.

Je sais bien que le Schema de Ecclesia a employé les mêmes formules, à mon avis, regrettables, ou du moins qu'on aurait dû nuancer.

Voici une formule que je proposerai pour le texte présent: « sicut Deo se submisit Abraham ad quem fides musulmana *libenter affirmat* sese referre » (p. 7, 5-6).

b) De même pour la virginité de Marie: les formules dans l'Evangile et le Coran ont-elles le même sens? Ont-elles la même fin? (p. 7, 8-9).

Les musulmans auraient à nous donner leur point de vue sur ce point aussi.

6) P. 7, 41, supprimer « enim », et à la page 7, 40 mettre après *gentium*: Sed Ecclesia affirmat et credit Christum ...

7) Ne faudrait-il pas dans le par. 4, p. 8, 32-42, et p. 9, 1-4 citer la parole du Christ: pardonnez-leur, car ils ne savent ce qu'ils font (*Lc.* 23, 34); ou celle de Pierre, généralement ignorée: « Je sais que c'est par ignorance que vous avez agi, ainsi d'ailleurs que vos Chefs » (*Actes* 3, 17), ou celle de Jean: « Voici l'Agneau de Dieu qui porte le péché du monde » (1, 29), ou celle du Christ: « Je donne ma vie et je la reprends et personne ne me l'ôte ».

8. Il me semblerait utile d'ajouter à la conclusion (p. 9, 5 et sq.) un texte de l'Ecriture qui signifie la paternité universelle de Dieu, celui, p. e. de *Malachie* 2, 10, cité dans le texte ancien?

9) La composition de la phrase « habitudo hominis ad Deum... » p. 9, 9-12 me semble déficiente. A l'*ita connectuntur,* devrait répondre un *ut dici possit.*

2

CONFERENTIA EPISCOPORUM NEERLANDIAE

Quaedam particularia. Pag. 5, n. 1, lin. 6: loco « una enim communitas sunt omnes gentes » dicatur: « *Ad* unam enim communitatem *vocatae sunt* omnes gentes ». *Ratio*: communitas non « datur », sed facienda est.

Pag. 7, n. 4, linn. 25-27: addatur « specialis »: nempe « S. haec Synodus meminit vinculi *specialis,* quo populus N. T. cum stirpe Abrahae coniunctus est ». *Ratio*: quia in priore numero, sub n. 3, relate ad Musulmanos iam sermo fiebat de aliquo vinculo (Musulmanorum) cum Abraham.

N.B. Pag. 7, n. 1, linn. 1-2: verbum « genus humanum » de se bonum est, melius tamen esset dicere « homines » simpliciter. Ergo: « Nostra aetate, in qua *homines* in dies arctius uni*untur* ... ».

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio generalis CLVI

CONGREGATIO GENERALIS CLVII

Congregatio generalis CLVIII

Congregatio generalis CLIX

Congregatio generalis CLX

CONGREGATIO GENERALIS CLXI

CONGREGATIO GENERALIS CLXII

Congregatio generalis CLXIII

Sessio publica VIII

CONGREGATIO GENERALIS CLXIV

APPENDIX